ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN IV
PERIODUS QUARTA

PARS IV

CONGREGATIONES GENERALES CXLVI - CL

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVII

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS CXLVI
11 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXLVI

11 octobris 1965

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, *Ss. Concilii subsecretarius*:

[*Ante Missam*]

In festo Maternitatis B. M. V., Missa celebratur in cantu a rev.mo Ignatio Gillet, abb. gen. Ordinis Cisterciensium Reformatorum.

Evangelium inthronizat exc.mus D. Stephanus Kuijpers, ep. Paramariboënsis in Guyana.

Cantus proprii: nn. 46 ac ss. Ordinarii cantus: n. 75. Oratio fidelium: n. 89.

Hodie, Fratres venerabiles, tertius recurrit dies anniversarius initii huius Concilii: memoriam Ioannis XXIII fideliter recolentes, Deum precamur, adiuvante gloriosa Maria, pro beatissimo Papa nostro Paulo et pro nobis quoque laborantibus.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 146 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

Durante hac congregatione prosequetur disceptatio circa schema *de activitate missionali Ecclesiae*. Fiet imprimis suffragatio super integro schemate *de accommodata renovatione vitae religiosae*. Deinde, post relationem, fient suffragationes quoad schema *de institutione sacerdotali,* prouti iam nuntiatum est.

In hac quoque congregatione, distribuetur vobis Patribus relatio, veluti summaria, quoad schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum*. Relatio est iam in fasciculo, sed quia longa est, commissio praeparavit aliquam relationem summariam, quae hodie vobis distribuetur et legetur suo tempore.

Distribuetur pariter fasciculus (attamen super fine huius congregationis, ne implicentur suffragationes) libellus, cui titulus: *I Concili Ecumenici nei documenti dell'Archivio Vaticano*. Et vobis Patribus notum fit exhibitionem horum documentorum haberi iam ab hoc die in Ar-

chivo Vaticano et potest invisi horis pomeridianis, ab hora 16 ad horam 19; ab hoc die, exceptis diebus festis, uti patet. Hodie distribuetur fasciculus qui illustrat documenta exposita.

Et nunc, nomina eorum qui verbum facere postulaverunt circa schema *de activitate missionali Ecclesiae*. Sunt em.mi ac rev.mi DD. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus (Palermo) in Italia; Franciscus König, arch. Vindobonensis (Wien) in Austria; rev.mus D. Mauritius Quéguiner, sup. gen. Societatis Parisiensis Missionum; exc.mi ac rev.mi DD. Andreas Sapelak, vis. ap. pro Ucrainis in Argentina; Ernestus Gonçalves da Costa, ep. Inhambanensis in Mozambico; Ioseph Cordeiro, arch. Karachiensis (Karachi) in Pakistan; Marcus McGrath, ep. S. Iacobi in Panama; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis in Sinis; Nicolaus Geise, ep. Bogorensis in Indonesia; Iacobus Corboy, ep. Monzensis in Zambia; Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus in India; Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India; Ioseph Guffens, ep. tit. Germanicianensis in Belgio; Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis (Annecy) in Gallia; Victor Garaygordobil, prael. null. Fluminum (Los Ríos) in Aequatore; Ioseph Sibomana, ep. Ruhengeriensis in Rwanda; Aristides Pirovano, ep. tit. Hadrianiensis in Italia; Ioseph Martin, ep. Bururiensis in Burundi.

Nunc lego, Patres, textum schematis *de accommodata renovatione vitae religiosae*. Lego tantummodo principium et finem. Videatis pag. 5 [cf. vol. IV, pars III, pp. 512 ss.].

Ergo, Patres, hic textus, qui summatim lectus est at pro integro lectus habendus est, *placet* vobis an *non placet*? Duplex formula. Et est ultima suffragatio ante sessionem publicam.

SCHEMA DECRETI DE INSTITUTIONE SACERDOTALI * [5]

1 – TEXTUS EMENDATUS ET MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DE SEMINARIIS
DE STUDIIS ET DE EDUCATIONE CATHOLICA EXAMINATI

Textus prior

PROPOSITIONES

DE INSTITUTIONE SACERDOTALI
(Patrum disceptationi 12-17 nov. 1964 subiectae)

[*Prooemium*]. Sancta Synodus, probe noscens optatam totius Ecclesiae renovationem a sacerdotum ministerio magna ex parte pendere, gravissimum institutionis sacerdotalis momentum proclamat, eiusque primaria quaedam principia declarat, quibus confirmentur leges iam saeculorum experientia probatae in easque nova inducantur, quae mutatis temporum rationibus aptius respondeant. Quae sacerdotalis institutio ob ipsam catholici sacerdotii unitatem, omnibus sacerdotibus cuiusvis ritus necessaria est; ideoque haec praescripta, congrua congruis referendo, omnibus applicanda sunt.

Textus emendatus

PROPOSITIONES

DE INSTITUTIONE SACERDOTALI IUXTA PATRUM ANIMADVERSIONES ET « MODOS » EMENDATAE **

[*Prooemium*]. Optatam totius Ecclesiae renovationem probe noscens Sancta Synodus a sacerdotum ministerio, *Christi spiritu animato,* magna ex parte pendere,[1] gravissimum institutionis sacerdotalis momentum proclamat, eiusque primaria quaedam principia declarat, quibus confirmentur leges iam saeculorum *usu* probatae in easque nova inducantur, quae *huius Sancti Concilii Constitutionibus et Decretis necnon* mutatis temporum rationibus respondeant. Quae sacerdotalis *conformatio* ob ipsam catholici sacerdotii unitatem, omnibus sacerdotibus *utriusque cleri et* cuiusvis ritus necessaria est; ideoque haec praescripta, *quae*

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 134, die 23 septembris 1965.
** Litteris cursivis notantur textus mutati vel additi post examen « modorum » peractum.

[5]

Textus prior

Textus emendatus

clerum dioecesanum directe respiciunt, congrua congruis referendo, omnibus *accommodanda* sunt.

Textus prior

I. De sacerdotalis institutionis ratione in singulis Nationibus ineunda.

1. Cum in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generales leges ferri possint, in singulis nationibus vel ritibus peculiaris « Sacerdotalis Institutionis Ratio » ineatur, ab Episcoporum coetibus statuenda, certis temporibus recognoscenda atque ab Apostolica [6] Sede approbanda, qua leges universales ad peculiaria locorum temporumque adiuncta accommodentur, ut sacerdotalis institutio semper respondeat pastoralibus necessitatibus illarum regionum in quibus ministerium exercendum est.

II. De vocationibus sacerdotalibus instantius fovendis.

2. Fovendarum vocationum opus ad totam quidem christianam communitatem pertinet quae vita plene christiana, precationibus, paenitentiae operibus aliisque subsidiis id promovere debet; tamen maxime in id conferant oportet tum familiae, quae suae dignitatis et missionis plene consciae veluti primum seminarium constituunt, tum sacerdotum exemplum atque apostolicus zelus.

Hac actuosa ad vocationes fovendas conspiratio Divinae Providentiae actioni respondet, quae quosdam homines ad Christi Sacerdotium hierarchicum participandum eligit, eis congruas tribuit dotes simulque Ecclesiae committit ut, vocationis signis agnitis, candidatos

Textus emendatus

I. De sacerdotalis institutionis ratione in singulis Nationibus ineunda.

1. Cum in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generales leges ferri possint, in singulis nationibus vel ritibus peculiaris « Sacerdotalis Institutionis Ratio » ineatur, ab Episcoporum *Conferentiis* statuenda,[2] certis temporibus recognoscenda atque ab Apostolica Sede approbanda, qua leges universales ad peculiaria locorum temporumque adiuncta accommodentur, ut sacerdotalis institutio semper congruat pastoralibus necessitatibus illarum regionum in quibus ministerium exercendum sit.

II. De vocationibus sacerdotalibus instantius fovendis.

2. Fovendarum vocationum *officium*[3] ad totam christianam communitatem pertinet, quae *imprimis* vita plene christiana id provehere debet; maxime in id conferunt tum familiae, quae, *spiritu fidei, caritatis et pietatis animatae,* veluti primum seminarium *fiunt,* tum *paroeciae quarum uberem vitam ipsi adolescentes participant. Magistri atque omnes qui puerorum iuvenumque institutionem quovis modo curant, praecipue Consociationes Catholicae, adolescentes sibi concreditos ita excolere studeant ut vocationem divinam percipere et libenter sequi valeant. Omnes* sacerdotes zelum apostolicum *in fovendis vocationibus quam maxime ostendant et propria ipsorum vita hu-*

Textus prior

qui tantum munus recta intentione et plena libertate petierint, comprobatos vocet et Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecret.

Opus vero fovendarum vocationum fines singularum dioecesium, nationum atque rituum dilatato corde transcendat oportet atque ad universalis Ecclesiae necessitates respiciat, ut illis regionibus auxilium afferri possit, ubi Domini vinea instantius advocat operarios.

Textus emendatus [6]

mili, operosa, laeto animo peracta, necnon mutua sacerdotali caritate et fraterna operae consortione, adolescentium animos ad sacerdotium trahant.

Episcoporum autem est in vocationibus provehendis gregem suum excitare arctamque omnium virium laborumque curare coniunctionem; eos vero quos ipsi ad sortem Domini vocatos iudicaverint, ut patres, nullis parcentes sacrificiis adiuvare.

Haec actuosa ad vocationes fovendas *universi populi Dei* conspiratio Divinae Providentiae actioni respondet, quae hominibus ad Christi Sacerdotium hierarchicum participandum *divinitus* electis congruas dotes tribuit *eosque sua gratia adiuvat, dum legitimis* Ecclesiae *ministris* committit ut *idoneitate* agnita, candidatos qui tantum munus recta intentione [7] et plena libertate petierint, comprobatos vocent et Sancti Spiritus sigillo *Dei cultui et Ecclesiae servitio* consecrent.[4]

Sancta Synodus tradita quidem communis cooperationis subsidia imprimis commendat uti sunt instans oratio, christiana paenitentia *necnon in dies altior christifidelium institutio, sive praedicatione et catechesi sive etiam variis communicationis socialis mediis impertienda, qua quidem necessitas, natura et praestantia vocationis sacerdotalis declarentur. Insuper mandat ut Opera vocationum, secundum pontificia ad rem documenta, in singularum dioecesium, regionum vel nationum ambitu iam constituta vel ineunda, universam fovendarum vocationum pastoralem actionem, nullis opportunis auxiliis posthabitis quae hodiernae doctrinae psychologicae et sociologicae utiliter protulerint, methodice et cohaerenter disponant atque pari discretione ac zelo promoveant.*[5]

Opus vero fovendarum vocationum fines

[7] *Textus prior*

3. In Seminariis Minoribus ad germina vocationis colenda erectis atque in peculiaribus Institutis quae pro locorum gentiumque adiunctis eundem finem prosequuntur, alumni particulari religiosa conformatione, imprimis apta moderatione spirituali, ad Christum Redemptorem generoso animo sequendum componantur. Vitam aliunde ducant quae adolescentium aetati, spiritui et evolutioni conveniat et sanae psychologiae normis plene respondeat, congrua rerum humanarum experientia et consuetudine cum propria familia non praetermissis. Studia ab ipsis peragenda sic ordinentur oportet, ut [8] ea sine incommodo alibi prosequi possint, si ad vota saecularia transeunt. Peculiari cura foveantur Instituta aliaque incepta pro eis qui maiore aetate divinam sequuntur vocationem.

III. De Seminariorum Maiorum ordinatione.

4. [*Integra institutio fini pastorali cohaerenter aptanda*]. In Seminariis praesertim

Textus emendatus

singularum dioecesium, nationum, *familiarum religiosarum* atque rituum dilatato corde transcendat oportet atque ad universalis Ecclesiae necessitates respiciens illis praecipue regionibus auxilium afferat, *in quibus ad* Domini vineam instantius operarii advoc*antur.*

3. In Seminariis Minoribus ad germina vocationis excolenda erectis alumni *peculiari* religiosa conformatione, imprimis apta moderatione spirituali, ad Christum Redemptorem generoso animo *et puro corde* sequendum componantur. *Sub paterno superiorum moderamine, parentibus opportune cooperantibus,* vitam ducant quae adolescentium aetati, spiritui et evolutioni conveniat et sanae psychologiae normis plene *aptetur,* congrua rerum humanarum experientia et consuetudine cum propria familia non praetermissis.[6] *Ea praeterea quae in sequentibus de Seminariis Maioribus statuuntur, quatenus fini et rationi Seminarii Minoris conveniunt, ipsi quoque accommodentur.* Studia ab *alumnis* peragenda sic ordinentur oportet ut *ipsi* ea sine incommodo alibi prosequi possint, si *alium vitae statum amplectantur.*

Pari cura foveantur *etiam germina vocationis adolescentium* et iuvenum in peculiaribus Institutis quae pro locorum adiunctis *Seminariorum Minorum quoque fini inserviunt, necnon eorum qui sive in aliis scholis sive ceteris educationis mediis instituuntur; ac sedulo promoveantur* Instituta aliaque incoepta pro iis qui maiore aetate divinam sequuntur vocationem.

III. De Seminariorum Maiorum ordinatione.

4. Seminaria Maiora *ad sacerdotalem conformationem necessaria sunt.* In *eis* integra

Textus prior

Maioribus integra clericorum formatio exemplum prosequatur oportet ipsum Dominum Nostrum Iesum Christum, Magistrum, Sacerdotem, Pastorem. Quare ad sacerdotalia ministeria spiritu Christi obeunda sacrorum alumni formandi sunt; ad ministerium Verbi: ut Verbum Dei revelatum semper melius intelligant, meditantes possideant, lingua et moribus exprimant; ad ministerium cultus et sanctificationis: ut orantes et sacras liturgicas celebrationes peragentes opus salutis per Sacrificium et Sacramenta exerceant; ad ministerium Pastoris: ut sciant repraesentare hominibus Christum, qui « non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc.* 10 45; cf. *Io.* 13, 12-17) et ut sciant omnium fieri servi, ut plures lucrifaciant (cf. *1 Cor.* 9, 19).

Quare omnes institutionis rationes, spiritualis, intellectualis, disciplinaris, consociata actione ad hunc finem ordinentur, eique assequendo sedulam concordemque dent operam omnes moderatores et magistri, Episcopi auctoritati fideliter obsequentes.

5. [*Seminariorum Moderatores melius seligendi et efficacius praeparandi*]. Cum alumnorum institutio ab idoneis educatoribus magis quam a sapientibus legibus pendeat, Seminariorum moderatores et magistri ex optimis viris seligantur atque solida doctrina, congrua experientia pastorali et peculiari institutione spirituali et paedagogica diligenter praeparentur. Instituta ergo ad hunc finem assequendum vel saltem Superiorum Seminariorum conventus statutis temporibus celebrandi promoveantur.

Textus emendatus [8]

alumnorum institutio eo tendere debet ut ad exemplar Domini Nostri Iesu Christi, Magistri, Sacerdotis et Pastoris, *veri animarum pastores ipsi formentur;* [7] *praeparentur ergo* ad ministerium verbi: ut verbum Dei revelatum semper melius intelligant, meditantes possideant, lingua et moribus exprimant; ad ministerium cultus et sanctificationis: ut orantes et sacras liturgicas celebrationes peragentes opus salutis per Sacrificium *eucharisticum* et Sacramenta exerceant; ad ministerium Pastoris: ut sciant repraesentare hominibus Christum, qui non « venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc.* 10, 45; cf. *Io.* 13, 12-17) et ut, omnium *facti* servi, plures lucrifaciant (cf. *1 Cor.* 9, 19).

Quare omnes institutionis rationes, spiritualis, intellectualis, disciplinaris, consociata actione ad hunc finem *pastoralem* ordinentur, eique assequendo sedulam concordemque operam *navent* omnes moderatores et magistri, [9]
Episcopi auctoritati fideliter obsequentes.

5. Cum alumnorum institutio *et* a sapientibus legibus *et maxime quidem* ab idoneis educatoribus pendeat, Seminariorum moderatores et magistri ex optimis viris seligantur [8] atque solida doctrina, congrua experientia pastorali et peculiari institutione spirituali et paedagogica diligenter praeparentur. Instituta igitur ad hunc finem assequendum vel saltem *cursus apta ratione disponendi necnon* Moderatorum Seminariorum conventus statutis temporibus celebrandi promoveantur *oportet.*

Moderatores vero et magistri persentiant quantopere a suipsorum cogitandi agendique ratione pendeat alumnorum formationis exi-

[9]

Textus prior	*Textus emendatus*
	tus; sub Rectoris ductu arctissimam spiritus et actionis consortionem ineant atque inter semetipsos et cum alumnis eam familiam constituant quae Domini orationi «Ut sint unum» (cf. *Io.* 17, 11) *respondeat et in alumnis propriae vocationis gaudium nutriat. Episcopus autem assidua praedilectionis cura animet eos qui in Seminario laborant ac ipsis alumnis se demonstret verum in Christo Patrem. Omnes denique sacerdotes cor dioecesis Seminarium considerent eique propriam adiutricem operam libenter praestent.*[9]
6. [*De alumnorum selectione et probatione*]. Vigilanti cura inquiratur de candidatorum recta intentione ac libera voluntate, de idoneitate morali et intellectuali, de congrua valetudine physica et psychica, de capacitate sacerdotalia onera ferendi et officia pastoralia exercendi, necessaria adhibita severitate etiamsi lugenda sit sacerdotum penuria, cum Deus Ecclesiam suam ministris carere non sinat, si digni promoveantur, non idonei vero tempestive ad alia munera obeunda paterne dirigantur.	6. Vigilanti cura, *pro singulorum aetate eorumque progressu,* inquiratur de candidatorum recta intentione ac libera voluntate, de idoneitate *spirituali,* morali et intellectuali, de congrua physica et psychica valetudine — *consideratis quoque dispositionibus a familia forsan transmissis. Expendatur quoque candidatorum* capacitas sacerdotalia onera ferendi et officia pastoralia exercendi.[10] *In universa autem alumnorum selectione et probatione debita* semper adhibeatur *animi firmitas* etiamsi lugenda sit sacerdotum penuria,[11] [10] cum Deus Ecclesiam suam ministris carere non sinat, si digni promoveantur, non idonei tempestive ad alia munera obeunda paterne dirigantur *atque iuventur ut vocationis suae christianae conscii, alacriter apostolatum laicalem ineant.*
7. [*Seminaria secundum alumnorum necessitates disponenda*]. Ubi singulae dioeceses Seminario rite instruendo impares sint, erigantur ac foveantur Seminaria pluribus dioecesibus vel universae regioni vel nationi communia, ut solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficaciore ratione	7. Ubi singulae dioeceses *proprio Seminario* rite instruendo impares sint, erigantur ac foveantur Seminaria pluribus dioecesibus vel universae regioni vel nationi communia, ut solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficaciore ratione consulatur. Haec vero Seminaria, si regionalia

Textus prior

consulatur. Haec vero Seminaria, si regionalia sint vel nationalia, regantur iuxta statuta ab Episcopis, quorum interest, condita et ab Apostolica Sede probata.

In Seminariis autem ubi multi sunt alumni, retenta institutione scientifica communi, alumni apta ratione distribuantur in communitates parviores, ut singulorum conformationi personali melius provideatur.

IV. De institutione spirituali impensius excolenda.

8. Institutio spiritualis cum doctrinali et pastorali arcte connectenda ita impertiatur, ut alumni qui per sacram ordinationem Christo Sacerdoti configurandi erunt, amicorum more intima totius vitae consortione Ei adhaerere assuescant; Christum quaerere discant in Verbi Dei fideli meditatione, in actuosa cum sacrosanctis Ecclesiae Mysteriis communicatione, imprimis in Eucharistia; in Episcopo, qui eos mittit, et in membris Christi, praesertim pauperibus, peccatoribus, incredulis, ad quos mittuntur. Dum enixe colantur pietatis exercitia venerando Ecclesiae usu commendata, cavendum est ne formatio spiritualis in iis solis consistat et solum affectum religiosum excolat. Sed discant alumni secundum formam Evangelii vivere, in fide, spe et caritate firmari, ut in earum exercitio spiritum orationis sibi acquirant, vocationis suae robur et munimen consequantur, ceterarum virtutum vigorem obtineant et zelo omnes homines Christo lucrifaciendi crescant.

Textus emendatus [10]

sint vel nationalia, regantur iuxta statuta ab Episcopis, quorum interest,[12] condita et ab Apostolica Sede probata.

In Seminariis autem ubi multi sunt alumni, retenta *regiminis et* scientificae institutionis unitate, alumni apta ratione distribuantur in *coetus minores* ut singulorum conformationi personali melius provideatur.

IV. De institutione spirituali impensius excolenda.

8. Institutio spiritualis cum doctrinali et pastorali arcte connectatur et, *directore spiritus praecipue adiuvante,*[13] ita impertiatur, ut *alumni cum Patre per Filium Eius Iesum Christum in Spiritu Sancto familiari et assidua societate vivere discant.* Per sacram ordinationem Christo Sacerdoti configurandi, *etiam* intima totius vitae consortione, ut amici, Ei adhaerere assuescant.[14] *Eius Mysterium Paschale ita vivant ut in illud initiare sciant plebem sibi committendam.* Christum quaerere *edoceantur* in verbi Dei fideli meditatione, in actuosa cum sacrosanctis Ecclesiae Mysteriis communicatione, imprimis in Eucharistia et *in officio divino*;[15] in Episcopo, qui eos mittit et in *hominibus* ad quos mittuntur, praesertim pauperibus, *parvulis, infirmis,* peccatoribus et incredulis. [11] *Beatissimam Virginem Mariam, quae a Christo Iesu in cruce moriente discipulo data est uti mater, filiali fiducia diligant et colant.*

Enixe foveantur pietatis exercitia venerando Ecclesiae usu commendata; *curandum vero* est ne formatio spiritualis in iis solis consistat nec solum affectum religiosum excolat. Discant *potius* alumni secundum formam Evangelii vi-

[11]

Textus prior

9. Mysterio Ecclesiae ab hac Sancta Synodo prae ceteris illuminato clerici ita imbuantur ut sacerdotio aucti proprio Episcopo tamquam fidi cooperatores adhaerentes et sociam cum fratribus operam praestantes, testimonium exhibeant illius unitatis qua homines ad Christum attrahuntur. Clarissime intelligant alumni, se non imperio vel honoribus destinari, sed totos servitio Dei et pastorali ministerio mancipari. Peculiari sollicitudine in sacerdotali oboedientia, in pauperis vitae ratione et in sui abnegandi spiritu ita excolantur, ut etiam ea quae licita sunt, sed non expediunt, prompte abdicare et Christo crucifixo se conformare assuescant.

Textus emendatus

vere, in fide, spe et caritate firmari, ut in earum exercitio spiritum orationis sibi acquirant,[16] vocationis suae robur et munimen consequantur, ceterarum virtutum vigorem obtineant et zelo omnes homines Christo lucrifaciendi crescant.

9. Mysterio Ecclesiae ab hac Sancta Synodo *praecipue illustrato alumni* ita imbuantur ut *Christi Vicario humili et filiali caritate devincti atque,* sacerdotio aucti, proprio Episcopo tamquam fidi cooperatores adhaerentes et sociam cum fratribus operam praestantes, testimonium exhibeant illius unitatis qua homines ad Christum attrahuntur.[17] *Dilatato corde participare discant in totius Ecclesiae vita secundum illud S. Augustini:* « *Quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum Sanctum* ».[18] Clarissime intelligant alumni, se non *dominatui nec* honoribus destinari, sed totos servitio Dei et pastorali ministerio mancipari. Peculiari sollicitudine in sacerdotali oboedientia, in pauperis vitae ratione et in sui abnegandi spiritu ita excolantur,[19] ut etiam ea quae licita sunt, sed non expediunt, prompte abdicare et Christo crucifixo se conformare assuescant.

De oneribus ab ipsis suscipiendis alumni reddantur certiores, nulla vitae sacerdotalis difficultate reticita; ne tamen in futura operositate periculi rationem fere unice conspiciant, sed potius ad vitam spiritualem ex ipsa eorum pastorali actione quam maxime roborandam conformentur.

[12]

Textus prior

10. Diligenti cura alumni educentur ad sacerdotalem castitatem, vi cuius sacerdotes, secundum proprias variorum rituum leges, integra animi et corporis deditione Domino inser-

Textus emendatus

10. Alumni qui secundum *proprii ritus sanctas firmasque* leges *venerandam coelibatus sacerdotalis traditionem sequuntur,* diligenti cura educentur *ad hunc statum,* in *quo socie-*

Textus prior

viunt atque aptissimum impetrant auxilium ad perfectam caritatem in ministerio continuo exercendam. De periculis quae eorum castitati in huius temporis societate occurrunt, alumni moneantur et aptis praesidiis instruantur; ita conformentur ut matrimonii quoque christiani dignitate et momento clare cognitis, optione mature deliberata ac magnanimi indivisum Domini praeferant amorem eiusque Regno dilatando semetipsos offerant hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (cf. *Rom.* 12, 1).

11. Christianae educationis normae sancte serventur, et recentioribus sanae psychologiae et paedagogiae inventis rite compleantur. Firma rectae disciplinae principia iuxta alumnorum aetatem ita applicentur ut gradatim sibimetipsis moderari, libertate sapienter uti, sponte naviterque agere et cum confratribus et lai-

Textus emendatus [12]

tati coniugali propter regnum caelorum (cf. *Mat.* 19, 12) *renuntiantes, Domino adhaerent* amore indiviso [20] *novo Foederi intime congruente, futuri saeculi resurrectionis testimonium exhibent* (cf. *Lc.* 20, 36) [21] et aptissimum *consequuntur* auxilium ad *eam* perfectam caritatem continuo exercendam, *qua* in ministerio sacerdotali *omnia omnibus fieri valeant.*[22] *Alte persentiant quam grato animo ille status suscipi debeat non quidem solum ut lege ecclesiastica praeceptus, sed ut pretiosum donum Dei humiliter impetrandum, cui gratia Spiritus Sancti excitante et adiuvante, libere et generose respondere properent.*

Officia et dignitatem christiani matrimonii, *quod amorem inter Christum et Ecclesiam repraesentat* (cf. *Eph.* 5, 32 s.), *alumni debite cognoscant; perspiciant autem virginitatis Christo consecratae praecellentiam,*[23] ita ut optione mature deliberata ac magnanimi, integra corporis et animi deditione Domino *se devoveant.*

De periculis quae eorum castitati *maxime* in *praesentis* temporis societate occurrunt, moneantur; [24] aptis praesidiis *divinis humanisque adiuti, matrimonii renuntiationem ita integrare addiscant ut ipsorum vita et operositas ex coelibatu non modo ullum patiatur detrimentum, sed potius ipsi altius animi corporisque dominium pleniorisque maturitatis profectum acquirant atque Evangelii beatitudinem perfectius percipiant.*

11. Christianae educationis normae sancte serventur, et recentioribus sanae psychologiae et paedagogiae inventis rite compleantur. *Institutione igitur sapienter ordinata in alumnis excolenda est etiam debita maturitas humana, praecipue comprobata in quadam animi stabilitate, in facultate ferendi ponderatas decisiones* [13]

[13]

Textus prior

cis sociam praestare operam addiscant. Illae quoque virtutes sedulo curentur quae in civili societate magni aestimantur, cuiusmodi sunt animi sinceritas, in agendo urbanitas, assidua iustitiae cura, modestia cum caritate coniuncta. Tota Seminarii ratio pietatis et silentii studio perfusa, ita ordinetur oportet ut iam quaedam initiatio sit futurae vitae a sacerdote ducendae.

12. Ut formatio spiritualis solidiore ratione fundetur et alumni vocationem optione mature deliberata amplectantur, Episcoporum erit congruum instaurare temporis intervallum pro impensiore tirocinio spirituali. Eorundem quoque erit opportunitatem perpendere quandam

Textus emendatus

atque in recta de eventibus et hominibus iudicandi ratione. Alumni propriam indolem recte componere assuescant; ad animi fortitudinem formentur et in universum illas virtutes aestimare discant quae *inter homines pluris fiunt et Christi ministrum commendant,*[25] cuiusmodi sunt animi sinceritas, assidua iustitiae cura, *promissis servata fides,* in agendo urbanitas, in *colloquendo* modestia cum caritate coniuncta.

Vitae Seminarii disciplina aestimanda est non solum validum vitae communis caritatisque praesidium, sed totius institutionis necessaria pars ad sui dominium acquirendum, ad solidam personae maturitatem promovendam ceterasque animi dispositiones efformandas quae ordinatam et fructuosam Ecclesiae operositatem maxime iuvant. Ita tamen exerceatur ut fiat alumnorum interna aptitudo qua auctoritas superiorum ex intima persuasione seu propter conscientiam (cf. *Rom.* 13, 5) *et propter supernaturales rationes suscipiatur.* Disciplinae *vero normae* iuxta alumnorum aetatem ita applicentur ut *ipsi, dum* gradatim sibimetipsis moderari addiscant, libertate sapienter uti, sponte naviterque agere[26] et cum confratribus et laicis sociam praestare operam assuescant.

Tota Seminarii ratio, pietatis et silentii studio *atque mutui adiutorii sollicitudine* perfusa, ita ordinetur oportet ut iam quaedam initiatio sit futurae vitae a sacerdote ducendae.

12. Ut spiritualis *institutio* solidiore ratione *innitatur* et alumni vocationem optione mature deliberata amplectantur, Episcoporum erit congruum instaurare temporis intervallum pro impensiore tirocinio spirituali. Eorundem quoque erit opportunitatem perpendere quan-

Textus prior

studiorum interruptionem statuendi vel adaequatum tirocinium pastorale disponendi ut sacerdotii candidatorum probationi satius consulatur. Pro singularum regionum condicionibus Coetuum Episcoporum erit deliberare de augenda aetate a iure communi pro sacris Ordinibus expostulata.

V. De studiis ecclesiasticis recognoscendis.

13. [*De studiis praeviis apte disponendis*]. Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, ea humanistica et scientifica institutione augeantur, qua iuvenes in sua cuiusque natione ad superiora studia peragenda praeparari solent; ac praeterea eam linguae latinae cognitionem acquirant, qua tot scientiarum sacrarum fontes et ecclesiastica documenta intellegere atque si de latini ritus alumnis agatur, libros liturgicos profundiore intellectu adhibere possint.

14. [*Studia ecclesiastica melius coordinanda et apta introductione inchoanda*]. In studiis ecclesiasticis recognoscendis imprimis id intendatur ut singulae disciplinae philosophicae et theologicae aptius componantur et concordi ratione conspirent ad alumnorum mentibus magis magisque aperiendum Mysterium Christi quod totam generis humani historiam afficit, in Ecclesiam iugiter influit et in ministerio sacerdotali imprimis operatur. Ut haec visio ab ipso initio alumnis communicetur, studia ecclesiastica inchoentur cursu introductorio per

Textus emendatus [13]

dam studiorum interruptionem statuendi vel *aptum* tirocinium pastorale disponendi ut sacerdotii candidatorum probationi satius consulatur. [14] Pro singularum regionum condicionibus *Episcoporum pariter* erit *decernere de protrahenda* aetate a iure communi *in praesenti* pro sacris ordinibus expostulata *necnon deliberare de opportunitate statuendi ut alumni, expleto cursu theologico, per congruum tempus diaconalem exerceant ordinem, antequam ad sacerdotium promoveantur.*

V. De studiis ecclesiasticis recognoscendis.

13. Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, ea humanistica et scientifica institutione *ornentur,* qua iuvenes in sua cuiusque natione superiora studia *inire valeant*; ac praeterea eam linguae latinae cognitionem acquirant, qua tot scientiarum fontes et Ecclesiae documenta intellegere atque adhibere possint.[27] *Studium linguae liturgicae unicuique ritui propriae necessarium habeatur, cognitio vero congrua linguarum Sacrae Scripturae et Traditionis valde foveatur.*

14. In ecclesiasticis studiis recognoscendis *eo* imprimis *spectandum est* ut disciplinae philosophicae et theologicae aptius componantur et concordi ratione conspirent ad alumnorum mentibus magis magisque aperiendum Mysterium Christi quod totam generis humani historiam afficit, in Ecclesiam iugiter influit et ministerio sacerdotali *praecipue* operatur.[28]

Ut haec visio ab *institutionis limine cum* alumnis communicetur, studia ecclesiastica inchoentur cursu introductorio per congruum tempus protrahendo. In hac studiorum initia-

[14]

Textus prior

congruum tempus protrahendo. In hac studiorum initiatione Mysterium salutis ita proponatur ut alumni ad vocationem laeto promptoque animo amplectendam iuventur et studiorum
[15] ecclesiasticorum sensum, ordinem eorumque finem pastoralem conspiciant.

15. [*De studiis philosophicis recognoscendis*]. Philosophicae disciplinae ita tradantur, ut alumni perennis philosophiae principia clare perspiciant eiusque cohaerentem synthesim acquirant; alia quoque systemata philosophica, praesertim moderna, quae in propria natione maiorem influxum exercent, necnon recentiores scientiarum progressus cognoscant, ut suae aetatis mentem melius percipiant eiusque quaestionibus apte respondere valeant.

16. [*Institutio theologica communicanda integra, harmonica et vitalis*]. In cursu theo-

Textus emendatus

tione Mysterium salutis ita proponatur ut alumni studiorum ecclesiasticorum sensum, ordinem eorumque finem pastoralem conspiciant *simulque ad propriam vitam universam fide fundandam et penetrandam iuventur atque* in vocatione *deditione personali* et laeto animo amplectenda *firmentur.*

15. Philosophicae disciplinae ita tradantur ut alumni *imprimis ad solidam et cohaerentem hominis, mundi et Dei cognitionem acquirendam manuducantur, innixi patrimonio philosophico* perenniter *valido,*[29] *ratione quoque habita philosophicarum investigationum progredientis aetatis,* praesertim earum quae in propria natione maiorem influxum exercent, necnon recentioris scientiarum progressus, ita ut alumni *hodiernae aetatis indole recte percepta ad colloquium cum hominibus sui temporis opportune praeparentur.*[30]

Historia philosophiae ita tradatur ut alumni, dum variorum systematum principia ultima attingunt, ea quae ibi vera probantur teneant, errorum radices detegere eosque refellere valeant.

In ipsa docendi ratione excitetur in alumnis amor veritatis rigorose quaerendae, observandae, demonstrandae simul cum honesta agnitione limitum cognitionis humanae. Sedulo attendatur ad necessitudinem inter philosophiam et vera problemata vitae necnon quaestiones quae alumnorum mentes movent; ipsi quoque adiuventur ad perspiciendos nexus qui intercedunt inter argumenta philosophica et mysteria salutis quae in theologia superiore lumine fidei considerantur.

16. *Disciplinae theologicae, in lumine fidei* sub Ecclesiae Magisterii ductu,[31] ita tra-

Textus prior

logico scientia sacra, duce Ecclesiae Magisterio, ita tradatur ut alumni doctrinam catholicam ex divina Revelatione accurate haustam profunde penetrent, propriae vitae spiritualis reddant alimentum atque in ministerio sacerdotali annuntiare, exponere atque tueri valeant. Sacrae Scripturae studio, quae universae theologiae veluti anima esse debet, peculiari diligentia alumni instituantur; congrua introductione praemissa, in exegeseos methodum accurate initientur, maxima divinae Revelationis themata perspiciant et in Sacris Scripturis quotidie legendis et meditandis incitamentum et alimentum recipiant. Singuli tractatus dogmatici ita disponantur ut ante omnia ipsa themata biblica proponantur; quid Patres ad singulas Revelationis veritates fideliter transmittendas et enucleandas contulerint necnon ulterior dogmatis historia — considerata quoque ipsius relatione ad generalem Ecclesiae historiam — alumnis aperiatur; deinde ad mysteria salutis integre quantum fieri potest illustranda, ea ope speculationis, S. Thoma magistro, intimius penetrare eorumque nexum perspicere alumni discant; eademque semper in cultu et vita Ecclesiae praesentia et operantia agnoscere doceantur, atque humanorum problematum solutiones sub Revelationis luce quaerere, eius aeternas veritates mutabili rerum humanarum condicioni applicare easque modo coaevis hominibus aptato communicare discant. Ceterae quoque theologicae disciplinae ex vividiore cum Revelatione divina contactu instaurentur.

Manuducantur alumni ad plenius cognoscendas eas communitates quae christiano nomine decorantur, sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, ut fratres iuvare possint ad unitatem a Domino Nostro expostulatam.

Textus emendatus [15]

dantur ut alumni doctrinam catholicam ex divina Revelatione accurate *hauriant*, profunde penetrent, propriae vitae spiritualis reddant alimentum [32] eamque in ministerio sacerdotali annuntiare, exponere atque tueri valeant.

Sacrae Scripturae studio, quae universae theologiae veluti anima esse debet,[33] peculiari diligentia alumni instituantur; congrua intro- [16]
ductione praemissa, in exegeseos methodum accurate initientur, maxima divinae Revelationis themata perspiciant et in Sacris *Libris* quotidie legendis et meditandis incitamentum et *nutrimentum* recipiant.[34]

Theologia dogmatica ita disponatur ut ipsa themata biblica primum proponantur; quid Patres *Ecclesiae Orientis et Occidentis* ad singulas Revelationis veritates fideliter transmittendas et enucleandas contulerint necnon ulterior dogmatis historia — considerata quoque ipsius relatione ad generalem Ecclesiae historiam — alumnis aperiatur; [35] deinde ad mysteria salutis integre quantum fieri potest illustranda, ea ope speculationis, S. Thoma magistro, intimius penetrare eorumque nexum perspicere alumni addiscant; [36] eademque semper in *actionibus liturgicis* [37] et *universa* Ecclesiae vita praesentia et operantia agnoscere doceantur, atque humanorum problematum solutiones sub Revelationis luce quaerere, eius aeternas veritates mutabili rerum humanarum condicioni applicare easque modo coaevis hominibus *accommodato* communicare discant.[38]

Item ceterae theologicae disciplinae ex vividiore *cum Mysterio Christi et historia salutis* contactu instaurentur. *Specialis cura impendatur Theologiae morali perficiendae, cuius scientifica expositio, doctrina S. Scripturae magis nutrita, celsitudinem vocationis fidelium in Christo illustret eorumque obligationem in ca-*

[16]

Textus prior

Introducantur etiam ad alias religiones cognoscendas in singulis regionibus magis vulgatas, quo melius id quod boni, Deo disponente, habent, agnoscant, errores refellere discant et plenum veritatis lumen non habentibus communicare valeant.

Textus emendatus

ritate pro mundi vita fructum ferendi. Similiter in iure canonico exponendo et in historia ecclesiastica tradenda respiciatur ad Mysterium Ecclesiae, secundum Constitutionem dogmaticam « De Ecclesia » ab hac S. Synodo promulgatam. Sacra Liturgia quae primus, isque necessarius fons spiritus vere christiani habenda est, doceatur ad mentem articulorum 15 et 16 Constitutionis de Sacra Liturgia.[39]

[17] *Variarum regionum condicionibus opportune consideratis,* manuducantur alumni ad plenius cognoscendas *Ecclesias* et Communitates *ecclesiales* a Sede Apostolica *Romana* seiunctas, ut *unitatis redintegrationi inter universos Christianos secundum huius S. Synodi praescripta promovendae conferre valeant.*[40]

Introducantur etiam ad alias religiones cognoscendas in singulis regionibus magis vulgatas, quo melius id quod boni *et veri,* Deo disponente, habent, agnoscant, errores refellere discant et plenum veritatis lumen non habentibus communicare valeant.

Textus prior

17. [*De universis disciplinis apta ratione tradendis*]. Cum vero doctrinalis institutio non ad meram notionum communicationes, sed potius ad veram et profundam alumnorum formationem tendere debeat, methodi didacticae recognoscantur tum ad praelectiones, colloquia et exercitationes quod attinet, tum quoad alumnorum studium sive privatum sive in parvis coetibus incitandum. Totius institutionis unitas ac soliditas sedulo curetur, vitata nimia disciplinarum et lectionum multiplicatione atque iis quaestionibus omissis, quae vix ullum momentum retinent vel quae ad altiora academica studia remittenda sunt.

18. Episcoporum erit curare ut iuvenes melioris indolis et ingenii ad peculiaria Insti-

Textus emendatus

17. Cum vero doctrinalis institutio non ad meram notionum communicationem, sed ad veram *intimamque* alumnorum formationem tendere debeat, methodi didacticae recognoscantur tum ad praelectiones, colloquia et exercitationes quod attinet, tum quoad alumnorum studium sive privatum sive in parvis coetibus excitandum. Totius institutionis unitas ac soliditas sedulo curetur, vitata nimia disciplinarum et lectionum multiplicatione atque iis quaestionibus omissis, quae vix ullum momentum retinent vel quae ad altiora academica studia remittenda sunt.

18. Episcoporum erit curare ut iuvenes indole, *virtute* et ingenio *apti* ad peculiaria Insti-

Textus prior

tuta, Facultates vel Universitates mittantur ut in scientiis sacris, necnon in aliis quae opportunae videantur, sacerdotes praeparentur altiore ratione scientifica instructi, qui variis apostolatus necessitatibus satisfacere valeant.

Textus emendatus [17]

tuta, Facultates vel Universitates mittantur ut in scientiis sacris necnon in aliis quae opportunae videantur, sacerdotes praeparentur altiore ratione scientifica instructi, qui variis apostolatus necessitatibus satisfacere valeant; *eorum vero institutio spiritualis et pastoralis, maxime si sacerdotio nondum sint aucti, nullo modo negligatur.*

VI. De institutione stricte pastorali promovenda.

19. Pastoralis illa sollicitudo quae integram prorsus clericorum institutionem informare debet, postulat etiam ut alumni diligenter instruantur in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant, praesertim in catechesi et praedicatione, in cultu liturgico et sacramentorum administratione, in animarum moderandarum arte, in operibus caritatis, in officio occurrendi errantibus et incredulis, et in ceteris pastoralibus muneribus.

VI. De institutione stricte pastorali promovenda.

19. Pastoralis illa sollicitudo quae integram prorsus *alumnorum* institutionem informare debet,[41] postulat etiam ut *ipsi* diligenter [18] instruantur in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant, praesertim in catechesi et praedicatione, in cultu liturgico et sacramentorum administratione, in operibus caritatis, in officio occurrendi errantibus et incredulis, et in ceteris pastoralibus muneribus. *Accurate instituantur* in animarum moderandarum arte, qua *universos Ecclesiae filios imprimis ad vitam christianam plene consciam et apostolicam atque ad sui status officia implenda conformare valeant; pari sollicitudine adiuvare discant religiosos et religiosas ut in propriae vocationis gratia perseverent et secundum variorum Institutorum spiritum proficiant.*[42]

In universum in alumnis congruae aptitudines excolantur, quae maxime ad dialogum cum hominibus conferunt, uti sunt capacitas alios audiendi et ad varia necessitudinis humanae adiuncta animum aperiendi in spiritu caritatis.[43]

20. Subsidiis quoque uti edoceantur quae disciplinae sive paedagogicae, sive psycholo-

20. Subsidiis quoque uti edoceantur quae disciplinae sive paedagogicae, sive psychologi-

[18]

Textus prior

gicae, sive sociologicae afferre valent, iuxta rectas methodos et Auctoritatis Ecclesiasticae normas. Item ad apostolicam laicorum actionem excitandam ac fovendam accurate instruantur, necnon ad varias efficacioresque apostolatus formas promovendas; atque eo spiritu vere catholico imbuantur, quo propriae dioecesis, nationis, vel ritus fines transcendere et totius Ecclesiae necessitates respicere assuescant.

Textus emendatus

cae, sive sociologicae [44] afferre valent, iuxta rectas methodos et Auctoritatis Ecclesiasticae normas. Item ad apostolicam laicorum actionem excitandam ac fovendam accurate instruantur,[45] necnon ad varias efficacioresque apostolatus formas promovendas; atque eo spiritu vere catholico imbuantur, quo propriae dioecesis, nationis vel ritus fines transcendere et totius Ecclesiae necessitates *iuvare* assuescant, *animo parati ad Evangelium ubique praedicandum.*[46]

Textus prior

21. Cum vero opus sit ut alumni apostolatus exercendi artem non tantum theoretice, sed etiam practice addiscant et propria responsabilitate agere valeant, iam inde a studiorum tempore iidem praxi pastorali initientur per opportunas exercitationes, quae pro alumno- [19] rum aetate ac locorum temporumque condicione, prudenti Episcoporum iudicio, methodice et sub peritorum magistrorum ductu fieri debent, praepollente supernaturalium mediorum vi semper memorata.

Textus emendatus

21. Cum vero opus sit ut alumni apostolatus exercendi artem non tantum theoretice, sed etiam practice addiscant atque propria responsabilitate *et consociata opera* agere valeant, iidem iam *per* studiorum *curriculum, feriarum quoque* tempore praxi pastorali initientur per opportunas exercitationes; quae *vero* pro alumnorum aetate ac locorum condicione, prudenti Episcoporum iudicio, methodice et sub *virorum in re pastorali* peritorum ductu fieri debent, praepollente supernaturalium *auxiliorum* vi semper memorata.[47]

Textus prior

VII. De institutione post seminarium perficienda.

22. Cum sacerdotalis institutio, ob recentioris potissimum societatis adiuncta, etiam post Seminarium prosequenda atque perficienda sit, Coetuum Episcoporum erit in singulis nationibus aptiora media adhibere, cuiusmodi sunt periodici conventus et accommodatae exercitationes quarum ope iunior clerus sub aspectu spirituali, intellectuali et pastorali in sacerdotalem vitam atque apostolicam operositatem gradatim introducatur easque in dies magis renovare ac fovere valeat.

Textus emendatus

VII. De institutione post seminarium perficienda.

22. Cum sacerdotalis institutio, ob recentioris potissimum societatis *rerum* adiuncta, etiam *studiorum in Seminariis curriculo absoluto* prosequenda atque perficienda sit,[48] *Conferentiarum* Episcoporum erit in singulis nationibus aptiora media adhibere, cuiusmodi sunt *pastoralia Instituta cum paroeciis opportune selectis cooperantia,* conventus *statis temporibus* cogendi et accommodatae exercitationes quarum ope iunior clerus sub aspectu spirituali, intellectuali et pastorali in sacerdota-

Textus prior *Textus emendatus* [19]

lem vitam atque apostolicam operositatem gradatim introducatur easque in dies magis renovare ac fovere valeat.

[*Conclusio*]. *Huius Sanctae Synodi Patres, opus a Concilio Tridentino inchoatum prosequentes, dum Seminariorum moderatoribus et magistris fidenter concredunt munus futuros Christi sacerdotes efformandi in spiritu renovationis ab hac Sacrosancta Synodo promotae, eos qui ad sacerdotale ministerium se praeparant, vehementer hortantur ut ipsi spem Ecclesiae animarumque salutem sibi committi persentiant atque huius Decreti normas libenti animo suscipientes, fructus qui semper maneant, uberrimos afferant.*

NOTAE [20]

[1] Universi populi Dei progressum ex ipsius Christi voluntate a sacerdotum ministerio quam maxime pendere, ex verbis patet quibus Dominus Apostolos eorumque successores et cooperatores constituit Evangelii praecones, novi populi electi duces et mysteriorum Dei dispensatores; idem confirmatur ex Patrum ac Sanctorum effatis atque ex iteratis Summorum Pontificum documentis.

Cf. in primis:

S. Pius X, Exhortatio ad Clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* IV, pp. 242-244.

Pius XI, Litt. Encycl. *Ad catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), imprimis pp. 37-52.

Pius XII, Adhortatio Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 657-702.

Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 545-579.

Paulus VI, Epistula Apost. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 979-995.

[2] Universa institutio sacerdotalis, id est Seminarii ordinatio, institutio spiritualis, ratio studiorum, alumnorum vita communis et disciplina, exercitia pastoralia variis locorum adiunctis accommodanda sunt. Quae accommodatio, ad praecipua principia quod spectat, secundum normas communes facienda est, pro clero saeculari ab Episcoporum Conferentiis, et congrua ratione a Moderatoribus Maioribus pro clero regulari (cf. Statuta Generalia Constitutioni Apostolicae *Sedes Sapientiae* adnexa, art. 19).

[20] [3] Inter praecipuas aerumnas quibus Ecclesia hodie fere ubique affligitur eminet vocationum exigua copia.

Cf. Pius XII, Adhortatio Apost. *Menti Nostrae*: « ... sacerdotum numerus cum in catholicorum regionibus, tum in missionalibus terris, impar plerumque increscentibus necessitatibus est » (*A.A.S.*, 42 [1950], p. 682).

Ioannes XXIII: « Il problema delle vocazioni ecclesiastiche e religiose è quotidiana sollecitudine del Papa..., è sospiro della Sua preghiera, aspirazione ardente della Sua anima » (ex Allocutione ad I Congressum Internationalem de Vocationibus ad Status Perfectionis, 16 dec. 1961: *L'Osservatore Romano,* 17 dic. 1961).

[4] Pius XII, Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956: *A.A.S.*, 48 (1956), p. 357; Paulus VI, Ep. Apost. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 984 ss.

[5] Cf. imprimis: Pius XII, Motu proprio *Cum nobis* « de Pontificio Opere Vocationum Sacerdotalium apud S. Congregationem Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositam constituendo », 4 nov. 1941: *A.A.S.*, 33 (1941), p. 479; cum adnexis Statutis et Normis, ab eadem S. Congregatione promulgatis die 8 sept. 1943. Motu proprio *Cum supremae* « de Pontificio Opere primario religiosarum vocationum », 11 febr. 1955: *A.A.S.*, 47 (1955), p. 266; cum adnexis Statutis et Normis a S. Congr. de Religiosis promulgatis (*ibid.*, pp. 298-301); Conc. Vat. II, Decretum *De accommodata renovatione vitae religiosae,* n. 24; Decretum *De Pastorali Episcoporum munere in Ecclesia,* n. 15.

[6] Cf. Pius XII, Adhortatio Apostolica *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), p. 685.

[7] Cf. Conc. Vat. II, Constitutio Dogmatica *De Ecclesia* n. 28: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 34.

[21] [8] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.*, 28 (1936), p. 37: « Diligens imprimis esto moderatorum magistrorumque delectus... Sacris eiusmodi conlegiis sacerdotes tribuite maxima virtute ornatos; neque gravemini eos e muneribus abstrahere, specie quidem maioris ponderis, quae tamen cum hac capitali re, cuius partes nulla alia susceperit, comparari nequeunt ». Quod delegendi optimos principium iterum inculcatur a Pio XII in Litteris Apostolicis ad Ordinarios Brasiliae directis die 23 aprilis 1947, *Discorsi e Radiomessaggi,* IX, pp. 579-580.

[9] De communi officio Seminariis auxiliatricem operam navandi cf. Paulus VI, Epistula Apost. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.*, 53 (1963), p. 984.

[10] Cf. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), p. 684; et cf. S. Congreg. de Sacramentis, Litt. circulares *Magna equidem* ad locorum Ordinarios, 27 dec. 1935, n. 10. Pro religiosis cf. *Statuta Generalia* adnexa Constitutioni Apostolicae *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956, art. 33.

Paulus VI, Epistula Apost. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 987 sq.

[11] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.*, 28 (1936), p. 41.

[12] Statuitur, ut in determinandis Seminariorum regionalium vel nationalium Statutis, omnes Episcopi quorum interest, partem habeant, derogando praescripto canonis 1357, par. 4 *C.I.C.*

[13] Cf. Pius XII, Exhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.*, 42

(1950), p. 674; S. Congr. de Sem. et Stud. Univ., *La Direzione spirituale nei Seminari,* Città del Vaticano 1956. [21]

[14] Cf. S. Pius X, Exhort. ad Clerum catholicum, *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* IV, pp. 242-244; Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 659-661; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri Primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 550 s.

[15] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), pp. 547 ss. et 572 s.; Ioannes XXIII, Adhortatio Apost. *Sacrae Laudis,* 6 ian. 1962: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 69; Conc. Vat. II, Const. *De Sacra Liturgia,* art. 16 et 17: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 104 s.; S. C. Rituum, *Instructio ad exsecutionem Constitutionis de Sacra Liturgia recte ordinandam,* 26 sept. 1964, nn. 14-17: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 880 s.

[16] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri Primordia*: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 559 s.

[17] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 35 s.

[18] S. Augustinus, *In Ioannem tract.* 32, 8: *PL* 35, 1646.

[19] Cf. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 662 s., 685, 690; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri Primordia*: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 551-553; 556 s.; Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 634 s.; Conc. Vat. II, Const. dogm. *De Ecclesia,* imprimis n. 8: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 12.

[20] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 mart. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 165 ss.

[21] Cf. C. Cyprianus, *De habitu virginum,* 22: *PL* 4, 475; S. Ambrosius, *De virginibus* I 8, 52: *PL* 16, 202 s.

[22] Cf. Pius XII, Adhort Apost. *Menti Nostrae*: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 663.

[23] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* l. c., pp. 170-174.

[24] Cf. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* l. c., pp. 664 et 690 s.

[25] Cf. Paulus VI, Epistula Apost. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 991. [22]

[26] Cf. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* l. c., p. 686.

[27] Cf. Paulus VI, Epistula Apost. *Summi Dei Verbum,* l. c., p. 993.

[28] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *De Ecclesia,* nn. 7 et 28: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 9-11; 33 s.

[29] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Humani Generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 571-575.

[30] Cf. Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 637 ss.

[31] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 567-569; Allocutio *Si diligis,* 31 maii 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 314 s.; Paulus VI, Allocutio in Gregoriana Pontificia Studiorum Universitate habita, 12 mart. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 364 s.; Conc. Vat. II, Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 25: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 29-31.

[32] Cf. S. Bonaventura, *Itinerarium mentis in Deum* n. 4: « (Nemo) credat quod sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumspectio sine exsultatione, industria sine pietate, scientia sine

[22] caritate, intelligentia sine humilitate, studium absque divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata ».

[33] Cf. LEO XIII, Encycl. *Providentissimus Deus,* 18 nov. 1893: *A.S.S.,* 26 (1893-94), p. 283.

[34] Cf. Commissio Pontificia de Re Biblica, *Instructio de Sacra Scriptura recte docenda,* 13 maii 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 502.

[35] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani Generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 568 s.: « ... sacrorum fontium studio sacrae disciplinae semper iuvenescunt; dum contra speculatio quae ulteriorem sacri depositi inquisitionem neglegit, ut experiundo novimus, sterilis evadit ».

[36] Cf. PIUS XII, Sermo ad Alumnos Seminariorum, 24 iunii 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), p. 247: « Aemulatio... in veritate quaerenda et propaganda per commendationem doctrinae S. Thomae non supprimitur, sed excitatur potius ac tuto dirigitur ». PAULUS VI, Allocutio in Gregoriana Pont. Studiorum Univ. habita, 12 mart. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 365: « (Magistri) ... vocem Ecclesiae Doctorum reverenter auscultent, inter quos Divus Aquinas praecipuum obtinet locum; Angelici enim Doctoris tanta est ingenii vis, tam sincerus veritatis amor, ac tanta sapientia in altissimis veritatibus pervestigandis, illustrandis aptissimoque unitatis nexu colligendis, ut ipsius doctrina efficacissimum sit instrumentum non solum ad Fidei fundamenta in tuto collocanda, sed etiam ad sanae progressionis fructus utiliter et secure percipiendos ».

[37] Cf. Conc. Vat. II, Const. *De Sacra Liturgia,* nn. 7 et 16: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 100 s. et 104 s.

[38] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 640 s.; Conc. Vat. II, Const. pastoralis *De Ecclesia in mundo huius temporis.*

[39] Conc. Vat. II, Const. *De Sacra Liturgia,* nn. 10, 14, 15, 16; S. C. Rituum, *Instructio ad exsecutionem Constitutionis de Sacra Liturgia recte ordinandam,* 26 sept. 1964, nn. 11 et 12: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 879 s.

[40] Cf. Conc. Vat. II, Decretum *De Oecumenismo,* n. 1, 9, 10: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 90 et 98 s.

[41] Perfecta pastoris forma potest deduci ex recentiorum Pontificum documentis quae de vita, de dotibus et de institutione Sacerdotum distincte agunt, imprimis:

[23] S. PIUS X, Exhortatio ad Clerum *Haerent animo*: *S. Pii X Acta,* vol. IV (1908), p. 237 ss.;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii*: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 5 ss.;

PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 657 ss.;

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia*: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 545 ss.;

PAULUS VI, Epist. Apost. *Summi Dei Verbum*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 979 ss.

Non pauca tamen de formatione pastorali inveniuntur etiam in Litt. Encycl. *Mystici Corporis* (1943), *Mediator Dei* (1947), *Evangelii Praecones* (1951), *Sacra Virginitas* (1954), *Musicae Sacrae Disciplina* (1955), *Princeps Pastorum* (1959), necnon in Const. Apost. *Sedes Sapientiae* (1956) pro Religiosis.

PIUS XII, IOANNES XXIII et PAULUS VI etiam in suis allocutionibus ad seminaristas et sacerdotes formam boni pastoris compluries illustrarunt.

[42] De momento status, qui professione consiliorum evangelicorum constituitur

cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *De Ecclesia,* cap. VI: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 49-53; Decretum *De accommodata renovatione vitae religiosae.* [23]

[43] Cf. Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964) passim, imprimis pp. 635 s. et 640 ss.; Conc. Vat. II, Const. pastoralis *De Ecclesia in mundo huius temporis,* passim.

[44] Cf. imprimis Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 401 ss.

[45] Cf. praecipue Conc. Vat. II, Decretum *De Apostolatu Laicorum*, nn. 25 et 30 et passim.

[46] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 17: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 20 s.; Decretum *De Activitate missionali Ecclesiae,* imprimis nn. 36 et 37.

[47] Plurima documenta Pontificia praemonent contra periculum in actione pastorali neglegendi finem supernaturalem et parvipendendi saltem practice subsidia supernaturalia; cf. imprimis documenta in nota 41 laudata.

[48] Recentiora S. Sedis documenta particularem de neosacerdotibus curam habendam urgent. Commemoranda sunt imprimis:

Pius XII, Motu Proprio *Quandoquidem,* 2 aprilis 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), pp. 165-167; Exhortatio Apost. *Menti Nostrae,* 23 septembris 1950: *A.A.S.,* 42 (1950); Constitutio Apostolica (pro Religiosis) *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956 et Statuta Generalia adnexa; Allocutio ad sacerdotes « Convictus Barcinonensis », 14 iunii 1957, *Discorsi e Radiomessaggi,* XIX, pp. 271-273.

Paulus VI, Allocutio coram sacerdotibus Instituti « Gian Matteo Giberti » dioecesis Veronensis, 11 martii 1964.

[25] RELATIO DE MODIS PROPOSITIS ET EXAMINATIS

A) Relatio generalis

I. Suffragatio

De schemate Propositionum « De Institutione Sacerdotali » disceptatum est in Aula conciliari diebus 12, 14, 16, 17 novembris 1964. Triginta duo Patres locuti sunt, alii 67 termino disceptationi imposito prohibiti quominus oretenus mentem aperirent, in scriptis propriam sententiam exhibuerunt.

Die 17 novembris instituta est suffragatio praeliminaris sequentibus verbis: An placeat Patribus ut post expletam disceptationem, procedatur ad suffragationem de singulis partibus schematis Propositionum « De Institutione Sacerdotali ». Responsum Patrum fuit:

Summa suffragiorum 2117: placet: 2076, non placet: 41.

Proinde diebus 17 et 18 novembris schema in 7 partes divisum suffragationi Patrum submissum est; exitus suffragationum fuit sequens:

		Placet	Non placet	Iuxta modum	Nulla
I.	Suffragatio: (Prooem. et nr. 1) Nr. suffragantium 1857	1731	3	123	—
II.	Suffragatio: (nn. 2-3) Nr. suffragantium 1880	1721	10	149	—
III.	Suffragatio: (nn. 4-7) Nr. suffragantium 1966	1808	4	154	—
IV.	Suffragatio: (nn. 8-12) Nr. suffragantium 1996	1773	10	213	—
V.	Suffragatio: (nn. 13-15) Nr. suffragantium 1943	1618	5	319	1
VI.	Suffragatio: (nn. 16-18) Nr. suffragantium 1960	1644	8	307	1
VII.	Suffragatio: (nn. 19-22) Nr. suffragantium 1945	1845	6	93	1

II. Examen Modorum [26]

Animadversiones a Patribus sive oretenus in Aula conciliari sive in scriptis prolatae atque omnes et singuli Modi, secundum schematis numeros et argumentorum affinitatem distributi, communicati sunt cum omnibus Commissionis Membris et Peritis. Diebus 29 martii usque ad diem 3 aprilis 1965 habitus est conventus peculiaris sub ductu Exc.mi D. Iosephi Carraro, Relatoris; adlaboraverunt una cum Secretario Commissionis Ill.mi et Rev.mi Periti: Masi Robertus, Onclin Gulielmus, Pozzi Renatus, Dezza Paulus, Tillmann Clemens, Bednarski Felix.

Commissio vero plenaria in Conventu generali habito a die 26 aprilis ad diem 3 maii 1965 expensionem Modorum a praefata Subcommissione praeparatam attento examini subiecit et die 3 maii mutationes et additiones in textum inducendas approbavit.

III. Criteria in expensione Modorum observata

1) Textus a duabus tertiis partibus suffragiorum in Congregatione Generali probatus gaudet possessione; non ergo accipiendi erant illi modi qui textui iam probato contradicerent.

2) Admissae sunt parvae additiones, transpositiones, mutationes quibus textus in prima lectione probatus clarior, ditior et nostrae aetatis adiunctis vel magis accommodatus redderetur. Aliae quaedam mutationes latinitatis ratione inductae sunt, quin sensus ullo modo mutaretur.

3) In aliquibus numeris (2, 5, 10, 11, 15, 16, 19) additamenta quaedam admittenda esse Commissio censuit, quae textum opportune, immo necessario perficiunt. Plurimi enim Patres sive oretenus sive in scriptis conquesti sunt, quod tanti ponderis argumentum ad paucas propositiones reductum exspectationibus Ecclesiae plene satisfacere vix valeret; proinde textum aliquatenus enucleatum peroptaverunt. Insuper — sicut bene scitis — perpendendum est in hoc casu Commissionem de Seminariis et Studiis duo gressus in simul facere debuisse qui in aliis schematibus expoliendis distincti fuerant, scilicet:

a) emendatio textus iuxta animadversiones Patrum in prima schematis disceptatione propositas;

b) revisio textus iuxta modos a Patribus exhibitos, occasione suffragationis de textu emendato institutae.

4) Peculiaris sollicitudo adhibita est ut expensio Modorum quam maxime congrueret cum ipso spiritu et finibus manifestatis ab hac Sacrosancta Synodo in aliis documentis iam probatis vel adhuc probandis (cf. Prooemium, nn. 2, 4, 8, 9, 10, 12, 15, 16, 19 et Conclusionem).

[26] 5) Plures Patres postulaverunt ut in schemate vel breviter delinearentur notae propriae sacerdotii ministerialis Novi Testamenti eiusque munera in Ecclesia, ita ut, hoc fundamento posito, ea, quae in schemate dicuntur de candidatis ad sacerdotium conformandis, magis elucescerent.
[27] Sed cum ipsum Concilium hac de re iam egisset in Constitutione Dogmatica « De Ecclesia » (n. 28) et plura proponeret in Decreto « De ministerio et vita presbyterorum » (cf. imprimis nn. 1-4, 6), haec in praesenti schemate repetenda non videbantur. Omnino supponendum est hoc nostrum schema legi et applicari in luce omnium documentorum ab hac Sacrosancta Synodo proclamatorum. Quae a Concilio dicuntur de natura, muneribus, spiritualitate presbyteratus eiusque relationibus cum Episcopatu et cum Populo Dei, certo ansam dabunt altius sacerdotii theologiam evolvendi.

6) Commissio in expendendis modis fideliter sequebatur principium iam in prima schematis praesentatione enuntiatum et a Vobis, Venerabiles Patres, mense novembris 1964, favorabiliter acceptatum: quod scilicet porta aperiatur pro omnibus illis incoeptis quae a nostrae aetatis adiunctis suggeruntur, ea autem discretione maxime servata, qua non omnia omnibus neve ubique aequali modo vel mensura praecipiantur (cf. nn. 1, 3, 7, 12, 21, 22).

Permulta de singulis numeris a Patribus in animadversionibus et modis proposita, a Commissione optima sane aestimata sunt; sed saepius in textum inserenda non videbantur, sive, quia alibi iam a Concilio explicitius considerata, sive quia excedebant indolem schematis generalia principia proclamantis atque normas magis particulares Conferentiis episcopalibus concredentis (cf. nr. 1). Generaliter vero vestris desideriis, Venerabiles Patres, satisfit, etsi quaedam non verbatim vel in numero proposito inseri poterant, ob connexionem idearum melius servandam.

B) Relatio de singulis schematis numeris

Ad Prooemium

Duo peculiari ratione notanda sunt:

a) Desiderio Patrum obsecundans novus textus extollit momentum spirituale sacerdotalis operositatis (« ... a sacerdotum ministerio *Christi spiritu* animato... ») atque urget nexum huius schematis cum universo fine Concilii.

b) Insuper quaestio magni ponderis aptiore modo solvitur:
Huius decreti normae directe *clerum dioecesanum* respiciunt; reapse

enim ante omnia prae oculis habentur Seminaria Maiora pro formando [27] clero dioecesano constituta. Asseritur autem principia conformationis sacerdotalis in schemate annuntiata « congrua congruis referendo, omnibus accommodanda esse ».

Ad nr. 1

Claritatis gratia expressio « ab Episcoporum coetibus » mutata est in « ab Episcoporum *Conferentiis* ». Quidam Patres insuper postulaverant ut Conferentiae Episcopales in redigendis « Sacerdotalis Institutio- [28] nis Rationibus » consulerent sacerdotes munere pastorali fungentes necnon laicos quoque. Commissioni autem videbatur id iam supponi posse; immo saepe opportunum fore, ut consilia virorum quam maxime peritorum etiam ex aliis regionibus adhiberentur.

Ad nr. 2

De vocationibus fovendis nimis breviter in schemate agi et plura saltem perstringenda esse permulti Patres censuerunt. Commissio eo libentius his desideriis satisfaciendum esse putavit, quia, maximo huius quaestionis pondere clare percepto, iam Commissio praeparatoria de Studiis et Seminariis proprium de vocationibus fovendis schema elaboraverat et ipsa Commissio Conciliaris textum magis divitem proposuerat in praecedentibus schematis editionibus (vide Schema Constitutionis *De Sacrorum alumnis formandis,* Patribus transmissum mense maii 1963, nn. 2-5, et cf. eiusdem Constitutionis textum a Commissione de Seminariis recognitum (nn. 2-3), qui continetur in pp. 26-27 fasciculi Schematis Propositionum *De Institutione Sacerdotali* mense maii 1964 Patribus transmissi).

Praeter alia haec in textu emendato addita speciali ratione notentur: cum Vaticanum II tam explicite de natura et munere Episcopatus egisset, peculiaris mentio Episcopi in re pro Ecclesia tam gravi videbatur opportuna. Item explicite commendantur Opera Vocationum secundum Pontificia ad rem documenta ubique constituenda, fortius enuntiato momento quod convenit actioni methodice et organice conducendae. Non autem accipiendum videbatur desiderium, ut Concilium definitione quadam dirimeret quaestionem de natura vocationis. In notione autem descriptiva iam in textu priore exhibita, secundum desideria a Patribus expressa, momentum gratiae divinae clarius indicatur; insuper locutioni « Ecclesiae committit... » substituta est sequens: « legitimis Ecclesiae ministris committit » (cf. Catechismum Conc. Trid., P. III, de Ordine, 3).

[28] *Ad nr. 3*

Haec imprimis notanda sunt:

a) Iuxta desiderium plurium Patrum in priore paragrapho agitur de solis Seminariis Minoribus proprie dictis, quae in pluribus regionibus optimos fructus afferunt. In altera autem paragrapho respiciuntur tum condiciones earum regionum, ubi Seminaria proprie dicta non adsunt, tum urgetur cura ubique habenda de iuvenibus quaecumque educationis instituta frequentantium atque peculiaris sollicitudo de vocationibus quae « tardivae » nuncupantur.

b) Quod ad pueros in Seminariis Minoribus educandos attinet, momentum cooperationis ipsius familiae commemoratur.

[29] *c*) Cum schema a nr. 4 usque 22 respiciat Seminaria Maiora, quippe quae ubique terrarum habeantur, altera autem ex parte plura ibi praescripta vel commendata, etiam Seminariis Minoribus utilia sint, Commissio in fine prioris paragraphi una vice pro semper huius congruae adaptationis mentionem addidit, ita ut in sequentibus ad Seminaria Minora non iam redeundum sit.

Ad nr. 4

Cum non desint hodie qui iam integrum Seminarii institutum demittendum esse dictitent, Commissio necessitatem Seminarii Maioris clare affirmandam esse censuit. Eo vero minime excluditur possibilitas cuiusdam interruptionis studiorum (cfr. nr. 12) nec usus in aliquibus regionibus usurpatus secundum quem alumni per determinatam curriculi partem extra Seminarium, lectiones alicuius Facultatis Theologicae frequentant.

Ad nr. 5

Hic numerus in textu emendato dividitur in duas paragraphos:

a) In priore paragrapho iam in praecedenti textu prostante additum est monitum de cursibus organica ratione disponendis, quibus Seminariorum moderatores aptius suo gravissimo muneri praeparentur. Nam Instituta ad hunc finem apta nondum ubique prostant; conventus Superiorum autem statutis temporibus celebrandi etsi utillimi, generaliter sunt nimis breves ideoque vix sufficientes. Quam maxime vero refert ut quomodo Concilium Tridentinum meliori alumnorum conformationi providit, Concilium Vaticanum II moderatoribus et magistris Seminariorum peculiari sollicitudine praeparandis consulat.

b) Addita est altera paragraphus qua vel brevissime insinuatur [29] momentum exempli moderatorum et magistrorum eorumque intimae in munere explendo consortionis necnon indolis familiae inter Seminarii moderatores et alumnos in Christo constituendae. Quo arctior operae et consiliorum consortio instituatur a magistris et superioribus eo melius solvuntur alumnorum quaestiones spirituales et intellectuales. Insuper urgetur iuvamen et incitamentum ab Episcopo praestandum necnon ab omnibus iis qui eius presbyterium efformant. Ita etiam cavetur ne Seminarium ab integra Dioecesis vita pastorali inopportuno modo separetur.

Ad nr. 6

In initio numeri additur « pro singulorum aetate eorumque progressu », ut progressio dynamica in necessaria maturitate physica, psychica et spirituali obtinenda et examinanda clarius exprimatur. Ceterae mutationes rationem habent eorum modorum qui attentione digni habiti sunt, [30] imprimis quod attinet ad alumnos Seminarium relinquentes qui ad apostolatum laicorum incitandi sunt. Insuper loco « necessaria adhibita severitate » in textu emendato legitur: « debita semper adhibeatur animi firmitas » (scilicet in alumnorum selectione et probatione).

Ad nr. 7

Contra quorundum obiectiones retenta est commendatio ut alumni in Seminariis ubi sunt multi alumni, in minores *coetus* (loco: communitates) distribuantur. Sic facilius obtinetur ut singulorum indoles, eorundem difficultates sive psychologicae sive morales plenius cognoscantur, eorum vero talenta efficacius promoveantur, mutuum adiutorium foveatur, sensus responsabilitatis et sponte agendi capacitas excolantur. Commendatio Concilii ulteriores determinationes auctoritati ecclesiasticae territoriali relinquit, quia in re subsidia (sicut « team », « équipe ») pro locorum adiunctis varia omnino erunt. In textu emendato autem praeter unitatem scientificae institutionis urgetur etiam *unitas regiminis* ad evitandas exaggerationes.

Ad nr. 8

Integra schematis pars de formatione spirituali agens (nn. 8-12) vel fortius enuntiat primarium huius institutionis momentum, eiusdem indolem biblicam, christocentricam et ecclesialem, necessitatem eam intime coniungendi cum institutione doctrinali et pastorali necnon cum mysteriis liturgicis, — sicut et monitum vires quoque naturales omni sollicitudine

[30] provehendi, humanis etiam subsidiis debite adhibitis. Hae notae videntur apprime congruere cum eis quae Concilium Vaticanum II in Constitutionibus « De Ecclesia » et « De Sacra Liturgia » atque in schematibus « De Ecclesia in mundo huius temporis » et « De ministerio et vita presbyterorum » proponit.

In ipso nr. 8, secundum desideria a Patribus proposita, textus emendatus explicite recolit intimam vitae spiritualis naturam quatenus est participatio vitae trinitariae (cf. modum 1), momentum mysterii paschalis quod est centrum historiae salutis (cf. modum 8), praestantiam officii divini quatenus est oratio ab ipsa Ecclesia sacerdotibus peculiariter concredita, et devotionis erga Beatam Virginem Mariam, quae praesentatur sub titulo futuris sacerdotibus maxime caro (cf. modos 14-14k). Recolitur etiam explicite munus directoris spiritus. Iam patet imprimis directores spiritus ea peculiari praeparatione ditari debere de qua in nr. 5 huius schematis, ut institutionem spiritualem sicut maxime hodie oportet, praebere valeant; iisdem ut iuvenes sacerdotii candidatos vere cogno-
[31] scere et efficaciter in viam Christi ducere possint, nonnisi congruus alumnorum numerus concredatur (cf. monitum nr. 7).

Textus emendatus modo magis positivo commendat pietatis exercitia venerando Ecclesiae usu tradita, omnino autem retinet monitum ne in iuvenibus solus affectus religiosus excolatur; ipsi potius ita ad orationis spiritum et praxim atque ad totam vitam secundum Evangelium penetrandam conformentur, ut solidum perseverantiae in vocatione pignus obtineant.

Ad nr. 9

a) Ut nota ecclesialis spiritualitatis sacerdotalis in luce ipsius Constitutionis « De Ecclesia » plenius describatur, inserta est mentio etiam intimae unionis cum Summo Pontifice (cf. modum 15 ad nr. 8).

b) Una cum commendatione oboedientiae et paupertatis retenta est mentio spiritus servitii, mutato tamen vocabulo « imperium » in « dominatus »; nam sacerdos aliquod munus fideles ducendi certo habet, numquam vero arbitrario potestatis usui seu dominatui indulgere debet; immo eius cum fidelibus consuetudo spiritui verae paternitatis et familiae Dei apprime respondere debet.

c) Inserta est altera paragraphus (secundum modum 6 ad nr. 9 propositum). Summi enim momenti est in spiritualitate sacerdotis imprimis dioecesani, ut ipsa operositas apostolica eidem non unice sub periculi ratione appareat, sed ut discat in eiusdem executione renovare et augere spiritum orationis et servitii generosi necnon gaudii propriae vocationis.

Ad nr. 10 [31]

Iuxta desiderium multorum Patrum textus de educatione ad coelibatum agens redditus est magis positivus et thematibus S. Scripturae magis nutritus. Insinuatur enim coelibatus momentum pro peculiari unione cum Christo, pro servitio magis libero et generoso erga Communitatem, pro testimonio reddendo vitae saeculi futuri. Insuper, ne coelibatus mere sub ratione legis ecclesiasticae consideretur, textus emendatus insistit in ratione doni Dei, quod grato et humili animo impetrandum et accipiendum est.

Clarissime igitur apparet coelibatum ecclesiasticum non importare aliquod mere negativum, id est renuntiationem matrimonii, sed aliquod summopere positivum quo totus homo, animo et corpore, Deo et animarum servitio consecratur. Obiectio hodie diffusa quod coelibatus obstet plenae evolutioni personae, vi caret si ipse in hac plenitudine significationis et efficaciae et non tantum sub ratione renuntiationis matrimonii consideratur (cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954; *A.A.S.,* 46 [1954], p. 166).

Ceterum in schemate iuxta Modos emendato plene agnoscitur momentum educationis ad congruam maturitatem physicam, psychicam et affectivam (cf. etiam nn. 11 et 12), quae coelibatus liberam susceptio- [32]
nem tum praeparat tum ex eiusdem recta integratione pleniorem profectum acquirit. Experientia enim constat defectum perseverantiae sacerdotalis haud raro cum huiusmodi maturitatis defectu connecti. Ob schematis brevitatem non specificantur « apta praesidia divina humanaque » (in par. 3); certo ibi includitur necessitas positivae, gradualis et prudentis educationis sic dictae sexualis, iuxta monita et normas data a Summis Pontificibus et a Conferentiis Episcoporum. Plures suggestiones utillimae in animadversionibus et modis factae sunt, e. g. de momento vitae communitariae sacerdotum, de qua explicite agitur in schemate « De ministerio et vita presbyterorum »; quaedam vero ad rem innuuntur etiam in hoc schemate (cf. nn. 5, 11, 21).

Dum in toto nr. 10 superioritas consilii evangelici renuntiationi matrimonii propter Regnum Caelorum clare affirmatur, per verba « *Alumni qui secundum proprii ritus sanctas firmasque leges*... coelibatus... traditionem sequuntur », implicite ratio habetur etiam traditionis Ecclesiarum Orientalium, in quibus coelibatus sacerdotalis in summo quidem honore habetur, non vero omnibus imponitur. Ipse textus emendatus respicit nonnisi alumnos, qui praeparantur ad coelibatum sacerdotalem amplectendum. Peculiari autem formationi clericorum matrimonio iunctorum, se-

[32] cundum principium in nr. 1 enuntiatum, providendum est a competenti auctoritate illorum rituum, in quibus coelibatus non ab omnibus sacerdotibus exigitur.

Ad nr. 11

Textus secundum Modos emendatus tres paragraphos exhibet:

a) In prima paragr. secundum multorum Patrum animadversiones et modos explicitius urgetur ut una cum formatione proprie sacerdotali, pari gressu et peculiari sollicitudine curetur progressiva alumnorum educatio ad congruam maturitatem humanam; ad « fortitudinem animi » atque in universum ad virtutes quae « humanae » nuncupantur, quae vero in omni christiano et in futuro sacerdote a fortiore postulantur. Moderatoribus et alumnis persuasum esse debet, per ordinationem candidatorum indolem non quasi magice transformari, sed tempore praeparationis omnibus viribus enitendum esse alumnis, ut gratia Dei adiuvante forment in semetipsis illam personalitatem quae veluti naturale fundamentum constituit sanctitatis et efficaciae sacerdotalis.

b) In secunda paragrapho retinetur monitum ut alumni ad spiritum responsabilitatis personalis ac ad opera ultro sponteque incipienda (« spirito di iniziativa ») conformentur; simul autem disciplinae momentum magis dilucide et positive enuntiatur.

c) In tertia paragrapho inserta est mentio spiritus communitarii, qui plurimum confert ad bonum exitum totius conformationis in Seminariis et futurae operositatis sacerdotalis.

[33] *Ad nr. 12*

Hic numerus fere omnibus Patribus iam placuerat, nisi quod studiorum quandam interruptionem plures volebant reddere stricte obligatoriam, quidam pauci vero eius mentionem ex schemate delendam esse censuerunt. Commissio vero textum servandum esse autumavit.

Addita est autem commendatio perpendendi opportunitatem exercendi candidatos per congruum tempus in ministerio *diaconali,* antequam ad sacerdotium promoveantur. Patent huius tirocinii diaconalis utilitates: transitus magis congruus ad ministerium apostolicum sub selecti et periti sacerdotis moderamine; vocationis ulterior maturatio et confirmatio; maior omnino capacitas recte aestimandi et assimilandi eas disciplinas pastorales, quae, in Seminarium reversi, adhuc frequentabunt, sive ante sive post ordinationem sacerdotalem; possibilitas melius cognoscendi et promovendi aptitudines personales singulorum candidatorum.

Quia condiciones locorum sunt sat variae, stricta obligatio non imponitur in schemate, sicut neque pro interruptione studiorum. Commis-

sioni autem visum est opportunum, ut Concilium huiusmodi incepta commendans Episcopis committeret, ut ipsi pro locorum adiunctis normas ferrent magis particulares, consideratis etiam experimentis alibi bono cum exitu iam factis. [33]

Commissio praetulit committere Episcopis (non *Episcoporum coetibus,* sicut in textu mense novembris 1964 in Aula conciliari discusso), decernere de protrahenda aetate a iure communi in praesenti pro sacris ordinibus expostulata; supposuit autem Commissio Praesules in re tanti momenti collatis cum collegis propriae regionis consiliis processuros esse. Ceterum non improbabile est in Codice I. C. recognito novas de aetate ordinandorum normas datum iri.

Ad nr. 13

Quidam Patres (cf. modos 1, 1 a, 1 b) postulaverunt ut alumni examina a gubernio pro studia universitaria ingressuris praescripta superarent, antequam ad studia proprie ecclesiastica admitterentur. Commissio omnino agnovit illorum Patrum optimum consilium consulendi efficaciter libertati alumnorum (cf. etiam quae in nr. 3 statuuntur de studiis in Seminariis Minoribus peragendis). Quia vero interdum etiam iniusta a guberniis Ecclesiae infestis postulantur, ea locutio adhibita est, qua substantia Modi accipitur, mentio autem explicita examinum a gubernio praescriptorum evitatur.

Ut satisfieret plurium Patrum linguae graecae studium exigentium optatis, addita est commendatio: « Cognitio ... congrua linguarum Sacrae Scripturae et Traditionis valde foveatur ». Qua in re non omnibus ubique terrarum videbatur imponenda esse norma stricte obligatoria; quae vero, iuxta numeri 1 praescriptum, a Conferentiis Episcoporum pro locorum adiunctis statui poterit.

Ad nr. 14 [34]

Textus emendatus claritatis gratia in duas paragraphos dividitur quarum prior principium generale summi momenti pro renovandis studiis ecclesiasticis enuntiat, altera peculiare aliquod subsidium huius renovationis indicat, aptum scilicet cursum introductorium. Huius cursus tres fines perstringuntur:

a) synthetica introductio in propriam indolem propriumque finem studiorum ecclesiasticorum;

b) ratione habita ad spiritualem alumnorum statum, adiutorium praebere in munere ab ipsis iuvenibus hodie peculiari vehementia per-

[34] cepto, scilicet ut propriam vitam universam in fide fundare et per fidem penetrare addiscant;

c) iuvamen ad vocationem sacerdotalem clara et personali optione amplectendam praestare.

Cursus introductorius apto modo componi poterit cum impensiore tirocinio spirituali, de quo in nr. 12 huius schematis.

Ad nr. 15

a) De mentione S. Thomae secundum plures Patres etiam in hoc numero explicite facienda cf. Notam praeviam ad nr. 15, infra sub titulo: *Responsio ad singulos Modos a Patribus propositos.* Ceterum in patrimonio philosophico perenniter valido ipsa S. Thomae principia significari Commissio intellexit.

b) In paragrapho prima obiecta principalia indagationis philosophicae (mundus, homo, Deus) indicantur; evitata locutione « philosophia perennis » tum momentum patrimonii philosophici perenniter validi tum necessitas congrui contactus cum recentioribus investigationibus affirmatur, ita ut institutio philosophica adiuvet iuvenes in colloquio cum coaevis opportune iniendo.

c) In paragrapho secunda contra methodos minus aptas saepius in re adhibitas id historiae philosophiae studium commendatur quo alumni ad ponderatum iudicium de systematum principiis ferendum initientur.

d) In paragrapho tertia cavetur, ne institutio philosophica demittat rigorosam inquisitionem veritatis neve indebita abstractione abstineat ab ipsis vitae humanae quaestionibus delucidandis neve ignoret necessitudines quae intercedunt inter problemata philosophica et indagationem veritatis revelatae in disciplinis theologicis faciendam.

[35]

Ad nr. 16

a) Numerus in genere Patribus valde placuit quia primordialia quaedam principia pro studiis theologicis in Seminariis renovandis statuit: extollitur momentum theologiae biblicae, quod abunde etiam patet ex Constitutionibus « De Ecclesia » et « De Sacra Liturgia » et ex Decreto « De Oecumenismo »; magna themata biblica in simul quam maxime adiuvant in hodierno nisu intimius uniendi indagationem theologicam, patristicam, vitam liturgicam-spiritualem et operositatem pastoralem.

b) Ad theologiam dogmaticam quod attinet, schema delineat ordinem generalem ipsius indagationis theologicae (utique non modo rigido

vel mechanico intellegendum); singuli gressus, omnes sane « sub Ecclesiae magisterii ductu » faciendi, sunt hi: [35]

1. themata biblica;
2. veritatis revelatae transmissio et penetratio a parte Patrum;
3. penetratio ulterior « ope speculationis, S. Thoma magistro »;
4. harum veritatum praesentia in actionibus liturgicis et universa Ecclesiae vita;
5. momentum veritatis revelatae in solvendis quaestionibus quae hodiernam hominum vitam agitant.

c) De modo quo S. Thomas in studiis theologicis commemoratur, cf. notam praeviam ad nr. 15, sub titulo: *Responsio ad singulos Modos a Patribus propositos* (vide infra).

d) Secundum multorum Patrum optata explicitius etiam de renovanda Theologia Morali sermo fit; item de Iure Canonico et de Historia Ecclesiastica, cum de Sacra Liturgia tradenda remittatur ad ea quae iam luculenter habentur in Constitutione competenti. Textus autem de initiatione oecumenica agens reformatus est iuxta locutiones iam in Decreto « De Oecumenismo » usurpatas.

e) Patet hanc renovationem indigere subsidiis aptis, maxime quod ad libros textus et ad varias disciplinas melius coordinandas attinet.

Ad nr. 17

Relate ad ea quae hoc numero continentur, paucissimi propositi sunt « modi ». Postulabatur imprimis ut « ex institutione tradita in Seminario (alumni) acquirerent pro vita sacerdotali sensum laboris sive personalis sive cum aliis ». Animadversio agnita est ut utilis, sed idea implicite etiam hic contenta (« ... studium sive privatum sive in parvis coetibus excitandum »), explicite iam enuntiatur in nr. 11 (« ... cum confratribus et laicis sociam praestare operam assuescant ») et in nr. 21 emendato (« ... et consociata opera agere valeant »).

Ad nr. 18 [36]

Ad alumnos ad Universitates et Facultates mittendos quod attinet, quaedam pericula cavenda a Patribus indicata sunt in Modis. Propterea textus emendatus fortius urget necessitatem accuratae selectionis eorum qui mittuntur (« indole, virtute et ingenio apti ») et insuper praescribit ut eorum debitae institutioni spirituali et pastorali provideatur, « maxime si sacerdotio nondum sint aucti ».

[36] *Ad nr. 19*

Textus emendatus secundum Patrum animadversiones et modos:

a) Explicitius urget praeparationem ad competentem animarum moderationem, peculiari etiam habita ratione diversitatis statuum, etiam religiosorum et religiosarum. Curandum enim est ut sacerdotes congrue perspiciant statum quoque qui professione consiliorum evangelicorum determinatur.

b) Addit monitum ut excolantur illae aptitudines quae conferunt ad colloquium cum hominibus instituendum; laicos humiliter et aperta mente audire alumni assuescant, ut rei familiaris, vitae professionalis et socialis necessitates rectius cognoscant atque in difficultatibus vitae christianae et apostolicae ab ipsis laicis gerendae consilium et auxilium praestare valeant (cf. Constitutionem *De Ecclesia,* nr. 37: *A.A.S.,* [1965], p. 43).

Ad nr. 20

In textu secundum Modos emendato vel magis urgetur necessitas ut futuri sacerdotes spiritu *missionario* imbuantur, secundum ea quae de indole missionali totius Ecclesiae habentur in Constitutione Dogmatica « De Ecclesia ». Ulteriora vero praecepta et consilia hac de re habentur in Decreto « De activitate missionali Ecclesiae » (cf. imprimis nn. 36 et 37).

Ad nr. 21

Textus emendatus:

a) Insistit in *opera consociata* iam in Seminario quam maxime addiscenda; collaboratio enim in ministerio sacerdotali structurae Ecclesiae ipsiusque sacerdotii intime respondet; requiritur quoque peculiari ratione a circumstantiis nostri temporis; promovet exercitium spiritus abnegationis et insimul operositati apostolicae peculiarem confert efficacitatem.

b) Recolit peculiare momentum quod *feriarum* quoque tempori convenit pro excolendis alumnis in aptis exercitationibus pastoralibus.
[37] Insistitur insuper ut huiusmodi exercitationes fiant sub ductu virorum in re pastorali peritorum. Praeter Seminarii magistros ergo etiam eligendi sunt viri in variis muneribus pastoralibus maxime experti qui alumnos in actionis pastoralis spiritum et praxim introducere valeant.

Ad nr. 22 [37]

Quaestio transitus a quodammodo tecta Seminarii vitae consuetudine ad actuosam et non paucis periculis obnoxiam pastoralem navitatem in hoc numero solummodo brevissime tangitur. Multo plura recensentur in Decreto « De ministerio et vita presbyterorum ». Visum est autem opportunum ut in textu emendato saltem mentio adderetur alicuius peculiaris subsidii in pluribus locis bono cum fructu adhibiti, Institutorum scilicet pastoralium. Urgetur vero ut huiusmodi Instituta collaborent cum paroeciis opportune selectis, ita ut neo-sacerdotes ex earum vita exemplari vel plenius perspiciant ea quae et in ipsis Institutis pastoralibus ipsis proponuntur.

Venerabiles Patres,

Sicut ante suffragium die 17 novembris 1964 a Vobis de schemate latum, promisimus, omnium modorum, quantum fieri potuit, in textu emendato rationem habere quaesivimus. Responsa ad singulos modos propositos infra inspicere potestis. Dum Vobis iteratas maximasque gratias rependimus, quia animadversionibus et modis a Vobis propositis schema in meliorem formam redigi potuit, instanter et confidenter rogamus ut textui secundum Vestra optata emendato vestram approbationem concedere benigne velitis.

✠ IOSEPH CARRARO
Episcopus Veronensis

C) RESPONSIO AD SINGULOS MODOS A PATRIBUS PROPOSITOS [38]

Nota bene: In modis a Patribus propositis indicatio paginarum et linearum inter uncos ( ) posita refertur ad schema Propositionum quod Patribus distributum est mense Octobris 1964 et de quo iidem disceptaverunt diebus 12-17 novembris 1964 in aula conciliari; ceterae indicationes paginarum et linearum referuntur ad textum schematis in hoc praesenti fasciculo iterum typis editum.

AD TITULUM

1 — *1 Pater*: titulus non placet; redeatur ad « de sacrorum alumnis formandis ».

[38] R. — Institutio sumitur sensu illo complexivo qui usurpatur in documentis pontificiis: e. g.: in Constitutione Apostolica *Sedes Sapientiae.*

2 — *2 Patres*: Schema intituletur *De futuris sacerdotibus formandis* vel *De candidatis ad sacerdotium formandis,* nam vocabula « formare, formatio » sunt latiora sensu quam « instituere, institutio », cum illa includant etiam praeter instructionem scientificam educationem characteris, ista tantum instructionem scientificam.

R. — Ut ad Modum 1.

Ad Prooemium

1 — *1 Pater*: Antequam nostrum schema publici iuris fiat, complenda est nova elaboratio schematis « de sacerdotibus », saltem in suis maioribus lineis.

R. — Nulla apparet oppositio inter praesens schema et lineamenta iam nota schematis « de ministerio et vita presbyterorum ».

2 — *2 Patres*: Normae in schemate statutae videntur imponere universae Ecclesiae id quod spectat *solam formationem cleri in Ecclesia Latina et in activo ministerio sub ductu Episcoporum occupati.* Si schema hoc intendit, id clare statuere oporteat. Sin autem sermo est de institutione omnibus omnino sacerdotibus necessaria, schema aut restringendum est ad vere essentialia aut *rationem habeat de principalibus ex variis modis exercendi sacerdotium.* Hoc autem alterum nempe ut schema ratio-
[39] nem habeat de diversa forma apostolatus mihi praeferendum esse videtur, ita ut habeamus schema undequaque elaboratum, sicuti in voto erat plurimorum Patrum pro schemate de vita et ministerio sacerdotali.

R. — Schema reapse restringendum est ad vere essentialia. Cetera in particularibus Rationibus institutionis et in Directoriis ulterius determinanda erunt. Insuper in Schemate emendato expresse dicitur, propositiones directe se referre ad clerum dioecesanum.

3 — *1 Pater*: Non est verum eamdem institutionem omnibus sacerdotibus cuiusvis ritus necessariam esse. Nam sacerdotibus matrimonio iunctis non eadem ac coelibibus institutio requiritur.

R. — Dicitur « congrua congruis referendo ». Et cf. Relationem particularem ad nr. 10; vide supra p. 32.

4 — *1 Pater*: Addantur haec vel similia verba ad Prooemium: « Quae tamen principia generalia data sunt *ad interim*: praevidetur enim specialis Commissio ad reformanda Seminaria clericorum, instituenda a Summo Pontifice de viris vere *peritis* psychologiae et paedagogiae modernae, necnon theoriae vitae asceticae et theologicae ». [39]

R. — Principia generalia hic posita exigunt ulteriores determinationes a parte Conferentiarum Episcoporum. Non vero est in hoc documento statuendum qua ratione haec ulteriora determinanda sint. Insuper non convenit ut Concilium quaedam principia tantummodo « ad interim » statuat.

5 — *52 Patres*: Duo in prooemio essent notanda:

a) in formatione sacerdotali semper prae oculis habenda esse omnia quae in Concilio Vaticano II declarata fuerunt.

b) quinimmo sicut in potestate Concilii Tridentini fuit Seminaria instituere ad pastorales necessitates tunc temporis vigentes rite satisfaciendas, ita et nunc in potestate immo et officio Vaticani II est Seminaria non solum reformare sed etiam ubi necessitas ferat, inspicere utrum forsan aliud a Seminario diversum sed magis necessitatibus nostri temporis accommodatum cogitari possit.

R. — Ad *a*) affirmative. Ad *b*) longe maiori parti Patrum persuasum est Seminariorum institutum debere condicionibus novis adaptari, non autem penitus dimitti.

6 — *2 Patres*: Prooemium sic incipiat: [40]

« *Christus Dominus, Summus Sacerdos, Supremus Magister, ac Bonus Pastor, cum Ecclesiae Suae dedit mandatum opus suum redemptionis ad saeculorum usque occasum perpetuandi, ut omnes homines salvi fierent, voluit homines sui Sacerdotii participes fieri, qui in isto opere ministerium suum praestarent, eo spiritu animati, quem Ipse verbo et exemplo docuit.*

Ideo Sancta Synodus probe noscens illam tantopere a se optatam Ecclesiae renovationem a sacerdotum ministerio magna ex parte pendere, gravissimum formandi sacerdotum momentum ... ».

Ratio: Secus prooemium iuridicum et aridum apparet, et candidati sacerdotii introducuntur ut exsecutores decretorum Concilii.

R. — Dicatur « a sacerdotum ministerio *spiritu Christi animato* » et cf. Propositionem 4.

[40] De cetero considerationes theologicae et spirituales de sacerdotio iam habentur copiosae in Constitutione Dogmatica « De Ecclesia » imprimis n. 28 et in Decreto « De ministerio et vita presbyterorum ».

7 — *1 Pater*: Introductio debet magis pastoralis et minus iuridica esse. Hoc documentum praesertim a seminaristis praesentibus et futuris legetur. Sicut olim Christus discipulos invitavit ut se sequerentur, ita nunc Concilium invitet pueros huius temporis qui vocationem habeant ut Christum Dominum studeant, induant, imitentur.

R. — Sicut ad Modum 6.

8 — *2 Patres*: linn. 5 ss. (pag. 11, linn. 5 et 6) loco verborum « primaria quaedam principia » dicatur: « *principales normae* ». Principia enim nimis universalia propter suam indeterminationem pro formatione sacerdotum huius temporis insufficientia videntur. Cf. Pauli VI, *Summi Dei Verbum*.

R. — Normae sunt magis particulares et insuper sonant magis iuridice.

9 — *25 Patres* proponunt ut: *a*) lin. 3 (pag. 11, lin. 3) dicatur: « ... sacerdotum *spiritu* et ministerio ... ». Institutio enim intendere debet et spiritum internum et ministerium externum sacerdotum.

b) lin. 11 (pag. 11, lin. 11) dicatur: « ... cuiusvis ritus, *sive dioecesanis, sive suo modo etiam religiosis...* »; nullibi enim in textu explicite agitur de institutione sacerdotum religiosorum.

[41] R. — Ad *a*) sicut ad Modum 6. Ad *b*) accipitur et dicitur « utriusque cleri ».

10 — *55 Patres* proponunt ut in linn. 12 s. (pag. 11, lin. 13) post verba « Congrua congruis referendo omnibus... » addatur: « *ipsis religiosis non exclusis* ».

Ex quibus 53 Patres hanc rationem afferunt: ea quae in schemate dicuntur, religiosis etiam seminaristis applicanda sunt, cum perplurimi sint religiosi qui in paroeciis laborant, et, ut tales, una cum Episcopo aliisque sacerdotibus Dioeceseos unum efformant collegium presbyterale.

1 autem *Pater* rationem affert quod in schemate de Religiosis tantum summarie de institutione iuvenum religiosorum agitur.

R. — Accipitur substantia Modi. Vide textum emendatum.

11 — *2 Patres* proponunt ut dicatur: « ... omnibus sacerdotibus, *sive dioecesanis, sive religiosis* cuiusve ritus necessaria est ». [41]
R. — Ut ad Modum 10.

AD NUM. 1.

1 — *53 Patres* proponunt, ut pag. 5, lin. 22 (pag. 11, lin. 20) post verba « ab Episcoporum coetibus statuenda » addatur: « *Sacerdotibus munere pastorali fungentibus immo et laicis etiam consultis* ».
R. — Iam intelligitur coetus Episcoporum hoc facturos esse.
2 — *6 Patres* volunt ut pag. 5, linn. 21 ss. (pag. 11, linn. 19-21) sic legatur: « ab Episcoporum coetibus statuenda, certis temporibus *revisenda* atque ab Apostolica Sede *recognoscenda* ».
R. — Textus remaneat. De cetero « recognoscere » est plus quam « approbare ».
3 — *4 Patres*: Seminaria pro clero religioso eodem modo ac Seminaria pro clero dioecesano normas pro studiis et formatione alumnorum a Concilio Oecumenico vel Apostolica Sede statutas observent, et hoc dicatur in praesenti decreto.
R. — Provisum est in Prooemio emendato.
4 — *1 Pater* vult in pag. 6, lin. 1 (pag. 11, lin. 21) post verba « *leges universales* » addatur « a sancta synodo statutas ».
R. — Additio videtur superflua.
5 — *1 Pater*: in fine numeri 1 addi debet: « Episcopi singularum nationum considerare debent numerum totalem et proportionem defectionum a statu sacerdotali et aetatem cum sacerdotes frequentius deficiunt. Si plures sunt defectiones, tunc educatio sacerdotalis in his regionibus evidenter defectiva est ». [42]
R. — Desiderium nimis *particulare.*
6 — *1 Pater*: non videtur quomodo stare possit textus numeri 1 cum agitur de Seminariis regionalibus quae subtrahuntur auctoritati Episcoporum.
R. — In Propos. 7 de facto maior competentia tribuitur Episcopis etiam quoad Seminaria regionalia.
7 — *1 Pater*: *a*) pag. 5, lin. 22 (pag. 11, lin. 19) loco ab « Episcoporum coetibus » dicatur: a *Conferentiis Episcopalibus.*
R. — Accipitur.
b) Insuper addatur: « ... statuenda; *praevisa necessaria cooperatione apostolica cum sacerdotibus religiosis vitae activae* ».
R. — Hac de re agitur in Decreto de pastorali Episcoporum munere.

[42] 8 — *35 Patres* volunt ut ad nr. 1 in fine addatur: « Inde reformetur Congregatio de Seminariis et Universitatibus studiorum ut iugiter et efficaciter cooperetur cum institutionibus localibus, ad perspiciendas necessitates et conditiones rerum ad progressus etiam scientificos perspiciendos:

a) viri igitur ad hanc vocentur ex diversis mundi partibus, scientiarum et conditionum socialium omnino periti;

b) relatio organica instituatur inter Congregationem de instituendis sacerdotibus et illam quae de ipsis sacerdotibus agit ».

R. — De Curia Romana reformanda providet Summus Pontifex.

AD NUM. 2.

1 — *1 Pater*: numerus 2 sic amplificetur et compleatur ut *rationes profundae* necessitudinis vocationes fovendi breviter saltem notentur et *media* ad hoc plenius et profundius proponantur, in *sensu observationum* mearum pro interventu in Aula paratarum, quas Secretariae tradidi. Debet hic occasio sumi ut promotioni vocationum sacerdotalium tam pro unaquaque dioecesi quam pro Ecclesia universali *maximus impulsus* detur. Hoc est maximum momentum pro vita Ecclesiae.

[43] In hac prospectiva numerus 2 totaliter reficiendus est. Cf. meas observationes Secretariae traditas (Exc.mus Alfonsus Gerardus Bannwarth, Ep. Suessionensis).

R. — Ratio habetur in textu emendato et aucto.

2 — *1 Pater* vult ut in linn. 7-11 (pag. 12, linn. 1-5) verba schematis ita corrigantur: « Vocationum theologia structurari debet ut catechesis medium sit re vera ad omnem conscientiam efformandam, ut fovendarum vocationum opus ad totam christianam communitatem pertinere intelligatur, quae, ideo, vita plene christiana, precationibus, poenitentiae operibus aliisque subsidiis id promovere conabit. Tamen ..., etc. ».

Rationes: *a*) Fovendarum vocationum opus ad totam christianam communitatem pertinere non potest intelligi, nisi praecedat catechesis, in theologia vocationum fundata.

b) Quae communitas, si praecedat catechesis, maximo studio et fervore curabit de vocationibus.

R. — Providetur in textu emendato.

3 — *7 Patres* volunt ut in linn. 14 s. (pag. 12, linn. 8-9) sic legatur: tum sacerdotes, qui zelum apostolicum in fovendis vocationibus

quam maxime ostendant necnon propria ipsorum vita, mutua sacerdotali caritate ac fraterna operae consortione adolescentium animos ad pastoris animarum munus amplectendum trahant, quique eos, qui se ad sacerdotium vocatos existimant, cura speciali prosequantur, tum magistri omnesque, qui puerorum iuvenumque institutionem quovis modo curant, adolescentes sibi concreditos ita excolere studeant, ut vocationem divinam percipere et libenter sequi valeant (cf. schema constitutionis « De Sacrorum alumnis formandis » mensibus octobri et novembri 1963 recognitum n. 3). [43]

Ratio: Modus, quo sacerdotes vocationibus fovendis conferre possunt, amplificetur. De Magistris hic quoque sermo sit.

R. — Sicut ad Modum 2.

4 — *8 Patres* volunt ut pag. 6 linn. 14 s. (pag. 12, linn. 8-9) *loco*: « tum Sacerdotum exemplar atque apostolicus zelus » *sic ponatur*: « tum Sacerdotum personalis vita exemplaris, tum commune testimonium vitae sacerdotalis in bonum evangelizationis ordinatae ».

Ratio: Ut melius exprimatur primum fontem vocationum esse testimonium Sacerdotii imaginem tradens Sacerdotii animos iuvenum generosum attrahentem.

R. — Sicut ad Modum 2.

5 — *5 Patres* volunt ut ibidem (pag. 12, lin. 8) ita mutetur: « tum sacerdotum apostolicus zelus ac praesertim eorum exemplum in superabundanti gaudio et optimismo supernaturali vitam apostolicam degentium ». [44]

Ratio: Una ex principalioribus causis diminutionis vocationum est angustia et tristitia plurimorum sacerdotum qui pondus potius vitae sacerdotalis sustinent quam verum gaudium paschale manifestant.

R. — Sicut ad Modum 2.

6 — *10 Patres*: In pag. 6, linn. 19 s. (pag. 12, linn. 13 s.) loco verborum « eis congruas tribuit dotes simulque » scribatur: « congruas *eis tribuens gratias et dotes,* simulque ».

Ratio: Indoles gratiosa vocationis sacerdotalis clarius exhiberi debet.

R. — Sicut ad Modum 2.

6 a — *2 Patres*: In lin. 20 (lin. 14) post verbum « dotes » inserantur verba « eosque gratia sua allicit ... ».

[44] *Ratio*: Ut momentum divinae gratiae ostendatur.

R. — Sicut ad Modum 2.

6 b — *1 Pater*: vocationes sunt speciales gratiae Dei «*Ipse vocavit quos voluit*»; addatur haec ratio scripturistica.

R. — Providetur in textu emendato; dicitur enim: « divinitus electis ».

7 — *1 Pater*: quae in hoc numero continentur mihi videntur incompleta. In solemni documento conciliari necessarium puto definire quae sint tandem aliquando dotes sive naturales sive supernaturales, quae signa, ut ita dicam, vocationis subiectiva constituunt; praeterea definitive declarare solam Episcopi vocationem ad Sacerdotium constituere rationem normalem ipsius vocationis cuiuscumque candidati.

R. — Textus emendatus redditus est magis completus. Non autem est intentio Concilii rem disputatam dirimere.

8 — *6 Patres*: in pag. 6, lin. 21 (pag. 12, lin. 15) removeantur verba « vocationis signis agnitis », ac eis haec verba substituantur: « congrua canonica idoneitate agnita », sicque secunda pars huius numeri mutetur: « ... Haec actuosa ad vocationes ... simulque Ecclesiae committit ut, *congrua canonica idoneitate*
[45] *agnita,* candidatos qui tantum munus recta intentione et plena libertate ... ».

Ratio: Adest quidem vocatio divina ad sacerdotium in ordine divinae Providentiae: tamen in ordine humano-psychologico practice et directe quaeritur idoneitas ratione sui potius quam ratione signi divinae vocationis. Cf. in eodem schemate, n. 6.

N.B. Unus ex istis 6 Patribus delevit verbum « canonica » in ipso textu et in Ratione.

R. — Sicut ad Modum 2.

8 a — *1 Pater* vult ut ibidem (pag. 12, lin. 15) loco *vocationis signis agnitis,* dicatur, *eorum aptitudine probata.*

Ratio: Vocatio divina vix unquam certo constat nisi postquam candidatus plena ac matura libertate ei responderit et ab episcopo acceptatus sit. Si candidato dicitur: « Tu habes vocationem », et ipse postea ob bonas rationes e Seminario egreditur, ipse habebit sensum culpae quasi Deum vocantem respuerit, etsi talis « vocatio » non existit. Superiores non possunt iudicare nisi de aptitudine candidati ad sacerdotium.

R. — Sicut ad Modum 2.

8 b — *1 Pater*: deleantur verba « vocationis signis agnitis ». Est res nimis obscura, saltem pro aliquibus. [45]

R. — Sicut ad Modum 2.

9 — *1 Pater*: pag. 6, lin. 14 (lin. 8) post verbum « constituunt » adiungatur « *tum actio magistrorum catholicorum,* tum ... ».

R. — Momentum magistrorum in textu emendato clare enuntiatur.

9 a — *1 Pater*: eodem loco addatur: « tum instructio quorumcumque iuventutis educatorum, praesertim in scholis ». Educatores, praesertim magistri in scholis, influxum maximum habent in efformandis discipulorum animis et exinde in promovendis vocationibus.

R. — Sicut ad Modum 9.

9 b — *1 Pater* desiderat, ut pag. 6, lin. 15 (pag. 12, lin. 9) post verba: « apostolicus zelus » addatur: « Praeter familiam christianam, etiam paroecia qua supernaturalis societas suae de Catholicae Ecclesiae sorte responsabilitatis conscia, necnon puerorum altari inservientium coetus — dummodo a sacerdote recte ducantur — *optimus est ager, in quo sacerdotalis vocationis germen accrescit* ». [46]

R. — Providetur in textu emendato, pag. 6, linn. 13 s.

10 — *1 Pater* vult, ut in eodem loco post verbum « zelus » addatur: « Familiae et sacerdotes foveant speciali cura vocationem quae in iuvenibus maturioris aetatis manifestetur, qui, si possibile erit, ad Seminaria specializata mittendi sunt ».

R. — Hac de re agitur in n. 3.

11 — *9 Patres* volunt, ut pag. 6, lin. 15 (pag. 12, lin. 9) addatur: « Quare eadem Sancta Synodus Ecclesiae pastores atque omnes sacerdotes, immo ac fideles omnes monet ut oratione, exemplo, verbo, zeloque vocationes ecclesiasticas quam maxime foveant ».

Ratio: cf. Paulus VI « Summi Dei Verbum ».

R. — Sicut ad Modum 2.

12 — *1 Pater*: fiat mentio Pontificii Operis Vocationum Ecclesiasticarum, quod maxime cordi fuit ultimis Summis Pontificibus.

R. — Providetur in textu emendato, pag. 7, linn. 12 ss.

12 a — *1 Pater*: in fine numeri 2 haec verba vel similia addi poterunt: « Ad vocationes fovendas valde commendatur Pontificium Opus Vocationum ecclesiasticarum, canonice erectum apud S. C. de Seminariis, quod maxime cordi fuit ultimis Summis

[46] Pontificibus et multum confert vocationibus dignoscendis et iuvandis ».

Ratio: Finis O. V. S. idem est ac finis schematis, nempe fovere vocationes orationibus, consiliis necnon mediis pecuniariis. Opus est pontificium ac proinde commendandum ut factum est in schemate « De Missionibus ».

R. — Sicut ad Modum 12.

12 b — *1 Pater*: pag. 6, lin. 25 (pag. 12, lin. 19) ita corrigatur: « Opus vero Vocationum Ecclesiasticarum, pontificio titulo ornatum, ope sociologiae religiosae adhibita, fines ... », etc.

Rationes: *a*) Hoc opus organicum, necessarium omnino, non potest esse nisi illud a Pio XII stabilitum, Motu proprio *Cum Nobis*.

b) Sociologia religiosa est instrumentum necessarium ad dioecesim cognoscendam relate ad vocationes et, ideo, ad laborandum cum profectu.

[47] R. — Sicut ad Modum 12.

12 c — *1 Pater*: in tertia paragr. addatur: « In unaquaque Dioecesi institutio adsit organizata ad fovendas vocationes oratione ac divulgatione momenti sacerdotii catholici ».

Ratio: Voluntati Romanorum Pontificum ita satisfit. Quamplurimum aestimationem sacerdotii apud fideles fovere potest.

R. — Sicut ad Modum 12.

12 d — *1 Pater*: laudetur et commendetur « Motus pastoralis ad vocationes fovendas »; in dioecesibus variis hic motus pastoralis maximum fructum dedit.

R. — Haec commendatio fit in textus emendati paragrapho 4.

12 e — *1 Pater*: in nr. 2 addatur: « Unusquisque Ordinarius loci obligatur ad specialia opera instituenda secundum adiuncta locorum, quae scienter et data opera vocationes sacerdotales et religiosas foveant ». Opus vocationis enim est cor cordis Pastoris animarum praesertim hodie: numerus vocationum fere ubique terrarum minuitur.

R. — Providetur in textus emendati paragraphis 2 et 4.

12 f — *1 Pater*: videtur quaedam verba poni posse ut opus fovendarum vocationum sacerdotalium cum analogo opere fovendarum vocationum religiosarum componatur. Nonne possent cogitari huiusmodi opera coniuncta, fortasse etiam minora Seminaria coniuncta, ita ut pueri, qui in tenera aetate raro distinguere

valent inter diversas spiritualitates, immo inter sacerdotium dioecesanum et sacerdotium religiosum, maturius possint res perspicere et recte decidere. [47]

R. — Providetur in textus emendati paragrapho 4.

13 — *1 Pater*: pag. 6, lin. 20 (pag. 12, lin. 14) dicatur: « Hierarchiae » Ecclesiae, ne Ecclesia identificetur in textu cum Hierarchia.

R. — In textu emendato dicitur « legitimis Ecclesiae Ministris », secundum locutionem usurpatam in Catechismo Concilii Tridentini (Pars III, de Ordine, 3); cfr. pag. 6, linn. 37 s.

14 — *1 Pater*: *a*) pag. 6, lin. 18 (lin. 12) praefertur « viros » quam « homines », cum sexui masculino nomen « viri » reservetur.

b) In lin. 21 (lin. 15) dicatur: « idoneitate agnita » ne intretur in quaestionem de signis vocationis.

c) Pag. 6, lin. 24 (lin. 18) addatur « Deo » ad indicandum cui fiat consecratio. [48]

d) Pag 6, linn. 29 s. (lin. 24) « vinea Domini advocat » est prosopopaea nimis audax.

R. — Acceptantur Modi *b, c, d*. Non accipitur *a*), quia iam constat agi tantummodo de hominibus sexus masculini.

15 — *1 Pater*: in fine numeri addatur hoc vel quid simile: « Omnium responsabilitas urgetur, ita ut dioeceses quae ditiores sint adiuvent debiliores quae numero vocationum ditantur ».

R. — Res iam sufficienter insinuatur in textus emendati paragr. 5.

16 — *1 Pater*: Post primam paragraphum vel in fine numeri 2 addatur « Ne autem amittantur vocationes quae in dioecesibus pauperibus abundent, eo quod propter defectum sufficientis amplitudinis in earum Seminariis recipi nequeant, neque iis ipsae indigeant, at certo quam plurimum Ecclesia, — dioeceses divites eis praestare cooperantur oeconomica subsidia quibus Seminariorum ampliationem perficere possint, sicque auxilia oeconomica in sacerdotes conversa supernaturali lucro suo tempore percipient ».

R. — Res insinuatur in textu. Determinationes committendae sunt Conferentiis Episcoporum.

AD NUM. 3.

1 — *54 Patres*: Tota haec propositio denuo redigatur. In nova autem redactione prae oculis habeantur:

a) necessitas Seminariorum Minorum non ab omnibus Episcopis agnosci;

[48] *b*) ubi autem eorum necessitas agnoscatur, sedulo curetur a Moderatoribus ut alumni, magis ac magis conscii exigentiarum tum Baptismatis tum Confirmationis, veri efformentur christiani qui generoso et apostolico animo ad Christum sequendum componantur. Ita ut quaecumque sit via ab ipsis postea ingredienda semper et ubique ut veri christifideles vivere ac laborare valeant.

c) Verba in pag. 8, linn. 1 s. (lin. 34) « si ad saecularia vota transeunt » deleantur, quia nullus fit transitus ad nescio quaenam vota saecularia, quando alumni e Minoribus egrediuntur. Praeterea hoc sonat perinde ac si exitus ille quaedam apostasia fuisset.

R. — Providetur in textu emendato; cf. pag. 8, lin. 5.

[49] 1 a — *4 Patres*: pag. 8, linn. 1 s. (pag. 12, lin. 34) deleantur verba « si ad vota saecularia transeunt ».

Ratio: Studia sine incommodo prosequi studentes debent, sive extra Seminarium sive alio Seminario vel instituto studia prosequi velint.
— Ad vota saecularia redire nondum valet pro iis qui haec vota non iam dereliquerunt.
— Ad vota saecularia redire sonat aliquomodo offensivum.

1 ex istis 4 Patribus sequentes rationes affert:

a) Separatio «Seminarium et saeculum» utpote repugnans menti huius numeri et schematis totius, non est urgenda.

b) Seminaristas et minores et maiores, ante susceptam vocationem ab Episcopo (vel si agatur de religiosis a Superiore maiore), divinitus vocatos esse vix verificari potest.

c) Educationis in Seminario tam Minore quam Maiore scopus, non differt fundamentaliter a scopo educationis vere christianae.

R. — Accipitur; in textus emendati par. 1 dicitur: « si alium vitae statum amplectantur ».

2 — *1 Pater*: Addatur: « In Seminariis Minoribus quae in omnibus dioecesibus instituenda sunt, etiam plura si sint necessaria ... ».

R. — Hoc non potest ubique terrarum praescribi. De cetero conferatur quod dicunt 54 Patres in Modo 1.

2 a — *1 Pater*: Seminaria Minora, ubi desint, quam primum instituantur, quia etiam hodie iuvenes « inde a teneris annis » ex-

colantur oportet; nam adolescentium aetas prona est ad mundi voluptates sequendas. [49]

R. — Sicut ad Modum 2.

3 — *1 Pater*: In numero 3 nomen « Seminarium » vitandum est et verbum « Collegium » adhibendum, quia modernis auribus Seminarium infantilismum et defectum libertatis sonat. Praeterea obligatio Seminarii Minoris abroganda est. Tempore Concilii Tridentini educatio non erat universalis. Hodie educatio primaria et secundaria est fere universalis, sed hoc factum in textu non consideratur. Habet maximum momentum. In regionibus vere catholicis omnes adolescentes recipiunt educationem religiosam, moralem, spiritualem, de virtutibus initiantur. Nonne omnes iuvenes catholici in castitate, veritate et praxi religiosa excoluntur? Theologia de germine vel semine vocationis anti- [50]
quata est.

R. — Textus emendatus rectam viam mediam prosequi intendit, debitam scilicet rationem habens etiam illarum regionum, ubi huiusmodi catholica Collegia etiam illi fini inserviunt, qui alibi per Seminaria Minora obtinetur. Expressio « germen vocationis » omnino iustificari potest.

4 — *1 Pater*: pag. 7, lin. 29 (pag. 12, linn. 25 s.) proponit « In Seminariis Minoribus ab *Ecclesia* ad germina vocationis colenda *specialiter* erectis ».

Rationes: *a*) haec Seminaria « pura » a Summis Pontificibus expresse postulata sunt;

b) hodie proh dolor! a christifidelibus, in quaestionem ponuntur, immo impugnantur;

c) ex experientia personali, educatus in collegio, postea professor et rector Seminarii Minoris, vidi quomodo Minus Seminarium multo magis ad educationem plenam alumnorum adaptatum esset.

R. — Providetur in textu emendato, prima paragrapho.

5 — *1 Pater*: In initio numeri post verba « In Seminariis Minoribus » dicatur « ... ubi ad germina vocationis securius colenda eriguntur ... ».

Ratio: *a*) ut agnoscatur libertas Auctoritatis territorialis in iis erigendis;

b) ut notetur finis et valor Seminarii Minoris, scilicet securior cura vocationis.

[50] R. — Ratio habetur in textu emendato, qui clarius distinguit Seminaria Minora et alia Instituta.

6 — *1 Pater*: In lin. 32 (pag. 12, linn. 27 ss.) post verbum « prosequuntur » sic terminetur phrasis: « sedulo curetur a moderatoribus ut alumni, vere conscii exigentiarum Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae, ad Christum Redemptorem generoso et apostolico animo sequendum componantur ».

R. — « Moderatio apta spiritualis » de qua in textu, haec omnia certo considerat, imprimis in luce Constitutionis de Sacra Liturgia.

7 — *6 Patres*: In lin. 34 (lin. 28) post verbum « spirituali » addantur « non tamen ad modum formationis spiritualis clericorum vel novitiorum ».

[51] *Ratio*: Non raro exercitia spiritualia, v. g. meditatio, examen conscientiae, etc. ordo disciplinae in Seminariis Minoribus fere eadem sunt ac in Seminariis Maioribus vel domibus novitiatus. Alumni nondum maturi sunt ad talem formationem spiritualem acquirendam, quae aliunde non est necessaria in hoc statu formationis generalis alumnorum.

R. — Assertum est nimis negativum! In textu vigilanti verbo dicitur Seminariorum Minorum alumnos componendos esse ad sequendum Christum *Redemptorem*; relatio ad Christi sacerdotium explicitius urgetur nonnisi in nr. 4, quando iam agitur de Seminariis Maioribus. Ceterum in textu emendato expresse statuitur, huius Decreti normas, nonnisi debita servata proportione, Seminariis quoque Minoribus accommodandas esse.

8 — *5 Patres*: *a*) lin. 34 (lin. 28): post verba « apta moderatione spirituali » addantur verba « quae eos ad progressivam evolutionem gratiae baptismalis et confirmationis adducant ». In Seminariis enim Minoribus, potius quam in vocatione specifice sacerdotali, insistendum est in *vocatione christiana.*

R. — Sicut ad Modum 7.

b) In linn. 38 s. (lin. 32) post « congrua rerum humanarum experientia... » mutentur ita verba: « et frequenti consuetudine cum propria familia aut alia bene constituta quam maxime pro animo habendis ».

R. — Textus iam sufficienti modo hoc commendat. In textu emendato insuper additur « Parentibus opportune cooperantibus ».

9 — *11 Patres*: Propositionis exordium sic mutetur: « *Magni faciendum est momentum familiae vere christianae, in qua Dei*

gratia fovente futuri sacerdotes crescunt. Moneantur ergo familiae, ut responsationis suae erga Deum homines eligentem et vocantem semper consciae sint. Sed plerumque necessarium quoque est, erigere Seminaria Minora vel alia pecularia Instituta, quae pro locorum gentiumque adiunctis eundem finem *prosequantur, in quibus adolescentes formatione* religiosa *atque* moderatione spirituali ad Christum Redemptorem generoso modo sequendum componantur. *In his Institutis* viam ducant, quae adolescentium aetati... ». [51]

Ratio: Educatio in familia vere christiana utpote naturae humanae magis conformis per se multo melior est omni alia educatione, quin negetur necessitas subsidiaria Seminariorum Minorum erigendorum.

R. — De peculiari momento familiae vere christianae sermo fuit iam in Propos. 2. [52]

10 — *1 Pater*: pag. 7, lin. 35 (pag. 12, lin. 29) addatur verbum « puro », sic « *generoso et puro animo* » aut « *generoso et puro* corde ».

Ratio: Innocentia vitae valde desiderabilis est in eis qui petunt sacerdotalem vocationem. Iuvenes excitentur ad imitandum Christum in praxi virtutis castitatis in mundo pagano.

R. — Accipitur; vide textum emendatum, pag. 7, lin. 33.

11 — *1 Pater*: pag. 7, lin. 34 (pag. 12, lin. 29) addatur verbum « ducem » et sic legatur: « Ad Christum *ducem* et Redemptorem ».

Ratio: Verbum hoc valde idoneum et forsitan necessarium est ad mentem et spiritum iuventutis, qui iuvenes ex natura sua quaerunt exemplum ad imitandum.

R. — Expressio iam usurpata videtur sufficiens.

12 — *1 Pater*: In eodem loco post verba « ad Christum Redemptorem generoso animo sequendum » addatur: « praesertim in adimpletione voluntatis Dei, quae est fundamentum sanctitatis et apostolatus ».

Ratio patet: cum toties in Evangelio Dominus Christus discipulos doceat et verbis et factis de adimplenda voluntate Patris (v. g. in sermone montano); cur schema hic vel alibi hanc Iesu Christi doctrinam fundamentalem taceat, non intelligitur.

R. — Recta dicuntur; sed iam includuntur in « sequi Christum ».

13 — *27 Patres*: pag. 7, lin. 35 (pag. 12, lin. 29) post verba: « ... sequendum componantur » addatur: « Genuinum spiritum apo-

[52] stolicum et ecclesialem acquirant. Quare moderate exerceantur in actione apostolica ipsis adaptata ».

R. — Accipitur in textu emendato generaliore quadam ratione, quatenus multa de Seminariis Maioribus dicenda, debita proportione habita, etiam Minoribus prudenter accommodanda sunt.

14 — *1 Pater*: pag. 7, linn. 36 ss. (pag. 12, linn. 30-36) dicatur: « *Vitam* aliunde ducant... *eorumque animi et corporis* evolutioni conveniat... ut ea sine *gravi* incommodo... qui *in provecta aetate constituti* divinam *sequi statuunt* vocationem ».

Rationes: *a*) sunt mutationes stylisticae, ratione latinitatis;

b) dicitur « sine *gravi* incommodo » quia aliquod incommodum semper habebitur. Ceterum non est iustum ut sacrifi-
[53] cetur character sacer studiorum alumnorum qui ad sacerdotium pergunt intuitu eorum qui ad saecularia vota redeunt.

R. — Libertati alumnorum quam maxime consulendum est. De cetero alii Patres plus exigunt, cf. Modos 1, 1 a, 1 b ad nr. 13.

15 — *1 Pater*: Pag. 7, linn. 41 s. (pag. 12, lin. 33) post « ut ea » addantur verba: « qualitate educativa praestantia ».

Ratio: Maximi momenti est in mundo hodierno ut Seminaria nostra educationem dent quae qualitate non inferior sit ei educationi aliis iuvenibus (eiusdem aetatis) datae. Revera, comparatio inter qualitatem educationis in Seminario et qualitatem educationis pro iuvenibus laicis est praxis laudanda.

R. — Providetur implicite in hoc numero et in nr. 13.

16 — *1 Pater*: In institutione sacerdotali Seminarii Minoris veram devotionem erga Beatam Mariam Virginem prosequantur alumni (secus non esset completa institutio).

R. — Quae in nr. 8 emendato de B.M.V. dicuntur, valent etiam pro Seminariis Minoribus.

17 — *1 Pater*: Pag. 7, lin. 40 (linn. 33 ss.) statuitur: « Studia peragenda sic ordinentur oportet, ut ea sine incommodo alibi prosequi possint si ad vota saecularia transeunt ». Hoc quidem aequum est. Sed estne necessarium ut a Concilio statuatur? Si Concilium statuit qua ratione studia humanistica prosequi debeant, iam providetur ut iuvenes ita instituantur ut si ad vota saecularia redeunt, sine incommodo hoc faciant. Ideo verba de quibus supra, mea sententia delenda sunt ne iuvenes sine sacerdotali vocatione Seminarium ingrediantur rationibus humanis moti.

R. — Sicut ad Modum 14. Considerandus est numerus pergrandis eorum qui non prosequuntur studia ad sacerdotium. [53]

17 a — *1 Pater*: In linn. 40 s. (lin. 34) dicatur: « Studia ab ipsis peragenda *in quantum possibile* sit, sic ordinentur, ut ea sine *gravi* incommodo ... ».

Ratio: Nam sunt populi ubi Gubernium Civile scholarum « monopolium » detinet et quam saepe educatio officialis est contraria Religioni, vel saltem laica. Innumera contraria provenirent, si studia in Seminariis Minoribus subiacerent auctoritati civili. Si verbum « oportet » in textu remaneret, postea diceretur quod studia in Seminariis Minoribus, iuxta mentem Concilii, deberent esse conformia in omni cum exigentiis officialibus.

R. — De particularibus condicionibus provideant Conferentiae Episcoporum. [54]

18 — *27 Patres*: Pag. 8, lin. 2 (pag. 12, lin. 34) post verba: « ... saecularia transeunt » addatur: « quo in casu stimulentur ut vocationis suae baptismalis plene conscii alacriter viam servitii Ecclesiae per apostolatum laicalem ineant ».

R. — Ratio habetur in fine numeri 6 emendati, pag. 10, linn. 3 ss.

19 — *7 Patres*: Post verbum « transeunt » in lin. 2 (pag. 12, lin. 34) addatur: « Quam maxime quoque germina vocationis colenda sint alumnorum, qui extra scholas praedictas degunt ».

Ratio: Hic sermo est solummodo de Seminariis Minoribus et de institutis aequipollentibus. Nil dicitur de iuvenibus, qui alias scholas medias adeunt seseque vocatos ad sacerdotium opinantur. Istorum numerus in diversis nationibus de die in diem crescit.

R. — Modus apte consideratur in textus emendati paragrapho secunda.

19 a — *1 Pater*: Pag. 8, lin. 2 (pag. 12, lin. 34) addatur: « Praeterea, quam maxime omni pastorali studio germina vocationis foveantur adulescentium et iuvenum qui in aliis scholis educantur; atque peculiari cura promoveantur incepta et Instituta ... etc. ».

R. — Sicut ad Modum 19.

19 b — *1 Pater*: In fine numeri addatur: « Vocationes haud raro inveniri possunt inter alumnos aliarum scholarum et inter membra apostolatus laicorum. Magni valoris sunt ».

[54] R. — Ratio habetur in textu emendato.

20 — *1 Pater*: Post propositionem 3 addantur aliqua verba quibus indicatur officium parentum vocationes fovendi in suis pueris etiamsi educantur extra Seminaria Minora vel peculiaria Instituta. Nam inter eos multae vocationes inveniri possunt.

R. — Iam providetur in numeris 2 et 3 emendatis.

AD NUM. 4.

1 — *1 Pater*: Quae hoc numero continentur non videntur suo loco posita, sed ponenda sunt initio IV partis tamquam principium et fundamentum totius spiritualis institutionis ad Sacerdotium.

[55] R. — Consulto ea hic posita sunt, quia debent penetrare omnes rationes totius institutionis et ordinationis Seminariorum.

2 — *1 Pater*: In initio omittatur verbum « praesertim », quod, post introductionem novi numeri 3, non necessarium videtur.

R. — Accipitur.

3 — *59 Patres*: Pag. 8, lin. 16 (pag. 13, lin. 3) sic emendetur « In Seminariis praesertim Maioribus *vel aliis Institutis eundem finem prosequentibus* integra clericorum formatio *eo tendere debet ut ad exemplar Domini Nostri Iesu Christi, Magistri, Sacerdotis et Pastoris, alumni veri animarum pastores formentur*.

Ratio: — propter ea quae in prooemio optata sunt;

— quia haec formulatio, quae in priore textu inveniebatur, magis dynamica et expressiva videtur ideoque praeferenda.

R. — Ratio habetur II partis huius Modi; e contra non admittitur prima; immo necessitas Seminariorum Maiorum affirmatur.

4 — *1 Pater* proponit, ut in initio numeri loco « clericorum », dicatur: « illorum qui futuri sunt clerici ».

Ratio: Agitur enim de efformatione illorum etiam qui adhuc non sunt clerici.

R. — In textu emendato dicitur « alumnorum ».

5 — *1 Pater*: loco verbi « clericorum » dicatur: « *alumnorum* » (vel « candidatorum », vel «iuvenum»).

R. — Sicut ad Modum 4.

6 — *9 Patres*: In lin. 22 (lin. 8) post « formandi sunt », addatur: « pro servitio Ecclesiae », ut melius explicetur finalitas specifica institutionis sacerdotalis.

R. — Idea iam continetur, explicite in nr. 2 *emendato* (par. 3); [55]
implicite vero etiam in hoc nr. 4.

7 — *1 Pater*: Ordo materiam disponendi diversus sit ita ut paragraphus « ad ministerium verbi ... exprimant », transferatur post paragraphum « ad ministerium cultus ... exerceant ».

Ratio: Praecipuum munus sacerdotale non est ministerium verbi, sed ministerium cultus. Ita melius cum sequentibus textus concordat.

R. — Ponitur ordo observatus etiam in Constitutione Dogmatica « De Ecclesia » nr. 28.

8 — *1 Pater*: *a*) lin. 26 (linn. 12-15): « ut orantes et sacras liturgicas [56]
celebrationes *praesertim Eucharistiam et sacramenta, ferventer peragentes, homines participes facere valeant salutiferae redemptionis Christi* ». Sic momentum centrale principalium liturgicarum celebrationum clarius exprimitur.

R. — Accipitur, sed vox « Eucharisticum » additur ad terminum « sacrificium ».

b) linn. 28 s. (linn. 15-16): ad ministerium Pastoris: *ut hominibus se praebeant tamquam vestigiis Christi inhaerentes* qui « non venit ... ».

R. — Mutatio non videtur necessaria.

9 — *2 Patres*: In fine 1 paragraphi dicatur:

« *Ut sciant omnium fieri servi, Christi vestigia sequentes, qui "non venit ut sibi ministraretur, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis"* (*Mc.* 10, 45; cf. *Io.* 13, 12-27) ».

R. — In textu emendato dicitur: « ... omnium *facti* servi... ».

10 — *18 Patres*: In fine primae paragraphi addantur verba: « In formatione alumnorum pars omnino integralis est vera devotio erga Beatissimam Mariam Virginem — Matrem Summi et Aeterni Sacerdotis ».

Ratio: « Quae Virgo in sua vita exemplum exstitit materni illius affectus, quo cuncti in missione apostolica Ecclesiae cooperantes ad regenerandos homines animari oportet » - Cap. VIII emend. Schem. Constitutionis De Ecclesia.

R. — Ratio habetur in nr. 8 emendato.

11 — *34 Patres*: In lin. 36 (lin. 23) post verba: « intellectualis » addatur: « apostolica ».

[56] *Ratio*: Tertium elementum essentiale (praeter formationem intellectualem et spiritualem) est formatio apostolica per exercitia adaptata, durante tempore Seminarii, cum hoc fine ut postea in ministerio suo sacerdotali exsequi possint alumni quod dicitur in numero 4 supra.

R. — In textu emendato explicite dicitur agi hic de fine *pastorali* totius formationis. Sed iam evidens est formationem stricte pastoralem (de qua in nn. 19 ss.) huic fini inservire: sed de aliis elementis institutionis explicite dicendum erat.

[57] 12 — *1 Pater*: In initio paragraphi secundae dicatur: Quare institutio tantum germana dici potest si totum complectens hominem eumque afficiens ... spiritualis, *humana,* disciplinaris...

Ratio: Sine humana formatione non potest dari solida educatio spiritualis.

R. — Huius animadversionis ratio habetur in nr. 11 emendato.

13 — *1 Pater*: Dicatur hac in paragrapho ut seminarista sit *vir* christianus, ut virtutem acquirat in duplici sensu verbi, sensu Romano et sensu Christiano. De hoc Card. Meyer locutus est.

R. — Providetur in nr. 11.

14 — *1 Pater*:

loco:	*dicatur:*
linn. 17 s. (lin. 4): exemplum prosequatur	exempl*ar* prosequatur
lin. 22 (lin. 9): ad ministerium Verbi: ut Verbum Dei	ad ministerium *quidem* verbi: ut *v*erbum Dei
lin. 25 (lin. 12): ad ministerium cultus	ad ministerium *vero* cultus
lin. 27 (lin. 14): per Sacrificium et Sacramenta	per Sacrificium *Missae* et Sacramenta
lin. 28 (lin. 15): ad ministerium Pastoris: ut sciant	per ministerium denique *Populi Dei pascendi* ut *valeant*
lin. 33 (lin. 19): et ut sciant omnium fieri servi.	et (...) omnium fieri servi.

R. — Acceptantur in textu emendato ea quae a sermonis latini perito approbata sunt.

15 — *1 Pater*: *a*) In initio numeri dicatur: « exemplar » loco « exemplum ».

R. — Accipitur.

b) In lin. 28 (lin. 15) dicatur: « participent » loco « exerceant ». [57]

R. — Expressio ex liturgia desumpta retineatur.

AD NUM. 5.

1 — *16 Patres*: desiderant ut in initio numeri 5 dicatur: « Non solis, etiam optimis, educationis principiis alumni formantur, sed personalitate, cogitandi agendique ratione moderatorum et professorum, quorum errores atque defectus nullo modo supplentur. Professores non solum se viros doctos aestiment, [58] sed magis adhuc paedagogos futuri cleri una cum moderatoribus pro eius formatione responsabiles ».

Ratio: cf. Paulus VI « Summi Dei Verbum ».

R. — Substantia Modi acceptatur; cf. paragraphum alteram in textu emendato additam.

1 a — *1 Pater* eundem « modum » aliquatenus mutatum proponit: « Non solum, vel optimis, educationis principiis alumni formantur, sed personalitate, cogitandi agendique ratione moderatorum et professorum, quae si personalitas errores vel defectus patefaciat nullimode suppletur. Professores autem non solum praelegere sed magis adhuc paedagogi una cum moderatoribus esse debent, moti spiritu responsabilitatis pro recta formatione futuri cleri ».

R. — Sicut ad Modum 1.

2 — *1 Pater* sequentem emendationem totius numeri proponit: « Cum alumnorum institutio ab idoneis educatoribus magis quam a sapientibus legibus pendeat, *summa cura, prae omnibus aliis negotiis,* moderatores et magistri ex optimis viris seligantur, solida doctrina, congrua experientia pastorali et peculiari institutione spirituali et paedagogica diligenter praeparentur *atque illuminata sollicitudine animentur efformandi futuros sacerdotes in spiritu renovationis a Sacrosancto Concilio promotae pro hodierni mundi* supernaturali progressu. Instituta ergo *et pluriennales organici cursus, opportunioribus temporibus pro utilitate participantium indicendi,* ad hunc finem assequendum promoveantur: *obligationi autem regulariter frequentandi instituta aut cursus omnes subiiciantur qui ad munus moderatorum vel magistrorum in Seminariis ascendere debent. Pro his qui instituta aut cursus debite frequentarunt periodici conventus teneantur pro "aggiornamento"* ».

[58] R. — Accipitur substantia huius Modi. Insuper vide etiam Conclusionem in textu emendato schemati additam.

3 — *1 Pater*: In titulo vox « melius » non placet. Aliquis potest concludere moderatores praesentes et praeteritos non bene vel male selectos esse. - Haec paragraphus revera quid obvium statuit. Melius esset si hic dicatur moderatores oportere docere et verbo et exemplo sicut olim Magister Divinus.

R. — Tituli expunguntur. De cetero in textu emendato ratio habetur animadversionis.

[59] 4 — *1 Pater*: in nr. 5 (vel in numero addendo) sermo esse debet non tantum de moderatorum selectione et praeparatione, sed etiam de eorundem *functione et officio*; in specie aliquid dicendum est:

a) de eorum necessaria unanimitate relate ad alumnorum formationum tam intellectualem quam spiritualem et pastoralem;

b) de eorum communitate actionis, de coordinatione conatuum et activitatum uniuscuiusque ad communem finem assequendum;

c) de qualitate relationum inter moderatores et ipsos alumnos; de modo et spiritu dialogi inter ipsos tam necessarii;

d) de relationibus inter Seminariorum moderatores et alios (sacerdotes vel laicos), qui cum Episcopo responsabilitatem pastoralem dioeceseos participant. Seminaria non possunt esse instituta in se clausa et separata a vita vel activitate pastorali pro qua alumni praecise in Seminariis formandi sunt.

Haec addi debent ut propositiones respondeant menti Concilii quod in Constitutione « De Ecclesia » et in schemate « De pastorali Episcoporum munere » tantopere insistit in necessitate laboris sacerdotalis communis.

R. — Providetur in textu emendato huius numeri (paragr. secunda) et insuper in nn. 19 et 21 emendatis.

5 — *2 Patres*: In initio scribatur: « cum ... institutio maxime ab idoneis educatoribus pendeat » (ablatis verbis « quam a sapientibus legibus »).

R. — Ratio habetur in textu emendato, retenta vero mentione legum.

6 — *1 Pater*: Pag. 9, lin. 8 (pag. 13, lin. 34) loco « optimis viris » dicatur: « *ex sacerdotibus virtute et scientia optimis* ».

R. — Quod postulatur, iam continetur sufficienter in locutione « optimi viri ». [59]

7 — *1 Pater*: Pag. 9, linn. 8 s. (pag. 13, lin. 34) verbis « ex optimis viris » addatur: « *laicis non exceptis* ».

Ratio: Ad mentem nostri Concilii valde oportet, ut laici in efformandis futuris sacerdotibus partes habeant. Quo labore contributum sensibilem ad aedificandum regnum Dei dabunt. Praeterea intimiorem contactum iuvenum cum saeculo et cum laicatu christiano praebebunt.

R. — Res nimis particularis.

8 — *1 Pater*: In linn. 7 ss. (linn. 33 et ss.) humili meo iudicio haec [60]
esset facienda transpositio: « Seminariorum moderatores et magistri ex optimis viris *ad formationem sacerdotalem propensis* seligantur ... ». Insuper primo loco fiat sermo de institutione spirituali.

R. — Propensio non est semper pignus verae aptitudinis ad educandum. Momentum institutionis spiritualis urgetur per additum vocabulum « peculiaris ». Enumeratio qualitatum ergo fit in linea ascendente a minore ad maius.

9 — *1 Pater*: Pag. 9, lin. 9 (lin. 35) addantur verba « et vitae sanctae exemplo eximiis ».

R. — In hoc contextu vox « optimi » certo includit sanctitatem vitae.

10 — *9 Patres*: In lin. 11 (pag. 13, lin. 36) post « paedagogica » et ante « diligenter » inseratur: « ac initiatione praxis colloquii cum propriis alumnis, manente firma auctoritate in educatione », ut melius praeparentur alumni concretae vitae pastorali in Ecclesia quae in colloquio maxime innititur.

R. — Moderatores formandi in paedagogia moderna, certo ad colloquium formantur. Insuper requiritur in textu emendato ratio familiae in Seminario instituenda, ad quam pertinet colloquium.

11 — *5 Patres*: In linn. 7 ss. (linn. 33-37) ita mutetur textus: « Seminariorum moderatores et magistri ex optimis viris *selecti* atque solida doctrina, congrua experientia pastorali et peculiari institutione spirituali et paedagogica diligenter *praeparati, maximo amore ab Episcopo roborentur et speciali cura ab ipso in eorum muneribus fungendis prosequantur* ».

Ratio: In textu fere nihil dicitur de Moderatoribus et magistris, qui tamen pondus et aestus Ecclesiae in Seminariis occulte sustinent.

[60] R. — Substantia Modi accipitur: vide textum emendatum (paragr. secunda).

12 — *63 Patres*: In linn. 11 s. (pag. 13, lin. 38) post verba « diligenter praeparentur » addatur: « *curent etiam Moderatores ac magistri ut inter se veram ac sacerdotalem communitatem efforment, memorantes Sacras Litteras docere "fratrem qui a fratre adiuvatur tamquam civitatem firmari"* ».

Ratio: Quot fructus ex hac vivendi ratione oriantur in bonum totius Seminarii nemo est qui non videat. Alumni enim verum spiritum communitarium eo tantum acquirent quando
[61] exemplum in modo vivendi suorum superiorum perspexerint. Verba enim volant. Exempla vero trahunt.

R. — Modus accipitur, textu vero aliquatenus mutato; cf. insuper nr. 11 emendatum, ubi in § 3 commendatur « mutui adiutorii sollicitudo ».

13 — *1 Pater*: In linn. 14 s. (pag. 14, lin. 2) addatur « promoveantur a Conferentiis Episcopalibus ».

R. — Non videtur necessaria haec determinatio.

14 — *1 Pater*: addatur « In Universitatibus Catholicis sub directione Sanctae Sedis habeantur studia quibus hi superiores possint praeparari ».

R. — Determinatio est nimis particularis.

AD NUM. 6.

1 — *1 Pater*: In Schemate dilucide explicandus est character sic dictus « evolutionis sacerdotalis vocationis ». Quavis aetate et quolibet psychologiae evolutionis gradu « germina » vocationis inveniri possunt, et de facto inveniuntur, plena tamen atque *perfecta sacerdotalis vocatio* nonnisi in homine qui maturam adeptus sit psychologicam aetatem vere dignosci potest.

His positis, manifestum apparet conditiones, quae ad sacerdotalem vocationem decernendam requiruntur, ac de quibus in praedicta propositione sexta Schematis agitur, non eodem prorsus modo requiri ad Seminarium ingrediendum (ad quod initialia sufficerent vocationis signa), atque ad Sacros Ordines, vel denique ad sacri Presbyteratus gradum obeundum. Ad hoc enim ut quisquis ad sacerdotalem dignitatem et officium promoveri possit, non tantum indubia vocationis signa requirantur

oportet, verum etiam *ut haec signa et conditiones ad vocationem requisita illud maturitatis et evolutionis incrementum attingant, quod ad maxima vitae negotia decernenda in humanis exigi solet.* [61]

R. — Modus consideratur ad partem in nr. 6 emendato; et insuper in nr. 11 aucto.

2 — *1 Pater*: Melius forsan diceretur: « Vigilanti cura, *sed semper attenta evolutione vel aetate* inquiratur ... et officia pastoralia exercenda, *praesertim durante cursu theologico* ... si *idonei* promoveantur, non idonei vero tempestive ad alia munera obeunda *ita* paterne dirigantur, *ut Seminario et Ecclesiae sint* [62] *honori. Sacra Synodus valde commendat, ut de his alumnis, qui quacumque de causa Seminarium dereliquerunt, cura habeatur ita, ut Ecclesiae semper sint et honori et emolumento.*

Rationes: *a*) qualitates, quibus futurus sacerdos ornatus esse debet, paulisper educantur, proinde alia severitas in studiis gymnasialibus, alia in cursu superiore, alia in Theologia. Non pauci Seminariorum moderatores ab iuvenibus quos tamquam « piccoli preti » considerant, universas sacerdotales virtutes postulant;

b) appropinquantibus sacris ordinibus severitas magis urget;

c) parallelismus « idoneus » « non idoneus » omnia dicit, quin offendat eos, qui dimittuntur;

d) oportet, ut ex-seminaristae non tamquam apostatae considerentur sed ut validi apostoli laici se praebeant.

R. — Sicut ad Modum 1.

3 — *9 Patres*: Pag. 9, lin. 34 (pag. 14, lin. 8) post « physica et psychica » inseratur: « de sana hereditate », quia haec notatio maxime importat in discernendis aptitudinibus.

R. — Providetur in textu emendato: pag. 9, linn. 34-36.

3 a — *1 Pater*: Inter ea quae inquirenda sunt, mentio fiat quoque de statu morali et physico *familiae* candidati, necnon, in quantum fieri potest, de hereditate eius.

R. — Ut ad Modum 3.

3 b — *3 Patres*: In lin. 34 (pag. 14, lin. 8) post verba « psychica » addatur: « de sanitate physica et morali *familiae,* et de eius spiritu supernaturali».

R. — Ut ad Modum 3.

[62] 3 c — *1 Pater*: in electione candidatorum ad sacerdotium inquiratur de moralitate *familiae* candidati; quia fere semper ob haereditatem et propter influentiam coniunctorum sacerdotes postea mores suorum sequuntur.

R. — Sicut ad Modum 3.

4 — *1 Pater*: Loco textus: « de congrua valetudine physica et psychica » dicatur: « de congrua valetudine physica necnon et psychica, auxilio virorum qui psychiatriae, quae dicitur, periti sint simulque christianis moribus imbuti ».

[63] *Ratio*: In numero enim clericorum haud raro, proh dolor, quidam adsunt singulares, incitati, nervis infirmi: psychice, ut paucis absolvam, vitiosi. Quaeque omnia fortius inducunt ad penitus inquirendum de conditionibus neuro-psychicis sacrorum alumnorum, adiuvantibus viris huius scientiae peritis et christiana conscientia rectis, quibus certe fidere datum sit.

Ut autem clarius hoc intelligatur, opportunum videtur textum propositionis sic mutatum adhibere vel alium consimilem inserere.

R. — Rectus huius methodi usus, si opus sit, iam sufficienter innuitur in exploranda valetudine *psychica.*

5 — *1 Pater*: addantur verba « et de idoneitate vitae spiritualis ».

Rationes sunt evidentes. Non potest omitti mentio sanctitatis vitae.

R. — In textu emendato dicitur: « ... de idoneitate spirituali, ... ».

6 — *1 Pater*: In lin. 35 (lin. 9) addatur « et *in primis* » officia pastoralia ... vel alia huiusmodi; non ut cetera despiciantur, sed ut evidens appareat vocationem ad sacerdotium esse vocationem ad officium, in servitium communitatis: ceterae sunt conditiones; si propensio ad officia pastoralia desit, iuvenis poterit melius ad religiones se conferre quae secum non ferunt opera pastoralia.

R. — Non videtur necessarium, imprimis consideratis eis quae iam nr. 4 dicuntur.

7 — *1 Pater*: In lin. 34 (pag. 14, lin. 9) ampliore sermone dicatur: « ... de capacitate sacerdotalia onera, *speciatim coelibatum, oboedientiam et sacrificii spiritum,* ferendi et officia pastoralia exercendi ... ».

R. — In textu emendato iam additum est verbum « spirituali » in linea 33; insuper cf. nn. 9 et 10 emendatos.

8 — *61 Patres*: in lin. 36 (pag. 14, lin. 10) post verbum « exercendi » addatur: « per illas scilicet qualitates uti sunt capacitas alios ducendi, opera ultro incipiendi, alios audiendi, comprehendendi necnon et alloquendi ». [63]

R. — Haec postulata ad partem iam continentur in schematis nr. 11; capacitas audiendi alios commemoratur in nr. 19 emendato.

9 — *58 Patres*: In lin. 36 (pag. 14, lin. 10) loco « adhibita severitate » dicatur: « adhibita sinceritate ».

R. — Admittitur momentum sinceritatis, sed hic agitur potius de accuratissima ponderatione omnium signorum idoneitatis. In textu emendato dicitur « animi firmitas ». [64]

10 — *1 Pater*: deleantur verba: « Deus Ecclesiam suam ministris carere non sinit, si digni promoveantur ».

R. — Haec sententia S. Thomae retinenda visa est Commissioni.

11 — *60 Patres*: Pag. 9, lin. 39 (pag. 14, lin. 13) loco « digni » dicatur « idonei » ne illi qui e Seminario egrediuntur semper ut « indigni » existimentur.

R. — Conservatur locutio «digni» in ritu ordinationis adhibita. Ceteri autem vocantur « non idonei ».

12 — *60 Patres*: In fine numeri post verbum « dirigantur » addatur: « et adiuventur », ut illi qui exeunt, gratum semper habeant animum erga Seminarium.

R. — In textu emendato dicitur: « ... atque iuventur ut vocationis suae christianae conscii, alacriter apostolatum laicalem ineant ».

13 — *1 Pater*: In fine numeri addatur: « Iudicium definitivum et responsabile de vocatione spectat ad Episcopum, qui, consilio Moderatorum Seminarii, decernat non solum de admittendis clericis ad Ordines, sed etiam de eorum permanentia in Seminario vel de eorum dimissione ».

R. — Nimis particularis observatio.

14 — *1 Pater*: Addatur sequens propositio: « Conferentiae Episcoporum provinciae vel nationis erit designare aliquam commissionem peritorum in hac materia, quae audiri debeat in casibus gravioribus pro admittendis candidatis ad sacros ordines; cuius erit concretas normas pro selectione alumnorum exponere et invigilare applicationem harum normarum in Seminariis, maxime in admissione ad Sacerdotium ».

R. — Etsi intentio sit optima, ea quae suggeruntur vel maiores diffi-

[64] cultates inferre possent. Praeterea considerentur ea quae in schematis nr. 7 praescribuntur.

15 — *1 Pater*: Addatur in fine propositionis, his aut aliis verbis, sequens dispositio: « Ad meliorem probationem, studiis finitis et diaconatu suscepto, candidati, priusquam ad presbyteratum
[65] promoveantur, per duos integros annos, aut saltem unum, si Episcopo, eius onerata conscientia, videatur sufficere, pastorale munus exerceant ».

R. — Haec animadversio nimis particularia exigit. Ex altera parte aequa eius ratio habetur in numero 12 emendato.

AD NUM. 7.

1 — *1 Pater*: Numerus sic incipiatur: « In omnibus dioecesibus habeatur Seminarium saltem Minus. Si singulae dioeceses Seminario rite instruendo ... ».

R. — Hoc non potest omnibus ubique terrarum dioecesibus imponi. Ceterum conferatur Resp. ad Modos 1 et 2 in nr. 3.

2 — *1 Pater*: Fortasse praetermissa fuit solutio media quam ex experientia utilem novimus. In erectione Seminariorum alicuius provinciae melius esset seligere unum centrum principale circa quod alia Seminaria erigantur. Ita potest haberi optima institutio scientifica pro variis Seminariis, et unaquaeque dioecesis in proprio Seminario Maiore curat de institutione spirituali, disciplinari, servata unitate cum proprio clero.

Sunt dioeceses non adeo magnae quae volunt habere proprium Seminarium Maius, et tamen non possunt habere magistros et media digna pro efformatione scientifica. Hae difficillime admittent solutionem Seminarii Regionalis; solutio proposita, ad instar Collegii sacerdotalis cuius alumni adeunt scholas communes, facilior in multis locis videbitur.

R. — Haec solutio in textu non excluditur.

3 — *1 Pater*: In fine paragraphi prioris adiungatur: « Ubi ex consuetudine approbata alumni studiorum cursum in Facultatibus theologicis frequentant, Episcopus eorum educationi sacerdotali analogo modo provideat ».

R. — Providetur in nr. 18 emendato.

4 — *1 Pater*: Pag. 10, lin. 19 (pag. 14, lin. 29) verba « retenta institutione scientifica communi », deleantur quia sana paedagogia non semper discipulos numerosiores patitur simul edocendos.

R. — Obiectio valere posset nonnisi in casibus valde peculiaribus. [65]

5 — *2 Patres*: In lin. 20 (pag. 14, linn. 30 s.) dicatur: « ... distribuantur in communitates minores ... ».

R. — In textu emendato dicitur: « ... in coetus minores ». [66]

6 — *1 Pater*: Loco « alumni apta ratione distribuantur in communitates parviores, ut singulorum conformationi personali melius provideatur » dicatur: « *et singulorum conformationi personali accurate semper provideatur* ».

R. — Textus ob huius argumenti momentum remaneat, sed loco « communitates » dicitur « coetus ».

7 — *1 Pater*: Sine dubio, si multi sint alumni, in varia contubernia distribui debent; sed cavendum est ne plures constituantur in eodem Seminario communitates, quarum unaquaeque sit plane sui iuris. Nam si id fieret, Seminarii vel Instituti necessaria unitas non servaretur.

R. — Providetur in textu emendato, ubi additur « retenta regiminis ... unitate » et dicitur « coetus » loco « communitates ».

8 — *1 Pater*: Verbis « ... in communitates parviores, ut » addatur: « *ut servantes spiritum familiarem* singulorum ... ». Si massa non desideratur, spiritus familiae omnino colendus est.

R. — De spiritu familiae iam explicite agitur in nr. 5 emendato.

9 — *1 Pater*: In fine numeri: « Ad melius Seminarium secundum omnes necessitates alumnorum disponendum perutilis erit intima magistrorum cum alumnis consuetudo, colloquiique inter eos habitudo ».

R. — Providetur in nr. 5 emendato.

10 — *1 Pater*: In fine numeri dicatur: « Omnes candidati per aliquot annos ante Ordinationem degere debent in Seminario, ubi Episcopus, per Moderatores, eos commodo cognoscere possit et de eis scienter iudicare ».

R. — Providetur in initio numeri 4 emendati et in nr. 18 emendato. Pertinet ad ius canonicum haec ulterius determinare.

11 — *1 Pater*: In aliquibus Schematis propositionibus (7, 11, 21), diversae expressiones inveniuntur, ut « conformatio personalis... » quae omnes quandam inter se servent affinitatem, et aliquid innuunt magni momenti in alumnorum formatione. Continent enim generalia educationis principia valde utilia ad iuvenum reformationem, sicut psychologia et paedagogia hodiernae te-

[66] stantur. Hac de causa, cum periculum adsit ut hae notiones non
[67] recte ab omnibus intelligantur, aut saltem ab aliquibus parvipendantur, valde opportunum videtur quod specialis propositio de his omnibus, in unum principium redactis, instituatur.

Peculiaris nota totius formationis alumnorum Seminarii haberi potest conformatio illa « personalis » de qua in septima Schematis propositione.

Haec personalis conformatio secumfert:

a) ex parte moderatorum:

1° ut peculiaris cura de unoquoque alumno instituatur, ita ut singulorum tum peculiaris indoles et character, tum difficultates vel morales vel psychologicae, tum etiam speciales circumstantiae vitae communis Seminarii et in genere adaptationis familiaris et socialis, diligenter considerentur et attendantur.

2° ut tota ratio disciplinae et vitae communis Seminarii simul ac peculiares ordinationes superiorum hoc praecipue intendant, ut omnes qualitates naturales et gratiae dona unicuique alumnorum a Deo concredita illud maturitatis incrementum attingant, quod dignum Christi ministrum decet.

b) ex parte autem alumnorum:

1° sinceram animi dispositionem, tum pro seipsis tum etiam in modo cum superiore agendi. Sinceritatem, prae omnibus, ad propriae vocationis genuina motiva dignoscenda et manifestanda; atque etiam ad propriae vitae finem et scopum sacerdotalis vitae fini et rationi conformandum.

2° conscientiam propriae libertatis ac responsabilitatis, ita ut vocationi respondere velint, disciplinae sese submittere, ac vitae communi collaborare, non mere passive et coacte aut quasi quodam inconscio influxu « massae » ducti, sed propria sponte, libera ac plane rationali et personali decisione.

3° magnanimam suipsius dedicationem suorumque omnium mancipationem Christi sacerdotio et Ecclesiae pastorali sollicitudini.

R. — Res expostulatae iam perstringuntur in schemate emendato (cf. nn. 5, 6, 7, 11, 14, 21). Quia vero Propositiones debent esse generales et breves, desiderata evolvi poterunt in Directorio vel in Rationibus institutionis sacerdotalis ab Episcoporum Conferentiis redigendis.

12 — *3 Patres*: Post nr. 7 haec inserantur: « In Dioecesibus, quae proprium Seminarium Maius habere possunt, unicum extet pro

alumnis Philosophiae et pariter unicum pro Theologiae alumnis, ut iidem, qui eiusdem Dioeceseos servitio mancipabuntur, per plures annos simul degentes mutuam caritatem foveant et inter se fraternam amicitiam colant, quae eos, Sacerdotio auctos, ad labores apostolicos animis et viribus arctius coniunctos faciant. [67] [68]

Etsi Seminarium Dioecesanum forsan Congregationi Religiosae moderandum concreditum sit, munus docendi in eo etiam sacerdotibus e Clero saeculari demandetur oportet, sive ut alumnis occasio praebeatur contactus habendi cum iis quibuscum curam pastoralem in propria Dioecesi participabunt, sive ut aliqui Sacerdotes saeculares, ob occasionem ipsis oblatam docendi, magis parati inveniantur ad ea munera obeunda, quae in Dioecesi bene ordinata iis tribuuntur, qui scientia et experientia pollent.

Optandum valde est ut Schola Philosophiae et Theologiae in Seminario Dioecesano constituta quasi « Studium generale Ecclesiasticum » statuatur, in quo admittantur etiam alumni Religiosorum — in eadem civitate degentium — qui ob parvum numerum discipulorum sibi scholam veri nominis parare non possint. Episcopus ad munus docendi in eo vocare poterit etiam Religiosos peritos qui suos alumnos ad Studium Dioecesanum mittant. Ita instaurabitur fructuosa collaboratio, quae non solum utilitatem sed magnam aedificationem suscitabit.

R. — Utillima suggeruntur. Sed in schemate conciliari nonnisi principia quaedam universalia statui possunt. Plura determinari poterunt sive in Statutis Seminarii dioecesani ab Ordinario loci conficiendis, sive in Statutis Seminariorum Regionalium ab Episcopis quorum interest parandis.

AD NUM. 8.

1 — *1 Pater*: Quoad nn. 8-10 in genere: omissio maxima in nn. 8-10 invenitur. Propter hanc omissionem formatio spiritualis Seminariorum gravissime noceri potest. Sanctificatio opus Sanctae Trinitatis est, — et per Iesum Christum. Sine Deo et sine D. N. Iesu Christo sanctificatio impossibilis est. Hanc veritatem fundamentalem vitae spiritualis et moderatores et alumni prae oculis semper debent habere, alioquin periculum labendi in errorem « activismi » (vel Pelagianismi) adest. Si aliquis putat et agit tanquam a semetipso sanctificari potest, progressus

[68] in sanctitatem parvus erit, vel nullus. Ut hoc triste malum non fiat, in schemate declaratio huius veritatis clarissima ponenda est.

R. — Accipitur; vide textum emendatum.

2 — *1 Pater*: Quoad nn. 8-12: sacerdotes vere sancti, prudentes, docti et periti quoad directionem spiritualem apud plurimos
[69] Seminarios desunt. Haec absentia efficacium Spiritus Directorum saepe saepius non videtur a Moderatoribus. Propter quod nemo operam circa hanc defectionem dat. Nisi necessitas bonae spiritualis directionis et idoneorum Directorum fusius et clarius tractatur, haec conditio nocens ad magnum detrimentum Sanctae Ecclesiae manebit.

R. — Iam providetur substantialiter in nr. 5 et in nr. 8 emendato. Ulteriores determinationes pertinent ad Conferentias Episcopales vel ad Directorium post Concilium conficiendum.

3 — *1 Pater*: Alia redactio magis intelligibilis huic numero detur. Impossibile est in una tantum periodo includere totam vitam spiritualem.

R. — Etiam nn. 9-12 agunt de diversis aspectibus formationis spiritualis. In nr. 8 urgetur potius eius principium uniens et vivificans.

4 — *1 Pater*: In initio numeri dicatur: « Institutio spiritualis, *quae totius formationis sacerdotalis anima est,* cum doctrinali ... ».

R. — Hoc iam elucet ex eis quae dicuntur in nn. 8-12.

5 — *1 Pater*: Pag. 10, lin. 24 (pag. 14, linn. 35-37) verba « qui per sacram ordinationem *Christo configurandi* erunt » primo et per se innuunt ideam obligationis quam sacerdotes habent « conformes fieri imagini » Christi, hoc est perfectionis seu sanctitatis assequendae. In textu e contra agitur de dignitate seu charactere quem per sacram ordinationem recipiunt.

Quare substituantur his vel aliis verbis: « *qui per sacram ordinationem Sacerdotii Christi participes esse debent* », vel etiam his aliis: « qui Christi Sacerdotis figuram gerere debent ».

R. — « Configurandi » intelligitur de facto de configuratione sacramentali, ontologica; in textu emendato res clarior redditur dicendo: « Per sacram ordinationem ... configurandi, *etiam* intima totius vitae consortione ... ».

5a — *1 Pater*: In initio numeri per verbum « doctrinali » inseratur verbum « liturgica».

R. — Ipsa institutio spiritualis, doctrinalis et pastoralis debet esse liturgica.

6 — *7 Patres*: Post verba «Christo Sacerdoti» inseratur: «*in ministerii opere*», ut clarius exprimatur configuratio specifica, i. e. in ordine ministerii, quia sacerdos configuratur Christo capiti. Et sic contradistinguitur a configuratione per baptismum. **[69]**

R. — Ex ipsis verbis «per sacram ordinationem» patet agi de peculiari configuratione cum Christo sacerdote, non de illa communi baptizatorum. **[70]**

7 — *1 Pater*: In lin. 25 (lin. 37) verba «*amicorum more ... Ei adhaerere*» sunt male dicta. Melioranda est expressio et indicanda est obligatio ita inhaerendi Christo ut oportet in futuris sacerdotibus, uti cellulis magis operosis Christi Corporis Mystici.

R. — Quae in hoc modo expostulantur, habentur de facto in nr. 8 et in nr. 9 emendatis. Insuper locutio «amicorum more» mutata est in «ut amici». Amicitia cum Christo modo peculiari debet esse propria sacerdotibus: cf. ritum ordinationis.

8 — *8 Patres*: In lin. 27 (pag. 15, lin. 1) post «assuescant» inseratur: «suae profundae erga Patrem religioni, *suoque mysterio paschali* participent ut in illa melius introducant plebem sibi commissam». Ita melius exprimitur momentum sensus Dei et sensus paschalis tam in institutione quam in actione sacerdotali.

R. — Substantia modi acceptatur. Vide textum emendatum.

9 — *1 Pater*: In lin. 28 (pag. 15, lin. 2) melius dicatur: «*in fideli et fervida meditatione*» vel quid similiter. Verba enim «Verbi Dei meditatio» quid significant? An doctrina Christi? An Secunda Persona SS. Trinitatis? Si primum, scribatur litteris minusculis «verbi».

R. — Scribitur litteris minusculis.

10 — *1 Pater*: In lin. 27 (pag. 15, linn. 2-3) dicatur: «Christum quaerere discant in Verbi Dei fideli meditatione *qua spiritu Evangelii imbuantur,* in actuosa ...» ut effectus meditationis magis concrete et vitaliter significetur.

R. — Iam statim postea dicitur: «secundum Evangelium vivere».

11 — *1 Pater*: In lin. 30 (pag. 15, lin. 5) post verba, «in Eucharistia» addantur haec alia: «Communione possibiliter quotidiana et hora adorationis saltem hebdomadaria».

R. — Non omnia explicite dici possunt.

12 — *1 Pater*: Post verba «in Eucharistia» addatur «et in officio divino».

R. — Acceptatur; vide textum emendatum.

[71] 13 — *1 Pater*: In lin. 28 (pag. 15, linn. 4 ss.) sic legatur: « in actuosa cum sacrosanctis Ecclesiae Mysteriis, *Eucharistia imprimis,* communicatione *et filiali* erga B. Virginem pietate, in Episcopo qui eos mittet, in incredulis, ad quos mit*tent*ur. Dum enixe co*lun*tur ... ».

R. — Satisfit textu emendato, etsi non iisdem prorsus verbis neque eodem ordine.

14 — *31 Patres* volunt, ut specialis mentio fiat momenti quod devotioni erga B.M.V. convenit in formandis seminaristis. Ex quibus 31 Patribus autem varii varia proponunt:

a) *1 Pater* desiderat propositionem propriam dedicatam devotioni Mariali.

b) *7 Patres* proponunt ut post verba « in Eucharistia » dicatur: « In fovenda devotione erga Beatam Virginem, quam sacrorum administri incensiore caritatis studio amare debent, eo quod vincula quibus sacerdos cum Iesu Christo coniungitur arctiora sunt, et ita necessitudines, quae Mariae cum Divino Redemptore intercedunt, impensiores exstant ». Ex Litteris Encyclicis *Ad catholici sacerdotii,* Pii Papae XI: *A.A.S.,* 1936, p. 24.

c) *1 Pater.* Addatur: « in Eucharistia, in amore praedilectionis erga Sacerdotis unici et suam Matrem Mariam ».

d) *1 Pater*: addatur: « in devotione vere filiali erga Summi et Aeterni Sacerdotis Matrem quae speciali modo sacerdotis Mater est ».

e) *2 Patres*: Addatur: « *Sanctissima Dei Genitricem Mariam ardentissimo amore prosequantur alumni ut filios decet erga Matrem* ».

f) *1 Pater*: Addatur: « Beatissimam Virginem Mariam veluti Matrem, fiducialiter ament ».

g) *1 Pater*: Addatur: « Filialem amorem erga Beatam Virginem, Reginam Apostolorum, eiusque virtutum imitationem generose foveant ».

h) *1 Pater*: Dicatur: « *B. V. Mariae materno auxilio suffulti, Christum quaerere discant,* etc. ... ».

i) *1 Pater*: Dicatur: « in Eucharistia; *in B. Maria Virgine aeterni Sacerdotis Matre,* in Episcopo, qui eos mittit ... ».

k) *1 Pater*: In lin. 34 (pag. 15, lin. 9) post verba « usu commendata » addantur haec: « *praesertim in honorem Sacratissimi Cordis Iesu et Beatissimae Virginis Mariae* ».

R. — Desiderium commendationis explicitae cultus Beatae Mariae Virginis iam in aula conciliari a Relatore schematis plene agnitum, in textu emendato consideratur. Textus insertus concordat cum textu usurpato in Const. dogm. « De Ecclesia » nr. 58 et exhibet Beatam Virginem sub titulo futuris sacerdotibus maxime caro. [71] [72]

15 — *2 Patres*: In lin. 30 (pag. 15, lin. 5) fiat mentio devotionis alumnorum erga Romanum Pontificem et diffusior commendatio reverentiae et oboedientiae erga Episcopum. Quinimmo melius esset si peculiaris, etsi brevis, numerus de his rebus in schemate insereretur.

R. — De devotione erga Romanum Pontificem et de oboedientia erga Episcopum sermo fit in nr. 9 emendato.

15 a — *1 Pater*: Loco « in Episcopo qui » dicatur: « in reverentia, oboedientia et dilectione Episcopi qui ... ».

Ratio emendationis propositae: sic officia seminaristae erga Episcopum melius patent. Hodie praesertim hoc necessarium videtur.

R. — De dilectione et oboedientia erga Episcopum agitur in nr. 9.

16 — *7 Patres*: Loco « in Episcopo » dicatur: « in relatione ad Episcopum ... et ad membra Christi », ut melius exprimatur specifica ratio sacerdotii ministerialis contradistinguendo a sacerdotio universali.

R. — Haec distinctio iam clare patet in textu.

16 a — *1 Pater*: Sic phrasis mutetur: « in Episcopo, qui eos mittit, *in confratribus qui cum eis pondus diei ferunt,* et in membris Christi, praesertim *humilibus* et pauperibus, *pueris et aegrotis,* peccatoribus et incredulis, ad quos mittuntur ».

R. — In textu emendato inseritur mentio parvulorum et infirmorum.

16 b — *1 Pater*: Incongrue iuxtaponuntur verba « *pauperibus, peccatoribus, incredulis* »; aptior dicendi modus est quaerendus. Simplex iuxtapositio horum terminorum obvie significaret Christum quaerendum esse, eodem omnino sensu, in pauperibus, in peccatoribus ac in incredulis; atqui hoc minime verum est.

R. — Haec differentia obvia est.

17 — *1 Pater*: The schema makes no mention anywhere of the fostering in the minds and hearts of the seminarians the deep consciousness of their spiritual *fatherhood* in relation to the souls

[72] of those to be entrusted to them. This should be inculcated by those in charge of the spiritual formation of the seminarians in
[73] their instructions over the years, so that the conviction has taken root and has become something living and practical by the time of ordination.

Too many people complain that their priests are polite but more businesslike than fatherly; that they treat them like a lawyer treats his clients, or a businessman his customers, while it is evident that there is no consciousness of his spiritual fatherhood as a priest, and no evidence of it in his relation to the faithful. The result is that there is a wide gap between the priest and his people, and they approach him only when necessary, i. e. for Baptism, Masses, etc., but not with their intimate personal problems.

If this is not inculcated in the years of training, it will never enter into the life of a priest later. He is called « Father » but it is only a polite title for all practical purposes: the reality is not known.

R. — Quae dicuntur vera sunt; de facto in schemate expostulantur in nn. 4, 9, 10, 11.

18 — *1 Pater*: In lin. 34 (pag. 15, linn. 9-10) deleantur verba « Cavendum est ... excolat ». Sed hoc modo legatur: « Enixe colantur pietatis exercitia venerando Ecclesiae usu commendata. Discant alumni ... »; nam

a) exercitia pietatis, si sunt vera exercitia pietatis, alumnos profunde invitant ad fidem, spem, etc.

b) reapse verba hic posita « solum affectum religiosum ... » haec exercitia in suspicionem ponunt: quod grave est.

c) aliquis affectus religiosus, si est secundum Deum, est vere bonus (praesertim in iuvenibus). Deus enim nos Ipse amat, nos Ipse diligit. Ipse caritas est.

R. — Aliquatenus huius Modi ratio habetur in textu emendato; magis directe commendantur exercitia pietatis. Sed non expunguntur ea quae sequuntur; non enim omnis affectus religiosus damnatur, sed curandum est ne exercitia pietatis *solum* affectum religiosum excolant.

19 — *6 Patres*: In linn. 35 s. (pag. 15, lin. 10) *post* « consistat » addatur: « *Neve nimis trahatur a pressione communitaria* et solum affectum, etc. ... ». Hoc enim periculum pressionis communitariae et passivitatis magnum est.

R. — Consideratio indolis et operositatis singulorum iam exigitur in nr. 7 et maxime in nr. 11. Altera ex parte celebratio communitaria offert etiam adiutorium positivum singulis. [73]

19 a — *1 Pater*: Ibidem post « consistat » addatur: « *nimisque adhaereat motui quotidiano et communitario* »; nam aequilibrium personale in alumnorum vita spirituali, etiam in vita orationis servetur. [74]

R. — Sicut ad Modum 19.

20 — *5 Patres*: Pag. 11, lin. 1 (pag. 15, lin. 13) post verba: « ...et caritate » addatur: « donis Spiritus Sancti vivide informatis ».

R. — Spiritus Sanctus commemoratur in textu emendato, pag. 10, lin. 26.

21 — *56 Patres*: In lin. 2 (pag. 15, lin. 14) post verba: « spiritum orationis » addatur « *et paupertatis* ».

Seminaria spiritu Vaticani Secundi imbuta, in hoc maxime insistere debent ut alumni verum ac evangelicum spiritum paupertatis acquirant, qui erit unus ex praecipuis testimoniis Ecclesiae in mundo nostri temporis. Propterea valde exoptandum erit ut in schemate nova propositio sit, ubi amplius ac profundius de spiritu paupertatis agatur. De cetero, fatendum est nostra Seminaria in hoc multum deficere.

R. — Iam provisum est per verba « secundum Evangelium *vivere* » et in nr. 9.

22 — *1 Pater*: In lin. 3 (pag. 15, lin. 15) post verba « vocationis suae » addatur: « *non monasticae sed apostolicae* ».

R. — Non recta proponitur disiunctio. Etiam vocatio monastica debet esse apostolica. De cetero ipse nr. 4 clarissime affirmat necessitatem formationis ad ministerium pastorale, sicut imprimis clero dioecesano proprium est.

22 a — *1 Pater*: In lin. 4 (pag. 15, lin. 16) post « virtutum » addatur: « *sacerdotalium* ».

R. — Non agitur tantummodo de virtutibus specifice sacerdotalibus.

23 — *5 Patres*: In fine numeri, addantur verba: « Praesertim virtutibus castitatis, paupertatis et oboedientiae, mysterium paschale discant proclamare atque beatam spem adventus Domini Nostri maximo cum gaudio Spiritus Sancti annuntiare ».

R. — De Mysterio paschali iam sermo fit in nr. 8 emendato; de castitate in nr. 10 emendato.

[75] AD NUM. 9.

1 — *2 Patres*: In initio numeri dicatur: « Mysterio Ecclesiae ab hac Sancta Synodo illuminato, etc. » omittendo « *prae ceteris* ».

R. — Dicitur « praecipue » in textu emendato.

2 — *3 Patres*: Pag. 11, lin. 19 (lin. 22) loco « adhaerentes » dicatur « oboedientes ».

R. — Vox « adhaerentes » est fortior; includit etiam ideam amoris.

3 — *1 Pater*: In lin. 23 (pag. 15, lin. 25) deleantur verba « *non imperio* » (intelligant alumni se destinari). Nam maior pars sacerdotum, de facto, debet praeesse vel in paroeciis, vel in scholis, vel in multis aliis institutionibus (saltem in directione animarum), imperium aliquod habens.

R. — In textu emendato dicitur: « non dominatui »; excluditur scilicet imperium potius tyrannicum.

3 a — *1 Pater*: Loco « se non imperio vel honoribus » dicatur: « se non *dominatui vel honoribus* ».

R. — Accipitur.

4 — *62 Patres*: In lin. 22 (pag. 15, lin. 25) sic legatur: « Clarissime intelligant alumni se non imperio vel honoribus designari, sed totos servitio Dei et pastorali ministerio mancipari, in sacerdotali oboedientia atque in pauperis vitae ratione, *qua sua obliviscentes, omnia omnibus fieri satagant. Huius futurae missionis luce, tota seminarii ratio perfundatur oportet, ac praesertim discendi ardor, silentii custodia et amor, suique abnegandi exercitium.* Haec omnia peculiari sollicitudine ita excolantur ut etiam ea quae licita sunt sed non expediunt, prompte abdicare et *Christo Sacerdoti* se conformari assuescant ».

Haec in textu priore inveniebantur et omnino videntur servanda, quia ostendunt spiritualitatem seminaristarum super Mysterium Christi et Ecclesiae fundatam et in servitio ipsius Ecclesiae ordinatam. Sub luce istius spiritualitatis omnia quae in Seminario exiguntur veras suas dimensiones acquiruntur in ordine ad futuram missionem pastoralem.

R. — Quae hic proponuntur, ad partem iam in nr. 9 dicuntur, ad partem vero in nr. 11 emendato. Retinetur consulto locutio « Christo crucifixo ». Configuratio cum Christo Sacerdote iam

[76] affirmata est (in nr. 8); hic agitur pressius de passione Christi

participanda. Insuper quidam ex Patribus hunc modum propo- [76]
nentibus explicite postulant ut remaneat « Christo crucifixo ».

5 — *9 Patres*: In lin. 25 (pag. 15, linn. 28-29) *post* « oboedientia » inseratur: « in sensu personalis responsabilitatis et liberae initiativae ». Ne ansa praebeatur soli passivitatis culturae in Seminario et praeparentur sensui liberae ac propriae initiativae.

R. — Huic legitimo desiderio satisfit in nr. 11 emendato.

6 — *25 Patres*: In fine numeri addatur: « De oneribus ab ipsis suscipiendis alumni clarissime reddantur certiores, nulla vitae sacerdotalis difficultate reticita. Ne tamen in futura operositate periculi rationem fere unice conspiciant, sed potius ad vitam spiritualem ex ipsa eorum actione pastorali quam maxime roborandam conformentur ».

R. — Accipitur; vide textum emendatum.

AD NUM. 10.

1 — *10 Patres* (varii vario modo) exigunt tractationem minus iuridicam, sed magis positivam, amplam, argumentis scripturisticis innixam.

R. — Ratio habetur in textu emendato.

2 — *60 Patres*: Tota haec propositio denuo est redigenda. Nam prout jacet videtur insufficiens et non placet. In nova autem redactione prae oculis habeantur quae sequuntur:

a) curent moderatores ut in edocendis alumnis ad castitatem sacerdotalem ne modo nimis negativo procedant ut proh dolor saepius evenit;

b) memores etiam sint non sufficere monere ut pericula vitentur;

c) caveant quoque ne castitas ita praesentetur perinde ac si esset conditio quaedam imposita sacerdotibus;

d) sed potius ita edoceantur alumni ut et ipsi discernere valeant in castitate liberum testimonium amoris eorum qui sese totaliter mancipatos volunt ad servitium Dei et Ecclesiae. Solummodo in hac perfecta caritate ostendetur verus sensus et valor castitatis. Et tantummodo sic, castitas non *iugum* (ut proh dolor saepe existimatur) sed liberatio et gaudium spiritus erit;

e) praeterea forsitan inutile non erit in schemate expli-
cite notare castitatem sacerdotalem foveri in vita communitaria [77]

[77] sacerdotum eo vel magis quod defectiones in hoc sensu habitae fere semper originem ducunt a carentia istius vitae communitariae sacerdotalis.

R. — In textu emendato ratio habetur desideriorum expressorum in *a, b, c, d*. Quae sub littera *e*) expostulantur, pertinent ad schema « De ministerio et vita presbyterorum ».

3 — *12 Patres*: propositio 10 sic mutetur: « Alumni qui sacrum coelibatum, Ecclesia commendante immo vel etiam iubente, gratia Dei confisi vovere intendunt, diligenti cura ad hanc futuram suam vivendi formam educentur. Sacerdotalis coelibatus fundamentaliter consistit in speciali modo, quo homo vestigia Iesu Christi premens se totum Deo in Christo Iesu pro hominibus devovet. Huius deditionis signum constitutivum est renuntiatio matrimonii. Prospiciant ergo omnes, quorum curae alumni concrediti sunt, ut futuri sacerdotes huic mysterio profunde initiati coelibatum « propter Regnum Caelorum) (*Mt.* 19, 12), gratia Dei excitante et adiuvante, cum plena libertate et magnanimiter suum faciant. Adiuvent eos insuper prudenti paedagogia necnon instructi legibus anthropologicis, ut renuntiationem bonorum matrimonii, quod ceterum magni aestimandum bene sciant, in totam suam vitam ita integrent, ut persona humana nullum detrimentum capiat, immo sacrificium oblatum maturitati eius adquirendae prosit. De periculis, quae eorum castitati servandae in huius temporis adiunctis occurrunt, alumni moneantur et aptis praesidiis instruantur ».

R. — Plura recepta sunt in textum emendatum.

4 — *1 Pater*: videtur quod in eadem periodo non potest tractari de castitate cleri coelibis et cleri coniugati. Et inutile est statuere quod per se status castitatis matrimonialis eandem facilitatem ad vitam spiritualem praebeat ac status perfectae castitatis virginalis.

R. — Textus emendatus respicit nonnisi alumnos qui praeparantur ad coelibatum sacerdotalem. Innuitur autem non in omnibus ritibus statum coelibatus omnibus candidatis ad sacerdotium praescribi, etsi in illis quoque ritibus coelibatus sacerdotalis summo in honore habetur et a multis reapse acceptatur.

5 — *1 Pater*: Pag. 12, lin. 5 (pag. 15, lin. 37) loco « atque aptissimum impetrant auxilium » dicatur « atque aptissimum consequuntur auxilium ».

R. — Accipitur.

6 — *2 Patres*: auferantur verba: « atque aptissimum impetrant auxilium ad perfectam caritatem in ministerio continuo exercendam ». Haec verba, ut mihi videtur, nihil addunt ad haec quae in lineis anterioribus dicuntur, immo aliquomodo sensum sententiae minuunt: connexio enim inter castitatem sacerdotalem et caritatem sacerdotalem non est per impetrationem praesertim sed magis directe fit ut iam exprimitur verbis: « ... vi cuius ... integra animi et corporis deditione Domino inserviunt ». Hic forsan addi debent verba « et Ecclesiae » ut ostendatur valor ecclesiasticus huius castitatis sacerdotalis. [78]

R. — In textu emendato dicitur « consequuntur ». Hoc modo perfectior caritas apparet ut fructus ipsius consecrationis Christo factae et sic iam elucescit eius aspectus ecclesialis.

7 — *1 Pater*: Addatur post verba « continuo exercendam »: « De excellentia virginalis status, prout est spiritus in carnem dominium, perfectior oblatio sui ipsius Deo ac libertatis sacri ministerii condicio favorabilior, alumni moneantur; necnon de periculis quae eorum castitati in huius temporis societate occurrunt, contra quae aptis praesidiis muniantur ».

R. — Ideae consideratae sunt in textu emendato.

8 — *1 Pater*: Post verba « continuo exercendam » addatur: « insuper in praeparatione ad subdiaconatus ordinem particularia pietatis opera excolantur, ut sunt: hora fere quotidiana eucharistica et exercitia spiritualia extraordinaria per unum mensem vel saltem quindecim dies protracta ».

R. — Nimis particularia proponuntur; optime in Ratione institutionis regionali vel in statutis localibus considerari poterunt.

9 — *1 Pater*: desideratur ut in ritu ordinationis ad subdiaconatum habeatur aliqua caeremonia qua candidatus expresse assumat obligationem coelibatus (sive per votum sive per promissionem).

R. — Quaestio de aliqua peculiari caeremonia consideranda est a Consilio ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia.

10 — *1 Pater*: In lin. 9 (pag. 15, lin. 39) dicatur: « ... et aptis praesidiis, praesertim supernaturalibus, instruantur ».

R. — In textu emendato dicitur: « praesidiis divinis humanisque adiuti ».

11 — *1 Pater*: Sub lumine recentiorum scientiarum, praesertim paedagogiae, physiologiae et psychologiae consideranda sunt peri- [79]

[79] cula quae ex ipso convictu (« convivenza ») in Seminariis enascuntur, maxime illae « amicitiae particulares » quae saepe teterrimis inversionibus et perversionibus dant originem. – Sacrosancta Synodus Commissionem quamdam promoveat quae renovet hodiernum convictus systema, quod non raro valetudini et corporis et animi noxium apparet.

R. — De sanae psychologiae normis observandis sermo fit in nr. 3 (Seminaria Minora) et in nr. 11.

12 — *1 Pater*: In lin. 11 (pag. 16, linn. 1-3) sic legatur: « ... et momento clare cognitis, *sed tamen etiam de praeclara doctrina paulina circa virginitatem eiusque praecellentiam diligentissime edocti* (*1 Cor.* 7, 25-35), optione mature deliberata ac magnanimi, indivisum Domini praeferant amorem, eiusque Regno dilatando semetipsos, *liberos, qua libertate Deus eos liberavit,* offerant, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (cf. *Rom.* 12, 1) ».

Ratio: Quia, ad tuendam veram libertatem iuvenum, tota veritas tradenda ipsis est; et quia hodie, ni fallor, forsan nimis iam noverunt iuvenes « dignitatem et momentum matrimonii christiani » et de hoc non est timenda ignorantia, sed potius de praecellentia virginitatis, tum naturaliter tum supernaturaliter perspectae.

R. — Quae hic proponuntur, in textu emendato opportune considerantur, etsi alio modo dicendi.

13 — *1 Pater*: In lin. 14 (pag. 16, lin. 3) dicatur: « ... semetipsos *irrevocabiliter* offerant ».

R. — In textu emendato dicitur: « secundum ... sanctas firmasque leges ».

14 — *6 Patres*: Deleantur allusiones et citationes ex *Rom.* 12, 1. Ut vitetur in materia valde delicata citatio quae non sit ad rem.

R. — Accipitur.

15 — *1 Pater*: In fine propositionis, in similitudinem propositionis 9 schematis « De accommodata renovatione vitae religiosae » addatur: « *Cum sacerdotalis castitatis obligatio naturam humanam radicitus afficiat, Seminariorum alumni ad subdiaconatum ne accedant, nisi post probationem vere sufficientem et cum debita maturitate physica, psychologica atque affectiva* ».

[80] *Ratio*: In casu concreto castitatis sacerdotalis onus et difficultas non differunt a religiosae castitatis onere et difficultate. De cetero documenta et leges Ecclesiae, speciatim in recentio-

ribus temporibus (Encyclicae litterae Pii XI, Pii XII; Instructiones S. Officii 1930-1955), ex magna et dolorosa experientia, multa de hac re, hoc sensu, sapienter docuerunt. Concilium procedere, non recedere debet. [80]

R. — Huius desiderii ratio iam habita est in nr. 6 emendato. Insuper de maturitate agitur in nr. 11 et explicite in nr. 12 emendato.

AD NUM. 11.

1 — *1 Pater*: nemo prudenter in se suscipere potest obligationes vitae sacerdotalis nisi praevie humanam capacitatem praebuerit has obligationes suscipiendi atque in eis adimplendis perseverandi. Paucis verbis, sacerdos in ministerio suo non erit vere efficax, nisi in se excoluerit veracitatem, sinceritatem, fortitudinem, iustitiam. Uno verbo, priusquam aliquis bonus sacerdos evadere potest, oportet eum esse bonum hominem et bonum christianum, secundum dictum illud Pii XII: « Ut quis sit sacerdos perfectus, debet prius esse aliquo modo perfectus homo ».

In schemate efferantur necesse est *ea quae ab alumnis in campo ethico exiguntur,* eaque exigi quidem non tantum in praeparatione ad sacerdotium, sed *pertinere iam ad formationem veri nominis Christiani.* Hoc tantum modo evitatur ne alumni vane sperent indolem suam naturalem per ordinationem quasi magice transformatum iri et simul inculcatur necessitas enitendi omnibus viribus, gratia Dei adiuvante, in formanda illa personalitate quae naturale fundamentum constituit sanctitatis et efficaciae sacerdotalis.

R. — Quae hic exiguntur, de facto inveniuntur in nr. 11, et quoad formationem veri nominis christiani cf. nr. 8, inprimis « secundum Evangelium vivere ».

2 — *1 Pater*: Huic numero aliquid censeo inserendum de bona valetudine alumnorum Seminarii procuranda. Intensus enim labor intellectualis et spiritualis cui iuvenes seminaristae subiciuntur aequa alimentatione et animi relaxatione refici oportet. Visitatio medica praescribatur ineunte anno scholastico et periodice anno durante facienda. Insuper constituatur apud omne Seminarium Minus centrum psycho-paedagogicum ad physice vel psychice infirmos curandos et ineptos reiciendos.

R. — Quae proponuntur, etsi attentione digna, nimis particularia sunt: sed congruam de valetudine physica et psychica curam habendam esse apparet ex nr. 6. [81]

[81] 3 — *1 Pater*: Omittantur verba: « sponte naviterque agere et cum confratribus et laicis sociam praestare operam ... ».

R. — « Lo spirito di iniziativa » et facultas collaborandi cum aliis tanti sunt momenti, ut taceri nequeant.

4 — *1 Pater*: textus de disciplina agens sic mutetur: « *Vitae Seminarii disciplina tanquam firmum fundamentum ad alumnos efformandos habeatur, non quasi odiosum animi vinculum, sed quasi sapiens sui ipsius dominationis acquirendae efficax* auxilium. *Cuius tamen disciplinae* principia iuxta alumnorum aetatem ita *applicentur ...*, etc. ». Hodierno independentiae spiritui, quem etiam in Seminariis de die in diem magis invalescere compertum est, necessarium videtur remedium praebere firmo disciplinae principio; quod explicite Concilium statuere debet, ut necessarium sacerdotalis formationis elementum.

R. — Ratio habetur, textu aliquatenus reducto; cf. pag. 13, linn. 12 ss.

5 — *28 Patres*: Pag. 12, lin. 38 (pag. 16, lin. 8) post verba « rite compleantur » addatur: « Institutione sapienter ordinata, in alumnis excolenda est congrua maturitas humana, comprobata in quadam animi stabilitate, in facultate ferendi ponderatas decisiones, necnon in capacitate semetipsos adaptandi ad varii commercii humani adiuncta atque in recta de eventibus et hominibus iudicandi ratione. Firma *igitur* ... ». – Plures Patres hoc rogaverunt in suis orationibus in Aula.

R. — Accipitur; cf. textum emendatum nr. 11 et nr. 19.

6 — *1 Pater*: Pag. 13, lin. 1 (pag. 16, lin. 12): « et cum confratribus et laicis *necnon religiosis* sociam praestare operam addiscant ». Quia saepe etiam cooperatio cum religiosis necessaria est ».

R. — Religiosi iam comprehenduntur in confratribus.

7 — *1 Pater*: « ... sponte naviterque agere et cum confratribus et laicis sociam praestare operam addiscant ... ». Haec educationis methodus saltem cautelis munienda est; sed uberior fructus perciperetur si alumni antea studiorum curriculum conficiant et postea — per aliquod tempus — sub ductu moderatorum et selectorum magistrorum quae mente plene didicerint ad usum, sacerdotum proprium, traducere feliciter incipiant.

[82] R. — Agitur de prima initiatione facienda iam per curriculum studiorum; de cautelis cf. nr. 21.

8 — *1 Pater*: Quae in linn. 2-7 (13-17) dicuntur sic forsitan melius possint dicit: « Illae quoque virtutes sedulo curentur quae in *vita*

sociali (*a*) magni aestimantur, cuiusmodi sunt animi sinceritas, *fidelitas, sensus responsabilitatis, fortitudo,* in agendo urbanitas (*b*) ... ». [82]

R. — *a*) In textu emendato dicitur: « quae inter homines pluris fiunt »; *b*) additur: « promissis servata fides »; insuper in textu emendato fit sermo de fortitudine. Sensus responsabilitatis iam exprimitur: « ponderatas ferre decisiones ».

8 a — *1 Pater*: Post verba « Illae quoque virtutes sedulo curentur quae ... » addatur: « *verum hominem efformant et* praesertim ... ».

R. — Vide ad Modum 8.

8 b — *46 Patres*: Loco « in civili societate » dicatur: « *inter homines* ».

R. — Providetur in textu emendato.

9 — *16 Patres*: Pag. 13, lin. 2 (pag. 16, lin. 13) post verba « operam addiscant » addantur verba: « Institutio sacerdotalis super solidum fundamentum virtutum naturalium et verae humanae culturae fundari debet. Homines enim huius temporis multo facilius rectam et securam viam ad Christum invenient, si in persona sacerdotis imaginem bonitatis et humanitatis Salvatoris nostri videbunt ».

R. — Intentio Modi recipitur dicendo: « ... et Christi ministrum commendant »; cf. pag. 13, lin. 7.

10 — *1 Pater*: Pag. 13, lin. 6 (lin. 17) post verba « modestia cum caritate coniuncta » addatur: « et aliae similes ».

R. — Non est necessarium, quia dicitur: « cuiusmodi sunt ... ».

11 — *1 Pater*: In fine numeri textus sic mutetur: « Tota Seminarii ratio vitae studio interioris et adimpletionis voluntatis Dei perfusa ita ordinetur ut ... ».

R. — De vita interiore sermo iam est in nr. 8. In hoc numero recensentur ea, quae vitam Seminarii etiam externam afficiunt.

12 — *1 Pater*: In fine addatur: « et dialogo cum hominibus apte ineundo ». [83]

R. — Iam providetur in nr. 19 emendato et cf. nr. 15.

13 — *1 Pater*: In fine numeri addatur post verbum « ducendae »: « quo magis ad sacerdotium assequendum appropinquant, eo magis vita Seminarii sit vitae sacerdotali similis ».

R. — Iam innuitur in textu agi de sapienter progrediente ratione.

[83] 14 — *1 Pater*: Post verbum « ducendae » sequens phrasis inseratur: « Ideo memores sint Seminariorum moderatores caritatem plus valere quam timorem et prudentem fiduciam plus quam inspiciosam diffidentiam sicut et christianam hilaritatem plus quam morosam severitatem ».

R. — Ideae sunt rectae. Data brevitate documenti vero sufficere debent ea quae iam in nr. 5 dicuntur de indole familiae in Seminario servanda.

AD NUM 12.

1 — *1 Pater*: omittatur nr. 12 quia necessarius non est.

R. — Quae in nr. 12 commendantur, expostulata sunt a plurimis Patribus et respondent necessitatibus fere ubique vigentibus.

2 — *47 Patres*: Pag. 13, lin. 38 (pag. 16, lin. 26) periodus sic emendetur: « *Eorundem quoque erit, tempore opportuno, quandam studiorum interruptionem statuendi* vel adaequatum tirocinium pastorale disponendi ut sacerdotii candidatorum probationi satius consulatur ». Magis quam perpendere opportunitatem Episcoporum est hanc interruptionem vel tirocinium et determinare et exigere.

R. — Concilium in hac re commendat, sed non stricte obligat, quia condiciones in variis regionibus sunt tam diversae. Cf. statim infra Modos 3, 4, 5, 6.

3 — *1 Pater*: Conceptus « interruptionis studiorum » clarior reddatur. - Mihi non clarum est utrum hic conceptus intendat interruptionem individui seminaristae, an omnium seminaristarum in classe. - Fere omnis seminarista in cursu suo difficultates et dubia de vocatione sua invenit. Saepe talis seminarista ad Rectorem venit; aliquando postulat ut extra Seminarium exeat ut vocationem probet. Mihi persuasum est talem agendi
[84] modum non esse prudentem; Seminarium est locus vocationem probandi, non mundus, sed Seminarium recte administratum. Proinde peto ut haec notio de studiorum interruptione claro modo statuatur.

R. — Textus relinquit Episcopis libertatem.

4 — *1 Pater*: Per se interruptio studiorum saepe non erit necessaria, sed tempore vacationis curent parochi et Superiores Seminarii informentur de activitate pastorali et cooperatione futuri sacerdotis.

R. — Interruptio non imponitur, sed commendatur, ubi probationi efficaciori inservire potest. [84]

5 — *1 Pater*: Sicut plures Patres durante disceptatione observaverunt, non convenit studiorum interruptionem statuere. Quare statuatur quod aspirantes ad sacerdotium, post studia peracta, ordinentur diaconi et per aliquot annos in hoc ordine permaneant, ministeria propria diaconorum exercendo, in Seminariis seu scholis docendo, vel in Actione Catholica adlaborando.

Haec esset etiam periodus probationis. Si bene se gesserint et in sancto proposito perseverant, possunt ad sacerdotium promoveri, secus dispensantur a voto castitatis ut possint ad saecularia vota redire.

R. — Ut ad Modum 4.

6 — *2 Patres*: Loco tirocinii pastoralis alumnorum (vel etiam ipso retento) suggeratur convenientia, ut, expleto cursu studiorum, alumnus, diaconus ordinatus, maneat pro aliquo tempore in ministerio diaconali antequam fiat Presbyter.

R. — Opportunitas temporis vario modo determinari poterit secundum adiuncta locorum. Ceterum in textu emendato specialis commendatio de congruo exercitio ordinis diaconalis additur; cf. pag. 14, linn. 5 ss.

AD NUM. 13.

1 — *3 Patres*: In initio numeri dicatur: « Antequam Sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, ea humanistica et scientifica studia *cum examinibus a gubernio praescriptis absolvant* quibus ... ». Hoc est maximi momenti, ut alumni Seminariorum omnino libere eligant vel relinquere possint statum ecclesiasticum, si vere vocati non sunt.

R. — Optimum consilium efficaciter consulendi alumnorum libertati, in textu emendato exprimitur per verba: « ... superiora studia inire valeant ». Evitata autem est explicita mentio examinum a gubernio praescriptorum. [85]

1 a — *1 Pater*: Addantur sequentia vel similia verba: « Alumni ad studia philosophico-theologica non admittantur nisi prius examina « maturitatis » a potestate civili praescripta superaverunt ».

R. — Sicut ad Modum 1.

1 b — *1 Pater*: Pag. 14, lin. 15 (pag. 17, lin. 4) post verba « praeparari

[85] solent » addatur: « habitis in quantum possibile examinibus (diplomes) Status recognitis ».

R. — Sicut ad Modum 1.

2 — *2 Patres*: Dum sermo fit de studiis humanisticis principia nimis generalia dantur. Si coetus Episcoporum Rationem studiorum statuere debet, ipsi cognoscere debent mentem Concilii relate ad principaliora subiecta quae in Ratione studiorum includenda sunt. Praeter Linguam Latinam expresse mentio fiat de sequentibus subiectis: Lingua nationis vel regionis; Historia Ecclesiae in regione ubi futuri sacerdotes ministerium exercere debent; Historia et Geographia loci et regionis; Ars et Musica Regionis. Et quidem statuatur quod ista subiecta tradantur non tantum uti tradi solent in scholis maioribus regionis, sed tali amplitudine quae requiritur ab ipsis qui ad examen pro ingressu Universitatis se praeparant (pre-University examination).

R. — Non convenit enumerare singulas disciplinas profanas in textu conciliari. De cetero implicite continentur in eis quae hoc numero exiguntur.

3 — *4 Patres*: Pag. 14, lin. 15 (pag. 17, lin. 4) dicatur: « Ac praeterea, si de latini ritus alumnis agatur, linguae latinae cognitionem acquirant, qua tot scientiarum sacrarum fontes et ecclesiastica documenta intellegere et libros liturgicos profundiore intellectu adhibere possint; calleant autem sufficienter linguam graecam, quae sacra est et continet thesauros divinae Traditionis. Ut alumni ritus orientalis plenius fruantur thesauris Ecclesiae ritus latini et magis foveatur unitas, conabuntur superiores eos docere sufficienter linguam latinam ».

R. — Ratio habetur in textu emendato. Ceterum, secundum normam numeri 1, Conferentiae Episcoporum pro locorum adiunctis vario modo mensuram linguarum addiscendarum determinabunt.

[86] 3 a — *1 Pater*: Addatur: « In Ecclesia orientali curetur de institutione alumnorum in cognitionem suarum linguarum liturgicarum, si quae sint ».

R. — Sicut ad Modum 3.

4 — *2 Patres*: Post verba « ac praeterea eam linguae latinae cognitionem acquirant, etc. » addatur: « praeterea optandum est ut non negligatur studium linguae graecae quae est lingua Novi Testamenti et monumentorum antiquioris Traditionis Ecclesiae ».

R. — De lingua graeca apta commendatio fit in textu emendato, quatenus est lingua Sacrae Scripturae et Traditionis. [86]

4 a — *2 Patres*: Pag. 14, lin. 16 (pag. 17, lin. 5) addatur: « eam linguae latinae et *graecae* acquirant ».

R. — Sicut ad Modum 4.

4 b — *1 Pater*: Mentio fiat linguae graecae.

R. — Sicut ad Modum 4.

4 c — *1 Pater*: Addatur: « ... possint. *Linguae graecae cognitio valde etiam commendatur, praesertim ad Novi Testamenti lectionem* ».

R. — Sicut ad Modum 4.

4 d — *1 Pater*: Pro *alumnis maioris ingenii inseratur* commendatio studii linguae etiam *graecae*.

R. — Sicut ad Modum 4.

4 e — *40 Patres*: Post verba « linguae latinae » addatur: « *et graecae* ». Et periodus sic emendetur: « *quibus tot scientiarum sacrarum fontes, ecclesiastica documenta et libros liturgicos, profundiore intellectu adhibere possint* ».

R. — Sicut ad Modum 4.

4 f — *6 Patres*: Textus hoc modo immutetur: « ... ac praeterea eam linguae latinae et graecae cognitionem acquirant, qua Sacram Scripturam necnon tot alios scientiarum sacrarum fontes et ecclesiastica documenta intellegere atque libros liturgicos profundiore intellectu adhibere possint ».

R. — Sicut ad Modum 4.

4 g — *9 Patres*: Post verbum « possint » in lin. 20 (pag. 17, lin. 9) addatur: « Magni quoque habenda sit cognitio linguae graecae, quae multum valet ad intelligendum Novum Testamentum necnon Patrum graecorum scripta ». [87]

R. — Sicut ad Modum 4.

5 — *1 Pater*: In nr. 13, in fine, addatur: « *necnon in relationibus* ecclesiasticis cum magna utilitate uti ».

R. — Additio non videtur necessaria.

6 — *1 Pater*: In fine numeri addatur: « Tempus autem ad hanc cognitionem acquirendam minimum, id est anni et hora in hebdomada ab Episcopo pro singulis dioecesibus determinanda sunt ».

R. — Agitur de re nimis particulari; de cetero hic Modus non congruit cum Propositione 1.

[87] 7 — *1 Pater*: Velit Commissio attendere ad *pericula moralia* derivantia ex studio auctorum paganorum quibus ad linguam latinam addiscendam alumni utuntur. Gravissimum praeiudicium vitae morali adolescentium affert continuata lectio illorum auctorum; non est melius providere educationi morali quam linguae latinae perfectioni? Aliquid de hoc argumento in schemate dicendum censeo.

R. — Non videtur necessarium. Bonum autem videtur consilium hodie iam a multis commendatum maiorem rationem habendi auctorum latinorum *christianorum*.

8 — *1 Pater*: Quae in nr. 13 statuuntur, non sufficiunt; addatur hic vel in nr. 14: « Toto tempore studiorum ecclesiasticorum speciales habeantur cursus ad perficiendam cognitionem linguae latinae, graecae et etiam hebraicae, ut Sacra Scriptura, scripta Patrum Orientis et Occidentis, Documenta Conciliorum et Romanorum Pontificum bene intellegi possint ».

R. — In textu conciliari mensura tantummodo generalis indicanda est.

AD NUM. 14.

1 — *1 Pater*: Numerus 14 his verbis incipiat: « Cum his praesertim temporibus sacerdos scientia sacra excellere debeat, specialis cura adhibeatur ut alumni diligentissime imbuantur a ma-
[88] gistris in sua disciplina excellentibus et ab officiis incompatibilibus liberis ».

R. — Iam providetur in nr. 5 et etiam in nr. 7, ubi dicitur solidam alumnorum institutionem hac in re supremam legem esse habendam.

2 — *5 Patres*: In lin. 35 (pag. 17, lin. 25) post verba, « ut alumni » addatur: « *ad plenam ac maturam vocationis christianae evolutionem adducantur,* ad vocationem sacerdotalem laeto animo ... etc. ».

R. — In textu emendato agitur de universa alumnorum vita *fide* penetranda.

3 — *1 Pater*: Deleantur verba « ut haec visio ab ipso initio ... », usque ad finem numeri, quia in collegiis ubi studia humanistica et scientifica peraguntur, debet esse cultura religiosa de veritatibus catholicis et de virtutibus. Alumni qui studia vere ecclesiastica incipiunt anno aetatis suae septimo vel octavo decimo,

iam profundam scientiam Mysterii Christi et praxim sacramentorum habere debent. [88]

R. — Opportunitas alicuius peculiaris initiationis alumnorum studia ecclesiasica incipientium a fere omnibus agnoscitur.

AD NUM. 15.

Nota praevia.

Quaestio de S. Thoma in decreto conciliari explicite nominando, saepius et attente considerata est a Commissione. Omnes quidem Aquinatis singulare in studiis ecclesiasticis momentum a plurimis documentis pontificiis enuntiatum agnoverunt; tamen non omnes censuerunt peculiarem alicuius Doctoris mentionem in Concilii Oecumenici Decreto opportunam esse. Tandem Commissio quodam aequilibrio rem expendere quaesivit. In propositionibus « De Institutione Sacerdotali », quae mense Novembris 1964 Patrum disceptationi submissae sunt, in studiis philosophicis Aquinatis mentio facta est tantummodo implicite, per verba « philosophiae perennis »; in studiis vero theologicis S. Thomas explicite nominabatur et quidem in munere penetrationis speculativae, ubi quam maxime excellit.

In disceptatione schematis mense Novembris 1964 in Aula Conciliari habita iterum apparuit non parva discrepantia opinionum.

In Modis deinde a Patribus propositis multi quaesiverunt ut mentio explicita fieret S. Thomae etiam in nr. 15 de studiis philosophicis, tamen modo valde diverso. Fere centum Patres (cf. Modos 1, 1 a; 2, 2 a-b; [89]
3, 3 a-k) expostulabant ut alumni ante omnia philosophiam perennem qualis praesertim ab Angelico Doctore elaborata est, sedulo addiscerent. 117 Patres vero (cf. Modum 15) animadverterunt philosophiam thomisticam propter multas rationes a Concilio imponendam non esse; disciplinas philosophicas potius tradendas esse « attentis tam eis rebus quae in patrimonio Ecclesiae, praesertim in philosophia S. Thomae adhuc hodie valent, tam eis rebus hodiernae indagationis philosophicae quae verae et solidae probatae sunt ».

Alii Patres (Modi 9 et 12) proponebant tantum ut alumni « sanae » philosophiae, tam veterum quam modernorum, principia clare perspicerent eiusque cohaerentem synthesim pro viribus acquirerent ». Alii singuli aliter.

Circa studia theologica 159 Patres (Modi 13, 13c, 13d) petiverunt ne systema vel doctrina S. Thomae imponeretur, sed potius proponeretur S. Thomas in sua habitudine scientifica et spirituali ut praeclarum

[89] exemplar indagatoris et creatoris in materia theologica; alii (Modi 12b-12k) postulaverunt ut una cum S. Thoma alii praeclari doctores nominatim commendarentur; alii (Modi 12, 12a-12e) ut diceretur « praesertim S. Thoma magistro », ne viderentur excludi alii Doctores ab Ecclesia probati; alii denique (Modi 14, 14a-14e) postulaverunt ut S. Thomae nomine ablato, commendarentur in genere Sancti Ecclesiae Doctores.

Iuxta notificationem in fine III sessionis Concilii factam ab Exc.mo Secretario Generali Patres poterant mittere suas animadversiones de schematibus usque ad 31 Ianuarii 1965. Intra hos temporis limites ad nostram Commissionem pervenerunt vota 31 Patrum quibus quaerebatur « ut schemata de Institutione Sacerdotali et de Educatione Christiana, iuxta plus quam centum documenta Romanorum Pontificum ita perficerentur ut doctrina S. Thomae saltem in suis principiis, nedum in S. Theologia, sed et in Philosophia tradenda in omnibus scholis catholicis sancte servaretur ». Exacto tempore utili, usque ad medium mensem Iunii alii 420 Patres idem votum transmiserunt; ex quibus varii iam in aula ad nr. 15 Modum de S. Thoma in studiis philosophicis explicite nominando proposuerant.

Quae cum ita essent, Commissio censuit textum schematis quod ad explicitam S. Thomae commendationem attinet, relinquendum esse in statu quo iam plus quam duabus tertiis partibus Patrum placuerat. Evitata est in nr. 15 locutio « philosophia perennis », quia pluribus visa est ambigua; urgetur vero momentum « patrimonii philosophici perenniter validi », in quo ipsa S. Thomae principia significari Commissio intellexit. In nr. 16 autem retenta est expressio « S. Thoma magistro », qua vero — iuxta Commissionis mentem — alii Doctores ab Ecclesia probati non excluduntur, quippe quorum auxilio, ipso S. Thomae teste, S. Theologia tantopere profecerit. Hac nota praevia respondetur omnibus
[90] Modis de S. Thoma agentibus. De cetero autem in nn. 15 et 16 plura in Modis observata acceptata sunt, quibus textus magis dilucidus et completus redditur.

1 — *87 Patres*: Proponunt ut dicatur: « Philosophiae disciplinae ita tradantur, ut alumni ante omnia philosophiam perennem qualis praesertim ab Angelico Doctore elaborata est, sedulo addiscant, eius synthesim apprime perspiciant atque firmam convictionem acquirant ipsam esse immutabilis veritatis congruam expressionem atque sacrae Theologiae egregium adiuvamen; alia quoque ... ».

R. — Ad hunc Modum sicut ad Modos 1a, 2, 2a, 3, 3a-k, 4, 5, 6, 6a vide notam praeviam, pagg. 88 ss.

1 a — Idem ab *1 Patre* proponitur, adiunctis autem verbis: « Attamen reiiciantur doctrinae illae, quas, ut dicit Theol. Bartida, quidam cum propriis humeris ferre non possint, Sancto Thomae imponunt, ipso Angelico Doctore manibus pedibusque renuente ». [90]

2 — *1 Pater*: Doctrina Sancti Thomae Aquinatis, studiorum Ducis, tam in philosophia quam in theologia firmiter teneatur, secundum Sanctae Sedis praeceptum, a Summo quoque Pontifice Paulo VI, nuperrime confirmatum ».

2 a — *1 Pater*: Sub nn. 15 et 16 non timide sed aperte fiat mentio de excellentia philosophiae scholasticae S. Thomae Aquinatis. Ipsa enim est, iuxta doctrinam a SS. PP. pluries traditam, medium validissimum ad scientiam theologicam apte enucleandam. Non decet Concil. Vat. II a mente R. Pontificum dissentire.

2 b — *1 Pater*: In pag. 15, lin. 8 (pag. 17, lin. 35) post verbum « acquirant » addatur: « doctrinam S. Thomae, secundum placita Summorum Pontificum, adamussim servando ».

3 — *2 Patres*: Dicatur: « ... perennis philosophiae principia, *rationem et doctrinam secundum mentem S. Thomae Aquinatis clare perspiciant* ... ».

3 a — *1 Pater*: Dicatur: « Philosophicae disciplinae ita tradantur *secundum S. Thomae rationem, doctrinam et principia,* ut alumni perennis ... ».

3 b — *1 Pater*: Post verbum « acquirant » addatur: « profunda et clara ratione iuxta methodum sancti Thomae ». [91]

3 c — *1 Pater* proponit ut etiam in hoc numero de studiis philosophicis nominetur et commendetur doctrina S. Thomae Aquinatis, dicendo v. g.: « ... perennis philosophiae principia, *duce S. Thoma Aquinate,* clare perspiciant ... ».

3 d — *2 Patres* proponunt ut addatur verbum: « iuxta S. Thomam ».

3 e — *1 Pater* dicit: Explicite nominato S. Thoma, eiusdem philosophia perennis praesentetur uti philosophia *profunde* addiscenda ab alumnis qui, suo tempore, aggredi debent studia theologica: alia quoque systemata, etc. (ut in textu).

3 f — *1 Pater*: In luce ponatur *Doctor Angelicus* tamquam magister insuperabilis in principiis apprehendendis sanae philosophiae hodie, proh dolor! tam parum cognitae, speciatim si agatur de alumnis, ut in casu nostro, postea scientia theologica imbuendis.

[91] 3 g — *1 Pater*: Post verba « perennis philosophiae principia » addatur: « *secundum sanctum Thomam et eius* discipulos modernos, clare ... ».

3 h — *1 Pater*: Post verbum « acquirant » haec vel similia verba addantur: « *Philosophia Thomistica principatum tenet in Ecclesia* ».

3 i — *1 Pater* dicit: Alumnis Seminariorum detur formatio iuxta philosophiam perennem cuius melior Magister est S. Thomas. Vitanda est quaevis theoria qua minuatur certitudo veritatis obiectiva et imbuantur doctrina catholica. Vitetur quaevis theoria quae neget certitudinem peccati in mundo post lapsum primi parentis quo omnis humanitas infecta est et existentia inimici (diaboli) contra Deum positi. Imbuantur spiritu caritatis quo sint dispositi ad omne sacrificium pro Christo et pro hominibus quos Deus diligit. Aliae philosophiae modernae tantum post completam formationem in vera philosophia et sub lumine verae philosophiae tradantur. Agnoscenda est attractio erroris et sophismatum qua mentes iuvenes afficiuntur. Eorum studium tantum post solidam formationem intellectualem potest fieri sine periculo fidei, ut lugenda exempla nos edocent. Textus prior multum melior erat quam praesens quoad ordinationem studiorum.

[92] 3 k — *1 Pater*: Non imponatur philosophia thomistica in hoc modo, i. e. ex auctoritate, sed ex argumento interno.

4 — *1 Pater*: In pag. 15, lin. 6 (pag. 17, lin. 32) dicatur: « ... ut alumni perennis philosophiae principia ad mentem Scholasticorum Doctorum, quorum laus est in ecclesia Dei, potissimum vero S. Thomae, Doctoris Angelici, et S. Bonaventurae, Doctoris Seraphici, clare acquirant, ... ».

5 — *3 Patres* proponunt ut in lin. 8 (lin. 35) post verbum « acquirant » addatur: « ad rationem et doctrinam Angelici Doctoris, attentis tamen in scientia progressibus ».

6 — *1 Pater*: Textus remaneat ut est; si autem mutatio fiat, dicatur e. g.: « ... ut alumni philosophiae principiis praesertim Scholasticis rite imbuantur ».

6 a — *1 Pater*: Dicatur: « Philosophiae disciplinae ita tradantur ut alumni praeter scholasticae philosophiae principia, eiusdem cohaerentem synthesim acquirant; alia quoque ..., etc. ».

R. — Ad Modos 1-6a supra positos, respondetur in nota praevia expensioni Modorum huius numeri praemissa. [92]

7 — *5 Patres*: In lin. 5 (pag. 17, linn. 32-35) verba « Philosophicae disciplinae ita tradantur, ut alumni perennis philosophiae principia clare perspiciant ... » aut remaneant ut stant, aut, si aliqua mutatio fieri deberet, scribatur: « Philosophiae disciplinae ita tradantur, ut alumni perennis philosophiae principia *de propriis cognitionis humanae rationibus, de Dei natura rerumque ceterarum, de ordine morali et ultimo fine* assequendo clare perspiciant ... ». Ecclesia enim non curam gerit de philosophia perenni propter philosophiam qua talem, sed inquantum relationem habet cum deposito fidei; neque unquam hanc philosophiam perennem identificavit cum systemate unius vel alterius Doctoris; neque unquam omnia et singula principia specifica systematis thomistici qua talis, speciali modo ut veritatem adprobavit.

R. — In textu emendato meta studii philosophici reponitur imprimis in acquirenda solida cognitione hominis, mundi et Dei.

8 — *4 Patres*: In lin. 6 (lin. 33) loco « alumni perennis philosophiae clare perspiciant ... praesertim moderna ... », ponatur: « alumni ab initio philosophiae perennis problemata ac principia communia studeant eorumque cohaerentiam percipere conentur; aliae quoque doctrinae philosophicae praesertim modernae ... ». In fine addatur: « Omnium horum vero studium non est ad hoc [93]
ut sciatur quid homines senserint, sed quomodo se habeat rerum veritas ».

R. — In textu emendato non amplius sermo est de « cohaerenti synthesi » neque affirmatur alumnos debere « clare perspicere » principia philosophiae perennis. Positive vero in textu emendato (paragr. 3) extollitur momentum veritatis quaerendae.

9 — *24 Patres*: Scribatur: « Philosophicae disciplinae ita tradantur, ut alumni *sanae* philosophiae, *tam veterum quam modernorum,* principia clare perspiciant eiusque cohaerentem synthesim *pro viribus* acquirant, alia quoque systemata philosophica, quae in propria natione, etc. ».

1. Vox *perennis* propter suam ambiguitatem displicet;

2. Displicet oppositio, quae in textu habetur, inter philosophiam « perennem » et philosophiam modernorum; quasi scilicet philosophia non semper debeat esse moderna.

3. Cum quodam moderamine, scilicet *pro viribus,* praescri-

[93] bendum est ut alumni cohaerentem synthesim philosophicam acquirant.

R. — Cf. responsum ad Modos 8 et 7.

10 — *4 Patres*: Textus ita immutetur: « Philosophicae disciplinae ita tradantur, ut alumni *non solum* philosophiae *Scholasticae* principia clare perspiciant eiusque cohaerentem synthesim acquirant. *Sed* alia quoque systemata philosophica, praesertim quae in propria natione maiorem influxum exercent, ... cognoscant ». Traditionalis enim philosophia aristotelico-scholastica vix perennis dici potest, vel saltem talis enuntiatio in documento conciliari non exhibeatur; insuper indoli huius schematis magis congruit, ut inculcetur necessitas acquirendi cognitionem illorum systematum philosophicorum, sive modernorum sive vetustorum, quae hodiernos homines afficiunt.

R. — In textu emendato evitatur tum locutio « philosophia perennis » tum locutio « philosophia scholastica », ut excludantur intellectus ambigui. Plures existunt philosophiae scholasticae valde inter se distantes.

11 — *1 Pater*: Deleatur « perennis » et substituatur verbum « christianae ».

R. — Etiam locutio « philosophia christiana » est ambigua.

[94] 12 — *6 Patres*: Numerus sic legatur: « Alumni studio philosophiae auctorum tum veterum tum recentiorum acquirant oportet solidam cognitionem tum hominis tum mundi, in quibus mysterium salutis sese evolvit ».

R. — Huius Modi aequa ratio habetur in textu emendato.

13 — *36 Patres* proponunt, ut *tota propositio denuo redigatur*.

Ratio Modi: Quae in schemate praebentur nullatenus ostendunt verum momentum scientiae philosophicae tum pro ipsa formatione humana alumnorum, tum pro exigentiis pastoralibus « *dialogi* » cum mundo hodierno statuendi. Quinimmo non sufficit ut alumni synthesim tantum sic dictae philosophiae perennis acquirant. Principia enim scholastica quae revera sunt essentialia omnino sunt servanda; sed totus cursus philosophicus Seminariorum funditus est renovandus sub luce authenticae et verae *anthropologiae philosophicae,* quae quidem est centrum totius speculationis hodiernae relate ad moderna problemata philosophorum. Praeterea, in iis omnibus quae studia scholastica respiciunt, mentem prorsus quam litteram schola-

sticorum sequamur, non obliviscentes Sanctum Thomam, in adiunctis vere difficilibus sui temporis, traditionalem doctrinam a maioribus transmissam et renovare et reformare studuisse. – Hoc quoque est notandum: methodus docendi ita disponatur ut semper sedulo servetur nexus inter philosophiam et problemata realia vitae nec non et problemata quae alumnorum mentes semper movent. [94]

R. — Providetur in textu emendato, imprimis in paragrapho 3 noviter addita.

14 — *12 Patres* proponunt, ut post verbum « acquirant » addatur « discant actuositatem anthropologiae inspirationis christianae ad colloquium cum hominibus hodiernis ».

R. — In textu emendato sermo fit de apta praeparatione ad colloquium cum hominibus modernis (1 paragrapho) et de connexione opportune aperienda inter quaestiones philosophicas et mysteria salutis (paragrapho 3).

15 — *117 Patres*: Loco textus numeri decimi quinti, sequens vel similis textus introducatur: « Philosophicae disciplinae tradantur, attentis eis rebus quae in patrimonio philosophico Ecclesiae praesertim in illo Divi Thomae adhuc hodie valent, eisque rebus hodiernae indagationis philosophicae quae verae ac validae sunt. Vitando ergo tum amorem caecum erga res praeteritas, tum immoderatum studium novitatum, alumnis tradatur [95]
synthesis philosophica cohaerens ac solida. Alumnis sedulo inculcetur amor veritatis rigorose demonstratae: numquam enim demonstratio vera et certa rationis contradicere potest veritatem fidei recte intellectam. Discant tandem alumni claram distinctionem inter rem philosophicam et fidem iustamque autonomiam utriusque observare necnon primatum fidei christianae quam numquam doctrina philosophica contradicere licet, agnoscere ». (Ex his 117 Patribus unus proponit textum, quibusdam quoad modum dicendi mutatis). – *Sensus* huius emendationis:

1) Verbum « *philosophia perennis* » est ambiguum et debet vitari a Concilio.

2) Impossibile est rogare ut alumni principia et synthesim cohaerentem *philosophiae scholasticae* acquirant. Non est enim unica philosophia scholastica.

3) Non oportet ut *imponatur* a Concilio *philosophia thomistica* propter multas rationes. Inter has rationes praecipua

[95] est ipsa natura inquisitionis philosophicae quae non ex auctoritate sed ex studio rerum procedit. Praeterea, imponere hanc philosophiam omnibus alumnis omnium regionum mundi gravia incommoda secumfert.

4) Normae in hoc « Modo » propositae melius naturam investigationis philosophicae observant. Sunt prudentes, rationem habent patrimonii philosophici Ecclesiae et etiam commendationum Summorum Pontificum erga doctrinam Divi Thomae.

R. — Circa S. Thomam conferatur nota praevia in initio nr. 15. Ceterum textus emendatus quaerit rationem habere eorum quae hic postulantur.

15 a — *3 Patres* eundem modum proponunt, sic leviter mutatum: « Philosophiae disciplinae tradantur, ratione habita valorum perennium patrimonii philosophici Ecclesiae necnon hodiernarum indagationum philosophicarum. Vitatis ergo tum amore caeco rerum praeteritarum tum immoderato studio novitatum, alumnis tradatur synthesis philosophica cohaerens ac solida. Alumnis sedulo inculcetur amor veritatis rigorose demonstratae: numquam enim demonstratio vera et certa rationis contradicere potest veritatem fidei recte intellectam. Eisdem alumnis tandem doceatur claram distinctionem inter rem philosophicam et fidem iustamque autonomiam utriusque observare necnon primatum fidei christianae quam numquam doctrina philosophica contradicere licet, agnoscere ».

[96] R. — Apta ratio habetur in textu emendato.

16 — *1 Pater*: In lin. 11 (lin. 38) post verbum « cognoscant », addatur: « etiam in hoc ipsius S. Thomae veri sectatores ». Praesertim si alicubi mentio S. Thomae inseratur, hoc addendum est ne obliviscamur S. Thomam totum incubuisse in philosophia sui temporis cognoscenda, ita ut traditione platonica aliquatenus neglecta, aristotelismum amplexerit, neque solum ut melius philosophiam perennem excoleret, sed etiam ut dialogum cum mundo atheo sui temporis aperiret. Item dicendum de progressu scientiarum, pro discipulo S. Alberti Magni. Sic actualitas S. Thomae non limitaretur iis elementis quae non ipse, potius eius discipuli, non raro impares, in nostris textibus dicunt.

R. — Videatur nota praevia ad nr. 15.

AD NUM. 16. [96]

1 — *13 Patres*: Assensus datur huic numero, sed profundior desideratur elaboratio quia actuali redactioni subiacet quidam conceptus nimis materialis theologiae in sua distributione: primum revelatio obiectiva in Scriptura; secundo Patres qui reflexiones transmittunt de veritatibus; tandem theologia speculativa proprie dicta. Haec conceptio nocere potest unitati theologiae; de facto, omnis theologia, etiam biblica vel patristica est speculativa sed semper involvitur in mysterio Traditionis viventis. Quaestio haec est maximi momenti ut vitentur difficultates oriundae in Seminariis inter lectiones exegeseos et lectiones dogmaticae: hae difficultates iam sunt notae et suas repercussiones habuerunt in discussionibus conciliaribus.

R. — In textu innuitur saltem punctum in quo singulae disciplinae theologicae ex intrinsecis rationibus proprii cuiusque obiecti scientifice considerati conveniunt. Hoc punctum est historia salutis in vita Ecclesiae semper in actu, ut praecipue in magnis thematibus biblicis apparet. Nam omnes disciplinae theologicae ex intrinseca ratione proprii obiecti formalis debent explicare historiam salutis, quae est semper in actu; quod idem est ac dicere, explicare Deum — et alias res in ordine ad Deum — prout se manifestat in historia salutis. Singulae autem disciplinae hoc faciunt proprio cuiusque modo. Insuper tota inquisitio theologica (sive sit ordinis philologici sive historici sive philosophici) procedit ex intrinseca luce fidei. Exinde servatur unitas theologiae. Ceterum ea quae in hoc nr. 16 disponuntur,
concordiae inter lectiones exegeseos et theologiae dogmaticae [97]
promovendae quam maxime conferre poterunt.

2 — *1 Pater*: profundius elaboretur hic numerus, ut melius appareat unitas theologiae, quae in unitate obiecti fidei fundatur, nec per diversas disciplinas evacuari debet.

R. — Vide textum emendatum.

3 — *1 Pater*: textus prior huius numeri restauretur, additis tamen duabus commendationibus de Theologia oecumenica et de aliis religionibus cognoscendis.

R. — Novus textus ditior respondet plurimorum Patrum desideriis.

4 — *1 Pater*: Pag. 15, lin. 35 (pag. 18, lin. 5) post verba « ita tradatur » addatur: « *modo scientifico* ».

[97] R. — Iam supponitur.

5 — *1 Pater*: In lin. 36 (pag. 18, lin. 7) post verbum « haustam » addatur: « sub lumine fidei » ita ut verba sic sonent: « ut doctrinam catholicam ex divina revelatione accurate haustam sub lumine fidei profunde penetrent ». On ne saurait trop insister sur le rôle de la foi dans l'étude de la théologie. Le système actuel me parait désastreux pour la formation de l'étudiant. En effet, on propose une thèse: v. g. que Dieu est un en trois personnes, et ensuite on « prouve » cette thèse par des textes. On aboutit ainsi à un rationalisme desséchant. A la fin de ses études l'étudiant a tout « prouvé » par des raisonnements; mais il ne sait vraiment rien, car seule la Foi nous permet de « savoir » le mystère et de le communiquer aux autres. Il est urgent d'imposer un enseignement de la théologie qui soit basé sur la Foi « Fides quaerens intellectum ».

R. — Providetur in textu emendato, pag. 15, lin. 32.

6 — *1 Pater*: In lin. 40 (pag. 18, lin. 10) loco « Sacrae Scripturae » dicatur: « Sacrae Scripturae atque Sacrae Traditionis studio ». Pag. 16, lin. 5 (lin. 15) loco « et in Sacris Scripturis quotidie legendis » dicatur: « et in Sacris Libris quotidie legendis ».

R. — In secunda paragrapho sermo est de Sacra Scriptura in particulari. Altera emendatio proposita accipitur.

7 — *50 Patres*: Pag. 16, lin. 7 (pag. 18, lin. 18) loco « dogmatici » dicatur: « *theologici* »; non omnia enim, quae in istis tractatibus
[98] docentur, sunt dogmata. – 10 Patres sequentem Rationem addunt: Praeterea non multum placet illa distinctio inter theologiam dogmaticam et theologiam moralem; una est scientia theologica quae unum scilicet Mysterium respicit: i. e. Mysterium Dei in Christo hominibus revelatum et communicatum et in ipsa activitate (seu in modo agendi) ab hominibus sub ductu Spiritus participandum.

R. — Observatur in hoc numero modus loquendi in usu ecclesiastico vigens et ab ipso Concilio iam adhibitus. Cf. Constitutionem de Sacra Liturgia art. 16.

7 a — *8 Patres*: secundum Modum supra positum ultima sententia sic emendetur: « Ceterae quoque *cursus theologici* disciplinae ... ».

R. — Mutatio non est necessaria.

7 b — *2 Patres*: secundum eundem modum (nr. 7) linn. 25-27 (linn.

34-36) deleantur, quia « ceterae disciplinae » sub nomine Theologiae, vel tractatuum theologicorum iam comprehenduntur. [98]

R. — Sicut ad Modum 7.

8 — *2 Patres*: Pag. 16, lin. 7 (pag. 18, linn. 17-19) dicatur: « Singuli tractatus dogmatici ita disponantur ut ante omnia *proponatur Ecclesiae doctrina ex sacro Magisterio hausta,* eaque demonstretur *ex sacra Scriptura et sacra Traditione* ».

R. — Omnia fiunt sub ductu Magisterii. Sed Sacra Scriptura et Traditio non ea sola ratione considerandae sunt, ut probetur doctrina Magisterii; sed ut semper melius aperiantur inexhauribiles divitiae in sacro Revelationis deposito contentae.

9 — *1 Pater*: In lin. 9 (pag. 18, lin. 19) addatur: « quid Patres, tum Orientales, tum Occidentales ».

R. — Accipitur. Vide textum emendatum, pag. 16, lin. 9.

9 a — *1 Pater*: post verba « themata biblica proponantur » dicatur: « quid Patres Ecclesiae aeque ab Oriente et Occidente tam mirabiliter ad singulas Revelationis veritates ... ».

R. — Accipitur saltem ad partem; vide textum emendatum.

9 b — *1 Pater*: addatur: « quid Patres et Doctores, tum latinae tum orientalis Ecclesiae, ad singulas ... ».

Ratio: *a*) Sic melius intelligitur sensus non exclusivus illius assertionis « S. Thoma magistro » ab aliquibus Patribus non [99] adprobatae;

b) Thesaurus traditionis et theologiae Orientalium explicite uno verbo commendatur.

R. — Sicut ad Modum 9 a.

10 — *1 Pater*: In meliore luce ponatur momentum historiae ecclesiasticae ad veritates dogmaticas intelligendas, ita ut in horariis scholasticis conficiendis, congruus numerus horarum assignetur et docentes seligantur qui sint vere competentes tam in theologia dogmatica proprie dicta, quam in historia ecclesiastica.

Circa docentes Sacram Scripturam advertendum est ut perfecta ortodoxia refulgeant, et in omnibus quaestionibus disputatis, semper Magisterio Ecclesiae et Summorum Pontificum humiliter et sincere adhaereant.

R. — De historia ecclesiastica in textu emendato explicitius fit sermo. De Magisterio Ecclesiae agitur in ipso exordio huius numeri.

[99] 11 — *1 Pater*: non timide sed aperte fiat mentio de excellentia philosophiae scholasticae *S. Thomae Aquinatis;* ipsa enim est, iuxta doctrinam theologicam apte enucleandam. Non decet Concilium Vaticanum II a mente S. R. Pontificum dissentire.

R. — Vide notam praeviam ad nr. 15, pag. 88 ss.

11 a — *4 Patres*: loco « S. Thoma magistro » ponatur: « S. Thoma Communi Doctore magistro ... ». Addendo « Communi Doctore » agnoscitur titulus ei a saeculis concessus et a Summis Pontificibus approbatus et proclamatus in solemnioribus Sanctae Ecclesiae documentis. – Aquinas saepe saepius confunditur cum aliquibus eius commentatoribus et doctrinam suam in systema quoddam abducentibus; exinde manualia, quae magis magisque vacua in verba declinant. Caveamus. Iudicium nostrum iudicabitur, non solum a Deo, quod tremendum est, sed et ab humana historia. Etiam nostris diebus, ipse Divus Thomas maiore gaudet aestimatione apud doctissimos non catholicos necnon apud non Christianos quam apud catholicos quosdam eum respuentes, communius caeca auctoritate aliorum qui nec ipsi eum umquam studiose legerunt et manualium decoctionibus tantum imbutos.

R. — Vide notam praeviam ad nr. 15.

[100] 11 b — *1 Pater*: post verba « S. Thoma » addantur verba: « doctore communi Ecclesiae ». – Non convenit imponere S. Thomam ut magistrum quin indicetur saltem breviter ratio illius praecepti. Atqui ratio fundamentalis est quod, dum alii sunt doctores particulares in Ecclesia, S. Thomas solus proclamatur doctor communis ab ipsis Summis Pontificibus.

R. — Sicut ad Modum 11.

11 c — *1 Pater*: nomen sancti Thomae omnino servetur, immo augeri potest aliis doctoribus S. R. Ecclesiae. Perdolosa est pugna contra S. Thomam! (aliqui Em.mi et Rev.mi Patres quando inter suos habebunt ingenium humanum simile Aquinati, id proponant ... Usquedum non sit, relinquant Aquinatem maximum et eximium Doctorem).

R. — Sicut ad Modum 11.

11 d — *1 Pater*: addatur: « Sancto Thoma in methodo concordandi revelationem et veram scientiam omnium magistro ».

R. — Sicut ad Modum 11.

12 — *16 Patres*: Pag. 16, lin. 16 (pag. 18, lin. 26) dicatur: « ... *praesertim* S. Thoma magistro ». – Tale monitum melius correspondet facto quod S. Thomas inter ceteros quidem Doctores ab Ecclesia probatos et non excludendos eminet. [100]

R. — Vide notam praeviam ad nr. 15. Insuper iuxta mentem Commissionis alii Doctores ab Ecclesia probati minime excluduntur. Quae responsio valet etiam pro sequentibus Modis 12 a-l.

12 a — *1 Pater*: addatur: « praesertim S. Thoma magistro »; ne excludantur alii Doctores.

12b — *1 Pater*: dicatur: « Magnis Doctoribus, speciatim S. Thoma magistris ».

12 c — *1 Pater*: loco « S. Thoma magistro » dicatur: « speculationis, prout S. Thomas aliique magistri catholici fecerunt ».

12 d — *1 Pater*: post verba « ea ope speculationis S. Thoma magistro » adiciantur saltem verba: « *aliisque magnis Ecclesiae doctoribus et theologis* ».

12 e — *1 Pater*: dicatur « ... ope speculationis, *ducibus Sancto Thoma aliisque Doctoribus quorum laus est in Ecclesia,* intimius penetrare ... », etc. [101]

Non videtur opportunum neque conveniens *unum S. Thomam* tanquam Magistrum nominare, nam:

a) eiusmodi exclusivitas aliena est a praxi aliorum Conciliorum;

b) ad progressum scientiae philosophicae et theologicae etiam alii Doctores eximiam contulerunt operam;

c) immo, haud paucae doctrinae philosophicae et theologicae ab aliis Doctoribus (e. g. S. Augustinus, S. Bonaventura, Ven. D. Scoto, Suarez, etc.) pleniorem obtinuerunt explicationem;

d) defensio et illustratio christianae doctrinae non potest principiis philosophicis unius tantum Doctoris inniti.

12 f — *1 Pater*: dicatur « ea ope speculationis, Scholasticis Doctoribus magistris, quorum laus est in Ecclesia, potissimum S. Thoma et Bonaventura ... ».

12 g — *5 Patres*: aut verba « S. Thoma Magistro » deleantur aut scribatur: « S. Thoma, S. Bonaventura aliisque Doctoribus, quorum laus est in Ecclesia, magistris ... ». - S. Thomas princeps

[101] scholasticorum ab Ecclesia proclamatus est, sed in eadem Encyclica *Aeterni Patris* legitur: « Aliique scholasticorum Principes » (cf. Gasparri, *Fontes,* III, n. 578, p. 144). Deinde: « Theologia scholastica quam duo potissimum gloriosi Doctores, Angelicus S. Thomas et Seraphicus S. Bonaventura ... excoluerunt ». S. Pius PP. X, non raro locutus est de principibus scholasticorum et de S. Bonaventura hanc adhibet expressionem « Princeps scholasticorum alter ».

Pius PP. XI, in Encyclica *Studiorum Ducem* diffuse affert textus ex celeberrima bulla *Triumphantis Hierusalem* in qua sollemniter S. Bonaventura inter « primarios ac praecipuos » Ecclesiae Doctores adnumeratus est. Neque oblivioni dandus est Venerabilis Ioannes Duns Scotus, Dux scholae franciscanae, qui post Concilium Tridentinum suas cathedras habuit in omnibus fere Universitatibus catholicis Europae una cum cathedris Divi Thomae (cf. Lampen W., *B. Ioannes Duns Scotus et Sancta Sedes,* Ad Claras Aquas 1929, p. 35).

Haec omnia melius quadrant cum notissimis verbis Pii XI in Encyclica *Studiorum Ducem,* nempe: « neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet quisquam prohibendus
[102] est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur » (cf. *A.A.S.,* XV [1929], pp. 323-324).

12h — *1 Pater*: Ratione habita oppositionis acerrimae in Aula Conciliari, verbis « S. Thoma Magistro », quae quendam exclusivismum sapiunt, aequius dici potest: « S. Thoma, *S. Bonaventura aliisque Doctoribus, quorum laus est in Ecclesia,* magistris ... ».

12i — *1 Pater*: in propos. 16a, commendatur magisterium Sancti Thomae in penetratione speculativa mysteriorum salutis. Optime et grato animo Concilium recognoscit magna merita eximiamque exemplaritatem Sancti Thomae, sed difficile intelligitur quomodo in Synodo Oecumenica, quae praesertim de unitate christianorum cogitat, clericis totius orbis terrarum ex diversis ritibus atque culturis et scholis, unicum magistrum commendet, cum sint in Ecclesia alii doctores et magistri qui clarescunt et clarescere possunt cum nostro optimo ac veneratissimo magistro Sancto Thoma. Proinde dicatur: « *magnis Ecclesiae Doctoribus magistris, praesertim Sancto Thoma et Sancto Augustino* ».

12k — *1 Pater*: deleantur verba « S. Thoma magistro » et dicatur: « Sub duce S. Thomae ac probatorum Theologorum ». [102]

12l — *5 Patres*: deleantur verba « S. Thoma magistro » vel saltem dicatur: « Praesertim S. Thoma magistro et exemplo ».

Non obstantibus tot enuntiationibus Pontificiis tantaque aestimatione, S. Thomas nunquam unicus magister et doctor S. Theologiae exstitit vel habitus est.

R. — Ad Modos 12 a-l vide supra ad Modum 12.

13 — *1 Pater*: loco « S. Thoma magistro » dicatur: « *ad exemplum* S. Thomae ».

R. — Vide notam praeviam ad nr. 15. Insuper exemplaritas S. Thomae omnino agnoscitur, sed in documentis pontificiis plus affirmatur.

13a — *1 Pater*: loco « S. Thoma magistro » proponit « S. Thoma *exemplari* ».

R. — Sicut ad Modum 13.

13b — *116 Patres*: *a*) In linn. 16 s. (lin. 26) deleantur verba « S. Thoma magistro ». [103]

b) loco illorum verborum, ponatur in fine paragraphi: « Ecclesia catholica proponit sanctum Thomam ut magistrum et exemplar omnium eorum qui scientias theologicas colunt ».

Systema vel doctrina sancti Thomae non imponatur, sed potius proponatur sanctus Thomas in sua habitudine scientifica et spirituali, ut praeclarum exemplar indagatoris et creatoris in materia theologica; qui sui temporis scientiam ad utilitatem Evangelii convertit.

Certissime, haec emendatio non tendit ad spernendam vel parvifaciendam doctrinam sancti Thomae. Volumus tantum melius in tuto ponere necessarium dynamismum investigationis theologicae qui quidem cum mente Divi Thomae perfecte congruit. Praeterea sic proponendo auctoritatem sancti Thomae, illam extendere possumus omnibus regionibus mundi sine ullo incommodo.

N.B. Unus Pater in secunda paragrapho post verba « ... perfecte congruit », haec addit: « Etiam S. Thomas suo tempore fuit audax novator et a Synodo Parisiensi vel eius episcopo eius doctrina condemnata est ».

R. — Vide Responsionem ad Modum 13. Insuper necessarius dyna-

[103] mismus investigationis philosophicae (in nr. 15) et theologicae (nr. 16) in textu emendato omnino ratus habetur.

13 c — *3 Patres* eundem fere Modum, sed aliquatenus mutatum proponunt:

a) deleantur verba « S. Thoma magistro »;

b) loco illorum verborum ponatur in fine paragraphi: « Ecclesia catholica illum sanctum Thomam, qui scientiam sui temporis tam praeclare convertit ad Evangelii servitium ut magistrum et exemplar proponit omnibus qui theologicam scientiam colunt ».

R. — Sicut ad Modum 13.

13 d — *40 Patres*: Deleatur « S. Thoma magistro » et periodus sic emendetur: « deinde ad mysteria salutis integre quantum fieri potest illustranda, ea ope speculationis *theologicae* intimius penetrare eorumque nexum perspicere alumni discant ».

Secundum eosdem 40 Patres, duobus aliis accedentibus, in lin. 27 (lin. 36) post peculiare monitum circa ceteras theologicas disciplinas, addatur: « *In studiis autem excolendis alumni prae oculis semper habeant exemplum S. Thomae Aquinatis*
[104] *qui ut vir sapiens ac prudens doctrinam traditionalem Ecclesiae novis sui temporis necessitatibus adaequavit* ».

R. — Sicut ad Modum 13.

14 — *4 Patres*: Auferantur verba « S. Thoma magistro ».

Rationes: 1) Concilium non debet proponere magistrum nisi Iesum Christum Dominum nostrum.

Alter Pater addit sequentes Rationes:

2) Homines et systemata cum tempore transeunt.

3) Ansa datur ut de inoboedientia vel de haeresi accusentur qui S. Thomam non sequantur, cum iactura caritatis.

R. — Vide notam praeviam ad nr. 15. Insuper considerandum est, plurimos Patres explicitam mentionem S. Thomae petivisse. Actuatio Thomismi, quam Ecclesia intendit, de cetero non simpliciter historica nec statica, sed synthetica et dynamica intelligenda est.

14 a — *23 Patres*: In linn. 16 ss. (linn. 25-28) scribatur: « ... ea, *sanctis in Ecclesia doctoribus praeviis,* intimius penetrare eorumque nexum perspicere alumni discant, etc. ».

Rationes: 1) Vocabula « ope speculationis » displicent, et sunt superflua. [104]

2) Non convenit systema thomisticum in tanto documento praeferre prae aliis Scholis approbatis, sicut augustiniana vel bonaventuriana.

3) Non convenit Orientalibus, qui propria traditione theologica et propriis doctoribus gaudent, imponere theologiam occidentalem. Idem vero valet quoad novellas Ecclesias, quae debent quaerere conceptionem theologicam propriae menti ac culturae adaptatam.

R. — Sicut ad Modum 14. Insuper munus speculativum theologiae recolendum est. Neque negari potest doctrinae S. Thomae in documentis Ecclesiae dari locum praecipuum. De Patribus Ecclesiae orientalis in textu emendato explicite sermo fit.

14 b — *2 Patres*: Scribatur: « deinde ad mysteria salutis integre quantum fieri potest illustranda, ea, *sanctis Patribus et in Ecclesia doctoribus praeviis,* intimius penetrare eorumque nexum perspicere alumni discant », etc.

R. — Sicut ad Modum 14 a.

14 c — *8 Patres*: Loco verborum « St. Thoma magistro » sic legatur: « vestigia sanctorum in Ecclesia tam Orientali quam Occidentali doctorum prementes ». Non intelligitur, cur St. Thomas modo [105]
exclusivo magister nominetur. Neque praetermittendi sunt doctores orientales neque St. Augustinus, St. Bonaventura, etc.

R. — Sicut ad Modum 14 et 14 a. Iuxta notam praeviam ad nr. 15 alii Doctores secundum mentem Commissionis non excluduntur.

14 d — *7 Patres*: Dicatur: « ... ope speculationis, *ducibus Magistris quorum laus est in Ecclesia* » (vel) « *ad mentem Doctorum quorum laus est in Ecclesia,* intimius, etc. ». Rationes afferuntur fere eaedem ac in Modo 12 e.

R. — Sicut ad Modos 14 et 14 a.

14 e — *2 Patres*: Dicatur: « ... ope speculationis, *ducibus Magistris seu Doctoribus quorum laus est in Ecclesia,* intimius... ». Rationes sicut in Modo 12 e.

R. — Sicut ad Modos 14 et 14 a.

15 — *1 Pater*: Loco « in cultu » dicatur « *in liturgia* » vel « *in liturgicis actionibus* ».

Ratio: Agitur non tantum de aspectu latreutico liturgiae,

[105] sed etiam, immo praecipue de aspectu salvifico. Vox «cultus» saepe quidem accipitur ut synonymum liturgiae, quia S. Thomas de iis, quae hodie comprehenduntur sub voce liturgiae, et de aliis rebus egit in parte morali Summae Theologicae: cultus ut actus virtutis religionis. Sed Constitutio de S. Liturgia generatim et speciatim art. 7 reservat vocem cultus recte secundum etymologiam pro aspectu latreutico. Cf. etiam propositiones 4 et 19.

R. — Accipitur emendatio proposita; in textu emendato dicitur « in actionibus liturgicis ».

16 — *1 Pater*: Quod in huius numeri inscriptione dicitur de institutione theologica communicanda integra, harmonica et vitali mihi multum placet. Referentia autem facienda est ad *Constitutionem de Liturgia,* n. 16, ubi agitur de liturgia docenda ut una ex disciplinis maioribus.

R. — Accipitur. Vide textum emendatum.

16a — *37 Patres*: « Disciplina de S. Liturgia inter disciplinas principales locum teneat, ita ut sacerdotes in pastorali labore S. Liturgiam tanquam fontem simul ac culmen totius vitae Ecclesiae tam verbo quam opere ostendere queant. Curent insuper
[106] omnium disciplinarum magistri ita mysterium Christi paschale et salutis historiam excolere ut intima earum connexio cum liturgia aperte clarescat atque sacerdotalis institutionis unitas manifestetur ».

R. — Sicut ad Modum 16.

16b — *1 Pater*: In lin. 27 (pag. 18, lin. 36) addatur: « Inter eas praecipuum locum disciplina de *S. Liturgia* obtineat, cum qua intima aliarum disciplinarum connexio perpetuo vigens unitatem institutionis sacerdotalis manifestet et firmet ».

R. — Textus emendatus remittit ad articulos 15 et 16 Constitutionis De Sacra Liturgia, ubi luculenter ea enuntiantur quae in hoc Modo postulantur.

17 — *48 Patres*: In fine primae paragraphi addatur: « *et sub lumine Historiae Salutis tradantur* ». Solummodo sic possibile erit illud quod in exordio paragraphi exoptatur, scilicet: scientia sacra ita tradatur ut alumni ... propriae vitae spiritualis reddant, ... annuntiare, exponere atque tueri valeant.

R. — In nr. 14, paragrapho 1 hoc iam postulatur. Insuper in textu emendato huius numeri 16, paragr. 4, postulatur ut (una cum

Theologia Dogmatica) ceterae theologiae disciplinae ex vividiore cum Mysterio Christi et historia salutis contactu instaurentur. [106]

18 — *43 Patres*: In fine primae paragraphi addatur: « *et sub lumine Historiae Salutis tradantur. Quoad studia autem Theologiae Moralis magistri omnes suas vires impendant ut methodus illa nimis casuistica vitetur quae omnino sterilis est quaeque nexum Theologiae Moralis cum Doctrina Revelata non ostendit* ».

R. — Ratio habetur in textu emendato, sed modo dicendi magis positivo. Indirecte affirmatur Theologiam Moralem non debere esse fere exclusive « hamartologicam » neve « casuisticam ».

18 a — *1 Pater*: In lin. 25 (pag. 18, lin. 35) post verba « ... theologicae disciplinae » addatur: « *in primis theologia moralis* ». Coniunctio theologiae moralis cum iure canonico ob rationes practicas peracta effecit ut lectio theologiae moralis nimis canonistica evaserit: denuo vera lectio theologiae deveniat. In quantum fieri potest, alter sit professor theologiae moralis, alter vero iuris canonici.

R. — Sicut ad Modum 18.

18 b — *1 Pater*: Cum ceteris disciplinis instaurandis etiam theologia *moralis* renovanda est. Principia aeterna ex lege divina fluentia immutabilia quidem sunt. Possunt autem meliore modo exprimi atque accommodari huic aetati et progressui scientiarum naturalium. Evitanda est tentendia quae multiplicat peccata aut ex levibus facit gravia. Ea tantum dicenda sunt sub gravi obligare quae vere et certe ex communi consensu gravia sunt. Recognoscendus est tractatus de sexto decalogi praecepto, attentis sanis principiis psychologiae, biologiae, physiologiae, necnon prudenti aestimatione populorum bonae voluntatis. [107]

R. — Textus emendatus principium instaurationis enuntiat, ad peculiaria vero non descendit.

18 c — *1 Pater*: Addatur in fine primae paragraphi: « Quod praesertim valeat de theologia *morali,* quae mediante Novo Testamento intime est renovanda ». Theologia moralis est nimis casuistica et non solvit magna problemata hominis nostri temporis. Ergo ex verbo Dei, in quo omnia continentur, renovetur.

R. — In textu emendato postulatur ut Theologia moralis sit « doctrina Sacrae Scripturae magis nutrita ».

19 — *2 Patres*: In fine primae paragraphi addatur: « *sub ductu Ec-*

[107] *clesiae, eiusque Magisterii praeclaris traditionibus fideliter servatis* ».

Additio haec videtur necessaria, etsi superius semel Ecclesiae Magisterii mentio fit. Nam illic agitur de scientia sacra *tradenda,* hic vero de eadem scientia *instauranda;* quod omnino fieri nequit absque explicita Ecclesiae approbatione.

Altera additio de traditione servanda videtur esse facienda, quo profundius hauriant alumni sensum Ecclesiae et crescat in dies eorum aestimatio erga Summorum Pontificum et S. Hierarchiae Magisterium.

R. — Momentum Magisterii Ecclesiae in initio totius propositionis clare enuntiatum suam vim retinet pro omnibus quae in hac propositione asseruntur. De cetero in textu emendato explicite recurritur ad solemnia ipsius Magisterii documenta, in quibus certo etiam « praeclarae traditiones » fideliter servantur.

19 a — *1 Pater*: In fine paragr. 1 addatur: « *sacris traditionibus servatis* ».

R. — Sicut ad Modum praecedentem.

[108] 20 — *7 Patres*: In fine secundae paragraphi melius scribatur: « *ut melius ad verum dialogum cum fratribus separatis praeparentur* ». Cognitio earum communitatum quae christiano nomine decorantur sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, non tantum apologetice valde utilis est, ut in textu dicitur, sed praeprimis necessaria est ad intelligendas quaestiones apud illas vigentes et aestimandos valores ecclesiales in illis communitatibus praesentes.

R. — Accipitur mens huius Modi, quatenus textus emendatus ad Decretum « de Oecumenismo » remittit.

20 a — *1 Pater*: Oportet secundam paragraphum cum textu « De Oecumenismo » in consensu stare. Nam sicut in textu actuali iacet, mente oecumenica caret. Etenim:

1) « Apostolica Sedes » dicitur etiam de traditionalibus sedibus patriarchalibus. Ideo debet addi vox: « Romana », sicut factum est in decreto « De Oecumenismo ».

2) Communitates orientales sunt verae Ecclesiae. Ideo debet assumi expressio decreti « De Oecumenismo »: « Ecclesiae et Communitates ecclesiales ».

3) In re oecumenica non agitur tantum de Ecclesiarum a nobis seiunctarum cognitione, sed praeprimis de earum doctri-

nae, vitae spiritualis, cultualis, psychologiae religiosae et culturae cognitione, ita ut de iis res melius iudicentur. Ideo potest assumi aliqua expressio decreti « De Oecumenismo »: « accuratius rerum veritati respondeat » (*nr. 10*). [108]

4) Dialogus exigit, sicut monet decretum « De Oecumenismo », ut unusquisque « par cum pari » agat. Atqui non est secundum mentem oecumenicam Seminariorum alumnos praeparare ut fratres christianos seiunctos adiuvent ad prosequendam unitatem. Talis positio paternalismum sapit. Sed alumni ipsi spiritu oecumenico indigent. Sic, secundum prima verba decreti « De Oecumenismo », potest scribi: « unitatis redintegrationis desiderio imbuti ».

5) Non videtur necessaria additio verborum: « quae christiano nomine decorantur ». Nam patet de christianis in hoc loco agi, quoniam illae ab Ecclesia catholica seiunctae sunt.

Proinde paragr. 2 sic legatur: « *Oecumenico spiritu et unitatis redintegrationis desiderio* imbuti, manuducantur alumni ad *cognoscendam doctrinam et vitam Ecclesiarum et Communitatum ecclesialium* ab Apostolica Sede *romana* seiunctarum, *illo modo qui accuratius rerum veritati respondeat* ».

R. — Textus emendatus sequitur apprime mentem ipsasque locutiones Decreti « De Oecumenismo ».

20 b — *1 Pater*: Paragr. 2 sic legatur: « *Alumnorum formatio theologica adaptata sedulo sit exigentiis pastoralibus et oecumenicis regionum in quibus ministerium eorum exercendum erit: alumni regionum ecclesiarum orientalium modo peculiari instituantur in cognitione theologiae Patrum orientis, historiae dogmatum et vitae ecclesiae propriae his regionibus; alumni vero destinandi regionibus reformationis protestanticae in cognitione problematum theologicorum huic motui propriorum, ita ut plenius cognoscant Communitates ecclesiales quae christiano nomine decorantur, sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, ut fratres iuvare possint ad unitatem a Domino nostro expostulatam* ». [109]

Ratio: *a*) Textus optime vult reformare institutionem theologicam Seminaristarum harmonice et vitaliter. Talis formatio autem, ut sit vitalis, non debet praescindere a visione exigentiarum pastoralium futuri ministri veritatis revelatae. Pro eo, formatio theologica erit armatura principalis, post exemplum vitae et orationes, in exercitio quotidiano ministerii sui.

b) Schema « De Oecumenismo » posuit quidem principia

[109] generalia tamquam « orientations », quae tamen practicam actuationem suam attingere debent in hoc capite « De Studiis ecclesiasticis recognoscendis ». Secus deerit connexio et cohaerentia inter varia schemata eiusdem Sacri Concilii.

R. — Accipitur mens huius Modi, addita in textu emendato expressione: « Variarum regionum condicionibus opportune consideratis ».

21 — *1 Pater*: Pag. 16, lin. 35 (pag. 19, lin. 2) dicatur: « id quod boni *ac veri* Deo disponente, etc. ».

R. — Accipitur; vide textum emendatum.

22 — *2 Patres*: Post integrum n. 16 addendum puto: « Ad maiorem et realem clericorum formationem valde utilem immo necessariam existimo erectionem Seminariorum completorum, idest cum omnibus Scholis etiam Philosophicis et Theologicis, in Dioecesibus, quae capacitatem habent ».

Ratio: *a*) In Seminariis Regionalibus formatio Clericorum... non semper bonos fructus dedit et dat...

b) Amor et dilectio Seminarii et ideo Sacerdotii in mentibus laicorum non efformatur sine visione Seminaristarum maioris aetatis... proximorum ad « missam celebrandam ».

R. — Huic desiderio, opportuna adhibita discretione, providetur in nr. 7.

[110] AD NUM. 17.

1 — *1 Pater*: Prima sententia claudatur verbo « recognoscantur », omissis ceteris usque ad « ... incitandum ».

R. — Textus remanere debet, quia tangit quosdam defectus a pluribus notatos.

2 — *1 Pater*: Quaero cur nihil dicatur de *duratione* studiorum philosophiae, theologiae et pastoralis. Post studia humanistica per 9 annos protracta (in Germania), *6 anni* sufficere mihi videntur, ita ut praxis incipiatur 26° anno completo. In curriculo studiorum per 6 annos peracto, componantur theologia, philosophia et pastoralis.

R. — Vi propositionis 1 ab Episcoporum Conferentiis statuenda est « Sacerdotalis institutionis Ratio » in qua etiam duratio variorum curriculorum determinanda erit.

3 — *17 Patres*: Post «*incitandum*» addatur: «*Ut ex institutione tradita in Seminario acquirant pro vita sacerdotali sensum laboris sive personalis, sive cum aliis*». [110]

R. — Additamentum non videtur necessarium, quia iam in textu implicite continentur; cf. insuper nr. 11 et nr. 21.

4 — *1 Pater*: In fine numeri addatur: «Ante omnia meminerint alumni sese aptari debere ad fideles formandos. Studere ergo deberent ad hunc finem melius prosequendum».

R. — Iam in nr. 4 explicite statuitur omnes institutionis rationes ad finem pastoralem esse ordinandas.

AD NUM. 18.

1 — *27 Patres*: Numerus sic incipiatur: «*Salvo principio, secundum quod studia ad sacerdotium quantum fieri potest in propria patria sunt peragenda,* Episcopi curent ut iuvenes, etc.».

Rationes (cf. interventum Exc. Dom. Sani):

1) Ut finis pastoralis institutionis sacerdotalis obtineatur, oportet ut quantum fieri potest studia ante sacerdotium in propria patria peragantur.

2) Bona directio spiritualis difficilius datur in terra aliena, et libertas recedendi facile restringitur.

3) Non convenit Seminaria privari alumnis, qui maiore cum fructu studere praevidentur.

N.B.: 4 ex his Patribus proponunt «Modum», omissis rationibus; duo vero dant *hanc Rationem*: [111]

«Hoc valet praesertim pro novellis Ecclesiis, ne alumni ad sacerdotium initiandi nimis arceantur a sua patria eiusque incolarum traditionum extranei fiant».

R. — Episcoporum est, variorum locorum adiunctis consideratis, iudicare de opportuno tempore, quo alumni ad Facultates et Universitates mittantur. In textu emendato autem urgetur necessitas accuratae selectionis (iuvenes non solum indole et ingenio, sed etiam virtute apti sint) et debitae institutionis spiritualis et pastoralis, «maxime si sacerdotio nondum sint aucti».

1 a — *1 Pater*: Pag. 17, lin. 28 (pag. 19, lin. 20) addantur haec verba: «post expletum totum curriculum Seminarii proprii et post acceptam sacri Presbyteratus ordinationem ...».

Rationes sunt: 1) Formatio seminaristarum debet quodammodo evolvi et perfici usque ad decisionem finalem eorum voca-

[111] tionis, quod tantum in regimine Seminarii dioecesani commode fieri potest.

2) In illis Institutis et Facultatibus, ut patet, maior libertas habetur quam in Seminariis ordinariis; qua libertate iuvenes generatim magis abutuntur quam bene utuntur.

R. — Huiusmodi limitatio non est apodictice praescribenda. In textu emendato autem urgetur peculiaris cura qua huiusmodi alumni, imprimis si nondum sint ad presbyteratum promoti, instituendi sunt sub aspectu spirituali et pastorali.

1 b — *1 Pater*: Post verba « ... ut iuvenes melioris indolis et ingenii » addantur haec vel alia verba: « sive iam sacerdotio aucti sive non ».

R. — Providetur in textu emendato.

1 c — *7 Patres*: Post verba « indolis et ingenii » addatur: « *praesertim et sacerdotes* ».

R. — Sicut ad Modum 1 a.

1 d — *1 Pater*: Laudanda quidem propositio mittendi « iuvenes melioris indolis et ingenii ad Facultates et Universitates ... »; verum haec duo omnino adiciantur et caveantur:

a) Iuvenes melioris indolis, spiritualitatis et ingenii ... ne, scientia inflati, a munere pastorali inter pauperes agendo abhorreant.

[112] *b*) Ad Universitates et Facultates vero *unice* et *exclusive* mittantur:

1) vel post adeptum sacerdotium,

2) vel quando cursum « seminaristicum » nuncupatum integre perfecerunt; nam in pluribus Universitatibus non integra theologia percurritur, sed unum vel aliud tantum argumentum penitus investigandum exponitur.

R. — Ad *a*) In textu emendato additur « iuvenes ... *virtute* ... apti » et urgetur necessitas curandi illorum alumnorum conformationem spiritualem.

Ad *b*) Facultates quae non integrum cursum theologicum praebent, iam in propriis Statutis postulant, ut auditores antea cursum « seminaristicum » absolverint; de cetero cf. Responsionem ad Modum 1.

2 — *1 Pater*: In lin. 28 (lin. 20) legatur: « Universitates *praesertim catholicas et libenter romanas* ». Frequentatio enim in Universitatibus laicis, magistrorum atheistarum, marxistarum, non so-

lum in philosophia, sed in multis « scientiis hominis » grave periculum est. [112]

R. — Episcoporum est condiciones accurate perpendere. Si agitur de studiis sacris, iam patet illa in Facultatibus studiorum ecclesiasticorum peragenda esse. In aliis vero disciplinis peculiares rationes suadere possunt frequentationem alicuius Universitatis ab Ecclesia non dependentis.

2 a — *1 Pater*: Post verba « ... Facultates vel Universitates » addatur: « *imprimis Pontificias* ».

R. — Determinatio nimis particularis.

2 b — *1 Pater*: Dicatur: « ... Facultates vel Universitates, *praesertim Romanas,* mittantur ... ».

R. — Sicut ad praecedentem Modum.

3 — *1 Pater*: Suggero ut aliqua verba addantur de qualitate educationis in iis Institutis et Universitatibus ad quas iuvenes et sacerdotes superioris ingenii mittendi sunt. Dubium existit de qualitate talis educationis quando e. g. plus quam 50 scholares in una classe sunt, quando Professor studentes non cognoscit. Universitates in Urbe e. g. debent favorabiliter comparari cum aliis collegiis et universitatibus per orbem terrarum quoad qualitatem educationis.

R. — Providetur in Declaratione « De Educatione christiana » nn. 9 et 10. [113]

4 — *1 Pater*: Addatur: « Omnino necessarium est has Facultates vel Universitates rationem studiorum reformare ad mentem Constitutionis " De Sacra Liturgia " ». Professores enim Seminariorum in Facultatibus et Universitatibus formantur. Pene inefficax evaderet renovatio studiorum in Seminariis sine pari renovatione in Facultatibus et Universitatibus de re theologica, liturgica et pastorali docentibus.

R. — Iam providetur in ipsa Constitutione « De Sacra Liturgia ».

5 — *1 Pater*: In fine nr. 18 addantur haec verba vel similia: « tamen pro sua prudentia, Episcopi, praecautiones adhibeant in sedibus et institutis seligendis, ne alumni spirituale detrimentum capiant ».

R. — Providetur in textu emendato. Cf. Resp. ad Modum 1.

5 a — *1 Pater*: In lin. 27 (lin. 20) dicatur: « Ad peculiaria Instituta, Facultates vel Universitates ab Ecclesia approbatas et ad sacerdo-

[113] tum superiorem culturam destinatas; Universitates vel Instituta laicis destinata praesertim vero quae vigilantiae S. Hierarchiae non subsunt ne frequentent sine speciali licentia, urgenti de causa et debitis adhibitis cautelis ».

R. — Ipsi Episcopi mittunt; ipsi igitur licentiam dant; cautelae iam sufficienter in textu indicantur; et cf. Resp. ad Modum 2.

6 — *4 Patres*: In fine huius nr. 18 addantur verba: « Seminaria Maiora, sive dioecesana sive pontificia, etiamsi Facultates et Universitates non sint, alumnis omnibus documentum validum de studiis feliciter peractis concedant, quod licentiae de qua in Codice Iuris Canonici respondeat ».

R. — Aliquod documentum de studiis peractis reapse dandum est; sed tituli academici Licentiae et Laureae nonnisi a Facultatibus et Universitatibus concedi debent.

AD NUM. 19.

1 — *1 Pater*: In nr. 19 (et 20, 21) valde attendendum est quod Schema de ministerio sacerdotali dicturum sit, praesertim de dialogo inter sacerdotem et mundum, necnon de modis praesentiae sacerdotis in mundo: absonum videretur si nostrum
[114] schema non attingeret quae forte aliud diceret in hac materia magni momenti.

R. — In textu emendato numeri 19 de facto explicite fit sermo de excolendis aptitudinibus quae ad dialogum cum hominibus conferunt.

2 — *15 Patres*: Ad nr. 19, in principio addatur: « Pastoralis illa sollicitudo appareat imprimis ut consequentia ipsius institutionis theologicae (seu doctrinalis) ». Pastoralis institutio non est primum quaestio technicarum sive psychologicarum, sive paedagogicarum, sive sociologicarum sed quaestio ipsius institutionis theologicae quae in seipsa debet incitare ad sensum pastoralem.

R. — Quae proponuntur vera sunt; tamen iste nexus inter institutionem theologicam (ac spiritualem) et pastoralem iam clare et fortiter enuntiatus est in nn. 4, 8, 16 (prima paragrapho).

3 — *1 Pater*: Ante verba « ut diligenter instruantur » inseratur: « Ut in primis apti fiant educatores vitae laicorum in lumine Evangelii ad mentem Christi et diligenter instruantur ... ».

R. — Haec idea videtur iam sufficienter exprimi in textu.

4 — *1 Pater*: Pag. 18, lin. 4 (linn. 31-32) addatur: « ... sacramentorum administratione, in musica et arte sacris ». [114]

R. — De eis iam providetur in Constitutione « De Sacra Liturgia » (nn. 115 et 129). Hic subintelliguntur in cultu liturgico, ad quem et musica sacra et ars sacra intime referuntur.

4 a — *2 Patres*: In lin. 6 (lin. 32), post verbum « arte » addatur: « in sacerdotali animatione socialium consociationum et activitatum ».

R. — Illa « animatio sacerdotalis » includitur in eis quae expostulantur in nr. 20.

4 b — *1 Pater*: In lin. 6 (lin. 32) post verbum « arte » addatur: « praesertim iuvenum ».

R. — Verum est moderationem iuvenum peculiare induere momentum. Altera ex parte hodie saepissime adulti et imprimis aetate provecti apta moderatione carent. De cetero de parvulis praediligendis est iam sermo in nr. 8 emendato.

4 c — *2 Patres*: Post verbum « arte » addatur: « in Actione Catholica », etc.

R. — Ea includitur in nr. 20: « ... ad varias efficacioresque apostolatus formas ». [115]

4 d — *1 Pater*: Textus sic corrigatur: « in animarum moderandarum arte, *speciatim quod respicit educationem ad vitam christianam plene consciam, profundam simul et apostolicam, in officio occurrendi errantibus et incredulis, et in ceteris pastoralibus muneribus* ».

Locutio: *in operibus caritatis,* vel *melius* supprimatur, vel ponantur in fine, scilicet: « et in ceteris pastoralibus muneribus, v. g. in operibus caritatis ».

R. — Accipitur substantia huius Modi; vide textum emendatum.

4 e — *10 Patres*: In fine numeri addantur verba: « Liturgia magistra vitae censeri debet, sacrorum alumnos in arctissimo nexu et communione cum Christo Sacerdote educatura totamque formationem seminaristicam vivificatura ».

R. — Quae proponuntur, vera sunt; sed iam in nr. 8 exprimuntur; conferatur insuper nr. 16.

5 — *1 Pater*: In fine numeri addatur statim: « Accurate simul efformandi sunt ad apostolicam laicorum actionem excitandam ac fovendam (ex nr. 20), nec non ad varias efficacioresque apostolatus formas promovendas ».

[115] Nr. 20 vero retineatur sine propositione praedicta.

Ratio: Momentum efformationis et promotionis laicatus tam fortiter a nostro Concilio proclamatum est, ut omnino de eo loquendum sit antequam dicatur de disciplinis sive paedagogicis sive psychologicis, sive sociologicis.

R. — Transpositio non videtur necessaria. Ceterum alumni quam maxime indigent adiumento illarum disciplinarum ut laicorum actionem, sicut oportet, fovere valeant.

5 a — *14 Patres*: In fine numeri addatur: « In his omnibus ministerii operibus oportet imprimis ut alumni apti formentur educatores laicorum in conferenda vita cum lumine Evangelii et doctrina Ecclesiae ».

Ratio: Ut melius exprimatur educationem pastoralem tendere debere non tantum ad particularia opera ministerii bene facienda sed ad finem ipsum pastoralis navitatis scil. fidem in concretis vitae circumstantiis exercendam.

R. — Animadversio optima iam respicitur in nn. 4, 8, 16.

[116] 6 — *10 Patres*: In fine numeri dicatur: « In formatione sacrorum alumnorum ad apostolatum, praeter doctrinam pastoralem, quae traditur, praeter habitus operativos pastorales, qui exercentur, etiam Ecclesiae eiusque missionis amor, vocationis apostolicae zelus, pro Regni Dei in terra dilatatione animarumque immortalium salute responsabilitas attendatur, ut futuri pastores dynamicam, victricem, missionariam et oecumenicam agendi rationem addiscant ». Hoc est enim fundamentum totius curae pastoralis sacerdotum et correspondet exigentiis oecumenicis Concilii Vaticani II.

R. — Quae ab his Patribus merito commendantur, iam sufficienter exprimuntur in nn. 8, 9 et 21 emendatis.

7 — *1 Pater*: In fine nr. 19 vel 20, vel 21 addatur opportune: « Quae omnia nonnisi in congrua vitae ac ministerii fraterna communione optime obtineri poterunt ».

R. — In nr. 21 emendato expostulatur praeparatio ad agendum « consociata opera ». Plura de sacerdotum vitae ac ministerii communione dicuntur in schemate « De ministerio et vita presbyterorum ».

8 — *1 Pater*: Esset valde utilis informatio data a sacerdotibus cleri dioecesis, praesertim a parochis et adiutoribus Episcopi pro operibus dioecesanis.

R. — Implicite hoc commendatur in fine nr. 5 emendati necnon magis explicite in nr. 21 emendato, ubi loco « sub peritorum *magistrorum* ductu » nunc dicitur: « sub *virorum* in re pastorali peritorum ductu », ita ut non solum Seminarii magistri, sed et parochi et ceteri Episcopi adiutores includantur. [116]

AD NUM. 20.

1 — *18 Patres*: Pag. 18, lin. 26 (pag. 20, lin. 2) post verba « ... Auctoritatis ecclesiasticae normas » addantur: « De iis quaestionibus quae coaevam societatem exagitant, doctrinam socialem Ecclesiae bene cognoscant eamque rite proponere valeant; secundum rerum adiuncta potiorum eius applicationum aliquod experimentum capiant, simulque vero ab iis quae ad sacerdotem non pertinent abstinere sciant » (cf. schema « De alumnis ad sacerdotium instituendis », nr. 23 c).

R. — Haec commendatio optima iam implicite continetur in nn. 20 et 21.

2 — Iidem *18 Patres*: Recte urgetur, ut alumni ad apostolicam laicorum actionem excitandam ac fovendam formentur. Sed non obstante brevitate necessaria, plura dicenda sunt. Recolantur igitur ea quae in schemate « De alumnis ad sacerdotium instituendis (nr. 23 d) legebantur: « *Laicorum cooperationem magni facere discant eosque humiliter et aperta mente audire assuescant,* ut rei familiaris, vitae professionalis et socialis necessitates rectius cognoscant atque in difficultatibus vitae christianae et apostolicae ab ipsis laicis gerendae consilium et auxilium praestare valeant ». [117]

R. — In nr. 19 emendato inserta est explicita commendatio, ut alumni alios recte audire animumque ad vitae laicalis adiuncta aperire addiscant.

3 — *14 Patres*: In lin. 27 (pag. 20, linn. 2-6) ita textus compleatur: « Item ad apostolicam laicorum actionem excitandam ac fovendam necnon ad varias efficacioresque apostolatus formas promovendas accurate instruantur. *Quae vero instructio non mere theoretica maneat, sed eo tendat, occasione exempli gratia tirocinii pastoralis vel ope conventuum cum laicis instituendorum, ut sacerdotes futuri mature consuetudinem fraternam cum laicis, eos audiendo consulendo et cum eis collaborando, addiscant. Ceterum* eo spiritu vere catholico ... ».

[117] R. — Providetur in nr. 21, ubi praescribitur instructio non mere theoretica, sed opportunis experimentis complenda. Insuper attendatur ad finem numeri 19 emendati.

4 — *1 Pater*: In lin. 28 (lin. 4) post verbum « instruantur » addatur: « in specie ad actionem inter iuvenes praesertim universitarios et operarios in fabricis ».

R. — Haec pro locorum adiunctis ulterius determinanda sunt; e. g. in novellis ecclesiis non semper valet id quod in hoc Modo proponitur.

5 — *2 Patres*: In lin. 30 (pag. 20, linn. 6 ss.) sic legatur: « *atque, ut veri Collegii Episcopalis cooperatores qui in Christo Iesu illuminare et salvare debent omnem hominem venientem in hunc mundum,* eo spiritu vere catholico imbuantur *et formentur* quo propriae dioecesis, nationis, vel ritus fines transcendere et totius necessitates Ecclesiae respicere assuescant, *parati ad Evangelium praedicandum et ad oves quaerendas usque ad ultimum terrae* ». Si inde a primis annis Seminarii alumni non imbuantur vero et firmo spiritu apostolico et missionario, in vanum Pa-
[118] stores Collegialitatem Episcopalem cum omnibus suis consequentiis praedicandum.

R. — Huic desiderio ut servata textus brevitate, satisfiat, in fine numeri additur: « animo parati ad Evangelium ubique praedicandum ».

6 — *1 Pater*: In fine numeri addatur: « Ideo contactus frequentes iam a Minore Seminario cum iuventute coaetanea foveantur oportet ».

R. — Iam providetur implicite in nr. 3.

7 — *1 Pater* proponit ut inter nr. 20 et nr. 21 haec inserantur: « Nostris praesertim diebus, cum communitas humana nondum est homogenea in fide catholica sed *pluralistica* in fere omnibus orbis terrarum regionibus, i. e. *divisa* in baptizatos credentes, baptizatos indifferentes-apostatas et non baptizatos et *mixta* secundum diversas ideologias seu convictiones philosophicas et religiosas, oportet futuri sacerdotes educentur ad *largam aperturam mentis et cordis.* Ut idonei fiant ad apostolatum in mundo pluralistico et aperto praestandum necesse est ut *maturitatem humanam et christianam* acquirant. Praxi apostolica ab eis refutandum est illud praeiudicium valde sparsum apud extraneos dictam maturitatem humanam et christianismum esse incompossibiles.

Sacerdotes educentur ad praestandum *apostolatum animatum spiritu humilis servitii.* Abstineant a convictione se sub omni respectu esse optimos, suas institutiones in omnibus esse praestantiores ac proinde se esse magistros universales. Sint Christi cooperatores ad modum Beatae Mariae Virginis, sese pauperes servos Domini aestimantes. Ne inspirentur desiderio conquerendi vi et coactione sed desiderio serviendi iuxta verba Christi: "Non veni ministrari sed ministrare" (*Mt.* 20, 28) cum fiducia et fide Dominum Iesum et Spiritum eius fecunditatem suorum conaminum esse praebituros secundum placita divinae providentiae ». [118]

R. — Iam providetur, etsi concinno modo, in ipsis nn. 19 et 15 (quoad dialogum) et nr. 11 (quoad maturitatem humanam) atque nn. 4 et 9 (quoad spiritum servitii).

AD NUM. 21.

1 — *1 Pater*: non mihi placet haec descriptio indefinita exercitationum praxiumque ab alumnis peragendarum tempore studiorum ecclesiasticorum. Aliquid addendum est ita ut consentaneitas tum qualitatis tum quantitatis talium actuositatum clarius mandetur cum bono ordine progressus vitae spiritualis et academicae formationis. [119]

R. — Omnia fieri debent « pro alumnorum aetate ac locorum condicione » et imprimis « prudenti Episcopi iudicio ».

2 — *1 Pater*: Colloquium cum mundo est necessarium, sed nos non sumus de mundo, et ideo caveatur ne periculis exponantur quibus impraeparati sunt. Etiam ut vita corporalis subsistat, tantum post vaccinationem contagiis possumus exponi. Qui in medium infectorum sese exponit certe infirmitate inficitur, qua saepe mortem subiit.

R. — In textu necessariae cautelae clare exprimuntur; conferantur etiam nr. 9, paragr. 2; nr. 10 (apta praesidia); nr. 12 (aptum tirocinium pastorale).

3 — *17 Patres*: Pag. 19, lin. 3 (pag. 20, linn. 18-19) post « sub peritorum magistrorum fieri debent » sic textus mutetur: « *Collatis cum sociis propriis apostolatus experientiis sentiant praepollentem praestantiam supernaturalium mediorum* ».

R. — Ratio habetur, additis verbis « consociata opera » quae non

[119] solum de ipsa actione apostolica intelligitur, sed etiam de actione collatis consiliis perpendenda.

4 — *20 Patres*: In fine numeri addatur: « *Addiscant opera consociata* (*per parvos coetus*) *in opere apostolico collaborare* ».

Ratio: Collaboratio in ministerio « travail en équipe », « teamwork » exigitur ex doctrina de Ecclesia et est maxima necessitas temporis hodierni. Est autem valde difficilis et specialem ascesim supponit. Unde futuri sacerdotes solide in hac exercendi sunt.

R. — Accipitur substantia huius Modi; cf. textum emendatum.

5 — *2 Patres*: Mihi videtur vacationum tempus utile esse ad illam pastoralem praxim; immo opportunum esse ut praxis illa modo methodico, in rationali dispositione diversarum experientiarum ineatur, ita ut illud vacationis tempus sit pro alumnis verus et efficax contactus cum mundo.

Unde nr. 21 addere possemus: « *Doceantur alumni tempore vacationum uti ad pastoralem experientiam ineundam; immo rectores et directores Seminariorum quaerant modos quibus* [120] *omnes alumni diversas experientias secundum rationalem dispositionem faciant* ».

R. — In textu emendato specialis mentio inserta est vacationum. Illae exercitationes vero non ad solas vacationes restringendae sunt. Insuper iam praescribitur, ut exercitationes methodice fiant.

6 — *18 Patres*: intra nr. 21 et nr. 22, addatur novus numerus sic sonans: « Ad hanc triplicem institutionem intimius tradendam optima erunt magna adunata navitas moderatorum, directorum spiritualium, professorum Seminarii ac spiritus communitatis in alumnis, adiuvantibus sub ductu Episcopi illis mediis hodiernis quae maiorem efficaciam communitariam praebeant ad colloquium ac mutuam cooperationem, quin laedant sensum liberae ac personalis responsionis alumnorum ad institutionem, ipsis inculcatum ».

R. — Ideae iam innuuntur in nr. 5. In Directorio vel in Instructione post Concilium edendis momentum pastorale huiusmodi vitae et actionis communitariae explicitius describi poterit.

AD NUM. 22. [120]

1 — *1 Pater*: Pag. 19, lin. 10 (linn. 24-25) loco « Coetuum Episcoporum erit » dicatur: « Coetus Episcoporum *deberet omnino* ».

R. — Obligatio videtur iam sufficienter exprimi in textu qui nunc sonat: « ... Conferentiarum Episcoporum erit, ... ».

2 — *1 Pater*: Pag. 19, lin. 11 (pag. 20, lin. 26) post « cuiusmodi sunt », addatur: « *parochi experti in educatione iuvenum sacerdotum* »; ut exprimatur momentum huius cooperationis presbyterii in initiandis iuvenibus sacerdotibus.

R. — In textu emendato allusio fit ad paroecias opportune selectas. Plura dici possunt in schemate « De ministerio et vita presbyterorum ».

3 — *16 Patres*: post « cuiusmodi sunt » inseratur: « Actio pastoralis dioecesana generaliter tendens ad melius adaptandum apostolatum necessitatibus hodiernis et curam habens de progressiva adaptatione iuvenum sacerdotum ad ministerium hodiernum, cum adiutorio parochorum expertorum (et laicorum) ».

R. — Animadversio bona est; sed respicit magis Decretum « De pastorali Episcoporum munere ». Hic in genere tantum commendatur, ut « aptiora media » adhibeantur.

4 — *1 Pater*: in adiunctis nostri temporis forsan non sufficiunt periodici conventus aut exercitationes ad prosequendam institutionem sacerdotalem. « Instituendus est ergo specialis " cursus-annus " pastoralis pro neo-presbyteris non solum ad opus in cura animarum rite perficiendum sed magis ad formandam personam — personalitatem — pastoris animarum. Ratio et methodus studiorum et exercitationum talis cursus sunt accurate elaborandae » (Talia vel alia verba addenda erunt in nr. 22). [121]

Neo-sacerdotes absoluto cursu seminaristico in praxi vitae in cura animarum non possunt (aut nolunt) tria elementa vitae sacerdotalis in unitatem et unionem integram componere i. e. practicam vitae spiritualis-asceticae, — studia praesertim ecclesiastica — et munera seu officia pastoralia; quae tamen unitas et unio est condicio sine qua non cuiusvis vitae et actionis sacerdotalis huius temporis.

In illo « cursu-anno » pastorali neosacerdotes internam cohaesionem inter curam propriae animae eiusque culturae intellectualis et spiritualis atque curam animarum cognoscere et assequi debent.

[121] R. — In textu emendato commendantur pastoralia Instituta.

5 — *2 Patres*: In fine numeri addatur: « Instituatur Commissio specialis postconciliaris ut in actum deducatur adaptatio Seminariorum modernis exigentiis pastoralibus Ecclesiae ».

R. — Hac de re Summus Pontifex providebit.

6 — *1 Pater*: Modus non ad doctrinam nr. 22 se refert, sed ad conclusionem huius documenti. Mihi videtur hoc parvum documentum esse quid admirabile. Desidero ut *finis ponatur huic documento per verba pastoralia ad seminaristas huius et futuri temporis*. Hae propositiones legentur certe ab Episcopis et ab aliquibus sacerdotibus et laicis, sed a permultis seminaristis nunc et in futurum. Adest nunc, et aderit in futuro, problema grave de perseverantia in Seminario. Iuvenes nunc vacillantes sunt. Proinde pauca verba pastoralia ab hoc Concilio, referentia ad spem quam seminaristae Ecclesiae afferant, ad difficultates in omni sacrificii vita expectandas, ad bonitatem vitae alterius Christi pro Dei populo, etc., finem laudabilem harum propositionum laudabilium ponant.

R. — Huic desiderio ut satisfieret, addita est brevis Conclusio.

[122]

QUAESITA

De expensione facta a Commissione de Seminariis, de Studiis et de Educatione catholica circa Modos schema Decreti « De Institutione Sacerdotali » spectantes.

1. *An placeat ut Decreti Prooemium et caput I « De Sacerdotalis Institutionis Ratione in singulis Nationibus ineunda » (n. 1) legantur sicut proponuntur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 5, lin. 1, ad pag. 6, lin. 6.*

2. *An placeat ut Decreti caput II « De Vocationibus sacerdotalibus instantius fovendis » (nn. 2-3) legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 6, lin. 7, ad pag. 8, lin. 14.*

3. *An placeat ut Decreti caput III « De Seminariorum Maiorum Ordinatione » (nn. 4-7) legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 8, lin. 15, ad pag. 10, lin. 21.*

4. *An placeat ut Decreti caput IV « De Institutione spirituali impensius excolenda » (nn. 8-12) legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 10, lin. 22, ad pag. 14, lin. 9.*

5. *An placeat ut Decreti caput V « De Studiis ecclesiasticis recognoscendis » (nn. 13-18) legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 14, lin. 10, ad pag. 17, lin. 35.* [122]
6. *An placeat ut Decreti caput VI « De Institutione stricte pastorali promovenda » (nn. 19-21) legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 17, lin. 36, ad pag. 19, lin. 6.*
7. *An placeat ut Decreti caput VII « De Institutione post Studiorum curriculum perficienda » (n. 22) et Conclusio legantur sicut proponuntur in textu iuxta Modos emendato: pag. 19, a lin. 7 ad lin. 32.*

2 – SCHEMA DECRETI « DE INSTITUTIONE SACERDOTALI »

QUAESITA *

DE EXPENSIONE FACTA A COMMISSIONE DE SEMINARIIS, DE STUDIIS ET DE EDUCATIONE CATHOLICA CIRCA MODOS SCHEMA DECRETI « DE INSTITUTIONE SACERDOTALI » RESPICIENTES

QUAESITA PARTICULARIA

1. An placeat ut Decreti Prooemium legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: pag. 5, linn. 1-17.
2. An placeat ut Decreti nr. 2 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 6, lin. 7, ad pag. 7, lin. 28.
3. An placeat ut Decreti nr. 3 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 7, lin. 29, ad pag. 8, lin. 14.
4. An placeat ut Decreti nr. 4 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 8, lin. 15, ad pag. 9, lin. 2.
5. An placeat ut Decreti nr. 5 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: pag. 9, linn. 4-29.

---

* Huiusmodi folium Patribus distributum est in congregatione generali 145, die 8 oct. 1965.

Hic quaesitorum elenchus substituitur elencho posito in pag. 122 fasciculi, qui inscribitur: « Schema Decreti "De Institutione Sacerdotali" Textus emendatus et Modi », Typis Polyglottis Vaticanis 1965.

6. An placeat ut Decreti nr. 9 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: pag. 11, linn. 16-42.
7. An placeat ut Decreti nr. 10 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: pag. 12, linn. 1-35.
8. An placeat ut Decreti nr. 11 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 12, lin. 36, ad pag. 13, lin. 33.
9. An placeat ut Decreti nr. 12 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 13, lin. 34, ad pag. 14, lin. 9.
10. An placeat ut Decreti nr. 13 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: pag. 14, linn. 10-20.
11. An placeat ut Decreti nr. 15 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: pag. 15, linn. 4-31.
12. An placeat ut Decreti nr. 16 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 15, lin. 32, ad pag. 17, lin. 11.
13. An placeat ut Decreti nr. 19 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: a pag. 17, lin. 36, ad pag. 18, lin. 22.
14. An placeat ut Decreti Conclusio legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato: pag. 19, linn. 21-32.

QUAESITUM GENERALE

An placeat expensio facta a Commissione Conciliari circa Modos reliquos Decretum « De Institutione Sacerdotali » (nn. 1, 6, 7, 8, 14, 17, 18, 20, 21, 22) respicientes.

Moderator: Exc.mus Ioseph Carraro, ep. Veronensis, velit legere relationem super modos circa schema decreti *de institutione sacerdotali.*

3 – RELATIO

EXC.MI P. D. IOSEPH CARRARO
Episcopi Veronensis

Venerabiles Patres,

In vestris manibus habetis fasciculum cui titulus « Schema decreti *de institutione sacerdotali.* Textus emendatus et modi », qui centum viginti duabus paginis constat, quarum minima pars constituet, Deo fa-

vente et vobis suffragantibus, textum permanentem; cetera autem sunt folia caduca ...[1]

Ut taedium legendi integram et sat diffusam *redactionem*[2] ad minorem gradum, si fieri potest, vobis restringam, quaedam tantum puncta, quae mihi videntur maioris momenti, vestrae attentioni submitto.

Attendatis, si vobis placet:

1. *In relatione generali* (videatis pag. 26 et sequentem), de criteriis in expensione modorum observatis, ea quae dicuntur sub n. 3: iuxta animadversiones et modos, immo et querelas plurium Patrum, propter exiguitatem prioris textus, maiorem extensionem, sed non diluitionem, in aliquibus numeris introduximus.

Haec additamenta, quae semper cum priore textu approbato congruunt, et votis et modis Patrum respondent et textum clariorem et ditiorem reddunt.

Sub nn. 4 et 5 (*loquor de numeris appositis in relatione*),[3] in fine pag. 26 et in initio 27: In nostra expensione prae oculis habuimus cohaerentiam huius decreti cum spiritu et finibus a Concilio patefactis in ceteris documentis iam probatis aut approbationi proximis. Nostrum enim schema inseri debet organice et vitaliter in constitutione dogmatica *Lumen gentium,* et interpretari et applicari in luce et connexione omnium conciliarium documentorum.

Sub n. 6 in pag. 27. Incoepta quae a nostrae aetatis adiunctis suggeruntur opportune admittuntur; ea tamen discretione seu moderatione, qua non omnia omnibus neque ubique aequali modo vel mensura praecipiantur; cuidam agilitati ergo favet nostrum schema, quae maxime videtur necessaria in opere educationis et in tanta varietate locorum, traditionum et morum; statuit tamen certos fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Quoad relationem de singulis numeris (quae a pag. 27 attingit pag. 37), duo praemittere necessarium puto:

a) Officium, et ideo propositum nostrum, fuit lineamenta tantum fundamentalia et necessario communia sacerdotalis formationis describere, ut spatium sat amplum conferentiis episcopalibus, eorumque instructionibus et praescriptionibus remaneret pro idonea applicatione in singulis regionibus: hoc criterium quod primo loco ponitur in textu, seu in prima propositione, censendum videtur quasi fulcrum interpretationis nostri schematis, et clavis solvendi plures difficultates a Patribus propositas.

b) Textus conciliaris — secundo — servare debet quemdam, ut ita dicam, sensum proportionis ut congruenter componantur singulae

eius partes et omnes suum locum habeant et suum ambitum. ...[4] Additio alicuius propositionis vel phrasis, quamvis brevis, aliquando turbaret illud aequilibrium, quod non sine labore et sudore ...[5], quasi per staterulam pharmacopolae, obtentum est. Habeant ergo nos excusatos Patres quorum desideria satisfacere ad verbum nequivimus. Nihil tamen peribit; futuris laboribus evolvendis etiam particula boni doni proficiet.

His praemissis, speciali vestrae attentioni super singulas propositiones haec commendanda videntur:

1. Propositiones 4, 5, 6 et 7, de quibus agitur in pag. 29 et 30, ab invicem connectuntur uti patet; et formam et ordinationem describunt illorum Institutorum, quae Seminaria maiora vocantur (quia decretum nostrum directe, sed non unice, respicit clerum dioecesanum, sicut, iuxta modos, emendatum est in prooemio) quaeque ad sacerdotes rite efformandos necessaria aestimantur, teste experientia et pluribus documentis pontificiis significantibus; et inde magis elucet distinctio inter Seminaria maiora et Seminaria minora, et diversitas eorum muneris necnon et gradus necessitatis.

2. Propositiones 8 et 9, de quibus in pag. 30 et 31, delineant formationis spiritualis notas, quae omnibus aliis documentis Concilii et praesertim constitutionibus *de Ecclesia* et *de Sacra Liturgia,* decretis *de pastorali episcoporum munere* et *de ministerio et vita presbyterorum* aptissime congruunt; ita ut effulgeat indoles spiritualitatis biblicae, christocentricae, liturgicae et ecclesialis.

3. Propositio 10, iuxta vota multorum Patrum enucleata, educationem ad coelibatum magis in luce positiva et biblicis argumentis fulcitam et generoso indiviso laeto amore nutritam exhibet: et ita castimonia efficit vitam sacerdotalem quasi personificationem felicitatis, ut aiebat Pius XII.

Praeterea, textus *huius propositionis,*[6] iuxta modos, plene agnoscit et declarat momentum educationis ad congruam maturitatem et spiritualem et physicam, psychicam et affectivam, necnon necessitatem praecavendi pericula contra castitatem, et hanc sacerdotii catholici pretiosam margaritam, aptis praesidiis divinis et humanis, in tuto ponendi.

4. Quoad propositiones 15 et 16 studia philosophica et theologica respicientes, enixe rogo vos, venerabiles Patres, ut velitis patienter legere et attente considerare Notam, sic dictam, praeviam quae invenitur in pag. 88.

Duabus his propositionibus nisi sumus fideliter interpretari: mentem Concilii quam suffragatio in congregatione generali nobis aperuit vi vinculativa; et, quantum fieri potuit, etiam animadversiones et modos in

aula expressos aut postea transmissos, necnon et sollicitudinem et documenta a Summis Pontificibus de hac re pluries et etiam recenter prodita.

Opiniones Patrum in disceptatione et in modis sat discrepantes apparuerunt, quamvis revera non oppositae; compositio autem earum in formulis textus facilis non evasit. Ceteroquin textus approbatus gaudebat possessione. Fecimus ergo quod potuimus et quod, iuxta nostram conscientiam et ordinem in Concilio procedendi, debuimus; quam ob causam damnationem mereremur?

Meminisse tandem oportet nostrum decretum esse quidem validum et necessarium instrumentum, sed non per illud solum effici posse opus tam arduum et complexum institutionis sacerdotalis; necessaria etiam erunt directoria, instructiones, monita et vigilantia episcoporum. In primis necessarii erunt selecti Moderatores et Magistri, in solida pietate fundati, scientia ac prudentia, experientia et agnitione hodiernae iuvenilis psychologiae praediti; et plene, constanter et laete suo muneri dediti. Secus, minime valerent etiam perfectissima instrumenta: Stradivarius quoque in manibus inepti non symphoniam sed strepitum facit.

Documentum autem hoc valde exoptatum est et diu exspectatum a plurimis seminariorum educatoribus ex omnibus regionibus orbis catholici.

Eius vis et efficacia eo magis patebunt et in educationis sacerdotalis salutarem renovationem influxum habebunt quo magis unanimiter, per vestrum positivum suffragium, Concilii consensus manifestabitur.

Quod Spiritus Sanctus, Virgine Deipara, cuius festum hodie colimus, intercedente, vobis suggerat, et Dominus nobis concedat per misericordiam suam. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] et in tres partes dividitur: prima continet textum cum propriis notis; secunda relationem sive generalem praesertim circa criteria observata in expressione, sive specialem quoad singulas propositiones: tertia tandem parte datur responsio ad singulos modos a Patribus propositos. [2] relationem. [3] deest. [4] Introductio vel. [5] reflexionis et disceptationis. [6] deest.

Moderator: Gratias exc.mo relatori et universae commissioni. Nunc exc.mus secretarius generalis legit textum primae suffragationis circa ipsum schema decreti *de institutione sacerdotali.*

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *Ss. Concilii subsecretarius*: Proponitur nunc suffragatio 365, seu prima circa expensionem factam a commissione de seminariis, de studiis et de educatione catholica, circa modos schematis decreti *de institutione sacerdotali.*

Quaesitum primum invenitur in pag. 5: « An placeat ut textus emendatus sic legatur ... » [*cf. pag. 11*]. *Placet* an *non placet?*

Moderator: Nunc prosequitur disceptatio circa schema « De activitate missionali Ecclesiae ».

PATRUM ORATIONES

(*De activitate missionali Ecclesiae*)

1

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus in Italia

Venerabiles Patres,

De activitate missionali Ecclesiae Concilium Oecumenicum tacere non potuisset; apostolatus enim Missionum non solum est quam maxime promovendus, sed dignus qui omni laude cumuletur propter uberrimos fructus quibus per saecula Ecclesiam ditavit. Quod cum alte in me defixum sit, abstinere non possum quin aliquid conferre studeam ad praesens schema providum piumque perficiendum ut vere fiat Magna Charta Missionum, dum grato animo prosequor dilectissimos discipulos qui — gaudium meum et corona mea ...[1] — admirabile testimonium Christo perhibuerunt et adhuc perhibent in territoriis Missionalibus.

Pauca tantum dicam, brevitatis causa, praesertim de prooemio et cap. I:

I. *Non omnia testimonia biblica in schemate accurate laudantur.* Etenim:

a) In prooemio, lin. 9, Ecclesia dicitur « sal terrae et lux mundi »; id aliquo modo de Ecclesia affirmari potest, sed proprie vereque Christus sic appellavit discipulos seu apostolos, non omnes qui Ecclesiam universam effecturi erant.

b) In pag. 6, lin. 14, asseritur Creatorem constituisse haeredem universalem Christum, ut in ipso *omnia denuo instauraret.* Comma « in ipso omnia *denuo* instauraret », ex versione vulgata depromptum — in qua tamen illud « denuo » non invenitur —, non congruit in textu cum vero sensu Sacrae Scripturae, loco laudato Epistulae ad Ephesios; nam S. Paulus non dicit: in Christo omnia instauranda seu reparanda esse, utpote peccato depravata, sed Deum voluisse ut omnia ad Christum

tamquam caput ordinarentur, a. v.: ut omnia Christo, « qui in omnibus primatum tenet » ...[2], subicerentur. Haec est vis verbi *ἀνακεφαλαιόω*, quo apostolus usus est.

c) In pag. 7, linn. 24-27, memoratur mandatum quod Christus post resurrectionem dedit apostolis: « Euntes docete omnes gentes » etc.; sed in textu nulla mentio fit tertiae partis eiusdem mandati, qua missio Ecclesiae completur, scil.: « docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » ...[3]

d) In pag. 10, linn. 35-39: etsi omnia et omnes « ad plenitudinem eschatologicam » tendant, tamen testimonia biblica quae allata sunt non spectant — ut significatur in textu — ad vitam futuri saeculi vel ad finem mundi, sed ad vitam quam, hisce in terris, ex voluntate Dei, ducere debemus; quod ex Sacrae Scripturae contextu in locis laudatis clare elucet.

II. *Nonnulla principia doctrinalia haud recte — ut opinor — exprimuntur.*

a) In pag. 5, n. 2, lin. 21: Persona Filii et Spiritus Sancti dicuntur *originem ducere* ex Deo Patre. Existimo hanc propositionem — uti sonat — a nullo theologo probari posse. Locutio enim « originem *ducere* » apte adhibetur de creaturis, sed perperam de secunda et tertia Persona Sanctissimae Trinitatis, quarum processiones *ad intra* in Deo distinctae sunt, cum Filius procedat a Patre per generationem, secundum operationem intellectus, et Spiritus Sanctus procedat secundum operationem voluntatis et quidem non solum a Patre — ut asseritur in textu — sed simul a Filio.

b) In pag. 6, lin. 14, verba « ... qui omnia creavit, in seipso homine facto » hunc sensum efferunt: Creatorem factum esse hominem, quod — specie saltem — incidit in quamdam theologicam absurditatem.

c) In pag. 9, linn. 26-30, graviter dubito an asserere liceat quod affirmatur in schemate, nimirum: *tandem* consilium Creatoris, hominem ad imaginem et similitudinem suam condentis, *revera* adimpletum esse cum homines in Christo per Spiritum Sanctum sint regenerati etc.

Puto consilium Creatoris iam in ipsa creatione adimpletum esse, nam Deus hominem ad statum supernaturalem *in actu creationis*[4] elevavit, ita ut si homo non peccasset imago et similitudo Dei semper in eo splendidissent.

III. *Non desunt affirmationes subobscurae et imperfectae.*

a) In pag. 5, linn. 26-29 legimus: « Placuit Deo hominem non singillatim, quavis mutua connexione seclusa, ad vitae suae participationem vocare etc. ... ».

Negari non potest Deum ad salutem aeternam vocare singulos homines. Quid autem significet locutio « non singillatim, quavis mutua connexione seclusa » non patet.

b) In pag. 6, initio n. 3 enuntiandum est agi de ethnicis, quos apostolus Paulus coram se habebat in Areopago Athenarum; nam in plures alios homines verba textus minime quadrant.

c) In pag. 7, linn. 23 s. ...[5] ponitur Ecclesiam eamdem esse ac populum Dei; at populo Dei, in universum, tribui nequeunt potestates in textu recensitae, quae propriae sunt sacrae hierarchiae Ecclesiae. Ceterum etiam laici — viri et mulieres — si sint divina vocatione donati et apte instituti, operam utilissimam, et interdum necessariam, ad regnum Dei in pace Christi extendendum navare possunt et re navant.

d) In pag. 8, lin. 41 legimus: « cuius collegialem affectum exercet ». Hanc propositionem, nisi aliquantum explicetur, vix quispiam intelleget.

IV. *Ardens optatum meum aperire audeo*: ut inter principia doctrinalia pro Missionibus id peculiarem obtineat locum: Missiones catholicas habituras esse efficacitatem in dies maiorem si eae oratione multa ad Deum per Iesum Christum Salvatorem nostrum, sine quo nihil facere possumus ...[6], et ferventi devotione erga B.mam Virginem, Matrem misericordiae et Missionum Reginam, a Missionariis fulciantur, atque si verbum Dei, ad apostolorum exemplum, maxima cum claritate et fortitudine ab ipsis missionariis cum vitae sanctitate constanter *praedicabitur*.[7]

V. *Demum,* velim addi in cap. III apertam adhortationem ut Missionarii non autochtoni, novam veramque patriam suam habeant regionem illam — quaecumque est — in qua munere missionali funguntur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *Phil.* 4, 1). [2] (cf. *Col.* 1, 18). [3] (cf. *Mt.* 28, 20). [4] deest. [5] (cf. lin. 29). [6] (cf. *Io.* 15, 5). [7] praedicetur.

Exc.mus P. D. Ioannes Krol, *subsecretarius*: Proponitur nunc suffragatio 366, seu secunda circa expensionem factam circa modos schematis decreti *de institutione sacerdotali.* Videatis, Patres, pag. 7 schematis. Quaeritur an placeat ut decreti n. 2 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos emendato, a pag. 6, lin. 7, ad pag. 7, lin. 28: [*cf. pag. 12-14*]. *Placet* an *non placet?*

Secretarius generalis: Distribuitur vobis, Patres, in hac congregatione etiam relatio super schema declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas.*

2

Em.mus P. D. FRANCISCUS card. KÖNIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Patres conciliares,

Schema valde placet et quoad materiam et quoad dispositionem. Liceat tamen quaedam proponere ad n. 11 (scil. de dialogo cum non-christianis) et ad n. 24 (scil. de formatione doctrinali missionariorum). Pauca haec addenda sunt et in textu clarius explicanda ne propter brevitatem textus res maximi momenti mentes Patrum fugiant.

Id est in n. 11 clarius dicendum est nostra aetate omnes fere christifideles, ubicumque degunt, plus minusve convivere cum non-christianis vel etiam non-credentibus. Quapropter ab omnibus et singulis ubique terrarum — et non tantum in terra *missionis* [1] — reddendum est testimonium fidei vita vere christiana. Christifideles ergo:

1. non-christianos sibi occurrentes animo aperto et amanti ad se recipiant atque expeditiorem eis reddant accessum;

2. religiones non-christianas quasi ab intus perspicere satagant tamquam vias quaerendi Deum (cf. *Act.* 17, 27). Quamvis enim non sint via salutis sunt tamen viae plus minusve longinquae quibus homines inscrutabili Dei consilio praeparati sunt et adhuc praeparantur ad inveniendam viam salutis et pacis.

Quia autem de habitudine religionis christianae ad religiones non christianas multi disputant — *et non semper sapienter disputant* [2] — et sententiae erroneae circumferuntur, liceat in hac ultima consideratione breviter immorari. Quia « non est in alio aliquo salus nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri » (*Actibus* [3]), ideo gratia Christi et incarnatio est via quam ipse Deus tamquam ordinem salutis statuit. Quare nemo sine gratia Christi salvari potest, quod valet etiam de non-christianis. Sed Ecclesia visibilis, in unitate generis humani inserta, est in mundo quasi sacramentum salutis omnium. De qua possunt participare per opus operantis etiam non christiani. Sed ipsa gratia Christi ita oblata et accepta quasi dynamismum habet ad sui ipsius perfectam « incarnationem », ut ita dicam, per sacramenta et socialem aggregationem ad Ecclesiam. Quamquam tali modo extra visibilem Ecclesiam salus haberi potest, religio christiana vi operis operati manet via salutis *ordinaria* ad quam tendit etiam illa gratia quae extra talem Ecclesiam visibilem datur. Et sicut Ecclesia visibilis neces-

saria est in oeconomia salutis de necessitate medii, eadem et necessitate et ratione Ecclesiae universae inhaeret obligatio activitatis missionalis.

Ad n. 24: Non possumus alios ad dialogum cogere, quia dialogus est colloquium liberum. Attamen possumus et debemus nosmetipsos ad dialogum praeparare, praeiudicia amovere necnon dialogum tamquam primi petere et non exspectare donec alii ad colloquium nos invitent (cf. *Ecclesiam Suam* ...[4]). Solus quidem Deus corda aperire potest ad colloquium salutis. Nostrum tamen est numquam deficere caritate, licet plus diligentes minus diligamur.

Ad talem habitudinem mentis incitare possunt etiam valores illi qui inveniuntur in religionibus non christianis.

1. Scil. historia religionum et inquisitiones scientificae demonstrant hominem esse animal religiosum, habet saltem sensum, reverentiam et desiderium alicuius realitatis supremae, quae est initium et finis omnium.

2. Inter non christianos multi sincere Deum quaerunt, a gratia Dei moventur et ad illam generosum responsum offerunt.

3. Systemata religiosa non christiana saepe multa elementa continent quae detegenda, purificanda et elevanda sunt, quibus revelatio christiana respondere potest.

4. Globaliter et historice sumpta illa systemata et religiones manifestant orientationem quae saltem partim laude digna est, v. g. puritas monotheismi quae totam vitam informat in Islam, vel sensus interioritatis Dei quo permeatur tota vita Hinduistica, idea exiguitatis hominis et eius conatus ad liberationem quod invenitur ubique in Buddhismo.

Quare, dialogus exigit ut quis habeat non tantum cognitionem abstractam talis religionis sed comprehensivam et vivam, quae oritur ex conviventia, cum cultura et religione determinata.

Quae addere liceat ut perficiantur ea quae habentur in istis nn. 11 et 24 vel ad modum notae textui addantur. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Missionariorum. [2] deest. [3] (*Act.* 4, 12). [4] *A.A.S.*, 1964, 642.

Secretarius generalis: Suffragatio 367. Pag. 7 [*cf. pag. 14, n. 3*]. *Placet* an *non placet?*

3

Rev.mus P. D. MAURITIUS QUÉGUINER
Superior generalis M.E.P.

Venerabiles Patres et carissimi Observatores, Periti et auditores omnes,

Huiusmodi schema *de activitate missionali Ecclesiae* certo certius placet. Attamen de duabus rebus vellem loqui quae mihi magni momenti videntur et quae adhuc, in textu nostro, plus minusve desiderantur: scil. de urgentia ipsa missionis et de relationibus inter Instituta Missionalia et episcopos Ecclesiarum priscarum.

Nunc breviter de illis loquor sed scriptis ampliorem documentationem ad secretarium Concilii tradam.

Imprimis ergo urgentia missionis connotat, inter cetera,

1. Necessitatem reiiciendi, sine ambiguitate ulla, opinionem illam quae contendit « Christum numquam voluisse Ecclesiam quae, quodam die, nationes omnes recapitularet » sed tantum Ecclesiam quae ab aliqua minoritate credentium, a « parvo reliquio » aut a « parvo Israel spirituali » constitueretur.

2. Necessitatem pariter reiiciendi theoriam illam secundum quam religiones non-christianae, qua tales, viae efficaces, quasi-sacramentales et adaequatae salutis sunt.

3. Necessitatem augendi adiuvamen et numerum operariorum apostolicorum quibus missio eget. Si fieret computatio realis et obiectiva ...[1] quoad numerum sacerdotum et quantitatem subsidiorum quae pro christianorum cura servantur, quis auderet affirmare Ecclesiam, quae natura sua missionaria est, congruentem partem ministrorum copiarumque suarum pro non-christianorum evangelizatione attribuere?

4. Oportet etiam vivificare et melius reddere testimonium quod Ecclesia, totaliter sumpta, perhibere debet. Imago quam Ecclesia dat de seipsa per modum unius, maximum momentum habet in felicem, vel, e contrario, in pessimum exitum illius testimonii quod Ecclesiae particulares et operarii apostolici, sive singulariter sive collective sumpti, reddere *conantur.*[2]

His dictis, ad alterum punctum transibo. Iuxta constitutionem *Lumen Gentium,* ex una parte, cura nuntiandi Evangelium ubique terrarum ad corpus episcoporum pertinet; ex altera parte, Petro, ergo Summo Ponti-

fici eius successori, datum est, titulo prorsus singulari, ingentissimum munus propagandi nomen Christi.

Sed, si de illis comparationem instituimus cum eventibus recentiorum saeculorum, neminem effugere potest factum quod mox illustrabo, scil.: propter rationes historicas, iuridicas et alias, collegialitas episcopalis non videtur exercuisse influxum magnum in membris Ecclesiae ad missionem, dum, e contra, Summus Pontifex missionis strenuus promotor fuit. Sic fere tota opera missionalis Ecclesiae navata est a Sancta Sede quae, praecise ad hunc finem ...[3] adimplendum, instrumenta idonea, nempe Sacram Congregationem de Propaganda Fide, Ordines et Instituta Missionalia creavit aut sibi adiunxit.

Quisnam sit conspectus hodiernus?

Magis ac magis episcopi priscarum Ecclesiarum muneris sui missionalis in solidum et efficaciter conscii facti sunt. Exhortante ipso Romano Pontifice, sacerdotes in missionem libenter et laudabiliter mittunt, e simplici conventione inter Ordinarios pacta.

Praeterea, Summus Pontifex, vi muneris sibi titulo singulari concrediti, logice mittit et mittet in missionem sacerdotes, religiosos et saeculares, Institutorum quae directe sibi subduntur et ab episcoporum iurisdictione eximuntur.

In abstracto, talis dualitas facile iustificatur nec ullam contradictionem gignit. Practice attamen, huiusmodi dualitas aliquam figuram contrarietatis prae se fert.

Etenim, ad proprium munus implendum, tam Ordinarii loci quam Instituta, hominibus opibusque egent quae, reapse, in ipsis territoriis Ordinariorum, et in ipsis solis, inveniuntur. Ex hoc oritur aliqua tensio quae eliminari debet; et hoc non est unius diei opus nec adest remedium iam paratum.

Sed certo dialogus fraternus ad tensionem illam attenuandam valde potest. Haec via ducit ad renuntiationem positionum acquisitarum, ad renuntiationem etiam aliquorum privilegiorum necnon alicuius nostalgiae vel intempestivae recordationis meritorum.

Illa quaestio nimis amplior mihi videtur nec adhuc sufficienter matura ut hic iam definitive de illa loquar. Attamen mihi liceat prae oculis vestris tria puncta sequentia expresse ponere: 1) melior coordinatio directionis; 2) melior ordinatio Institutorum missionalium; 3) melior articulatio Institutorum missionalium cum corpore episcopali.

1. *Melior coordinatio directionis* iam praevidetur in cap. IV praesentis schematis nec in illam protraham. Sed humiliter supplico ut illa expansio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide non ducat ad ali-

quam centralizationem excessivam, nec ad inhumanitatem relationum anonymarum ...[4], quae calamitates ...[5] usque nunc non viguisse grato animo proclamamus.

2. *Melior ordinatio Institutorum missionalium.* Quae nunc breviter dicturus sum praesertim sacerdotes saeculares complectitur sed, positis ponendis, etiam, saltem pro parte, pro omnibus sacerdotibus practice valet.

Quasnam partes Institutum missionale agere deberet? Institutum missionale ad hoc, ante omnia, natum est ut missionarios efformaret; quae formatio sine dubio exigit aliquid aliud et amplius quam institutio ordinaria cleri dioecesani. Munus missionale etenim requirit aliquam formationem « sui generis ». Talis functio specifica Instituti missionalis ita agnosci deberet ut nullus sacerdos in missionem mitteretur nisi antea in aliquo Instituto initiatus fuerit in re missionali.

Singularia elementa illius formationis specificae, quae maxime Institutorum missionalium existentiam iustificat, hic exponere longius esset. Attamen, ultra tempora hodierna et consuetudines adhuc vigentes prospiciens, quaero cur futuri missionarii non reciperent formationem sacerdotalem fundamentalem in seminariis dioecesanis propriae originis, et, postea tantum, ingredirentur seminaria Institutorum missionalium quae tunc illis elargirentur formationem sic dictam specificam? ...[6]

3. *Melior articulatio Institutorum missionalium cum corpore episcopali.* Cum corpus episcoporum ...[7] sit organum principaliter responsabile missionis, multum refert ut Instituta Missionalia modo arctiori et magis concreto cum hoc corpore reapse connectantur.

Humiliter proponam meditationibus et iudicio vestro sequentem ideam: « Nonne possibile esset ductiliores flexibilioresque reddendi notiones incardinationis et exemptionis, atque illis cum harmonia magis ac magis uti? ».

V. g., cur non possumus mentem dirigere versus aliquam figuram missionis in qua Instituta missionalia, in quantum agitur de personis et aedibus ad sustentationem necnon ad expansionem Instituti qua talis, privilegio exemptionis gauderent, dum membra eorum, collective sumpti, in dioecesi originis incardinationem servarent, immo etiam aliquam accessoriam incardinationem acquirere possent, saltem temporaneam — et cur non definitivam? — in dioecesi ad quam mitterentur?

Concludo.[8] Missionarii semper necessarii erunt. Ecclesia etenim sola manet in aeternum, dum Ecclesiae particulares, testante historia, oriuntur, crescunt et non raro periclitantur et pereunt ...[9]. Proinde usque ad finem mundi, missionarii necessarii erunt ad praedicandum Verbum

Domini, ad prosequendum et, si res ferat, ad initium denuo faciendum, quoad implantationem Ecclesiae.

Liceat mihi tandem addere quod divisio inter christianos causa praecipua minoris exitus missionis exstat. Huiusmodi scandalum ab illa divisione originatum, de qua divisione omnes comparticipes sumus, tale scandalum, dico, destruit signum unitatis, illum magnum signum *a* [10] quo Ecclesia ut vera agnosceretur, sicut Ipse Dominus Iesus promisit. Missio exigit a nobis ut ad unitatem fovendam omnes laboremus et oremus ...[11]

...[12] Schema de activitate missionali Ecclesiae propter orientationes necnon doctrinam sanam atque dynamicam quam proclamat, propter etiam possibilitates quas iam in floribus praebet, mihi videtur valde dignum approbatione Patrum. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] v. g. [2] satagant. [3] missionalem. [4] nec ad inefficaciam alicuius burocratiae longinquae, ponderosae et auctoritariae. [5] omnes. [6] Et si cuidam Instituto Missionario talem aptam formationem specialem efficaciter impertiri difficilius esset, cur Instituta Missionaria non tenderent ad arctiorem collaborationem, immo ad quandam coadunationem? [7] (cf. const. *Lumen Gentium*). [8] Ad conclusionem deveniam. [9] Christiani ipsi fidem amittere possunt et plures desinunt christiani esse. Quoad personas et Ecclesias particulares sic erit ad consummationem saeculi. [10] e. [11] imprimis ut instanter petitiones faciamus apud Deum, cum unitas est donum quod obtinet oratio fervens et humilis. [12] Sic.

Animadversiones additae:

Huiusmodi formatio specifica, quae a missione requiritur, duplex est:

a) Prior erit formatio missionalis generalis et comprehendet studium profundum et meditationem mysterii missionis, analysim oeconomiae revelationis salutis cum duplici aspectu paedagogiae divinae universalismi crescentis, historiam Ecclesiae missionalis a tempore Apostolorum usque ad dies nostros (cum recordatione orthodoxorum necnon reformatorum), cum discussione methodorum et cum studio critico experientiarum, bonae vel malae fortunae, cum notionibus basilaribus historiae religionum, et prima investigatione panoramica non superficiali ipsius regionis ad quam missurus est, etc.

b) Praeter talem formationem generalem, aliqui, unusquisque secundum talenta et aptitudines, recipiunt ante profectum formationem technicam quae requiritur a specializatione, scilicet elementa pastoralia liturgica (ad exsequendam reformationem conciliarem); exegesim biblicam (translationis causa Sacrarum Scripturarum), catechesim (intuitu praedicationis et formationis catechistarum), sociologiam, disciplinas de diariis, cinema et aliis mediis communicationis socialis. Omnes disciplinae illae ad missionem ordinantur.

Formatio missionariorum peritorum, specializatorum, supponit candidatos evidenter aptos et destinatos praesertim ad regiones quae iam clero autochtono « polyvalenti » ditantur. Per multos annos forsitan, missionarii « polyvalentes » necessarii

erunt, sed ecclesiae magis ac magis egent peritis, technicis, qui praecise necessitatibus diversis occurrere poterunt.

Cur futuri missionarii non reciperent in seminariis dioecesanis propriae originis formationem sacerdotalem generalem ac fundamentalem, et postea tantum ingredirentur, iam sacerdotes, seminaria Institutorum Missionalium quae illis elargirentur formationem sic dictam specificam? Ad hoc ideale tendere oportet etiamsi illius realisatio proxima non appareat.

Secretarius generalis: Suffragatio 368: n. 4, pag. 8 [*cf. pag. 14-15*]. *Placet* an *non placet?*

4

EXC.MUS P. D. ANDREAS SAPELAK
Episcopus tit. Sebastopolitanus in Thracia

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 22 Patrum.[1] Schema decreti *de activitate missionali Ecclesiae* reproponitur nobis « carnibus revestitum et sanguine vivificatum », sed non obstante grandi progressu ipsum nondum graviter mutilatum exstat, si volumus ut futurum decretum *de activitate missionali Ecclesiae* Charta Magna pro hac activitate Ecclesiae fiat, et haec activitas omnes gentes in universo mundo attingat.

Etiamsi schema decreti ad « aggiornamento » activitatis missionalis Ecclesiae tendit, hoc « aggiornamento » nimis partiale est, quia schema nullo modo considerat hoc gravissimum statum fere tertiae partis generis humani, in quo homines christiani et nondum christiani sub imperio atheismi militantis vivunt; ad quos Ecclesia nuntium evangelicum apostolatu directo missionariorum afferre non potest.

Nihil praevidetur in schemate, qualibus mediis hodiernis Evangelium propagandum sit inter hos populos et has nationes, quae a Statu atheistico nuntio evangelico vi arcentur, aut quali modo conservanda sit fides in nationibus, quae « Ecclesiam Silentii » constituunt.

Dicitur quidem per transennam in pag. 8, linn. 22 ss., de impossibilitate « pro tempore » praeconium evangelicum directe ac statim proponendi. Negamus agi de quadam temporaria circumstantia sed de diuturno quodam statu magnae partis generis humani, in quo generationes sine luce Evangelii et sine gratia Redemptionis in tenebris imperii atheismi militantis vivunt. Ucraina, e. g., iam fere quinquaginta annos sub potestate atheismi militantis est, et quinque milliones catholicorum eiusdem nationis plus quam viginti annos sine Pastoribus inveniuntur, fidem catholicam in domibus, in ambitu familiari profitentes, dum novae

generationes atheae fiunt. In eadem tristissima condicione plures nationes christianae inveniuntur. Curnam activitas missionalis Ecclesiae in suo ambitu missionali eas nationes non comprehendit, si vere activitas missionalis Ecclesiae omnes gentes in universo mundo attingere vult?

Practice schema nostrum in pag. 8, linn. 22 ss., missionariis proponit patientiam, prudentiam et magnam fiduciam quando isti « praeconium evangelicum directe ac statim » proponere nequeunt, sed nihil dicit, quid faciendum sit, ut innumeri homines qui in imperio atheismi militantis vivunt, Christum Salvatorem cognoscant. Hoc fieri potest praesertim transmissionibus radiophonicis, quae hodie tam copiose fere incessanter a Statibus communisticis ac democraticis adimplentur, ut respective ideae communismi ac libertatis inter cives diversorum systematum socialium ac politicorum propagentur.

Si Ecclesia catholica ad verum « aggiornamento » pastorale vult pervenire, ac novos horizontes aperire intendit, debet in sua activitate missionali instrumentis communicationis socialis, hodie radiophonia, crastina die televisione, imperium atheismi militantis penetrare, nuntium evangelicum omnibus gentibus viis modernis nuntiare ac praesertim milliones fideles catholicos « Ecclesiarum Silentii », quae sine Pastoribus inveniuntur, activitate sua pastorali attingere, fidem in eis servare, ac novis generationibus quae in schola atheismi crescunt Evangelium annuntiare, et ita vias Domini parare.

Speciali modo fideles plurimarum « Ecclesiarum Silentii », Pastoribus ac Sacerdotibus privati, in extrema spirituali necessitate inveniuntur. Propter hoc Ecclesia catholica activitate sua missionali eorum domus radiophonicis transmissionibus attingat ut Missam dominicalem, Evangelium suo quisque ritu ac sermone audire possit. Organizentur transmissiones radiophonicae quibus adulti ad baptismum praeparari possint; iuvenes autem ad primam Communionem ut occasionales Sacerdotes eam administrare possint. Edoceantur omnes solida instructione catechistica ut Deum cognoscant et colant cum exspectatione ut missionarii ac ministri Ecclesiae veniant et abundantiam vitae divinae afferant. Hi modi apostolatus intento schematis respondebunt nam in pag. 8, linn. 28-29 eiusdem schematis hoc asseritur: « Cum qualibet autem condicione vel statu actus proprii seu apta instrumenta congruere debent ».

Ad hanc specificam activitatem missionalem Ecclesiae relate ad Ecclesias Silentii et relate ad populos qui evangelica praedicatione iniuste ac violenter a Statibus imperii atheismi militantis privantur, speciali modo radiophoniae Vaticanae vocantur.

Gratias agimus radiophoniae Vaticanae pro inceptis iam fructuose peractis, et rogamus Fratres nationum Europae ut suis frequentissimis

quotidianis transmissionibus radiophoniae Vaticanae partim renuntient in favorem fratrum Ecclesiarum Silentii, quarum transmissiones propter penuriam temporis adhuc tam rarae sunt. Sed etiam conferentiae episcopales praesertim Ecclesiarum Europae et Americae enixe rogantur ut propagationem fidei, Evangelii, ac instructiones catechisticas transmissionibus radiophonicis ad Ecclesias Silentii promoveant, speciali modo opera sacerdotum ac laicorum earumdem Ecclesiarum qui in emigratione versantur. Hoc modo Ecclesiae Silentii non solum a lenta morte ad quam ab inimicis Dei damnatae sunt, praeservabuntur; sed a Concilio novum robur hac activitate missionali accipient, et novae generationes quae in atheismo statali educantur ad lucem Evangelii pervenire poterunt.

Ordines autem Congregationesque religiosae praesertim missionariae speciali cura missionarios praeparent, qui lingua, ritu, historia, doctrina marxismi experti, instrumenta utilia Divinae Providentiae pro Ecclesiis Silentii parati sint ...[2]

Propositiones practicas secretariatui trado. Nunc autem, praecisationem quamdam ad cap. IV in textu schematis, etiam nomine em.mi card. Ioseph Slipyj et aliorum Patrum, praesertim Orientalium, propono[3]:

Ad verba schematis in pag. 21, extrema linea ac in pagina sequenti: « Pro omnibus Missionibus et pro tota activitate missionali unum tantum sit oportet Dicasterium competens, nempe « De Propaganda Fide », a quo dirigantur necnon coordinentur ubique terrarum et ipsum opus missionale et cooperatio missionaria », *propono ut*[4] addentur haec verba: « salva semper competentia Sacrae Congregationis " Pro Ecclesiis Orientalibus " in regionibus quae ei subduntur, ac in territoriis quae in Ritibus Orientalibus evangelizantur ».

Haec additio magni momenti esse videtur, quia: *a*) Plene consonat cum decreto *de Ecclesiis Catholicis Orientalibus,* in quo aeque recognoscitur Ecclesiis Orientalibus ius et onus Evangelium propagandi; *b*) iustitiae respondet, ne Ecclesiae Catholicae Orientales iure propagationis Evangelii priventur; *c*) rationem quoque oecumenicam habet, quia Ecclesiae Orthodoxae Orientales missionale opus semper exercuerunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Ut schema decreti *de activitate missionali Ecclesiae* vere oecumenicum ac missionale sit ad omnes gentes in quacumque condicione sociali ac politica vivant, haec proponere audeo: 1. Addatur in schemate novum caput in quo *a*) ante omnia sollemniter ac firmiter reclamet Ecclesia contra violationem sacrosancti iuris ac gravis obligationis suae omnes gentes evangelizandi, quod missionem essentialem Ecclesiae Christi constituit; *b*) ut Ecclesia catholica ad verum « aggiornamento » activitatis suae missionalis perveniat, delineentur in no-

stro schemate novi modi activitatis missionalis pro nationibus et praesertim pro Ecclesiis silentii, quae sub imperio atheismi militantis degunt et nuntio evangelico violenter ac iniuste privantur; *c*) foveantur Ecclesiae particulares, praesertim orientales in emigratione, quae partem singularem Ecclesiarum silentii constituunt, quia ipsa sua exsistentia missionale opus perficiunt relate ad Ecclesias suas, quae in patria silere debent. 2. Constituatur insuper apud Congregationes de Propaganda Fide et de Ecclesiis Orientalibus specialis stabilis commissio vel independens secretariatus, ex pastoribus Ecclesiarum silentii, in quantum fieri potest, compositus, ut hanc specialem activitatem missionalem Ecclesiae dirigat, foveat ac ordinet, ideasque spiritum ac doctrinam conciliarem Ecclesiae omnibus christifidelibus Ecclesiarum silentii propagent; opinionem publicam omnium christianorum ac mundi de sorte fratrum sub imperio atheismi militantis viventium auctoritative informet. Si Concilium Oecumenicum Vaticanum II problemata Ecclesiarum ac hominum qui in occidente versantur tam profunde examinavit, et e contrario maxima cum prudentia factum persecutionum adversus religionem in schemate *de libertate religiosa* tam leviter tetigit, Ecclesias silentii quasi silentio praetereundo, nunc bona occasio nobis praebetur ut Concilium Vaticanum II in decreto *de activitate missionali Ecclesiae* fratres nostros, qui sub gubernio atheismi militantis vivunt ac propter Christum patiuntur, omnesque qui luce Evangelii a Statu privantur, activitate sua missionali amplectet ac lumen Christi eis afferat. [3] Quoad ordinationem activitatis missionalis, de qua sermo est in cap. IV, additionem quandam, seu melius praecisationem, etiam nomine plurimorum Patrum orientalium propono. [4] deest.

[*Subscripserunt etiam*] J. card. Slipyj; M. Harika, abb. gen.; F. Van Hoeck; J. Gabro; N. Elko; G. Amadouni; Vl. Malanczuk; M. Hermaniuk; J. Bučko; I. Prasko; J. Segedi; B. Cristea; R. Arrieta, ep. Tilaràn; J. Martinetz, ep. tit. Soldaia; G. Bukatko, arch. adm. ap.; A. Roborecki; J. Schmondiuk; A. Hofmann; J. Gahamanyi; Th. Drury; P. Bouckaert, ep. Popokabaka; F. Benitez, ep. tit. Chersoneso di Europa; R. Kérautret, ep. Angoulême; Ivan, ep. tit. Zigri; A. Hornyak; H. Gad; J. Rojas, ep. Trujillo; J. Sibomana, ep. Ruhengeri.

Secretarius generalis: Suffragatio 369. Videatis pag. 9, n. 5: [*cf. pag. 15-16*]. *Placet* an *non placet?*

5

Exc.mus P. D. ERNESTUS GONÇALVES DA COSTA
Episcopus Inhambanianus

Venerabiles Patres,

Novum schema *de activitate missionali Ecclesiae,* forma plena confectum, in genere mihi satis placet ...[1]

Schema actuale, quamquam priore amplius et perfectius, ulteriores mutationes pati potest. Quapropter, licet mihi aliquas animadversiones facere ...[2]

Prima animadversio: Quoad materiae dispositionem. Activitas missionalis, pag. 7, cap. I, n. 6 ss. inserta, cum paragraphis praecedentibus non connectitur. In primis, divinam missionem atque operationes divinas et in persona Christi habemus, modo stricto loquendo, dummodo in activitate missionali agitur de Ecclesia a Christo condita et ab elementis humanis constituta, cum munere gentes evangelizandi. Est actio a die Pentecostes incepta.

Activitas missionalis est exercitium Christi mandati et Ecclesiae insertio in mundo. Hac in activitate omnis Populus Dei participat. Praeterea, fundamentum de quo agitur, in par. 7, circa rationes activitatis missionis, non modo « ex proposito Dei cui Christus oboedienter et amanter inservit ad gloriam Patris qui misit eum » verum etiam a baptismali incorporatione in Mystico Corpore et a Populo Sacerdotali evadit. Omnes christifideles, eorum sacerdotii ratione, ad Ecclesiae missionariam ac universalem vocationem adstricti sunt.

Hoc modo, mihi videtur hanc materiam in capite novo tractari *debere.*[3] Praeterea, censeo cap. III ante cap. II collocandum, quia praeprimis et intra normas logicas, de subiecto missionario et tantum postea de eius exercitio agitur.

Itaque, salva meliori opinione, exopto ut materia in hoc schemate sic ordinetur: cap. I: de principiis doctrinalibus; cap. II: fundamentum theologicum de activitate missionali; cap. III: de missionariis; cap. IV: de ipso opere missionali; cap. V: de cooperatione missionali; cap. VI: de ordinatione activitate missionali ...[4]

Secunda animadversio: Quoad themata tractata. A) *Methodi missionariae.*[5] Dicitur in pag. 20, cap. III, par. 24, linn. 21 ss.: « Futuro missionario necessarium est cognoscere doctrinam et normas Ecclesiae circa activitatem missionalem, scire quas vias nuntii Evangelii decursu saeculorum percurrerint, ...[6] » *etc.*[7]

Haec verba magni momenti sunt, non solum pro futuris missionariis sed etiam pro omnibus, qui res missionarias aliquo modo tractari velint. Nostris temporibus non pauci sunt auctores qui methodos missionarias ab Ecclesia approbatas et a plurimis missionariis praeterito secutas condemnant et assertiones faciunt, haud raro veritate ac realitate carentes.

Activitas quidem hodierna missionalis, etsi eadem in sua doctrinali essentia, iuxta progressionem societatis per saecula et coram gentibus evangelizandis multum differt ab ea quae in aetate primaeva christiana *et per saecula*[8] secuta fuit.

Institutiones politicas, conditiones oeconomicas et sociales, populorum totius mundi culturae gradus et alia adiuncta, ante oculos habere

debemus ut obiective necnon cum serietate et iustitia historia perficiatur.

Non miremur, quando praeter doctrinam evangelicam, populi evangelizati aliquid de mentalitate, habitudine, re liturgica et sociali a missionariis recepissent. Eaedem gentes, pariter cum fiducia et laeto animo, res technicas et scientificas, modos vivendi et gaudendi, omnia commoda a societate magis evoluta quam eis, sine controversia et reluctantia beate amplexerunt.

Ecclesia est supernationalis, sed incarnatur in persona humana et in coetu sociali. Methodi equidem *missionariae* [9] non sunt absolutae, verum relativae. Ideoque, ad populorum conditiones et progressionem secundum tempora, regiones et circumstantias adaptantur.

Aptatio in schemate suggesta non est novitas in hodiernis temporibus, eo quod praeterito a missionariis praeplurimis secuta est.

Etiam nonnullae potestates civiles, in suis constitutionibus, gentium traditionalia iura servaverunt usque ad nostram aetatem, uti in Constitutione Politica, provinciae meae *statutum* [10] est. Ergo, aptatio non est via opportunistica, utpote exigentia hodierna dumtaxat, sed fundamentum historicum habet, quo pastoralis sensus schematis nostri melior elucebit.

B) *De oratione pro missionibus.* In toto schemate pauca dicitur de oratione pro missionibus. Habemus tantum exhortationem ad preces, sed orationis missionariae rationem hic non praebetur.

Opus est orationis pro missionibus obligationem et fundamentum clare et lucide exponere secundum doctrinam Sacrae Scripturae, Sacrae Liturgiae et Summorum Pontificum *documenta*.[11]

Oportet sensum theologicum orationis individualis et communitariae omnes christifideles docere, ut populus Dei suam ingentem responsabilitatem cognoscat et sentiat coram gentibus, quae Redemptionis Nuntium adhuc exspectant ...[12]

Pius XI, felicis memoriae, dixit: « Oratio ante et super omnia. Missionum opus non est humanum. Humanae et terrenae divitiae non sufficiunt ad id perficiendum. Opus caeleste et divinum, superhumanum, ideoque eius dynamismum et adiutorium venire non possunt nisi a Deo ».

C) ...[13] In textu novo nunc elaborato, circa *scholarum* valorem et momentum in missionibus nihil invenitur.

Attamen in omnibus fere regionibus, scimus scholam missionariam Evangelii penetrationis maximum instrumentum esse, non tantum ad hominis efformationem sed etiam ad gentium conversionem. Activitas

missionalis, in regionibus multis, solummodo per missionariis scholas commissas, exercetur ...[14]. Schola vero totalis formationis instrumentum est, a qua oritur homo, civis et christifidelis.

Tertia animadversio: Quoad aliquas expressiones. In decursu schematis nostri loquitur pluries de adaptatione missionalis activitatis ad consuetudines populi evangelizandi ...[15]

Inter bonas et malas consuetudines distinctionem introducere oportet. Si illae conservandae ...[16]

Moderator: Exc.me Pater, tempus exhaustum est!

Orator: Concludo! Prima conclusio. Exopto *ergo humiliter*[17] ut schema ordinetur secundum primam *meam*[18] animadversionem supra expositam.

Secunda conclusio. Deinde expostulo ut: *a*) in temporibus nostris methodi missionales actualissimae evadant et structurae missionariae reformentur iuxta Ecclesiae Constitutionem *aliaque documenta a nostra Sacra Synodo approbata,*[19] et societatis progressum, sed sine contemptu pro missionariis qui strenue et efficaciter in vinea Domini olim adlaboraverunt; *b*) in schemate, tractatus de fundamento theologico circa orationis pro missionibus obligationem includatur; *c*) nova paragraphus, de scholis, post par. 17, addatur ...[20]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Per saecula activitas missionalis magnum Ecclesiae problema constituit. Ab aetate apostolica Ecclesia est essentialiter missionaria, ad populos missa ut eos per nuntium evangelicum ac supernaturalem vitam in nova oeconomia salvifica introduceret. [2] quoad materiae dispositionem; quoad themata tractata; quoad aliquas expressiones. [3] debebat. [4] Insuper propono ut par. 17 « de Catechistarum institutione » substituatur a par. 18 « Vita religiosa promovenda » et vice versa, quia vita religiosa perfectionis status praestantissimus est, et super catechistarum institutionem, ob eius dignitatem et canonicum conceptum, permanet. [5] Methodus missionarius. [6] necnon praesentem missionum condicionem simul ac methodos quae nunc temporis efficaciores recensentur ». [7] deest. [8] deest. [9] missionales. [10] statum. [11] exhortationes. [12] Merita Christi Redemptionis perfecta et abundantissima in suo ordine, in actu primo, tanquam causa remota et universalis iustificationis nostrae fuit, sed eius efficacia concreta in actu secundo tantum per Ecclesiae collaborationem coniunctam ad acquisitionem meriti operatur. Quamobrem Ecclesia uti societas communitaria preces continue effundere debet pro omnibus necessitatibus missionum. [13] De scholis. [14] Missionarii, munus suum apte et fructuose adimplere non valent nisi cum scholis. Plures christianitates in variis nationibus omnino a scholis pendent. In « Atti della quarta settimana di studi missionari » Milano habita a. 1963, dicitur: « Catholicismi progressio in Africa oritur a scholis

catholicis. Schola est nota typica et characteristica Ecclesiae ad homines ex ignorantia arripiendos et ad culturam promovendam. La vitalità della Chiesa di oggi e di domani dipende troppo strettamente dal modo in cui s'impartisce l'istruzione religiosa. La scuola delle missioni, in Africa, è stata un vero e autentico successo, non solo per l'educazione in se stessa, ma anche per l'apostolato della Chiesa ». [15] v. g. pag. 19, cap. III, n. 23 lin. 24 dicitur « Alienis populorum moribus »; pag. 18, cap. II, n. 20, linn. 24-25: « vita christiana ingenio indolique cuiusque culturae accommodabitur »; pag. 20, cap. III, n. 24, linn. 20-21: « Quicumque nempe alium populum aditurus, magni aestimet eius ... mores ». [16] istae caute, suaviter et caritative corrigendae. In omnibus contrariis ad rectitudinem moralem, dignitatem humanam, personae iura, familiarem institutionem, vocationis status selectionem, etc. adaptatio non monenda sed vitanda. Omnia bona et sanos mores apud gentes missionarios semper conservare oportet. Temporalium praeoccupationem secundum humanam dignitatem evangelizatio implicat. Gratia minimum sanitatis naturae semper praesumit. [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] 3. Propono ut post verbum « alienis » pag. 19, lin. 24 addatur « et bonis »; in pag. 20, lin. 25 ante « mores » ponatur verbum « bonos ». Hoc in sensu rogo enim ut in pag. 20, lin. 22, post verbum « futuro missionario » addatur « et omnibus qui de re missionaria tractant ». Opus missionale, venerabiles Patres, est essentialiter caritatis missio peragenda et eius operositas a gratia Dei atque a spirituali ac materiali christifidelium generositate pendet.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 370. Videatis pag. 11, n. 9 [*cf. pag. 18*]. *Placet* an *non placet?*

6

EXC.MUS P. D. IOSEPH CORDEIRO
Archiepiscopus Karachiensis

Venerabiles Fratres,

Loquor nomine plus quam 50 Patrum *ex variis regionibus*.[1] Schema nostrum *in genere placet, specialiter quia*[2] describit longius pulchriusque doctrinam profundam ad activitatem missionalem in Ecclesia alte radicandam.

Attamen, tractando de necessitate huius apostolatus ...[3], textus schematis *in priore parte*[4] mihi videtur deficere in concinnitate et claritate argumenti. Certocertius ...[5] inveniuntur omnia elementa quae zelum missionale fervidum reddere possunt. Sed inter haec elementa deficit ille nexus, *specialiter*[6] nexus inter propositum Dei et salutem hominis, ut respondeamus fortiter ad maximum problema quod etiam in textu ...[7] indicatur.

Liceat mihi hoc problema missionariorum nostri temporis explicare et solutionem huius problematis proponere quod, ni fallor, multum iuva-

bit ad textum reformandum ut veram necessitatem missionalis activitatis demonstrari possit.

Problema de quo agimus originem ducit ab illa recenti clarificatione theologica quam novus spiritus oecumenicus *introducit.*[8] Hodie autem duae veritates in *luce*[9] ponuntur.

Prima. Sicut dictum est in schemate, « Ecclesia tenet Deum viis sibi notis homines ad Fidem adducere posse, sine qua impossibile est Ipsi placere, etiamsi Evangelium non audierint ». A. v., homines salvari possunt etiamsi Corpori Christi mystico visibiliter non annectantur.

Secunda veritas. Ecclesiae acatholicae et etiam religiones non christianae hominibus adiuvare possunt ad salutem obtinendam in quantum omne verum a quocumque prolatum, a Spiritu Sancto est, qui etiam per veritates prolatas et bona diffusa ab aliis religionibus homines adiuvat sua activa assistentia ut verum Deum colant et serviant.

Hae duae veritates in mentes multorum missionariorum maximum problema introducunt. Ipsi autem corde anxio quaerunt: « Cur ergo Ecclesia activitatem missionalem fortiter peragere debet si omnes homines salvari possunt etiamsi Evangelium non audierint vel Corpori Christi mystico non visibiliter coniungantur? ».

Ad hoc problema schema nostrum validum responsum dare debet. Quod responsum autem in ipsa divina revelatione indicatur. Nam Sacra Scriptura saepius affirmat plenam gloriam Dei dependere a perenni et fructifera activitate missionali Eius unius veraeque Ecclesiae.

Ad intelligendum hunc nexum necessarium inter gloriam Dei et activitatem missionalem Ecclesiae iuvat multum meminisse doctrinam biblicam de natura gloriae Dei. In Sacra Scriptura, gloria Dei est quaedam effulgentia Eius activitatis salutaris. Deus enim recipit ab hominibus *plenam* gloriam solummodo quando homines in mente et corde gratia salutifera conversi, clare agnoscunt cum laude et honore quis Deus vere sit et quid Ipse vere faciat, dando huic laudi resonantiam per vitam atque mores voluntati divinae consonantes.

Haec doctrina biblica de gloria Dei plene et perfecte evolvitur in Novo Testamento. Nam in exponendo proposito Dei de salute animarum procuranda, Novum Testamentum clare affirmat activitatem salutarem Dei in mundo eamdem esse ac activitatem redemptivam Filii Eius, Christi Salvatoris. Ex hoc sequitur ut homines vere scire possunt quis Deus sit, et quid Deus faciat et fecerit propter nos et propter nostram salutem solummodo si mentes illorum doctrina Christi illuminentur et corda eorum gratia Eius mortis et resurrectionis impleantur. Ideo Deus accipit laudem plenae gloriae quando omnes homines *conscie* vivunt in

Christo et per Christum qui Ipse est vera gloria Patris. Ex hoc ergo deduci debet ratio activitatis missionalis, nam Christus per fidem, et fides ex auditu recipitur.

Sub lumine ergo huius doctrinae Ecclesia in sua activitate missionali tendere nequit ad finem mere *anthropocentricum.* Multo minus licet missionariis eorum activitatem adaptare ad principium quod docet Deum viis sibi notis animas salvare posse etiamsi Evangelium non audierint. Talis aestimatio, quae praecipue ad hominem respicit, contraria est toti momento divinae revelationis quae est *theocentrica* et *Christocentrica,* quae videlicet respicit semper et primarie ad plenam gloriam Dei in Christo et per Christum.

Haec visio theocentrica, cum sua emphasi in gloria Dei, unicam solutionem problematis de quo loquimur praebet. Nam nostri missionarii tunc plene agnoscent necessitatem activitatis missionalis quando intelligant ipsam gloriam Dei postulare urgenter urgentiusque ut omnis homo vivat conscie in corpore Christi qui solus Deo Patri plenam gloriam offert. Homines ergo accipientes Christum, cognitioni et amori Dei Patris consortiantur, et sic tantummodo plene participes fiunt sacrificii laudis Christi, quia participant in Eius mysterium Paschale. Sicut nos qui Christi sumus, intimiorem unionem cum Ipso colere debemus, ita totum genus humanum per consciam acceptionem et vivam fidem in unione cum Christo adduci debet. Quo magis est unio, eo magis est gloria Dei.

Venerabiles Fratres,[10] optime dixit Relator quod schema debet esse Magna Charta pro missionariis. Ergo vi et vigore non deficiens. Schema praeteritum reiectum fuit praecise quia erat ossa arida. Nunc vero habet carnem. Sed caveamus, quia aliquoties caro potest esse infirma...

Ideo si volumus demonstrare cur activitas missionalis Ecclesiae et praedicatio Evangelii semper perdurare et crescere debeant, et si volumus in cordibus missionariorum robur infundere ut magis magisque ad munera sua sese devoveant, credo quod necessarium est ut clare demonstraretur in textu, specialiter in cap. I, par. 7, quam maxime cohaerere plenam gloriam Dei cum activitate missionali Ecclesiae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] in sua parte priore. [3] specialiter par. 7. [4] deest. [5] in hac paragrapho. [6] imprimis. [7] huius paragraphi. [8] introducebat. [9] lucem. [10] conclusio.

[*Subscripserunt etiam*] D. Hurley, arch. Durban; H. Ddungu, ep. Masaka; J. K. Amissah, arch. Cape Coast; D. Vendargon, ep. Kuala Lumpur; I. Glennie, ep. Trincomalee; Th. Cahill, ep. Cairns; J. Healy, ep. Gibraltar; J. Ireland, praef. ap. Falkland Islands; R. Guilly; Th. Holland, ep. Salford; P. McKeefry, arch. Wel-

lington; J. card. Heenan; P. Puech, ep. Carcassone; L. Ferrand, arch. Tours; Ioannes, arch. Manàus; O. de Oliveira, arch. Mariana; H. Henry, arch. Kwangju; R. Piérard, ep. Châlons; R. Johan, ep. Agen; L. Lebrun, ep. Autun; J. Guilhem, ep. Laval; J. Hermil, aux. Autun; J. Bernard, arch. tit. Are de Mauritania; Mar Athanasius; B. Lourdyswamy, arch. coad. Bangalore; A. Fernandes, arch. coad. Delhi; Th. Ganguly, coad. Dacca; R. Larose, ep. Chittagong; G. Breen, praef. ap. Haflong; M. Choquet, ep. tit. Diospoli infer.; M. McGrath, ep. Santiago di Veraguas; A. Cousineau, ep. Cap Haitien; G. Lalande, sup. gen. C.S.C.; L. D'Mello, ep. Ajmer; P. Kerketta, arch. Ranchi; M. Fernandes; A. Padiyara; P. Picachy, ep. Jamshedpur; R. D'Mello, ep. Allahabad; E. D'Souza, arch. Bhopal; A. Fernandes, arch. tit. Neo Patrasso; I. Mummadi, ep. Guntur; D. Asulswamy, ep. Kumbakonam.

Moderator: Proponitur ulterior textus pro suffragatione.

Secretarius generalis: Antequam proponam, venerabiles Patres, respondeo ad aliquam quaestionem quae ad hanc secretariam pervenit.

Quaesitum est quare non legerim n. 6. Sed ego non legi non tantummodo n. 6, sed neque 7, neque 8; et ratio est quia immutationes inductae in his numeris sunt parvi momenti et sententia circa has minoris momenti mutationes quaeretur in fine quaesito generali. Ergo nunc leguntur tantum numeri in quibus sunt mutationes maioris momenti, modi maioris momenti, prouti ceterum scriptum est in folio quod distributum est.

Ergo lego textum 371 suffragationis. Videatis pag. 12, n. 10: [*cf. pag. 18-19*]. *Placet* an *non placet?*

7

Exc.mus P. D. MARCUS GREGORIUS McGRATH
Episcopus S. Iacobi Veraguënsis

Venerabiles Patres,

Schema propositum certe laudandum est et gratias agimus membris commissionis pro sua sollertia et industria in nova compositione textus.

Maximus valor huius schematis est fundamentum doctrinale quod sternit pro omni activitate missionali Ecclesiae. Si omnis actio pastoralis Ecclesiae debet fundari in visione theologica suae missionis divinitus datae, imprimis hoc valet pro activitate missionali Ecclesiae.

Liceat mihi adhuc aliqua forsitan utilia ad hanc visionem afferre.

Primum, de n. 7. « Rationes et necessitas missionalis activitatis » modo quasi apologetico exponuntur, vel satis apologiam sapiunt, praesertim propter expressiones in linn. 3-5, et 31-34. Puto has lineas sup-

primi posse sine ullo detrimento textui. Propositum Patris missionis universalis salvificae Ecclesiae iam satis et doctrinaliter affirmatur in reliquis lineis; nec deest necessaria allusio ad salvationem illorum qui Ecclesiam ignorant ...[1]

Sunt autem aliqua quae, *mea humili opinione*,[2] deficiunt in doctrinali expositione cap. I; quod statim apparet ex compositione cum constitutione *Lumen Gentium*. Magna vis *enim*[3] illius constitutionis *de Ecclesia* habetur in hoc quod post initialem considerationem mysterii Ecclesiae in Deo Trino absconditi et nobis revelati, immediate de Populo Dei sermo est, in quo simili gratia omnes congregati vel congregandi sunt, ut deinde specialis sermo fiat de diversis muneribus membrorum in Ecclesia, episcoporum, scil., presbyterorum, laicorum et religiosorum. Similis ordo esset hic sequendus, sub aspectu praeciso *missionis* sive activitatis missionalis Ecclesiae. In textu autem, post optimas considerationes Trinitarias, sermo fit sub nn. 5 et 6 de activitate missionali Ecclesiae a Christo missae, simul et permixtim tractans omnia membra in Ecclesia, sine distinctione *praevia*[4] eorum munerum. Propter hanc impraecisionem doctrinalem oriuntur confusiones in reliquis capitibus, necnon nonnullae repetitiones ubicumque notiones adhuc impraecisae de membris necessario describi debent. En aliqua exempla:

1. Quia non clare ex initio apparet vitam missionariam Ecclesiae esse propriam *totius populi Dei*, ut optime notavit em.mus card. Alfrink, exinde in toto schemate impressio habetur hanc activitatem missionalem, ab episcopis dirigendam, esse tantum sive sacerdotibus sive religiosis deputatam, cum aliquo mere accidentali adiutorio laicorum. In cap. V, sub n. 39, varia quae dicuntur *de missionali officio* laicorum in concreto, meo humili iudicio, exinde videntur quasi accidentaliter dici; non autem esse de ipsa constitutione missionum. Forsitan hoc accidit quia de laico tantum ut apostolo individuali sermo est, de laico nempe ut nec sacerdote nec religioso, non autem de laico in contextu eius familiae et totius communitatis laicorum ex multis familiis compositae, i. e. de ipsa communitate Ecclesiae, signum caritatis, de qua etiam in missionibus laici maiorem partem constituunt.

2. In eodem cap. V commendationes practicae fiunt diversis membris Ecclesiae (episcopis, sacerdotibus, religiosis et laicis) in favorem missionum. Ad hoc faciendum redactores debuissent in illo loco fundamenta doctrinalia diversitatis membrorum supplere, ob eius defectum in cap. I ei magis proprio, ex quo oritur confusio valorum: maiora cum minoribus permixtim tractantur, doctrina fundamentalis missionis Ecclesiae, nempe, cum particularibus et concretis commendationibus.

3. De episcopis, multae sunt referentiae, inadaequatus autem est conceptus in schemate. Novimus ex constitutionibus *de Ecclesia* et *de sacra Liturgia,* et de constitutione adhuc promulganda *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* hierarchicam esse constitutionem Ecclesiae, sive de Ecclesia universali sive de Ecclesia particulari fiat sermo. « In episcopis, quibus presbyteri assistunt », ait constitutio *Lumen Gentium,* « adest in medio credentium Dominus Iesus Christus, Pontifex Summus » ...[5]. Haec sacramentalis et vicaria praesentia Christi in Ecclesiis per episcopos in initio, suo loco, declaranda esset, ut basis omnis sacramentalis actionis sine qua, dicit ipsamet constitutio, nulla est legitima praedicatio fidei neque celebratio eucharistiae, et ex qua pendet ordinata actio missionalis omnium christifidelium ...[6]

4. De universali regimine Ecclesiae a collegio episcoporum sub Romano Pontifice exercito, praeclara doctrina denuo ab hoc Concilio in lucem posita, mentio fit in textu ...[7], sed non ponitur suo loco in expositione doctrinali ut basis structuralis non tantum constitutionis hierarchicae Ecclesiae sed etiam eius activitatis missionalis.

Neminem fugit tamen quantum momentum haec doctrina habeat pro communi nostra actione in favorem Ecclesiae universalis. Nonne propter illam sententiam canonicam ultimis saeculis diffusam iuxta quam episcopus non erat nisi sacerdos cum missione canonica regendi aliquam particularem Ecclesiam, tota vis uniuscuiusque episcopi in aedificationem suae dumtaxat dioeceseos exercere tendebat? Huiusmodi opinio nunc autem nullomodo sustineri potest. Episcopus fit per sacramentum; et qua talis constituitur membrum corporis seu collegii episcopalis, sub Romano Pontifice, sollicitus omnium Ecclesiarum per se antequam pro uni particulari Ecclesiae missionem iuridicam accipiat. Sic patet omnes episcopi solidarios esse cum Summo Pontifice et sub eius directione, universalis missionis Ecclesiae toto orbe terrarum.

Nolo taedere vos, venerabiles Patres, nimia insistentia in his quae omnes bene novimus. Sed quantum incrementum activitatis missionalis Ecclesiae debemus exspectare in futurum ex hoc spiritu collegiali nuper renovato in Ecclesia! Signa temporum perscrutantes, ultimi Summi Pontifices verbis et gestis evocaverunt actionem magis unitam catholicorum per orbem diffusorum in hac aetate nostra quando mundus magis ac magis in unum reducitur, physice saltem per media communicationis, et per crescentem interdependentiam omnium nationum.

Concludo.[8] Hac unitate experti et profundius imbuti post quattuor sessiones huius providentialis Concilii, episcopi scimus verum sensum internationalem seu catholicum promovere in omnibus Ecclesiae mem-

bris, praesertim in activitate eius missionali, munus nobis praecipue est adimplendum, exemplum sequentes praeclari missionarii Papae Pauli VI, feliciter regnantis.

Ad hoc fiat clarius descriptio de hac doctrina in primo capite.[9] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] in linn. 5-7. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] (cap. III n. 21). [6] Liceat adnotare ex hac doctrina appareret quare praeses uniuscuiusque Ecclesiae particularis — sive dioeceseos, sive praefecturae, sive praelaturae, sive missionis vocetur — deberet episcopus esse et non tantum iurisdictione episcopali pollere. De facto, praxis Ecclesiae in id tendit ut praesides Ecclesiae missionalis semper sint episcopali dignitate constituti, contra innovationes saec. XVI ortas ob rationes praesertim ordinis politici (cf. pag. 23, linn. 15-19 nostri schematis). Omnino commendanda est haec tendentia; cuius ratio autem non satis appareret nisi munus sacramentale episcopis in Ecclesia clarius declararetur in textu. Presbyteri in missionibus hoc sensu sacramentalis unitatis in episcopo imbuti non singillatim nec solitarii agere debent, sed communi actione sacerdotali presbyterii, ut providi cooperatores episcopi et patres cum illo familiae Domini. Unitas activitatis missionalis etiam religiosorum et laicorum, tum liturgica tum apostolica, exinde facilius construitur. [7] praesertim pag. 21, linn. 32-37 et pag. 25, linn. 16-25. [8] deest. [9] deest.

Secretarius generalis: Suffragatio 372. N. 11, pag. 12: [*cf. pag. 19-20*]. *Placet* an *non placet?*

Patres venerabiles, petitum est etiam quoad schema *de educatione christiana* ut suffragationes multiplicarentur, ad praecise mentem Patrum referendam. Commissio annuit huic petitioni et crastina vobis distribuetur folium quod continet has novas quaestiones, circa quas fiet suffragatio feria IV prouti nuntiatum est.

Nunc velitis attendere, Patres! Sanctissimus Dominus misit em.mo viro card. Eugenio Tisserant, primo e Consilio Praesidentiae Concilii Oecumenici Vaticani II, hanc epistolam, quam nomine et auctoritate eminentissimi vobis lego: [*cf. vol. IV, pars I, pag. 40*].

Proponitur nunc alia suffragatio, quae est in pag. 13, n. 12. Suffragatio est 373: [*cf. pag. 20-21*]. *Placet* an *non placet?* Et est ultima suffragatio pro hoc die.

8

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

Venerabiles Patres,

Schema novum *de activitate missionali Ecclesiae* a competente commissione praeparatum, exspectationi Patrum correspondere iam valet et mihi valde placet. Etenim in ipso doctrina theologica de activitate missionali necnon de eiusdem activitatis opere et cooperatione expositio organice et scientifice procedit.

Sed obiectiones circa schema nostrum, extra aulam vel intra aulam, multoties audivi, de quarum principalioribus velim hic exponere.

I. *De necessitate missionis.* Plures Patres observaverunt, extra vel intra Aulam Conciliarem, quod schema nostrum, de ratione necessitatis Missionum, nimis tenue et quasi timorose loquitur de salute aeterna non-christianorum.

Observatio haec autem tangit certe modum exponendi sed non tangit essentiam schematis. Nam in textu exponuntur duae rationes pro necessitate Missionum relate ad salutem aeternam non-christianorum et congregationem hominum in populum Dei; quae rationes intime cohaerent inter se et sunt duo aspectus unius rationis et speciatim quoad necessitatem Ecclesiae pro salute aeterna non-christianorum.

Etenim in religionibus non-christianis elementa tradita a divina revelatione vel primitiva vel prophetica contineri quidem possunt. Haec elementa decursu saeculorum a sapientibus ex naturali scientia aucta sunt; sed etiam erroribus non paucis ex ignorantia ac ex concupiscentia affecta sunt. Homo, qui in his religionibus natus est et bona fide cultum religiosum amplectitur, ad unicum Deum cognoscendum atque adorandum duci potest. Fides haec non-christiana in unum Deum et in salutem aeternam credit ea omnia quae a Deo stabilita sunt necessaria pro salute. Deus vero stabilivit genus humanum salvari per unicum Salvatorem et Mediatorem qui est Christus Iesus. Propterea homo non-christianus unicum Deum adorans et in unicum Deum credens, credit implicite etiam in Mediatorem et Salvatorem et fides eius in Christum implicita dicitur.

Adsunt insuper in religionibus non-christianis plura elementa moralia et ascetica quae hominem fide implicita in Christum credentem ad gratiam Dei *remote* disponere valent. Deus, cuius via nobis inscrutabilis

est, hominem non-christianum religiose et moraliter bonum gratia sua sanctificare potest. Homo ita sanctificatus implicite ad Populum Dei pertinere valet.

Attamen quis non videt quod haec via inscrutabilis Dei pro salute non est ordinaria sed extraordinaria? Quis non videt quod fides implicita in Deum propter errores doctrinales et propter ignorantiam intellectus humani a peccato originali vulnerati quam difficilis est! Homo christianus in Ecclesia Christi vivens et sacramentis adiutus adhuc valde difficile ad praecepta Dei observanda; quid tunc dicamus de homine non-christiano mediis supernaturalibus orbatus, qui praecepta naturalia in tantis concupiscentiae tentationibus observare debet! Inde via ordinaria et securior salutis a Deo stabilita est Ecclesia Christi, in qua homo per praedicationem Evangelii incomparabiliter illuminatur et per sacramenta iustificatur, ut dicitur in nostro schemate. Propterea Missio est semper necessaria. In hac via ordinaria salutis manifestatur etiam propositum Dei vocandi et congregandi genus humanum in unum populum Dei. Nam salus fit per baptismum in Christum et in baptismo homo baptizatus incorporatur in corpus mysticum Christi ac proinde filius Dei adoptivus vocatur et membrum populi Dei. Itaque rationes pro necessitate Missionis a schemate prolatae, principaliter procedunt a salute aeterna hominis et vocatione generis humani ad populum Dei efformandum.

II. *De notione missionum.* Schema nostrum, desiderio Patrum obveniens, notionem Missionum in sensu stricto dedit, significans munus penetrationis christianae erga populos vel coetus non credentes.

Interim, plures, speciatim Praelati Nullius de America Meridionali, impugnare vel saltem transformare volunt ita ut eorum opus, quod erga populos iam baptizatos exercetur, intra notionem Missionum includatur.

Sed hoc, mihi videtur, aliud facere non poterit quam pessumdare notionem Missionum neque utilitatem practicam illis Praesulibus afferre valet. Desiderio eorum vero satisfacere poterit Sancta Sedes si apte cum Sacra Congregatione Consistoriali una sectio specialis instituatur pro ipsis Praesulis Nullius.

III. *De subiecto activo missionum.* Aliqui observaverunt, quod si quis « index » schematis nostri inspicit, secundum ordinem logicum, cap. III de subiectis activis Missionum intelligit. In tertio vero capitulo « De Missionariis » agitur, et quidem de Missionariis exteris. Consequenter lector concludere debet subiectum activum Missionum esse tantum Missionarios exteros. Ubi agitur de clero autochtono? Agitur in secundo capitulo, quod « De operibus Missionariis », id est obiectis Mis-

sionum agit. Igitur schema nostrum clerum autochtonum solum uti obiectum Missionum considerat. Hoc videtur non rectum, ne dicam iniuriosum clero autochtono. Nam clerus autochtonus, et speciatim in hodierna condicione, est obiectum activum immo principale in his operibus Missionalibus.

Igitur nos desideramus quod, si possibile esset, si opportunum esset, separare art. 4 cap. II « De Ecclesiis Particularibus » a capite, et hic articulus cum debitis adiunctis unum caput separatum et quidem III schematis constituere oportet.

Conclusio. In schemate nostro caput primum partem doctrinalem constituit et reliqua quattuor capita partem practicam Activitatis Missionalis constituunt. In parte practica schema modo organico et scientifico omnia argumenta tractavit. Hoc voluit indicare activitates missionales in nostris temporibus modo organico et scientifico coordinari et procedere debent. Unumquodque opus vel inceptum hodierni temporis in campis politicis vel oeconomicis iam semper perficitur modo scientifico et modo organico. Ita fieri etiam debet pro activitate missionali.

In primis inquisitio scientifica de conditionibus Missionis fiat oportet. Post debitam inquisitionem tunc conficiuntur ratio et normae operandi. Schema nostrum proponit coordinationem a Sacra Congregatione de Propaganda Fide dandam, coordinationem a Conferentia Episcopali constituendam et coordinationem inter diversa Instituta missionaria, necnon inter Instituta studiorum conficiendam. Docet etiam schema hoc in capite secundo modum scientificum atque ordinatum procedendi in operibus missionalibus: scilicet praeambulum Evangelizationis, praedicatio Evangelii, formatio communitatis christianae et postea Ecclesiae particulares.

Activitas missionalis hodie modo traditionali et modo individualistico neque a singulis missionariis neque a singulis Episcopis perfici iam valet. Oportet nos renovari atque uniri ita ut opus missionale maiore efficacia amplioribusque mediis in universo orbe perficiatur. Dixi.

Textus scripto traditus:

Schema novum de activitate missionali Ecclesiae a competente Commissione praeparatum, expectationi Patrum correspondere iam valet et mihi valde placet. Etenim in ipso doctrina theologica de activitate missionali necnon de eiusdem activitatis opere et cooperatione expositio organice et scientifice procedit. Sed obiectiones non paucas circa schema nostrum extra aulam vel intra aulam multoties audivi de quarum principalioribus velim hic exponere.

1. *De necessitate Missionis.* Plures Patres observaverunt extra vel intra aulam conciliarem quod schema nostrum de ratione necessitatis Missionum nimis tenue

et quasi timorose loquitur de salute aeterna non-christianorum. Observatio haec autem tangit certe modum exponendi sed non tangit essentiam schematis. Nam in textu exponuntur duae rationes pro necessitate Missionum: ex salute aeterna non-christianorum et ex convocatione generis humani in populum Dei. Hae duae rationes intime inter se connectuntur et apparent duo aspectus huius fundamenti theologici.

Etenim in religionibus non-christianis elementa tradita a divina revelatione vel primitiva vel prophetica contineri possunt. Haec elementa decursu saeculorum a sapientibus ex naturali scientia aucta sunt; sed etiam erroribus non paucis ex ignorantia ac ex concupiscentia affecta sunt. Homo, qui in his religionibus natus est et bona fide cultum religiosum amplectitur, ad unicum Deum cognoscendum atque adorandum duci potest. Fides haec non christiana in unum Deum et in salutem aeternam credit omnia quae a Deo stabilita sunt necessaria pro salute. Deus vero stabilivit genus humanum salvari per unicum Salvatorem et Mediatorem qui est Christus Iesus. Propterea homo non-christianus unicum Deum credens ac adorans credit impliciter etiam in Iesum Christum et fides eius in Christum implicita dicitur.

Adsunt insuper in religionibus non-christianis plura elementa moralia et ascetica quae hominem fide implicita in Christum credentem ad gratiam Dei remote disponere valent. Deus, cuius via nobis inscrutabilis est, hominem non-christianum religiose et moraliter rectum gratia sua sanctificare potest. Homo ita sanctificatus impliciter ad populum Dei pertinet.

Attamen quis non videt quod haec via inscrutabilis Dei pro salute non est ordinaria sed extraordinaria? Quis non videt quod fides implicita in Deum et Salvatorem propter errores doctrinales et propter ignorantiam intellectus a peccato originali vulnerati quam difficilis est! Homo christianus in Ecclesia Christi vivens et sacramentis adiutus adhuc valde difficile ad praecepta Dei observanda efficitur, quid tunc dicamus de homine non-christiano mediis supernaturalibus orbatus, qui praecepta naturalia in tantis concupiscentiae tentationibus observare debet! Inde via ordinaria et securior salutis a Deo stabilita est Ecclesia Christi, in qua homo per praedicationem Evangelii incomparabiliter illuminatur et per sacramenta iustificatur, uti dicitur in schemate. Inde Missiones sunt semper necessariae pro salute aeterna. In hac via ordinaria salutis manifestatur etiam propositum Dei convocandi genus humanum in unum populum Dei. Nam salus fit per baptismum in Christum et in baptismo homo baptizatus incorporatur in corpus mysticum Christi pro proinde filius Dei adoptivus vocatur et membrum populi Dei. Itaque rationes in schemate proposita pro necessitate Missionum referuntur ad necessitatem Ecclesiae Christi pro salute aeterna hominum.

2. *De notione Missionum.* Relate ad notionem Missionum schema nostrum desiderio Patrum obveniens, notionem in sensu stricto dedit, significans munus penetrationis christianae erga populos vel coetus nondum credentes. Interim plures Praelati nullius de America meridionali notionem in schemate propositam impugnare vel transformare conantur ita ut eorum opus quod erga populos iam baptizatos exercetur, intra notionem Missionum includatur. Sed hoc mihi videtur aliud facere non poterit quam notionem Missionum pessumdare, nec utilitatem practicam illis adferre valet. Desiderio eorum satisfacere poterit Sancta Sedes si apud S. Congregationem Consistorialem una sectio specialis instituatur quae intime cum dica-

sterio Propagationis Fidei collaborans adiumenta omnia necessaria Praelatis nullius praestet.

3. *De subiecto activo Missionum.* Si quis index schematis nostri inspicit, secundum ordinem logicum caput III de subiectis activis Missionum intelligit. In tertio vero capitulo de Missionariis agitur et quidem de Missionariis exteris. Consequenter lector concludere debet subiectum activum Missionum esse tantum Missionarios exteros. Ubi agitur de clero autochtono? Agitur in secundo capitulo, quod de operibus missionaribus idest de obiectis Missionum agit. Igitur schema nostrum Clerum autochtonum solum uti obiectum Missionum considerat. Hoc videtur non rectum, ne dicam iniuriosum Clero autochtono. Nam Clerus autochtonus et speciatim hierarchia autochtona opera missionaria exercet et est subiectum activum, immo principale in his temporibus pro Missionibus. Hanc observationem iam dixi in subcommissione mensis ianuarii et iterum in Commissione mensis aprilis huius anni. Nunc hanc observationem extra aulam conciliarem multoties audivi et in aula conciliari vos omnes etiam audietis. Mihi igitur videtur opportunum esse separare articulum 4 capitis II de Ecclesiis particularibus a capite et hic articulus cum debitis adiunctis unum caput separatum et quidem tertium schematis constituere oportere.

Obiectionem etiam feci in Commissione quoad prima verba capitis de Missionariis quae dicunt: « Christus Dominus opus suum *perenne* reddere omnesque gentes ad fidem adducere volens semper vocat quos vult ipse, ut sint secum et ut mittat eos praedicare ». Ex contextu intelligitur quod eos qui vocati sunt ad opus Christi perenne reddendum, sunt Missionarii et quidem Missionarii exteri. Hoc verum esse non potest. Nam Ecclesia nunquam dixit Opus missionale perenniter a missionariis exteris faciendum esse. Igitur terminus « Missionarius » si accipitur in sensu technico de missionariis exteris, tunc textus initii capitis de Missionariis aliquantisper mutandus est.

9

Exc.mus P. D. PATERNUS NICOLAUS I. CORNELIUS GEISE
Episcopus Bogorensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine conferentiae episcoporum in Indonesia et agitur de necessitate activitatis missionalis, quae — ut nobis videtur — in schemate (n. 7) insufficienter indicatur, nempe: *primo* idea illuminationis per Evangelium leviter tantum tangitur; *secundo* ratio voluntatis Dei sine sufficienti connexione huic ideae iuxtaponitur, omne pondus accipit et textui characterem nimis voluntaristicum imprimit. Talis autem ratio nimis infirma videtur ad suscitandas vocationes missionales ...[1]

Textus noster in hoc deficit quod fere semper loquitur de salute ut de aliqua re *interna* tantum. Sed salus numquam est aliquid mere internum. Ut salus hominis et humana, semper est aliquid humanum, id est: realitas spiritualis, interna, quae, natura sua, sese exprimit, sicut anima

in corpore. Sicut omnia humana, orta in anima, induunt aliquam formam visibilem, audibilem, uno verbo, *corpoream,* ita salus a Deo data hominibus. Ad quod addendum est quod aspectus internus et aspectus externus non extrinsece tantum coniunguntur, sed ita intime cohaerent, ut realitas interna suam perfectionem non attingit, nisi in acquisita perfectione *expressionis* sui ipsius, immo nec exsistere potest *sine aliqua expressione.*[2]

Non est in alio aliquo salus ...[3], nisi in Domino nostro Iesu Christo. Ergo omnis salus est realitas christiana. Gratia est participatio vitae divinae et quidem uti vivitur in Filio *incarnato,* in quo suam humanam formam accepit et in cuius cruce ac redemptione ad suam ultimam ac redemptoriam expressionem perducta est. Et ideo omnis salus, ut realitas christiana, hac in terra, ad suam propriam formam et expressionem tantum pervenit in Ecclesia Christi, quae Fidem explicitam in Christum suscitat per praedicationem suam, Eius gratiam per sua sacramenta et per totam vitam christianam in societate, *ut gratiam Christi,* visibilem reddit.

In Baptismo, quo homo fit membrum Ecclesiae, consepultus cum Christo et cum Eo resurgens, adhaerentia eius ad Deum ad *primam* suam propriam formam christianam pervenit, adhuc perficiendam per manducationem Corporis Eucharistici.

Et haec valent pro iis qui sunt intra saepes Ecclesiae. Quoad homines qui sunt extra saepes Ecclesiae dicendum est: ubi Ecclesia nondum adest, ubi nondum habentur eius praedicatio et sacramenta neque vita christiana, salus *modo inchoativo* inveniri potest, non autem in sua propria forma christiana, ad quam natura sua aspirat, quam exigit ut ad suam propriam rationem perveniat. Quamvis etiam haec salus exsistat in aliqua expressione sui ipsius, tamen haec expressio manet defectuosa, manca et multis infirmitatibus contaminata. In tali condicione salus, ut aliqua realitas interna et spiritualis ad suam ulteriorem maturitatem anhelat; ratione formae defectuosae et contaminatae obnoxia remanet multis periculis, *erroribus et possibiliter immo depravationi.*[4]

Ex quo patet incepta religiosa extra saepes Ecclesiae etiam — et praecise in quantum Deus ex benigno consilio suo salutem Christi iam in eis operatur ...[5] — adhuc debent illuminari, sanari et redimi per praesentiam salutiferam Christi in sua Ecclesia.

Uno verbo: omnis salus extra saepes Ecclesiae clamat ad activitatem missionalem, ut in sua propria ratione perficiatur. Et haec praecise ratio est cur Christus nos mittit ...[6]

Activitas missionalis ergo omnino necessaria dicenda est ad salutem ut realitatem christianam, quae modo humano, ex elemento interno et

externo intime et essentialiter coalescit. Ratione habita cum indole christiana — et ideo humana — salutis, etiam vere conciliari possunt doctrina de possibilitate salutis extra saepes Ecclesiae et doctrina traditionalis quae dicit: extra Ecclesiam nulla salus.

Puto nos, per alia argumenta, ad alium numerum schematis pervenisse ad easdem conclusiones ac em.mus card. König ...[7]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] neque constituit fundamentum aptum necessitatis activitatis missionalis. [2] deest. [3] (*Act.* 4, 12). [4] et erroribus. [5] (cf. schema, n. 3, lin. 7). [6] (*Mt.* 28, 19-20; *Mc.* 16, 15). [7] Ut ergo omnia quae bene dicuntur in hoc schemate de necessitate activitatis missionalis, omnem suum vigorem accipiant, rogamus ut in n. 7 inseratur nova alinea, cuius textum in scriptis secretariatui tradimus. Inseratur: « Non est (enim) aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, praeter nomen Iesu Christi. Ut participatio gratiae eius, qui pro nobis mortuus est et resurrexit, omnis salus ex eo derivata ad perficiendam suam rationem tendit ad suam formam plenam christianam, quam acquirere non potest nisi in confessione fidei, per Ecclesiae praedicationem suscitatae et confirmatae et in sacramentis christianis Ecclesiae, quorum virtute vita humana in mundo sanctificatur et roboratur ». Redactionem huius textus libenter confidimus commissioni.

10

Exc.mus P. D. IACOBUS CORBOY
Episcopus Monzensis

Fratres Venerabiles,

Loquor nomine 70 episcoporum. Schema *de activitate missionali Ecclesiae* in multis optimum est et sinceram nostram gratitudinem erga redactores meretur; in aliquibus tamen quaestionibus, etiam fundamentalibus, adhuc emendationibus indigere videtur:

Prima emendatio, quam proponere velim, respicit ea quae dicuntur de missione Ecclesiae et de eius natura missionaria. *Etiam,*[1] in primo capite, nn. 5-6, missio Ecclesiae principalius, ne dicam unice, explicatur ex mandato a Christo apostolis dato eundi, docendi et baptizandi omnes gentes. Secundum schema hierarchia, post apostolos, hoc munus hereditavit, dum reliqui omnes fideles in hoc mandato exsequendo cooperantur.

Hic autem modus explicandi naturam missionariam Ecclesiae non est adaequatus, immo notabiliter differt a doctrina in aliis textibus conciliaribus proposita:

a) In primis haec conceptio minus bene quadrat cum doctrina

constitutionis dogmaticae *de Ecclesia.* Nam antequam in hoc documento sermo fit de hierarchia, agitur de populo Dei et quidem ea praecise ratione ut sublineetur fundamentalis omnium membrorum Ecclesiae aequalitas. Hierarchia enim et Ecclesia non identificantur, et Ecclesiae apostolicitas non est ipsa eius essentia sed aliqua eius essentialis proprietas. Idcirco data opera in constitutione *de Ecclesia* diximus apostolatum laicorum esse participationem in apostolatu Ecclesiae et non tantum participationem in apostolatu hierarchiae. Scripsimus enim: « Apostolatus laicorum est participatio ipsius salvificae missionis Ecclesiae, ad quem apostolatum omnes *ab ipso Domino* per baptismum et confirmationem deputantur » ...[2]

b) Doctrina schematis hac in re etiam non concordat cum illis quae proponuntur in schemate *de apostolatu laicorum,* quae sic leguntur: « ...[3] Est in Ecclesia diversitas ministerii, sed unitas missionis. Apostolis eorumque successoribus a Christo collatum est munus in ipsius nomine et potestate docendi, regendi et sanctificandi. At laici, muneris sacerdotalis, prophetici et regalis Christi participes effecti, suas partes in missione totius populi Dei explent in Ecclesia et in mundo ».

Proinde etiam in hoc schemate Ecclesiae natura missionaria, et apostolatus christiani necessitas, ultimatim non explicantur ex mandato a Christo apostolis et hierarchiae dato sed rectius et profundius ex ipso facto quod Ecclesia est populus Dei et Iesu Christi Corpus Mysticum.

c) Tandem, haec eadem doctrina enuntiatur in posteriore quadam parte nostri schematis, et quidem in cap. V ...[4], ubi legimus: « Cum tota Ecclesia missionaria sit, et opus evangelizationis officium populi Dei fundamentale ... » *etc.*[5]

Brevi: eo fine ut variae affirmationes nostrae schematis in meliorem synthesim redigantur; ut doctrina schematis de natura missionaria Ecclesiae melius consonet cum aliis documentis conciliaribus; et praesertim ut natura missionaria Ecclesiae et necessitas activitatis apostolicae ex ultimis radicibus theologicis explicetur, propono ut nn. 5-6 schematis modo quo *dixi*[6] retractentur.

Secunda observatio agit de duplici sensu termini « Missio ». In schemate omnis missio Ecclesiae reducitur ad missiones trinitarias, seu missionem Filii et Spiritus Sancti. Hoc sensu, theologice utique profundo, omnis activitas apostolica Ecclesiae et potest et debet dici « missionaria ». Ab altera autem parte in terminologia technica Ecclesiae et Theologiae illae solae activitates dici solent « missionariae » quae respiciunt evangelizationem penes « populos vel coetus nondum credentes ». Cum schema utramque hanc terminologiam adhibeat, confusiones facile

oriri possunt. Solutio tamen radicalis nec facilis est nec suadenda. Si enim terminus « missio » exclusive adhibetur ad designandam activitatem Ecclesiae penes populos non credentes, ultimae iustificationi theologicae huius activitatis renuntiare debebimus, cum illa dari nequeat nisi ex missionibus trinitariis.

Ab altera autem parte nimis generica et universalis loquela de missionibus seria damna inferre potest operi evangelizationis penes populos nondum credentes.

Dixerim ergo modum loquendi schematis esse retinendum; forsan autem convenit ut in luce dictae difficultatis singula loca schematis in quibus terminus « missio » occurrit, attento examini subiciantur et ut post partem stricte theologicam schematis saltem semel clare dicatur, terminum « missionis » ob graves et legitimas rationes, in posterum adhiberi ad designandam activitatem Ecclesiae penes populos qui nondum crediderunt.

In fine. Tandem in n. 7 schematis, qui agit de fine activitatis missionariae, clarius sublineanda esse videtur Ecclesiae necessitas ad salutem. Verum utique est « Deum viis sibi notis homines ad fidem adducere posse, sine qua impossibile est Ipsi placere, etiamsi Evangelium non audierint » ...[7], sed non minus verum est neminem salvari posse extra vel praeter Ecclesiam, quae, secundum Dei voluntatem salvificam, est « universale salutis sacramentum » ...[8]

Quamvis ergo investigationibus theologicis ampla relinquenda sit libertas quoad syntheticam coordinationem harum duarum veritatum, cavendum tamen est ne dogma de necessitate Ecclesiae ad salutem obscuretur. Quod periculum hodie nequaquam est mere imaginarium. Insuper autem nonnisi ex hac veritate clare intellecta necessitas activitatis missionalis Ecclesiae adaequate demonstrari potest. Nam si nemo salvatur nisi mediante Ecclesia, evidens est officium nostrum gravissimum id esse, ut Ecclesiae media salutifera modo quam maxime explicito hominibus proponantur et offerantur ...[9]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Etenim. [2] Sic omnis laicus, ex ipsis donis sibi collatis, testis simul et vivum instrumentum missionis ipsius Ecclesiae exsistit secundum mensuram donationis Christi ». Hisce prae oculis habitis, placere ergo non potest quod praesens schema naturam missionariam Ecclesiae explicat ex mandato a Christo apostolis et hierarchiae dato et proinde res ita proponit ac si fideles in hoc mandato exsequendo tantummodo participarent in munere hierarchiae. [3] « Ad hoc unum nata est Ecclesia ut Regnum Christi ubique terrarum dilatando, omnes homines salutaris redemptionis participes efficiat, et per eos mundus universus re vera ad Christum ordinetur. Omnis navitas Corporis Christi hunc in finem directa apostolatus dicitur quem Ecclesia per omnia sua membra, variis quidem

modis, exercet... [4] n. 33. [5] Sacra Synodus omnes ad profundam renovationem invitat, ut vivam conscientiam propriae responsabilitatis in Evangelii diffusione habentes, partes suas assumant in opere missionali apud gentes ». [6] diximus. [7] (pag. 9, linn. 5-7). [8] (Prooemium, pag. 5, linn. 1-2). [9] Ob motiva ergo tam theologica quam practica et pastoralia necessarium est ut doctrina schematis hac in re clarificetur et fortificetur.

Animadversiones additae:

a) In pag. 13, in lin. 29, sermo est de catechumenis « qui inde ab initio sentiant se esse membra populi Dei ». Sed in constitutione dogmatica *de Ecclesia* peculiari cum cura et data opera evitatus est usus termini « membrum » in sua applicatione concreta ad illos qui sensu pleno et proprio non vivunt in Ecclesia (romana catholica et apostolica).

Non ergo convenit ut terminus « membrum » in hoc decreto *de activitate missionali Ecclesiae* applicetur ad illos qui ne quidem baptizati sunt sed adhuc in statu catechumenorum versantur.

Potius ergo de illis dicatur quod sentiant se iam pertinere ad populum Dei, vel aliqua similis adhibeatur expressio.

b) In pag. 19, lin. 9, res ita proponuntur ac si homines qui vocationem missionariam habent, illam *per totam* vitam habent. Nihilominus paululum infra, et quidem in pag. 26, lin. 1 sermo est de sacerdotibus et aliis qui *ad tempus* ad terras missionum proficiscuntur ut ibidem activitati missionariae vacent. Et haec praxis ibidem fortiter recommendatur in schemate.

Iamvero, haec duo asserta manifeste invicem contradictoria sunt, cum sane dici nequeat homines qui pro tempore limitato ad missiones proficiscuntur, nullam omnino vocatione divinitus ad hoc recipere. Propono ergo ut haec contradictio eliminetur et non detur impressio servitia missionibus dicto modo ad tempus praestita non correspondere vocationi speciali Dei.

11

EXC.MUS P. D. IOSEPH ATTIPETTY

Archiepiscopus Verapolitanus

Venerabiles Fratres,

Liceat mihi observationes sequentes facere de activitate missionali Ecclesiae.

Generatim loquendo schema propositum placet: doctrinam enim proponit a maioribus traditam et in documentis Magisterii recentiorum Pontificum contentam. Vellem tamen *facere tantum paucas animadversiones; alia tradam exc.mo secretario generali.*[1]

Pag. 14, linn. 17 et ss. Quae hic dicuntur clariore expositione indigent ne confusiones oriantur in apostolatu missionario. Dicitur enim: « Seclusa omni tam indifferentismi quam insanae aemulationis ». Quid

sibi vult hoc « insanae aemulationis »? Debenturne missionarii catholici, qui soli totam veritatem christianam detinent, et qui soli veram et unicam Ecclesiam praedicant, ab evangelizatione et labore conversionum abstinere, praetextu vitandi insanam aemulationem in locis ubi fratres separati iam sunt vere ut ita dicam « plantati »? Estne conditio missionariorum catholicorum et positio missionariorum acatholicorum eadem? Clara definitio illa « *insanae aemulationis* » desideratur; sic enim tantum non parem esse conditionem propagationis errorum et veritatis in luce ponetur. Item dicatur clare quid sibi velit illa « cooperatio in re ... religiosa » de qua in lin. 23. Omnino vitandum ut nomine oecumenismi missionarii, numerus conversionum ad Ecclesiam catholicam, unicam veram Ecclesiam Christi, imminuatur, et nomine cooperationis, etsi praeter intentionem, ansam non-catholicis et non-christianis praebeatur cogitandi nihil referre an quis sese aggreget Ecclesiae catholicae vel cuidam aliae confessioni christianae. Indifferentismus enim vitandus tum theoretice unicitatem Ecclesiae catholicae praedicando tum practice ubique terrarum etiam in locis fratres separati laborant activitas sive directa sive indirecta missionalis catholica exercendo. Similiter quae dicuntur de munere « diaconorum » fovendo et colendo ...[2] non videntur consona iis quae in subiecta materia in constitutione *de Ecclesia,* n. 29 dicta sunt, et quae magis fideliter schema propositum, numero sequenti, pag. 15 ...[3], refert. Institutio enim diaconatus permanentis est a Concilio permissa, non praecepta. Dicendo « omni cura fovenda et colenda institutio diaconorum » videretur obligatio talis institutionis affirmari ...[4]

N. 20, pag. 18 ...[5]: Proponerem ut explicite mentio fiat de S. Thoma, principe theologiae catholicae. Item vitetur affirmatio necessitatis aptationis theologicae modo absoluto; periculum enim relativismi dogmatici et theologici non est fictitium in materia subiecta. Sequentem redactionem proponerem: « Ad hoc enim propositum assequendum, necesse est ut, in unoquoque magno territorio socio-culturali, uti aiunt, ea consideratio theologica stimuletur qua, praelucente traditione universalis Ecclesiae, *ad mentem S. Thomae Aquinatis* ...[6], facta et verba a Deo revelata, si id ad fines pastorales Ecclesiae necessarium vel utile visum fuerit, etiam novae investigationi subiiciantur ». Oblivisci enim non licet non omnes philosophias eodem modo et amplitudine theologiae catholicae inservire.

...[7] Multa dicuntur de obligatione missionariorum exterorum relate ad cooperatores indigenas. Opportunum videtur quaedam addere de obligationibus sacerdotum indigenarum relate ad missionarios exteros. Optimum esset dicta Pii XII et Ioannis XXIII hic recolere. Legimus enim in *Princeps Pastorum*: « Ii quidem minime vocandi sunt extranei,

cum quilibet catholicus sacerdos, in officii sui muneris fideliter perstans, veluti sua in patria se habeat ubicumque Dei Regnum floret vel sumit exordia » ...[8]

1. Omnino probandum quod *in n. 27* dicitur de unitate Dicasterii competentis, scil. de Propaganda Fide cui soli competat omnia quae ad missiones pertinent.

2. Cum tamen agatur de Dicasterio Romanae Curiae, quod est instrumentum personale Romani Pontificis in gubernatione universae Ecclesiae, non videtur probandus modus schematis quod propositiones pro reformatione istius Dicasterii modo imperativo ponit, speciatim cum dicit: « Hoc Dicasterium constituatur membris selectis ex omnibus illis qui in opere missionali collaborant ... Hi omnes statutis temporibus convocandi, collegialiter sub auctoritate Summi Pontificis, supremam gubernationem totius operis missionalis exerceant ». Haec enim videntur « exercitium collegialitatis » Summo Pontifici imponere, quod vero non consonat cum iis quae dicuntur in Nota Explicativa Praevia a Summo Pontifice ad caput De Collegialitate apposita. Ibi enim dicitur: « Ad iudicium Summi Pontificis, cui cura totius gregis Christi commissa est, spectat, secundum necessitates Ecclesiae decursu temporum variantes, *determinare modum* quo haec cura actuari conveniat sive modo personali, sive modo collegiali. Romanus Pontifex ad collegiale exercitium ordinandum, promovendum, approbandum, intuitu boni Ecclesiae, secundum propriam discretionem procedit ». Videntur hae omnes propositiones modo imperativo positae attenuandae modum optativum adhibendo.

3. Opportunum etiam foret, hac publica occasione, sollemniter gratias agere Sacrae Congregationi de Propaganda Fide de omnibus, et quidem non parvi momenti, quae hoc Sacrum Dicasterium de missionibus decursu suae historiae promeruit. Si enim hodie tot ac tantos fructus in regionibus misssionum habentur, de quibus gaudere potest et debet Ecclesia, alte menti figatur et hic publice proclametur hoc deberi quammaxime laboribus istius Congregationis ...[9]. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] caput per caput percurrendo, sequentes animadversiones facere.

Cap. I. N. 2, linn. 17-19. Videtur non recte concludi ad naturam « missionariam » Ecclesiae ex eo quod et ipsa processerit « ex missione Filii missioneque Spiritus Sancti ». Hoc enim sensu tota Ecclesia omnisque eius activitas « missionaria » dicenda esset. At ipsum schema activitatem missionalem ab activitate pastorali apprime distinguit (cf. n. 6, linn. 43-44).

N. 6, linn. 35-38. In descriptione actuum et rerum ad stadium « plantationis Ecclesiae » superandum, conveniens esset explicitam mentionem facere de numero fidelium ut unum ex praecipuis elementis ad hanc plantationem necessariis. Auditur enim aliquoties finem missionum esse plantationem Ecclesiae et non conversionem, ac si quis cogitare posset de Ecclesia plantanda quin attentionem vertat ad problema novos filios per Sacramentum baptismi Ecclesiae aggregandi. Hinc proponerem: « Finis proprius activitatis huius missionalis est dilatatio seu plantatio Ecclesiae apud gentes in quibus... ita ut Ecclesiae autochtonae particulares ubique in mundo sufficienter condantur, numero sufficienti fidelium constantes, viribus etc. ».

Ad n. 7, lin. 3: Fortasse melius esset paragraphum incipere finem ultimum totius activitatis ecclesiasticae, activitate missionali non exclusa, explicite affirmando his vel similibus verbis: *Finis ultimus Missionum est sanctitatem aeternamque salutem omnium hominum procurare* (cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 51 [1959], p. 846).

Linn. 11-12. Loco affirmationis nimis absolutae, sc. « Activitatem missionalem vim suam etc. semper servaturam esse », proponerem: « Activitatem ... *ac integre servaturam esse donec fiat unum ovile sub uno Pastore* » (cf. *Princeps Pastorum*, l. c. p. 835). Haec videntur tum votis nostris tum naturae rei melius respondere.

Cetera omnia in hoc capite maxime mihi placent.

Cap. II. Art. 1: multum placent quae dicuntur de missione spirituali activitatis ecclesiasticae: « Ecclesia nullo modo vult suam operam imponere, nec se in moderamine terrenae civitatis ingerere » (lin. 20 s.).

Art. 2, n. 13: explicita mentio « conversionis » toto corde plaudenda est.

N. 14, linn. 11-12: non satis recte videtur dici « Qui fidem a Deo per Ecclesiam acceperunt, liturgicis caeremoniis admittantur ad catechumenatum ». Estne omnino verum « omnes catechumenos fidem accepisse antequam catechumenatum incipiant »? Textus citat constitutionem dogmaticam *de Ecclesia,* sed numerus citatus loquitur de filiis Dei per baptismum regenerati qui « fidem quam a Deo per Ecclesiam acceperunt coram hominibus profiteri tenentur » (*de Ecclesia* n. 11). Quae dicuntur sub linn. 23-25 de liturgia quadragesimali melius omittuntur cum de hoc provisum sit in constitutione *de sacra Liturgia,* nn. 64-65.

Valde placet explicita mentio ut « catechumeni inde ab initio se esse sentiant membra populi Dei », et quidem non tantum populi Dei in una parte congregati sed « populi Dei » in universo mundo unam familiam constituentis. Utinam omnia fiant ut sensus iste ad universam familiam christianam pertinentiae inde ab initio in catechumenis inculcetur. Unitas formarum culturalium ad id maxime conferre posse neminem fugere debet.

Art. 3, n. 15: lin. 11 forse sic complenda: « Haec fidelium congregatio, divitiis culturae *cum propriae tum universae familiae catholicae* praedita etc. ».

[2] (linn. 35-36). [3] lin. 37. [4] N. 17: valde probatur institutio Operis Specialis ad sustentationem catechistarum in Dicasterio de Propaganda Fide.

Art. 4. Vellem insistere in necessitate fovendi communionem vivam et practicam ecclesiarum particularium cum ecclesia universali. Ad hoc enim, videtur mihi, magni faciendum quidquid non tantum theologia unitatis sed et praesertim psychologia unitatis ad creandum hunc sensum communionis cum ecclesia universali afferre valet. Mundus enim magis et magis ad unitatem, immo ad quandam uniformi-

tatem culturalem tendit — in rebus socialibus, oeconomicis, politicis, et etiam culturalibus ut Paulus VI dixit in sermone habito die 26 martii a. 1964 (cfr. *A.A.S.*, 61 [1964], p. 359). Hinc maxime interest ad sensum universalitatis fovendum ut loco nimis insistendi in particularitatibus culturalibus novellarum ecclesiarum, elementa culturae catholicae quae etiam ab ecclesiis amantur et desiderantur, omnibus filiis Ecclesiae offerre. Scimus enim, ut dixi, motum nunc adesse qui ad quandam unitatem et uniformitatem culturarum tendit. Civilitas technica quae etiam in dissitis regionibus introducitur tali modo vitam populorum nostrorum penetrat ut quam maximas habeat repercussiones etiam in formis culturalibus millenariis. Hoc est novum elementum, aetatis post-bellicae. Hac de causa quae de aptatione ad ingenium populorum in temporibus praeteritis dicebantur in luce huius elementi sunt iudicanda.

Videtur enim mihi hac in materia quoque applicandum esse principium in const. *de sacra Liturgia* promulgatum: « Innovationes demum, ne fiant nisi vera et certa utilitas Ecclesiae id exigat » (n. 23). Motivum enim aptationum debet esse pastorale, et non politicum sive nationalisticum. Existentia enim motivi pastoralis constabit:

1) si aptationes propositae fideles existentes meliores reddat in sua vita catholica, sc. in unione et caritate inter se et cum ecclesia universali;

2) si aptationes propositae putantur animabus indigenis bene dispositis faciliorem reddere ingressum in Ecclesiam catholicam. Hinc, si aptationes propositae scandalum pariunt fidelibus, ut in quibusdam regionibus evenit, quin ullum, vel fere ullum habeant influxum in conversionibus, magna cum cautela procedendum. Principium altum habeatur: *Nullus missionarius extraneus ulli alienam culturam imponat; ita etiam, nullus extraneus fideles et non-credentes impediat quominus, si velint, mutationes in suas formas culturales introducant.* Secus enim, periculum adest ut fideles et infideles cogitent Ecclesiam velle eos in statu primitivo conservare. Quod absit! [5] lin. 17. [6] (cf. PAULUS VI, *A.A.S.*, 61 [1964], pp. 302-305). [7] *Cap. III.* De hoc capite sequentes animadversiones facere liceat: 1. *Definitio missionarii.* Schema propositum, ut hucusque factum est, definitionem missionarii desumit ex loco originis praeconis. Scimus enim, hanc phasim iam superatam esse in multis locis, in aliis vero mox superandam ob difficultates politicas. Attamen Ecclesia in his locis adhuc manet in stadio plantationis seu missionario. Nonne melius esset missionarium definire ex statu condicionis Ecclesiae ubi ministri operam suam dant, sive sint exteri sive ex ipso loco evangelizando oriundi? 2. [8] (*A.A.S.*, 51 [1959], p. 839). 3. Ad n. 24 quod attinet, rursus insisterem in emphasi ponenda in formatione quae sensum universalitatis in clerum universum foveat. Cap. IV. [9] Et antequam finem his considerationibus imponam, liceat toto corde approbare quae dicuntur in cap. V, n. 36, de loco scil. primario dando Operibus Missionalibus Pontificalibus. Omnibus enim compertum est Sanctam Sedem, mediis suis Internuntiis et Delegatis Apostolicis, meliori in condicione versari quam ceteri coetus particulares ut necessitates Ecclesiae universae missionariae cognoscat, et collectae stipis aequae distributioni provideat.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis promulgat nunc exitum suffragationum hodiernarum.

Secretarius generalis: *Suffragatio 364,* quae est super integro schemate *de accommodata renovatione vitae religiosae*:

Inter Patres votantes		2.142
Dixerunt	*placet*	2.126
	non placet	13
	placet iuxta modum	2
Suffragium nullum		1

Ergo, textus fuit approbatus a congregatione generali et exhibebitur Summo Pontifici ut, si ei pleceat, suffragationi praesentetur in sessione publica.

Suffragatio 365, quae est prima super schemate *de institutione sacerdotali*:

Patres praesentes votantes		2.138
Dixerunt	*placet*	2.125
	non placet	11
Suffragia nulla		2

Suffragatio 366:

Patres praesentes votantes fuerunt		2.139
Dixerunt	*placet*	2.119
	non placet	19
	placet iuxta modum	1

Suffragia nulla: nulla.

Suffragatio 367:

Patres praesentes votantes		2.141
Dixerunt	*placet*	2.046
	non placet	95

Suffragatio 368:

Patres praesentes et suffragantes		2.127
Dixerunt	*placet*	2.038
	non placet	88
Suffragium nullum		1

Suffragatio 369:

Patres praesentes votantes	2.057
Dixerunt *placet*	2.054
non placet	3

Suffragatio 370:

Patres praesentes votantes	2.024
Dixerunt *placet*	2.020
non placet	3
Suffragium nullum	1

Suffragatio 371:

Patres praesentes votantes	1.989
Dixerunt *placet*	1.971
non placet	16
Suffragia nulla	2

Suffragatio 372:

Patres praesentes votantes	1.981
Dixerunt *placet*	1.975
non placet	6

Suffragatio 373:

Patres praesentes votantes	2.022
Dixerunt *placet*	2.011
non placet	11

Ergo, omnes textus probati fuerunt a congregatione generali.

Moderator: Proxima congregatio generalis: crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXLVII
12 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXLVII

12 octobris 1965

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Patres venerabiles, celebratur hodie congregatio generalis 147. Tribus abhinc annis celebrabatur prima congregatio generalis hoc die, postquam die 11 octobris sub auspiciis Mariae Matris nostrae et Matris Ecclesiae Concilium sollemniter a Papa Ioanne inauguratum erat. Hac occasione liceat ob collata beneficia plurimas Deo gratias agere et hoc votum ex corde promere:

Concilium voluit sapienter Papa Ioannes,
Paulus successor grande coronet opus.

Et lego vobis, Patres, responsum quod em.mus card. primus e consilio praesidentiae dedit Summo Pontifici ob litteras, quas heri vobis nomine em.mi communicavi [*cf. vol. IV, pars I, pag.* 40-41].

Vobis distribuentur hodie, Patres, quaesita nova circa schema « De educatione christiana ». Haec quaesita vobis proponentur inde a crastina. Certe non poterunt omnia proponi crastina, ideo suffragatio prosequetur sequenti die.

Et hodie vobis distribuentur, Patres, duae series pittaciorum vehiculariorum, « francobolli » ... (Pittacia vehicularia sunt veluti picturae quae inserviunt ad vehendum, vehendas litteras, vehendas merces. En origo nominis: pittacia vehicularia.) quae emissae sunt a Civitate Vaticana occasione itineris Summi Pontificis ad ONU. Vobis distribuentur, sed ne implicentur suffragationes, quae sacrae sunt, distribuentur versus horam 12. Ergo, Patres, dignemini stare vestris locis. Haec pittacia vehicularia distribuentur Observatoribus per Secretariatum competentem, et Auditoribus per eorum adsessorem. Distributio peritis fiet crastina, non hodie. Ergo ne lacessant centrum mechanographicum inutiliter!

En igitur, Patres, nomina eorum Patrum qui verbum facere postulaverunt circa schema *de activitate missionali Ecclesiae*. Sunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Tanzania;

Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis in Belgio; Paulus Zoungrana, arch. Uagaduguensis in Alto Volta; exc.mi ac rev.mi DD. Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India; Ioseph Guffens, ep. tit. Germanicianensis in Belgio; Victor Garaygordobil, prael. null. Fluminum (Los Rios) in Aequatore; Ioseph Sibomana, ep. Ruhengeriensis in Rwanda; Ioseph Martin, ep. Bururiensis in Burundi; Ioannes Gahamanyi, ep. Butarensis (Butare) in Rwanda; Michaël Ntuyahaga, ep. Buiumburaënsis in Burundi; Iucundus Grotti, prael. null. Acrensis in Brasilia; rev.mus P. Petrus Arrupe, praep. gen. Societatis Iesu; exc.mi ac rev.mi DD. Hugo Poletti, ep. tit. Medelitanus in Italia; Paulus Yü-Pin, arch. Nanchimensis in Sinis; Sebastianus Soares, ep. Beirensis in Mozambico; Paulus Kinam Ro, arch. Seulensis in Corea; Narcissus Jubany, ep. Gerundensis in Hispania; Petrus Dery, ep. Waënsis (Wa) in Ghana; Petrus Nkou, ep. Sangmelimaënsis in Cameroun; Isaac Ghattas, arch. Thebarum Coptorum in Aegypto; Paulus Hnilica, ep. tit. Rosadensis in Cecoslovachia.

Ergo videatis textum suffragationum ... vel melius, Patres: Haec est suffragatio proponenda, scil. 374, ex schemate *de institutione sacerdotali.* Videatis pag. 14, n. 13 [*cf. pag. 21*]. *Placet* an *non placet?*

1

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaënsis

Venerabiles Patres,

Multa iam bene dicta sunt de nostro schemate *de activitate missionali Ecclesiae* quod in plerisque approbandum est. Attamen liceat mihi aliqua addere *de viva illa fide,* qua animari debeant omnes qui in missionibus vitam apostolicam exercent.

Fides enim veros facit apostolos et missionarios. Huiusmodi fides theologica a Deo provenit, in Deo fundatur, per Deum perseverat, ad Deum tendit et pervenit. In ea fundatur, per eam vivit, per eam cognoscitur in suo Mysterio missio qua aedificatur et crescit Ecclesia, Corpus Christi Mysticum.

Quod mysterium fidei inculcandum est missionariis ut, Personae Christi, Filii Dei Vivi, adhaerentes, strenue prosequantur missionem salvificam Ecclesiae et speciatim missionem eius ad Gentes, qua Incarnatio et Redemptio omnes denique homines et populos visibiliter attingit.

Intrepide apostoli testimonium fidei reddiderunt usque ad sanguinis effusionem; imperterriti martyres Ecclesiam plantaverunt sanguine suo.

Quem cursum historiae Ecclesiae iam a primaevis saeculis illustravit et in posterum prophetavit liber Apocalypseos.

Iamvero, perspicientibus nobis adiuncta et condiciones nostri temporis, Ecclesia una et unica occurrit, quae alibi sanguinem pro Christo fundit, alibi in silentio martyrium patitur, alibi clara veritatis luce coram omnibus fulget, alibi per activitatem missionalem exsurgit et crescit. « Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus » ...[1], secundum imperscrutabilia Dei consilia in una fide et spe vocationis nostrae ...[2]. Quae fides viva fovenda et nutrienda est in omnibus christifidelibus, praesertim vero in sacerdotibus et laicis qui activitati missionali sese devovent.

Missionarii, qui vere fide vivunt, et ex fide agunt, habent spiritum sapientiae et illuminatos oculos cordis ...[3] ita ut, Spiritu Dei ducti, in re catechetica et liturgica veras et profundas aptationes pro bono animarum perficiant. Sensum enim habentes Christi ...[4] agunt non quasi hominibus placentes ...[5], sed Christo Iesu, qui omnia nostra, praeter peccata, assumpsit. Vivum in omnibus praebent exemplum fidei cuius lumine de rebus et personis iudicant. Vita et usu demonstrant in Ecclesia non esse Gentilem et Iudaeum, Barbarum et Scytham, servum et liberum, sed omnia et in omnibus Christum ...[6] cuius nomine agunt, quem in fratribus agnoscunt et reverentur. Sic et ipsi assumere possunt consuetudines et ritus populorum, dummodo non contra fidem vel mores evidenter offendant.

Praeterea missionarius in fide intrepida progrediens in quacumque difficultate et tempestate super petram, quae Christus est, radicabitur et fundabitur neque unquam conturbabitur propter bella, opprobria, saevitias, calumnias, carceres, verbera, quae nullis Ecclesiae temporibus defuerunt. Sed in his omnibus superat propter eum qui dilexit nos ...[7]. Nihil enim « poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino Nostro » ...[8]

Fructus genuinae fidei sunt verum iudicium de casibus huius mundi, dynamismus gratia Dei suffultus, fiducia imperterrita in Deum, optimismus qui omnia aggreditur et audet in eo, qui nos confortat ...[9]. Qua fide, quasi oculis Dei, missionarii vident Ecclesiam et episcopum, confratres et fideles; quodsi in eis abundant passiones Christi ...[10], mortificationem Iesu in corpore suo circumferunt, ut et vita Iesu manifestetur ...[11]. In carne enim sua adimplent ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*1 Cor.* 12, 11). [2] (cf. *Eph.* 4, 4-5). [3] (cf. *Eph.* 1, 18). [4] (cf. *1 Cor.* 2, 16). [5] (*1 Thess.* 2, 4).

[6] (cf. *Col.* 3, 11). [7] (*Rom.* 8, 37). [8] (*Rom.* 8, 39). [9] (*Phil* 4, 13). [10] (2 *Cor.* 1, 5). [11] (2 *Cor.* 4, 11).

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *Ss. Concilii subsecretarius*: Proponitur nunc suffragatio 375, ut invenitur in pag. 15: « An placeat ut decreti n. 15 legatur sicut proponitur, id est ... » [*cf. pag. 22*]. *Placet* an *non placet?*

2

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Praesens schema [1] melius est quam textus anterior. At desiderantur adhuc aliquae mutationes. Locuturi sumus, primo de praeparatione ad apostolatum missionalem, secundo de ipso apostolatu missionali.

Ad primum.[2] Sub nn. 23-24, ubi agitur de formatione futurorum missionariorum, animadvertimus omissionem vere paradoxalem. Si alicubi in mundo exspectabatur paragraphus substantialis tractans de formatione apostolica proprie dicta, *hic* exspectabatur. At *nihil* de tali formatione apostolica hic invenimus.

Hoc paradoxon eo magis mirandum est quod Sancta Sedes initiationem ad apostolatum practicam et progressivam officialiter commendavit, tam pro futuris sacerdotibus quam pro religiosis. Conferatis, quaeso, Constitutionem apostolicam *Sedes Sapientiae,* et art. 14 Statutorum generalium quae huic Constitutioni adnexa sunt. En quod ibi scriptum est: « Per totum studiorum tempus institutio apostolica, qua educatio et practica formatio, sine intermissione est prosequenda, ut in dies una cum religiosa et clericali ipsa progrediatur, confirmetur ac plenior effecta secure, faciliter, et velut naturali ratione ad ministeria ultro manuducat ...[3] ».

Quod in hoc textu dicitur ad intentionem religiosorum, in decreto de Seminariis iam praeparato *et mox suffragando* [4] aequivalenter dicitur ad intentionem seminaristarum. Et recenter vidimus cum gaudio novam Rationem studiorum Patrum Societatis Iesu, tribuere locum non parvum experimentis apostolicis per annos formationis.

Omissio quam in schemate animadvertimus ostendit quantum initiatio *illa practica et progressiva* [5] ad apostolatum adhuc negligatur. Tota attentio *fingitur* [6] in formationem intellectualem atque spiritualem *ac si*

essent unicae [7]; immo saepe timetur initiationem apostolicam esse pietati et studio nocituram. Nos e contra censemus praedictam initiationem alumnorum pietatem vivificare et transformare in actuosam caritatem, dum eorum vitae intellectuali tribuit experientiam, realismum et aequilibrium.

Indigemus methodologia [8] in hac initiatione apostolica *adhibenda* [9]. Methodologia in hoc campo non est secuta progressus quae facti sunt in methodologia liturgica et catechetica. Hanc methodologiam investigantes, nondum satis cogitavimus de modo quo futuri sacerdotes ac missionarii praeparandi sint ad suum ministerium sacramentale suumque munus animatorum apostolatus laici. Nam haec praeparatio non debet esse tantummodo personalis, sed etiam ...[10] communitaria. Sacerdos suo apostolatui non vacat loco laicorum, sed cum laicis et ut eorum caput; sicut non orat loco laicorum, sed cum laicis et ut eorum caput. Hoc principium valet pro omnibus terris, sed urgeri debet pro terris missionum. Futuris missionariis, praesertim sacerdotibus, et inter ipsos maxime indigenis, dandae sunt occasiones ut discant artem suscitandi apostolos laicos, artem eos efformandi sicut et Christus efformavit apostolos suos, artem animandi varias organizationes apostolicas vero spiritu Evangelii, artem denique ordinandi praedictas organizationes ut omnes conspirent in adventum veritatis et caritatis Christi. Neque negligenda est exercitatio in cooperatione humili et fraterna missionariorum inter seipsos, sive sint autochtones sive extranei. Itaque optamus ut nostrum schema initiationem apostolicam practicam valde commendet utpote partem necessariam praeparationis ad activitatem missionalem.

Ad secundum.[11] Textus quem sub oculis habemus non sufficienter urget festinationem cum qua Evangelium debet praedicari. Docet quidem necessitatem evangelizationis, ...[12] fidei, ...[13] baptismi, ...[14] Ecclesiae. Sed hoc facit modo minus stringenti et minus forti quam Papae et ipsum Concilium Vaticanum II in constitutione *Lumen Gentium.* Schema abundanter loquitur de longitudine praeambulorum, de itinerariis intermediis, de obstaculis removendis; multiplicat adverbia ut « gradatim », « patienter », « prudenter ». Haec omnia sunt recta. Sed adhuc magis interest exprimere obligationem urgentem quam habemus Evangelium praedicandi. « *Ignem veni mittere in terram, dixit Dominus, et quid volo nisi ut accendatur?* » [15] Possumus quidem peccare per defectum praeparationis, sed etiam per defectum evangelizationis directae, quae fit non in humanae sapientiae verbis, immo quae fit « opportune et importune ».

Nostri missionarii *hoc* [16] sciunt, sed nos fortius repetere debemus,

quod Dominus noster nos mandavit non ad confirmandum *simpliciter*[17] unumquemque in *sua*[18] propria religione, quo modo « Réarmement moral » hoc facit, sed ad praedicandum omni creaturae, et quamprimum, et in tota eius amplitudine, veritatem salvatricem Dei, quae veritas lucet claritate incomparabili in Christo mortuo et redivivo. Concilium unanimum vult innovare, Deo adiuvante, magnum motum missionalem: ad hunc finem attingendum oportet schema nostrum redinveniat aliquid inspirationis S. Pauli, quin decidat in pias praedicationes.

Tandem addere liceat pauca verba de ...[19] n. 20, ubi sermo est de relatione inter culturam et religionem. Schema commendet creationem facultatum scientiarum sacrarum, in quibus formentur operarii evangelici magis idonei, necnon *commendet*[20] creationem centrorum studiorum culturalium et socialium, in quibus investigationes fiant de societate humana in qua missio adimplenda est. Hae facultates et centra studiorum existant oportet in unaquaque magna zona penetrationis evangelicae, adnectendae ad ipsas maiores universitates nunc florentes, vel prope eas instaurandae. Paucae sint, sed alti gradus intellectualis, ad instar facultatis Universitatis Lovanium nuncupatae, apud Léopoldville, et Instituti Orientalis apud Calcutta. Indigebunt adiutorio effectivo omnium conferentiarum episcopalium cuiuscumque zonae culturalis, necnon Operum missionariorum nationalium et internationalium.

Magis particularia in scriptis tradam. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Schema de missionibus. [2] deest. [3] Quod tamen sine praeiudicio seriae et adaequatae scientificae alumnorum institutionis et exercitationis fieri debet ». [4] deest. [5] deest. [6] figitur. [7] deest. [8] Quid de methodis. [9] adhibendis. [10] ut ita dicam. [11] Secundum punctum hoc est. [12] necessitatem. [13] necessitatem. [14] necessittaem. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] alia re. Optaverimus ut sub. [20] deest.

Animadversiones additae:

Pag. 15, linn. 26-28 sequenti modo mutentur: « Haec omnia postulant ut studia ad sacerdotium peragantur in consuetudine et convictu cum sua cuiusque gente. Ad quem finem promoveantur, immo creentur ubi deessent, seminaria regionalia, professoribus et libris bene dotata, auxiliantibus in tota mensura possibili tum Congregatione de Propaganda Fide, tum dioecesibus ditioribus mundi catholici ».

Motivum: Omnimode debet roborari et clarificari practice regula maximi momenti et maximae sapientiae hic enuntiata!

1. Omnes cognoscunt ex experientia *detrimenta quae exsurgunt* ex emigratione seminaristarum nimis iuniorum, et pro nimis longo tempore: separatio a propria natione, a proprio episcopo, difficultates psychologicae tum in successu

tum in absentia successus, libertas interdum nimia in regionibus exteris, imaginatio magnorum munerum futurorum, difficultas connexionis cum populo suo et dioecesi sua quando revertuntur, etc. ...

2. *Unde expressio*: *quantum fieri potest tollenda videtur.* Etenim est inutilis in casibus verae impossibilitatis in quibus patet evidentia; in aliis vero casibus, ansam praebet interpretationibus minuentibus eorum qui cum sapientissima regula non consentirent, ... cum detrimento pro seminaristis sic nimis cito missis ad alias regiones.

3. *Similiter omnino addenda videntur quae supra, in ipso modo notantur.* Etenim, si omnes qui possunt sincere collaborant, omnibus modis, ad creationem et progressum Seminariorum regionalium optimi valoris, nulla dabitur causa cur seminaristae mittantur extra patriam. Insuper illa seminaria erunt centra intellectualia vera pro unaquaque regione, cum magno emolumento pro tota actione apostolica. Secus illae regiones semper manebunt « subevolutae » sub respectu vitae christianae...

4. *Auxilium practicum commemorandum venit*: Promotio optimorum Seminariorum regionalium, in omnibus mundi partibus, videtur modus, quo nullus melior est, ad vocationes sacerdotum localium suscitandas, harmonice evolvendas et perficiendas.

Notemus: quae hic dicuntur spectant tantum ad seminaristas ante sacerdotium. Omnino consentimus ideae mittendi extra patriam, si utile est, iuniores sacerdotes qui specializationem aliquam assumere debent; dummodo locus bene eligatur ex solis considerationibus scientificis et pastoralibus pro maiore fructu.

3

EM.MUS P. D. PAULUS CARD. ZOUNGRANA
Archiepiscopus Uagaduguensis

Venerabiles Patres,

Nomine loquor plurium conferentiarum episcoporum Africae.[1]

In fine n. 25, qui de munere, de praeteritis laboribus et de praesentibus officiis Institutorum missionalium agit, recte concluditur Instituta missionalia apprime necessaria manere.

De qua necessitate pauca dicenda sunt, quia hodie non desunt, qui gravissimo cum damno operis missionalis de ea dubitent. Eorum dubia ex triplici consideratione oriri videntur:

a) Ex una enim parte Ecclesiae particulares cum propria hierarchia fere ubique in territoriis a S. Congr. de Propaganda Fide dependentibus, feliciter erectae sunt. Periculum est ne hic status rerum ansam praebeat opinioni omnino falsae has dioeceses nuper erectas non amplius indigere adiutorio missionariorum provenientium ab exteris tum ad

ministerium apud iam baptizatos exercendum tum ad praedicandum Evangelium non christianis.

b) Ex altera parte in terris antiquitus christianis aliqui episcopi, viviorem conscientiam sui muneris apostolici adepti, quosdam sacerdotes et laicos ad tempus in adiutorium miserunt dioecesibus nuper erectis. *Propter hoc fraternum auxilium imo corde omnibus episcopis sinceras grates dicere possumus.*[2] Huiusmodi tamen novum genus opitulandi evangelizationi ansam praebere potuit opinioni eorum qui putant has dioeceses Institutis missionalibus iam non indigere.

c) Praeterea multi *aliquoties*[3] negative de opere Institutorum missionalium iudicant eorumque errores in medium proferunt. Certe missionarii sunt homines et proinde fallibiles et peccabiles. Quodsi in paucis *minus recte egerunt,*[4] in multis egregie *laboraverunt.*[5] Ii solummodo numquam *falluntur,*[6] qui nihil faciunt *vel leviter*[7] alios condemnant.

Contra tale iudicium negativum veritas requirit ut dicamus opus adimpletum a Missionariis habuisse effectum omnino positivum et egregium. Sine eorum spiritu fidei profundo, eorum sacrificiis et eorum assiduo labore apostolico, non exsisterent tantae communitates christianae florescentes et plenae fervore vitae christianae, ex quibus originem habent sacerdotes necnon religiosi et religiosae bene formati a suis Missionariis, pleni zelo animarum, habentes profundam vitam unionis cum Christo, et qui comparari possunt sine timore inferioritatis sacerdotibus et religiosis ortis ex communitatibus christianis antiquis. Nonne evidens est etiam quod sine magno zelo supernaturali et *provido*[8] nostrorum Missionariorum in hac aula non adessent ut membra Concilii Oecumenici numerus tam magnus cardinalium et episcoporum originem habentium ex nationibus evangelizatis a nostris bene merentibus missionariis?

Nos vero *episcopi*[9] qui pondus laboris et onus officii in Missionibus suscepimus, contra huiusmodi iudicia iniusta instantissime protestamur. Undenam his detractoribus operis missionalis sapientia haec ut ex cathedra de nostris necessitatibus et de meritis missionariorum decernant inconsultis eis quorum interest? Undenam trahunt suas conclusiones quibus occasum Institutorum missionalium annuntiant? Nonne ex huiusmodi dubiis et accusationibus factum est, ut, ultimis hisce annis, in multis Institutis missionalibus numerus vocationum ita deminutus sit, ut nonnullae Missiones graviter periclitentur? Nefastos dubiorum et accusationum fructus ferimus nos, *et ipsa*[10] Ecclesia.

Omnibus ergo episcopis iterum atque iterum commendo Instituta missionalia, quae sunt et manent praecipuum nostrum instrumentum ad evangelizationem mundi. Praeclarum opus iam perfecerunt. « Videte regiones, ait Christus, quia albae sunt iam ad messem » ...[11] Num sinetis

messem perire deficientibus messoribus vel immensos hominum coetus sine nuntio Evangelii remanere deficientibus praedicatoribus?

Maximas quidem gratias agimus episcopis qui sacerdotes et laicos ad tempus nobis mittunt. Eorum quoque auxilia utilia et necessaria sunt ad adimplenda munera quae sunt tam multa et varia ut omnia a solo clero locali et a Missionariis adimpleri nequeant.

Sed omnino requiruntur ii qui in Institutis tam virorum quam mulierum ex toto evangelizationi et plantationi Ecclesiae incumbant.

Maxime necessaria sunt Instituta missionalia tum ut sufficiens ministerium pastorale apud christianos habeatur tum ut Evangelium penetrare possit magnos coetus non-christianos apud quos etiam hodie opus evangelizationis vix vel omnino non iam inchoatum est. Denique dicendum est Instituta missionalia etiam hodie adhuc aptiora esse instrumenta tum praebendi eorum membris specialem formationem qua indigent ad eorum apostolatum saepius perdifficilem adimplendum tum indagandi vias et rationes evangelizationis in iis regionibus in quas ab Ecclesia missa sunt.

Proinde missionalia novis indigent vocationibus, ut munere suo in Ecclesia et pro Ecclesia fungi possint ...[12]

De ceteris tradam ad secretariatum Concilii.[13] Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] saepe nimis. [4] erraverunt. [5] egerunt. [6] errant. [7] leviterque. [8] praevidente. [9] deest. [10] fert. [11] (*Io.* 4, 35). [12] Ex defectu et raritate eiusmodi vocationum gravissima damna imminent nostris Ecclesiis, quae eorum servitio indigent, ut copia missionariorum tam virorum quam mulierum nobis suppetat ad Evangelium non-baptizatis praedicandum, ad ministerium pastorale apud baptizatos exercendum et ad profundiorem Ecclesiae fundationem. [13] deest.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, notum facio vobis Summum Pontificem statuisse ut sessio publica prima huius periodi celebretur die 28 octobris currentis [*plausus*].

Haec sessio, iuxta intentionem Summi Pontificis, celebrabitur in memoriam Ioannis XIII [*plausus*] qui hoc die ad Summum Pontificatum electus est, et ad conciliandam pacem mundo universo. Ergo habebitur concelebratio cui praeerit Summus Pontifex et suffragiis supponentur decreta quae idem Summus Pontifex statuet et vobis suo tempore, opportuno tempore, communicabo.

Nunc audiatis, Patres, textum suffragationis 376, pag. 15, n. 16 [*cf. pag. 22-24*]. *Placet* an *non placet?*

4

EXC.MUS P. D. EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Bhopalensis

Venerabiles Fratres,

Quae dicere vellem, iam a multis et bene quidem dicta sunt, ideoque iis permultis, qui loqui postulaverunt de hoc schemate et desiderant, locum cedere malo et animadversiones meas secretariatui scriptis tradam. Dixi.

Textus scripto traditus:

In art. 4 cap. II ampla et sat completa descriptio datur eorum quae incrementum cuiusdam Ecclesiae particularis qua talis fovere possunt. Ideoque valde laudatur hic articulus. Sed de relativo momento quod his factoribus attribui debet, quaedam animadversiones fieri possunt.

Meo humili iudicio, momentum liturgiae adaptatae non satis extollitur. Utique pag. 17 lin. 25 obiter dicitur: « liturgia ingenio populi consona », sed credo hoc non sufficere.

Spiritu Sancto inspirante, labores conciliares tractatione de re liturgica incepimus, et merito, nam ut habet par. 10 constitutionis: « Liturgia est culmen ad quod tendit actio Ecclesiae ».

Dixerit quispiam: « in praedicta constitutione de sacra Liturgia, nn. 37-40, sapientes, immo audaces normae decernuntur de adaptatione liturgiae indoli et traditionibus cuiusque populi. Ideo non est necesse haec in schemate repetere ».

Cui respondendum existimo: In schemate multa dicuntur quae in aliis documentis conciliaribus vel pontificiis dicta sunt. Sed hic repetuntur quia momentum eorum pro activitate missionali Ecclesiae ostendendum erat. Quod eminenter obtinet de renovatione liturgica.

Haec in omnibus novellis ecclesiis ad « bene esse » confert, sed in Asia ad « esse simpliciter ». Nam apud nationes asiaticas antiquam culturam possidentes missio a saeculis vix progressum fecit: minus quam unum pro cento Asiae, Philippinis exceptis, catholicum est. Hoc pro maiore parte debetur inadaptationi culturali, cuius maxime conspicuum symptomum est character extraneus liturgiae. Quod magnorum missionariorum de Nobili et Ricci methodi repudiati sunt, missionibus catastrophicum fuit. At proh dolor! etiam nunc quidam hoc nondum intelligere videntur!

Nunc schema viam salutis nobis aperit. Sed oportet omnes fortiter et audacter hanc viam sequantur. Versio aliquot textuum in linguam vernaculam nonnisi praeludium est. Sequatur adaptatio symbolismi gestuum et actionum, introductio novorum rituum, acculturatio musicae et artis. Quod nisi penitus fiat, semper hybridum quid et inauthenticum novellae Ecclesiae manebunt.

Quae bona expectanda sunt ab adaptatione liturgica? Nihil magis communitatem christianam ut talem constituit quam vita liturgica. Non tantum quia lex

orandi est lex credendi. Sed quia stylus rituum, symbolismus, gradus activitatis et participationis, in mentem communitatis, in eius cohaesionem et dynamismum, influxum determinantem exercet.

Ideoque si volumus ut Ecclesia vere particularis sit bono sensu, id est bene evolutam et propriam personalitatem habeat, oportet ut eius liturgia genuinum huius personalitatis sit fomentum et expressio.

Occasione Congressus Eucharistici Bombayensis, a quibusdam primae notae in patria mea peritis editus est liber cui titulum "India and the Eucharist". Sinatis me quosdam locos huius libri latine translatis vobis proponere. Non semper grata auditui, sed omnino vera hic dicuntur.

« In aliis campis vitae christianae facti sunt strenui conatus adaptationis, praesertim ultimis decenniis. Non habuerunt multum successum, nisi forte in musica religiosa. Numquid hoc nos deterrere debet ab experimentis in re tam sacra ut est liturgia, etsi Ecclesia nunc introductionem elementorum indigenorum permittit? E contrario! Quod illi conatus successum non habuerunt, imprimis, ut opinor, inde provenit quod liturgia intangibilis tunc erat. Exinde motus carebat inspiratione, sine qua non datur creativitas sed mera, inefficax imitatio. Inspiratio profluit e viventi experientia realitatis.

« Atqui fons vitae christianae est liturgia eucharistica in qua mysterium salutis incorporatur. Ideoque adaptatio quae excludit liturgiam non tantum coarctatur ad sterilem conatum addendi aliquot ornamenta cuidam rei cuius cor et substantia est extranea, sed etiam in hoc infructuosum erit, cum desit vivens experientia mysterii christiani. Ideoque adaptatio culturalis non est quoddam "hobby" pro esthetis liturgicis, sed conditio sine qua non vitae christianae, qua deficiente prorsus debilitatur ».

« Sed, quod plus est, cum cor vitae nostrae christianae non ad culturam nostram dirigeretur, in ipsa naturali vita ab hac cultura alienati sumus. Cum vero cultura sit medium necessarium sui ipsius exprimendi et evolvendi, ne plene humani quidem esse potuimus. Quodnam creativum conamen in hac situatione expectandum est? ».

Ecclesia ad nos venit non ut granum sinapis quod in propria terra in arborem crescere posset, sed ut formidabilis ac rigide organisata institutio postridentina, quasi omnino praefabricata. Non ergo facta est naturalis *im*plantatio, sed artificialis *trans*plantatio...

Nisi tempus deesset, alia praeclara legi possent ex hoc libro, non tantum pro India, sed et pro multis aliis terris missionum utilissimo.

Concludendo propono ut numero vicesimo inter urgentissime facienda commendetur adaptatio liturgica.

Patet praemitti debere studium eorum quae in symbolismo et in consuetudinibus valorem habent, et non obstante evolutione civilisationis mansura esse praevidentur. Cavendum enim est ne nimis festinanter res introducamus quae mox anachronicae esse poterunt. Ecclesia non debet velut museum folkloricum fieri.

Sed vereor ne magis timiditate peccetur quam temeritate, magis mora quam praecipitatione. Ideoque humiliter propono ut schema plenam et strenuam applicationem nn. 37-40 constitutionis de sacra Liturgia commendet, magnum momentum ei tribuendo, et quasdam directiones practicas delineando.

Moderator: Gratias, exc.me Domine!

5

EXC.MUS P. D. IOSEPH GUFFENS
Episcopus tit. Germanicianensis

Venerabiles Patres,

Bene describitur missionalis actio. Tria[1] puncta pressius, ut videtur, declarare iuvabit.

1. In pag. 14, lin. 11, legitur: « ... atque scholis idoneis iuventur ». Bis vel ter, quasi per transennam evocat textus scholam. Ad rem quod attinet diversae non ignorantur opiniones.

Attamen videtur quod, in concreto, *decisivam* se praebet scholaris actio praesertim in gradu medio et ulterius. Nunc saltem in terris missionum saepe nequeunt, sylvarum arborum instar, educatrices inveniri familiae, nec sat efficaces iuvenum coetus ad educandum. Ceterum quaecumque dum rite docent religiosi, laici, sacerdotes, humanarum scientiarum via ipsius Dei Verbum et opus revelant discipulis. Iure ergo meritoque a saeculis visa est schola, Spiritus Sancti quasi laboratorium, adulescentes ac iuvenes quod attinet educandos.

Quae cum ita sint, laici permulti, crebro sacerdotes etiam hoc in campo suas retineant partes.

Sed pluries mille praeterea desiderantur nativarum sororum ac fratrum qui vere apti necnon laureati, scientiam atque educationem simul cum fidei testimonio iuvenibus procurantes, vitam suam consumant. Illustratur certe in textu, at non satis forsan scholae momentum, necnon fratrum omnium ac sororum partes, efformationem in eo quod attinet, tum profanam tum moralem illorum omnium iuvenum qui multimodis, aliquando tandem numerosiores suis ingentibus populis competenter et *fideliter*[2] quamprimum inserviant, vel etiam praesint in casu.

Extranei periti, Universitatum magistris haud exceptis, ipsa in terra missionum suo maturati officio, absque gravi de causa ne discedant — in voto saltem est — antequam nativi successores et ipsi maturi fiant. Secus videri possent nationes novellae quasi mere experimentales terrae, exterorum beneficio plus quam par est.

2. In pag. 17, art. 3 sequentibus vel similibus verbis perfici posset: « His supradictis, concludendum est nativos laicos, clericos et religiosos formatos magni aestimandos esse; illa quidem aestimatione quae fit sane ex reverentia, fraterna caritate, *sed*[3] insuper praesertimque activa fiducia. Ab initio enim temporum, necnon Christi tempore mirifice credidit Homini Deus. Credat nunc ipse homo Homini, et confidenter ordi-

netur agendi modus: e. g. in tempestiva collatione officiorum etiam gravium. Inde tantum fiet ut autochtoni aliique omnes fraternam fecundamque operam inter se conferant.

3 et ultimo. Nequit sane textus omnia iterare quae iam alibi a S. Concilio commendantur. Nemo tamen erit qui non praevideat forsan visum iri textum, ab homine sic dicto « du Tiers-Monde », quasi Ecclesiae doctrinae compendium quoddam, mancum, plurimis omissis instantibus problematibus. Facile vitaretur talis confusio si notula aliqua, in prima pagina decreti minute impressa, indiceret alia Vaticani II documenta hominibus quibuscumque destinari. Ante omnia nominetur constitutio pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* quae constitutio certo certius terrarum missionalium populis quam maxime placebit. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] In genere luculenter describitur missionalis actio. Tria tamen. [2] feliciter. [3] et.

Secretarius generalis: Sinas, eminentissime, ut legam textum ulterioris suffragationis ...

Moderator: Bene!

Secretarius generalis: ... quae est 377, pag. 17, n. 19 [*cf. pag. 25*]. *Placet* an *non placet?*

6

Exc.mus P. D. VICTOR GARAYGORDOBIL BERRIZBEITIA
Episcopus tit. Pudentianensis, prael. null. Fluminum

Venerabiles Patres,

Schema, cum loquitur de spiritualitate missionaria, nimis arcte describit responsum quod missionarius debet dare Deo vocanti dum asserit: « Totum — et quidem per totam vitam — sese devincere debet operi Evangelii, ad quod segregatus est ». Hoc maxime laudandum, sed, nostris ...[1] temporibus, non omnibus necessario imponendum videtur.

Revera, sunt multi missionarii qui non accipiunt opus missionale pro tota vita. Huiusmodi sunt quamplurimi qui pertinent ad Instituta religiosa. Institutum, qua tale, accipit a Sancta Sede commissionem de aliquo territorio vel opere missionali pro tempore indefinito; sed singuli missionarii non necessario accipiunt opus missionale pro tota vita.

Huiusmodi sunt etiam non pauci sacerdotes dioecesani, qui, firmo manente vinculo incardinationis dioecesi originis, in terris missionum laborant. Etiam in hoc casu, dioecesis, qua talis, accipit a Sancta Sede commissionem de aliquo territorio vel opere missionali pro tempore indefinito; et sacerdotes dioecesani sese devovent operi missionali vel per totam vitam vel per notabilem partem suae vitae.

Datur, ergo, vera paritas, relate ad opus missionale, inter missionarios dioecesanos et missionarios qui pertinent ad Instituta religiosa; et pariter, eodem modo sese habent relate ad continuitatem in opere missionali, Instituta religiosa et dioeceses iuris communis.

In schemate dicitur peroptime quod tota Ecclesia debeat esse missionaria; urgetur quam maxime opus missionale omnibus et singulis membris Ecclesiae; de episcopis, speciatim, dicitur « sive omnes sive singulos non solum pro aliqua dioecesi sed pro totius mundi salute consecratos esse ». Aliunde, omnes scimus opus missionale in dies difficilius atque urgentius evadere.

Sed non statuuntur media vere adaequata ut haec omnia, facilius et citius, ad praxim deduci possint.

Hucusque in praxi fuit territoria et opera missionalia tantummodo Institutis commendari; et in schemate itidem videtur affirmari. Sacerdotes dioecesani qui, sincere et vere, volunt Ecclesiae in terris missionum personaliter inservire, rogantur ut « zelum pro mundi evangelizatione inter fideles excitent, ut fideles doceant pro missionibus orare, et ut ab eis eleemosynas quaerant ».

Nulla statuitur possibilis via ut dioeceses, quae volunt et valent, possint accipere a Sancta Sede curam de aliquo territorio vel opere missionali ad instar Institutorum religiosorum: quod *tamen* [2] esset optimum medium tam ad maximum impulsum activitati missionali in terris missionum praebendum, quam ad spiritum et zelum apostolicum in dioecesibus fovendum.

Quae in cap. V dicuntur « de cooperatione », quamvis optima, insufficientia videntur ad opus missionale, nostris temporibus, rite adimplendum; et certe, non respondent desideriis ac votis multorum sacerdotum dioecesanorum.

In hac renovatione generali Ecclesiae non posset etiam considerari ac statui possibilitas ut dioeceses, quae copia sacerdotum et opum a Deo ditatae sunt, accipiant a Sancta Sede curam de aliquo territorio vel opere missionali eodem modo ac Instituta religiosa?

Si in praeteritis temporibus aliquis timor haberi potuit relate ad continuitatem Missionum, ut ita dicam, dioecesanarum vel dioecesibus concreditarum, nunc status quaestionis est valde diversus.

Concilium quam maxime urget opus missionale omnibus membris Ecclesiae, et praecipue episcopis et sacerdotibus; in multis seminariis et dioecesibus sacerdotes, maxime iuvenes, integre et plene aggredi cupiunt opus missionale, firmo tamen manente vinculo incardinationis; et datur etiam aliqua experientia, sat longa et valde positiva, quae non est spernenda.

Ut unum tantum afferam exemplum, ex una originaria dioecesi, postea in tres divisa, exierunt, in ultimis septemdecim annis, plus quam centum et triginta sacerdotes, fere centum religiosae et non pauci laici missionarii, qui strenue laboraverunt, et laborant, in terris missionum in diversis Nationibus.

Reiciamus, ergo, nimios timores et aperiamus portas ac vias activitati vere missionali sacerdotum dioecesanorum eorumque dioecesium.

His prae oculis habitis, ad modum conclusionis, haec tria proponere audeo:

1. In n. 22, ubi agitur de spiritualitate missionaria, supprimantur verba « totum — et quidem per totam vitam », saltem in sensu exclusivo.

2. In n. 25, ubi agitur de Institutis in Missionibus laborantibus, inter primam et secundam paragraphum, addatur alia quae istis vel similibus verbis sonet: « Ut autem promoveatur magis in dies hoc urgentissimum opus, invitentur etiam dioeceses iuris communis, quae copia sacerdotum et opum a Deo ditatae sunt, ad territoria vel opera missionalia acceptanda ad instar Institutorum religiosorum ».

3 et ultimo. In n. 30, ubi agitur de coordinatione activitatis Institutorum, iuxta verbum Institutum, addatur, toties quoties, « vel dioecesis iuris communis », ut missionarii dioecesani, in suis diversis relationibus, iisdem normis ac missionarii Institutorum religiosorum ordinentur ac regantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] praesertim. [2] quidem.

Animadversiones additae:

Attamen de facto difficultates non paucae nec parvae oriuntur, maxime ex praxi S. Congr. de Propaganda Fide, cum aliqua dioecesis intendit, sincere et vere, suam partem in opere missionali plene assumere. Et en magna et lamentabilis contradictio: ex una parte, dicitur quod tota Ecclesia debeat esse missionaria, urgetur quam maxime opus missionale omnibus et singulis membris Ecclesiae; et ex alia, practice, prohibentur ii qui volunt et valent, hoc opus missionale plene assumere. Quotquot sacerdotes dioecesani, sincere et vere, in terris missionum laborare intendunt, pie rogantur, veluti in praesenti schema « ut zelum pro mundi

evangelizatione inter fideles excitent, ut fideles doceant pro missionibus orare et ab eis eleemosynas quaerant ».

Liceat mihi aliqua facta concreta hac de re afferre.

Anno 1948 erigitur Vicariatus Apostolicus Fluminum in Aequatore. Sancta Sedes vult hunc Vicariatum Apostolicum expresse dioecesi Victoriensi in Hispania commendare, et ita proponit episcopo Victoriensi, qui sermone habito cum suis sacerdotibus, libenter invitationi Sanctae Sedis accedit. Sed en difficultas: in praxi S. Congr. de Propaganda Fide statutum est territoria missionalia tantummodo Institutis commendari, et consequenter Vicariatus Apostolicus Fluminum commendatur, ad experimentum per triennium cuidam Instituto missionario ut tamen attendatur a sacerdotibus dioecesis Victoriensis.

Elapso experimenti tempore, vicariatus apostolicus evehitur in Praelaturam Nullius, et in Bulla erectionis praelaturae adducuntur ut causae principales huius mutationis progressus valde mirabiles et fere miraculosi operati in tribus tantum annis. Nemo non videt hic agi de aliquo subterfugio. Nemini latet vera causa huius mutationis esse alia valde diversa, de qua tamen nihil dicitur nec dici potest in Bulla erectionis.

In hac renovatione generali Ecclesiae non posset etiam examini subici praxis S. Congr. de Propaganda Fide hac in re et necessitatibus et exigentiis huius temporis melius adaptari?

Aliunde, si in praeteritis temporibus S. Congr. de Propaganda Fide aliquem timorem habere potuit relate ad continuitatem missionum, ut ita dicam, dioecesanarum, nostris temporibus status quaestionis est valde diversus. In plurimis seminariis et dioecesibus sacerdotes, praesertim iuvenes, integre aggredi cupiunt opus missionale, firmo tamen manente vinculo incardinationis; datur etiam aliqua experientia sat longa et valde positiva.

Ut unum tantum exemplum afferam, in septemdecim tantum annis et non obstantibus difficultatibus undequaque provenientibus, ex sola originaria dioecesi Victoriensi, postea in tres divisa, exierunt plus quam centum et triginta sacerdotes, fere centum religiosae et non pauci laici missionarii, qui strenue laboraverunt et laborant in Aequatore, Venezuela, Angola, Ruanda et Kongo. Inter alia opera missionalia eis concredita habent seminarium intermissionale pro omnibus missionibus ecuatorianis.

Secretarius generalis: Suffragatio 378. Pag. 19 [*cf. pag. 27 Conclusio*]. *Placet* an *non placet?*

Manet ultima suffragatio circa schema, quae postea fiet.

7

Exc.mus P. D. IOSEPH SIBOMANA
Episcopus Ruhengeriensis

Venerabiles Patres,

In cap. III schematis nostri agitur: de Missionariis, de eorum vocatione, spiritualitate, et formatione spirituali. Omnia quae dicuntur in hoc capite, optima sunt et maximi momenti. Attamen, missionarius operari debebit, sub auctoritate episcopi, qui est rector et centrum unitatis, in apostolatu dioecesano, ut dicitur in n. 28 nostri schematis. Ergo, numquam obliviscatur, virtutes apostolicas de quibus in n. 22, etiam exercendas esse, sub auctoritate episcopi, cui debetur, ut de iure et de facto, dirigat eius activitatem apostolicam qua talem, sed necessarie arcte connectam, cum omnibus virtutibus apostolicis.

Mihi liceat hoc breviter explanare.

Doctrina de episcopo sit pars integrans spiritualitatis missionarii.

Doctrina de episcopo, ut centrum et cardo dioecesis, inculcetur futuris missionariis. Sciant doctrinam de episcopo, secundum nostrum Concilium. Ex una parte, patet quod nequeunt oblivisci virtutem oboedientiae, erga superiores suos religiosos; ex altera parte, colant talem oboedientiam erga episcopos, quorum erunt cooperatores in activitate missionali. Absit dualitas — *absit dualitas* [1] — quae dividit episcopum et superiores religiosos; nam auctoritas est a Deo, qui non est divisus. Sciant etiam missionarii quod episcopus, in cuius servitium mittentur, diriget eorum activitatem apostolicam, et quod ipse erit eorum auctoritas in ministerio pastorali, qua tali. Haec doctrina — aliquomodo nova — partem habere debet in formatione missionariorum qui in servitio episcoporum laborabunt.

Omnes virtutes missionariae, ut enumerantur in n. 22, exercebuntur sub ductu episcopi et imbutae erunt spiritualitate — ut aiunt — dioecesana. Nostra humili opinione, haec spiritualitas componi potest et debet cum spiritualitate propria familiarum religiosarum, quarum indoles, scil. vocatio et charisma proprium, ignorari non debet ab episcopo in cuius dioecesi operam navant. Operarius apostolicus, semper, determinato modo, se inserit in ministerio dioecesano. Hi autem modi determinantur regulis et constitutionibus familiarum religiosarum earumque spiritualitate propria; sed his admissis, episcopus erit eorum pater communis, sub cuius auctoritate, determinato modo, operam praestant ad instaurandum regnum Dei.

Haec spiritualitas dioecesana missionariorum erit insuper verum ligamen inter sacerdotes locales et sacerdotes aliunde venientes in dioecesim. Omnes patrem communem episcopum habebunt; et sic coadunati in veneratione et amore identico patris communis, maiorem fraternitatem obtinebunt inter seipsos.

Patres venerabiles, in nostro textu fere nihil dicitur de hac spiritualitate dioecesana missionariorum. Quomodo vero missionarii formari possunt relate ad munus suum missionale implendum, cuius episcopus remanet centrum et cardo, sine hac spiritualitate dioecesana? Nonne virtutes apostolicas omnes exercebunt in quantum — *in quantum* [2] — coadunati erunt episcopo?

...[3] Ergo valde optamus ut in hoc n. 22 explicite loquatur de spiritualitate dioecesana, i. e. doctrina de episcopo, quatenus est pars integrans spiritualitatis missionarii; ne evanescant ea quae aliunde dicuntur de episcopo, qua centrum unitatis, in apostolatu dioecesano. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Conclusio.

[*Subscripserunt etiam*] A. Kozlowiecki (Lusaka); A. Tarentino (Arua); J. Fady (Lilongwe); Ch. Msakila (Karema); C. Davies (Ngong); M. Otunga; R. Butibubage (Mwanza); E. McHonde (Mahenge); O. McCoy (Oyo); J. Jobidon (Mzuzu); M. Mihayo (Tabora); A. Fürstenberg (Abercorn); H. Spiess (Peramiho); D. Durning (Arusha); F. Arinza (Fissiana).

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *subsecretarius*: Proponitur nunc ultima suffragatio: quaesitum generale (379). Quaeritur: « An placeat expensio facta a commissione conciliari circa modos reliquos decretum *de institutione sacerdotali* (nn. 1, 6, 7, 8, 14, 17, 18, 20, 21 et 22) respicientes ». *Placet* an *non placet?*

8

EXC.MUS P. D. IOSEPH MARTIN
Episcopus Bururiensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine episcoporum de Rwanda et Burundi necnon aliorum fere quadraginta ex Africae regionibus.

Loquor autem de n. 27 schematis, nempe de ordinatione generali Quae hoc in numero dicuntur de munere dicasterii « De Propaganda activitatis missionalis.

Fide » maxime placent. Quod autem ad praeteritum spectat, cum grato animo recordamur quam innumera atque continua necnon pernecessaria nobis profuerunt auxilia ab illo Sacro Dicasterio praestita.

Nunc vero quasi novum huic dicasterio committitur munus, vi cuius problemata evangelizationis, nostro tempore, solutionem multo efficaciorem accipere valeant in terris missionum. Quodnam abhinc erit opus et officium — si dicere fas est cum fiducia — quodnam ergo abhinc erit officium huius dicasterii ad problemata evangelizationis solvenda et quidem in omnibus campis et pro omnis generis adiutorio, sive agatur de personis, sive agatur de ambitu materiali et temporali, sive imprimis de oratione et poenitentiae operibus? Quomodo ergo distribuendae erunt hae vires Ecclesiae in terris missionum ac forsan ad quasnam normas attendendum erit?

Ex una parte, ad terras missionum quod attinet, sic dicta programmatio instituenda est. Altera ex parte, relate ad hanc programmationem realizandam, investigandum erit quaenam sint vires Ecclesiae disponibiles tam in terris quam extra terras missionum.

1. De programmatione instituenda. Ad hoc optime inservire debet dicasterium de Propaganda Fide, uti constitutio eius describitur in n. 27. Dicasterium nempe constitutum ex membris selectis qui in opere missionali collaborant. Sed inter haec membra seligenda, vocentur non tantum ut consultores huius dicasterii sed et insuper, quod maxime importat, vocentur, et quidem ut membra ipsius dicasterii, aliqui episcopi qui in terris missionum de facto actu laborant.

Haec propositio non est nisi applicatio ad casum decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* ubi legitur in n. 10 cap. I: « Ut eorum membra — agitur de membris dicasteriorum — ut eorum membra ex diversis Ecclesiae regionibus magis assumantur ». Hoc enim medium optime valet ut inopiae missionales cognoscantur in sua amplitudine et universalitate, secundum diversas necessitates et prioritates et urgentias suas, atque in omnibus campis ut supra dictum est.

2. Determinandae sunt a quodam *novo organo* vires Ecclesiae quae operi missionum inservire debent.

Primo mihi liceat, nomine non paucorum missionariorum necnon et meo, nostram exprimere gratitudinem pro tot tantisque beneficiis a caritate fratrum in episcopatu acceptis. Attamen nonne melior distributio virium Ecclesiae fieri debet per mundum? Et hic agitur imprimis de personis, sive sint sacerdotes, sive religiosi, sive religiosae, sive etiam cooperatores laici: unusquisque autem adiutorium praestare valeat secundum charismata quae a Spiritu Sancto accepit.

3. Haec distributio fieri deberet non quidem ad aequalitatem, sed magis ad aequitatem.

Non ad aequalitatem: quia Ecclesiae antiquiores, eo quod magis evolutae sint, maiore indigent copia operariorum. Ad aequitatem vero, ne mereamur audire quod dicitur a S. Paulo in Epistola ad Corinthios: « Inter vos ... alius quidem esurit, alius autem ebrius est ».

Ergo haec distributio fieri deberet ad normam et mentem decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* in n. 6 cap. I cuius titulus: « Episcopi sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes ». Et haec referentia in nostro schemate *de activitate missionali Ecclesiae* loco debito *inseratur.*[1]

4. Exitus tandem illius distributionis pendet ab efficientia connexionis quae existere debet inter dicasterium de Propaganda Fide ut organum determinans inopias missionales, sicut supra dictum est, et illud novum organum determinans vires Ecclesiae ubique disponibiles. Nonne optandum est ut haec connexio pernecessaria a Synodo Episcoporum animetur eique committatur ut exitus distributionis efficax evadat?

Conclusio: Optamus ergo ut de hac distributione operariorum et virium Ecclesiae, ut supra descripta, mentio fiat in n. 27: quod humiliter proponimus.

Faxit Deus ut inde evangelizatio efficacior evadat ex parte saltem collegialitatis nostrae, cum collegialitas episcoporum inservire debeat evangelizationi totius mundi! Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] inscribatur.

[*Subscripsit*] J'approuve totalement votre intervention sur le n. 27 du schéma des Missions pour une plus grande efficacité des Missions. Le Synode des Evêques ne peut-il aussi avoir comme rôle l'animation de ce secteur si important dans la vie de l'Eglise? — M. Canonne, ep. Talcar.

[*Subscripserunt etiam*] J. Busimba, ep. Goma; J. Malula, arch. Leopoldville; J. Nkongolo, adm. ap. Bakwanga; Th. Kuba, ep. Mahagi; Fr. Van den Bergh, ep. Badjala; U. Morlion, ep. Baudouinville; D. Catarzi, ep. Uvira; A. Kozlowiecki, arch. Lusaka; A. Tarantino, ep. Arua; J. Fady, ep. Lilongwe; Ch. Msakila, ep. Karema; C. Davies, praef. ap. Ngong; E. Butler, ep. Mombasa; S. Mazzoldi, adm. ap. Moroto; M. Otunga; R. Butibubage, ep. Mwanza; E. McHonde, ep. Mahenge; O. McCoy, ep. Oyo; J. Jobidon, ep. Mzuzu; H. Mihayo, arch. Tabora; V. McCauley, ep. Fort Portal; R. Pailloux, ep. Fort Rosebery; J. McCarthy, arch. Nairobi; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; D. Durning, ep. Arusha.

9

Exc.mus P. D. IOANNES BAPT. GAHAMANYI
Episcopus Butarensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Loquor nomine conferentiae episcopalis de Rwanda et Burundi.

In n. 31 nostri schematis agitur de coordinatione inter Instituta. Haec coordinatio pernecessaria videtur et medium propositum ad eam obtinendam, nempe conferentiae religiosorum et uniones religiosarum, idoneum est ad finem obtinendum. Dummodo tamen hae conferentiae et uniones fiant in spiritu collaborationis cum episcopis, in spiritu nempe servitii Ecclesiae localis. Ne fiant in spiritu aliquo defensionis iurium Congregationum vel membrorum earum, sed in vero spiritu collaborationis: qui spiritus debet etiam conferentias episcoporum regere. Opere ergo harum conferentiarum et unionum, omnia quae a religiosis peraguntur in dioecesibus, harmonice se inserent in pastorali totali Ecclesiae localis.

Hoc dicendo speciali modo in mentem habemus opera specialia a religiosis peracta in dioecesibus nostris, ut opera educationis, opera medicalia, socialia et alia. Haec opera, cum specialia sint et suis propriis methodis utantur, debent ergo se inserere modo proprio in vita dioecesis vel paroeciae in cuius territorio exercentur. Dioecesis et paroecia sunt communitates ecclesiales; et qui in operibus specialibus ibi versantur, suum apostolatum exercere non valent nisi in arcta connexione cum his communitatibus ecclesialibus concretis.

Communitas ecclesialis etenim, sive dioecesana sive paroecialis, non efficitur per simplicem iuxtapositionem diversorum operum apostolicorum, sed per eorum unionem. Quae unio obtinetur quia omnes qui operam navant, opera sui apostolatus exercent, sensu et spiritu a pastore loci determinatis.

Maxime vero recordari debent omnes qui in laboribus specialisatis operam dant quod finis primarius eorum activitatum est instauratio Regni Dei in sua realitate concreta quae est Ecclesia localis ut pars Ecclesiae universalis. Hac de causa nullus religiosus et nulla religiosa primo loco magister vel medicus vel operarius socialis sit, sed ante omnia sit operarius apostolicus. Instauret Regnum Dei! Et hoc non tantum intentione apostolica, qua suum laborem magistri vel medici vel operarii socialis perficit, sed etiam activitates immediate et specifice apostolicas exercendo. Nam et ipse Christus non tantum sanavit morbo affectos,

sed etiam et imprimis annuntiavit Evangelium Regni Dei, modo proprio et immediato.

Ea quae dicimus de labore religiosorum et religiosarum individualiter sumptorum, mutatis mutandis valent de institutis specialisatis ipsis. Nostro humili iudicio, instituta numquam exclusive adunata esse deberent operibus specialisatis, sed aperta remaneant operibus proprie apostolicis uti Actio Catholica, catechizatio, actio liturgica. Haec disponibilitas ad actum transiens — modo determinando — maxime prodesset institutis ipsis et toti Ecclesiae.

Exc.mi Patres, ne ea quae dico evanescant, pauca addere debeo de alio problemate in nostris regionibus missionalibus exsistente. Nostri religiosi et religiosae saepe coacti sunt tamquam individui vel tamquam instituta sese exclusive devovere operibus specialisatis propter difficultates pecuniales. Opera enim haec sunt eis necessaria ad eorum sustentationem, propter stipendium! Hoc specialiter valet pro institutis localibus, et pro institutis exclusive missionariis quia opera quae ea sustentare possunt, aliter omnino eis desunt. Hac ratione videtur quod religiosi et religiosae, nempe et sacerdotes, opera quaedam praestant quae optime a laicis praestari possent, et hoc quidem in regionibus missionariis ubi operarii apostolici maxime desunt.

Speramus et optamus igitur fore ut respectu subsidiorum tam ordinariorum quam extraordinariorum haec instituta maxime adiuventur generositate Ecclesiarum et institutorum subsidia afferentium.

Venerabiles [1] Patres, hoc spiritu et his mediis dotata, instituta realiter collaborari possent cum conferentiis episcopalibus in una et identica actione pastorali. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Exc.mi.

10

Exc.mus P. D. MICHAËL NTUYAHAGA

Episcopus Buiumburaënsis

Exc.mi Patres Conciliares,

Nomine conferentiae episcopalis Rwanda et Burundi necnon nonnullorum episcoporum ex Africa Orientali et Nigeria loquor.

In hoc interventu tractatur de n. 30 schematis, nempe *de activitate missionali Ecclesiae.* Haec paragraphus maximi momenti est in vita no-

vellarum dioecesium, quia agit de relationibus inter Ordinarios et moderatores institutorum.

Theoretice hae relationes plerumque adhuc reguntur iure commissionis institutorum, practice vero hoc ius antiquatum evasit et a realitatibus concretis superatum. Ex hac discrepatione inter ius et suam applicationem practicam non raro profluit aliqua confusio et situatio incommoda episcopos inter et instituta. Textus schematis nostri opportune dicit quod « multum proderit particulares inire conventiones, quibus relationes inter Ordinarium loci et Moderatorem Instituti regantur », sed nihil amplius! Exc.mi Patres, de his conventionibus loqui volumus, et quidem cum fiducia: scimus enim quod instituta missionaria nobiscum sunt nobisque praebent maiorem partem nostrorum sacerdotum et quod nobis sunt primum auxilium in opere evangelizationis. Instituta nobis praebent missionarios ad vitam missionalem specialiter formatos et in servitium missionum « ad vitam » datos. Plene recognoscimus et aestimamus laborem apostolicum quem instituta missionaria peragerunt et adhuc peragunt in nostris regionibus, *nempe* [1] adiuvante dicasterio de Propaganda Fide cui hic volumus gratias quam maximas agere pro eius erga missionariam Ecclesiam sollicitudine.

Fructus, et quidem praestantissimus eorum laboris, constitutio est novellarum Ecclesiarum cum suis pastoribus, sacerdotibus populoque Dei. Scimus quod et ipsa instituta missionaria desiderant adimplere opus suum collaborando cum novellis Ecclesiis et hic publice dicere volumus quod nulla alia auxilia personarum — quamquam perutilia — plene eorum locum tenere possunt. Indigemus institutis missionariis, et adhuc per multum tempus.

Exc.mi Patres, hoc spiritu animati, speramus nihilominus problematibus nostris ex novis circumstantiis ortis facile solutionem invenire.

Hae sunt novae circumstantiae: erectio hierarchiae in territoriis missionum et inadaptatio iuris commissionis et variarum conventionum particularium quae saepe plene non satisfaciunt neque episcopis neque institutis.

Quod ius commissionis delendum est in eo non importat quod Instituta missionalia suum opus in missionibus iam adimpleverunt, sed significat quod officium institutorum adhuc peragitur, sed novo modo novaque mente peragendum quia in novis circumstantiis perficitur. Etenim, in novellis Ecclesiis, instituta — qua talia — munus habent collaborandi et serviendi, non iam dirigendi; et hoc verum est etiam si membra ipsa institutorum Ecclesiae locali praesunt. Sub iure commissionis, instituta dirigebant territoria missionum nomine Sanctae Sedis,

sub ductu et zelo dicasterii de Propaganda Fide, mediantibus episcopis ex eorum gremio electis.

Nunc autem, in territoriis ubi hierarchia erecta fuit, munus dirigendi Ecclesiam localem pendet ab auctoritate Ordinarii loci qua tali. In novo periodo missionali vivimus, et hoc periodum maximi est momenti. Tempus nostrum est quasi cardo vi cuius transimus a tempore missionum proprie dictarum ad tempus Ecclesiarum novellarum proprii et pleni iuris. Ergo videtur quod vetera recedere debeant ut nova induantur. Vetera delere est quidem multo facilius quam nova invenire quae omnibus conveniunt. Qua de ratione, rogamus ne Concilium nostrum tantum det consilium generale conventiones particulares ineundi inter Ordinarios et Moderatores institutorum. Sed petimus ut Concilium proponat normas et lineas generales quae has conventiones animare debent.

Petimus insuper ut normae magis elaboratae proponantur a coetu Episcoporum et Moderatorum ut describitur n. 27 nostri schematis ubi agitur de dicasterio « de Propaganda Fide ». Hae normae, puta, deberent determinare continuitatem operis institutorum missionalium simul ac relationes inter instituta eorumque membra et hierarchiam erectam, salva auctoritate Ordinarii loci. Exemplum sit nominatio missionariorum: qua in re, episcopi desiderant aliquam stabilitatem quoad collaborationem eorum, dum moderatores etiam in consideratione tenent bonum commune totius operis eis confisi.

Normae elaboratae et propositae a dicasterio de Propaganda Fide inseri deberent in novo iure canonico componendo ut vim legis obtineant. E contra, ad particularia quod attinet, conventiones elaborari deberent inter Instituta et locorum Ordinarios ratione quidem habita conferentiarum episcopalium.

Exc.mi Patres, hoc modo novum impulsum recipiet collaboratio episcoporum cum institutis ad omnia in Christo instauranda. Dixi. Vobis gratias.

In textu scripto tradito: [1] semper.

[*Subscripserunt*] N. Agnozzi (Ndola); J. Jobidon (Mzuzu); M. Mihayo (Tabora); A. Fürstenberg (Abercorn); D. Durning (Arusha); F. Arinza (Fissiana); V. McCauley (Fort Portal); W. Dunne (Kitui); J. de Reeper; A. Kozlowiecki (Lusaka); A. Tarentino (Arua); J. Fady; Ch. Msakila (Karema); C. Davies (Ngong); M. Otunga; R. Butibubage; E. McHonde (Mahengo); O. McCoy (Oyo); R. Pailloux (Fort Rosebery).

11

Exc.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Episcopus tit. Thunigabensis, prael. null. Acrensis et Puruensis

Venerabiles Patres,

Et me, *adprobantibus 77 Patribus* [1] Americae Latinae, audite circa activitatem laicorum in missione.

Textus nobis propositus bene loquitur de laicorum munere in opere missionali Ecclesiae ...[2] cum dicit quid ipsi facere possent tum in terris iam christianis tum in terris missionis ...[3] Tamen cum inaniter homo plantet et regat nisi Deus incrementum det, opportunum videtur aliquid dicere etiam de subsidio spirituali praebendo per preces, per *mortificationem* [4] et sacrificia tum ordinaria tum extraordinaria. Oportet *enim* [5] praesentare Ecclesiam unicam et apostolicam in omnibus suis partibus et laboribus ita ut fideles etiam in suo ordinario labore se sentiant Ecclesiae apostolos. Specialis mentio fiat aegrotantium qui dolore suo possunt in ipsa sua carne adimplere ea quae desunt Passioni Christi ut quam citius fiat unum ovile et unus Pastor.

Sed cooperatio missionaria laicorum in forma hodie proposita est materia nova etiam in historia Ecclesiae, et textus lacunas et dubietates ostendit quarum duas breviter videamus:

1. Schema videtur ignorare laicos independentes a quocumque Instituto. Dicitur enim in pag. 21 ...[6] « Singulos ad Instituta congregavit Deus ». Tamen laici missionarii soluti, ut ita dicam, exsistunt plurimi et ipse textus non videtur eos ignorare, secus non affirmaret in pag. 20 ...[7] « Et ipsi praeparandi et formandi sunt ». Sed a quo, ubi, quibus auxiliis? Oportet ut haec omnia practice solvantur quia nobis non sufficit dicere « fiat » ut res reapse fiat. Et forsan unice Apostolica Sedes posset, per Sacram Congregationem de Propaganda Fide, Institutum ad hoc excitare, ut in Italica Civitate Veronensi, pro clericis mittendis in Americam Latinam, iam *laudabiliter* [8] factum est. Apostolica Sedes pariter facilius quam nos *missionarii* [9] obtinere posset etiam per viam diplomaticam adprobationem titulorum in missione adlaborantium (italice « riconoscimento dei titoli di studio »).

At non modo curanda est immissio laicorum in missione, sed et ipsa devolutio laicorum primaevae societati. Caritas et iustitia ad hoc suadent, praesertim si laicus redit technice depretiatus sine officio (italice « senza lavoro »), argento et auro pauperrimus et filiorum dives. Ipsa senectus vel aegritudo suadere potest reditum ad societatem origi-

nis, quia carnem et ossa perdere in missione est poësis missionaria, dulcis et laudabilis, at non suadenda, quia quod senes vel aegrotus dat missionibus, alio in loco et sine onere missionis dare potest, forsan ex renuntiatione auctum et pretiosius. Et haec valent etiam pro clericis, immo, ut audivimus anno elapso, etiam pro *nobis* [10] episcopis.

2. Quae dicuntur de Institutis saecularibus parum et offensivum videtur. Nam ponuntur sub auctoritate conferentiarum episcopalium ...[11] et de illorum opera tantum dicitur « utilis esse potest » ...[12] Cur sub auctoritate conferentiae? Ratio non videtur. Ordinarius loci sufficere posset. Secus ipse episcopus aliquam habens potestatem in Ecclesiam universam *paulatim* [13] videtur in sua propria Ecclesia amittere imperium. Tandem dicere de aliquo Instituto quod « utilis esse potest » et ipsum Institutum depretiare est unum et idem. Et opera aselli cuiusdam vel cuiusdam canis utilis esse potest. Quodsi verbis attendimus, fere in omnibus schematibus passim dispersis admiratio succrescit. Instituta saecularia enim non semel definiuntur opera miranda, non sine inspiratione Divini Spiritus nostris temporibus surgentia.

Quibus omnibus perpensis, bonum videtur plura et meliora de Institutis saecularibus dicere quia reapse merentur. Et ex experientia loquor. Opportune, servata distinctione, loqui de illis possumus ubi de religiosis fit, vel fieri posset sermo ut in numero 15, quando de formatione communitatis christianae loquitur, et sequentia adiicere oporteret: « Christiani ad vitam ducantur pleniorem secundum suam vocationem ita ut et inter eos habeat Deus sibi consecratos homines tum in saeculo tum in monasteriis viventes ».

Et nunc, optatum finale.

Sunt nationes plurimae technicis et peritis indigentes. Suntque in Ecclesia Dei plura millia studentium et peritorum in rebus civilibus et technicis. Quid si isti periti et technici, sub ductu Sanctae Sedis, quae habet suos repraesentantes fere ubique terrarum quaeque posset pro istis efformare sectionem in ipsa Sacra Congregatione de Propaganda Fide, *quid si isti* [14] mittantur ubi necessaria est ars et technica, ut per ipsos, qui Christum per baptismum induerunt, Ecclesia fiat praesens? Hoc esset verum iter fidei (italice « marcia delle fede »), cuius semitae ut mundus et amor patent, et non moriuntur in aliqua platea cuiusdam civitatis nostrae christianae.

Quidquid sit de hoc voto, extollatur saltem hoc in schemate pars iuvenum in cooperatione missionaria. Nam iuvenes facilius alliciuntur quam alii et de facto inter ipsos varii generis incepta pro missionibus florescunt. Insuper de medio eorum missionales vocationes exspectandae sunt, etiam sacro ordine ornatae. Ac tandem educatio missionaria

initium sumere debet ubi revera futuri cives educantur, in iuventute scilicet.

Conclusio. Unde in cooperatione laicorum duas classes distinguere oportet. Sunt enim laici sodales alicuius Instituti saecularis et laici soluti a quocumque Instituto, quorum alii directe missionarii vocari possent; et sunt qui in evangelizatione suam operam dant, mercedem non quaerentes praeter vitam aeternam, ut ita dicam; et alii, missionarii indirecti, si vultis, quorum merces in caelo et in terra ponitur, quia directe ad familiam et artem suam se devovent, in terra aliena vero, propter amorem Christi quem confitentur opere et ore. Sed omnes sunt missionarii, omnes sunt necessarii omnesque laudandi quia unusquisque prout receperat dat. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] locuturum nomine 77 Patrum. [2] (pag. 27, linn. 31 ss.). [3] *a*) in terris iam christianis, laici ad evangelizationem cooperantur; cognitionem et amorem erga missiones fovendo in seipsis et in aliis; vocationes excitando in propria familia, in associationibus catholicis et in scholis; subsidia cuiusque generis offerendo; *b*) in terris missionum: in scholis doceant; res temporales gerant; in activitate paroeciali vel dioecesana collaborent; varias formas apostolatus laicorum instituant ut fideles novellarum Ecclesiarum quamprimum propriam partem in vita Ecclesiae assumere possint. [4] mortificationes. deest. [6] (lin. 6). [7] (lin. 13). [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] (pag. 27, lin. 25). [12] (pag. 27, lin. 26). [13] ut pluries assertum est. [14] deest.

Alius textus traditus:

Venerabiles Patres, (sedentes, stantes et fugentes) patienter et me audite. Loqui debuissem nomine 77 Patrum praesertim ex America Latina, sed thesis mea, ita laudata et adprobata fuit ut audeam dicere me locuturum esse « ex sensu communi episcoporum ». Ad rem!

In toto schemate nostro, quando sermo fit de Auctoritate Ecclesiastica in territorio missionis, nec verbum quidem invenitur de illis — inquam! et parcite mihi et verbo! — qui vocari possent « semi-Episcopi » vel « quasi-Episcopi » vel « ad instar Episcopi » quique, sub diversa luce considerati, modo videntur « accidentia sine substantia » et modo « substantia sine accidentibus » et in utroque casu « miraculum »! Loquor, ut bene intellexistis, de praefectis apostolicis, de vicariis apostolicis, de praelatis nullius quorum substantia potius in illo « nullius » invenitur quam in « praelatis » et de ceteris omnibus — si quos invenire potestis — similiter potestatem habentibus at sine charactere episcopali.

En ergo prior propositio: *Auctoritas Ecclesiastica, in territorio missionis, sit episcopus, nomine et re!*

Rationes plurimae ad hoc suadent

a) S. Scriptura nihil aperte dicit; tamen legentibus offert praxim apostolorum, qui Ecclesiae novae episcopum et non praelatum, ut patrem et pastorem, proponebant!

b) Traditio, per plura saecula, penitus ignoravit praelatos et alios diversos gradus potestatis in Ecclesia praeter illos qui ex sacro Ordine proveniunt.

c) Ratio suadet, in aedificatione cuiusvis aedificii, a fundamentis incipi, et fundamentum Ecclesiae particularis est episcopus!

Ecclesia nostra nec simpliciter episcopaliana nec pure presbyteriana est; sed episcopum et presbyterum (in unum) amplectit quorum prior, uti apostolorum successor, est sacerdos magnus; alter vero « cooperator secundi ordinis »: sed quomodo cooperatur sine cooperato?... Forsan — ut auditum est — paupertas loci et inopia incolarum dedecent decori episcopi?!... Sed episcopatus, ut in Concilio dictum est, est officium servitii, non honoris! Ergo nulla difficultas ex hoc capite!

Sed ratio potissima haec est: sacramenta egentibus sunt suppeditanda: et quis plus eget sacramento Ordinis quam isti « quasi-Episcopi », qui — relate ad ceteros Ordinarios locorum — in difficiliori versantur conditione tum cleri, tum populi immo et loci et mediorum!

Insuper, episcopus pater est; praelatus, est ad instar episcopi ergo est etiam ad instar patris, seu putativus ut dicitur et ipsi certe non competit illa sancta foecunditas per quam generat filios et mystico connubio cum Ecclesia, quae sponsa non est sua: ad summum posset legitime educare, non vero generare — secus illegitimos generaret — et hoc videtur absurdum quamvis argumentatio sit ex analogia tantum!

Denique, si in initio Concilii nostri, ad dirimendam quaestionem honoris, ss.mus Dominus Papa Ioannes XXIII omnes cardinales assumpsit in ordine episcoporum, a fortiori isti « quasi episcopi » vocandi sunt episcoporum collegium!

Et hoc necessarium videtur pariter, ne isti praelati in consideratione eorum fidelium minuantur, neque fiant ostentatores potestatis quam non habent quia, ut dictum est et pluries in constitutione dogmatica *de Ecclesia*: « unica potestas in Ecclesia ex s. Ordine provenit.

Secus, religiosi, practice, amplius non sunt quia ab Apostolica Sede assumpti; dioecesani non sunt; episcopi non sunt; quid ergo sunt?...

Sed ad secundam propositionem transeamus! *Auctoritas ecclesiastica, in territorio missionis, sit episcopus residentialis et non titularis!*

Nihil dico de institutione episcopi titularis « ut sic »; quae institutio penitus ignoratur in Scriptura et modo tolerata modo reprobata fuit etiam in Conciliis. Sufficiant verba illa celeberrima cardinalis Lotharingi in aula tridentina sonantia: « Deleantur istae larvae de Ecclesia Dei »! Dicam tantummodo de maxima convenientia ut episcopus missionarius habeat suum titulum ubi sedet; titulus et sedes, reapse sunt unum et idem et isti « non residentiales » inter quos et ego novissimus, in ipso nomine signum contradictionis ostendunt; nam veri titulares sunt qui sedem habent; ceteri minime!

Per titulum, denique, episcopus fit pastor illorum quorum cura alteri committitur et ipse suos non curat nec curare debet. Iam citatus card. Lotharingus affirmabat: « mentiuntur Spiritui Sancto, quia promittunt se ituros ad praedicandum populo suo cum contrarium in animo statuerint! ». Et revera, ego v. g., episcopus Thunigabensis factus, episcopus sum Turcarum gentium in Africa Septemtrionali et non sum episcopus turcarum gentium quas plurimas in ditione mea praelatitia, in amplissima silva brasiliensi, invenio. Sed tum in praelatitiis, tum in vicariatis et praefecturis apostolicis, multi sunt christiani, immo in aliquibus tantummodo christiani habentur; et cur isti suum episcopum non merentur?

Addendum denique est quod nemo ponit fundamenta alicuius aedificii (et episcopus est unicum fundamentum particularis Ecclesiae) longe a reliquis partibus ipsius aedificii: e. g., inter meam praelaturam et meam sedem titularem plus quam decem milia chilometrorum intercedunt; quomodo et ubi firmantur ceterae partes aedificii ecclesiae meae?... Scio analogias non esse semper in omnibus urgendas, sed veritas manet et haec est: in missione clerici habentur sine episcopo; grex habetur sine pastore; quod manifeste est contra Scripturam, Traditionem et rationem!

Votum denique exprimo et concludo: Concilio nostro finis convenienter imponeretur per consacrationem episcopalem illorum qui « ad instar episcopi » regunt aliquam Ecclesiam et interfuerunt Concilio; erit mirabile sacramentum unitatis, catholicitatis, apostolicitatis et vitae Ecclesiae in mundo huius temporis.

* * *

Animadversiones generales:

1. Cum dicatur Ecclesia esse, natura sua, missionaria, bonum mihi esse videtur aliquid, etsi parum, dicere: *a*) de missionibus in antiqua oeconomia salutis (ecclesia ab Abel iusto!...); *b*) de activitate miss. Eccl. catholicae, sub luce historica.

2. Saepe saepius inveniuntur formulae indefinitae; e. g.: fiat, suscitetur, excitetur et similia; at nos non sumus Aeterni Patres licet Venerabiles simus; ergo nobis non sufficit dicere fiat ut res reapse fiant!

3. Fere in omni tractatione inveniuntur notiones sociologiae; tamen memorare iuvabit agi de sociologia christiana et non de quavis sociologia; ergo vivissima debet esse notio tum originalis peccati, tum Redemptionis operis!

4. Quando sermo fit de Ordine episcoporum et de coetu Apostolorum, verba non debent ansam praebere interpretationi quae limites iam positos tum in schemate de Ecclesia tum in schemate de pastorali episcoporum munere transponunt; immo, in quantum possiible, iisdem verbis utantur!

5. Una cum notione de necessitate missionis clare exponatur ratio propter quam homines necessario (... qui non crediderit condemnabitur! dixit Iesus) debent accipere Evangelium. Hoc videtur necessarium, praesertim post confusionem ortam et certo surrecturam cum schemate de libertate religiosa.

Pag. 5, al. 3: « mandato sui Fundatoris oboediens ». Supprimatur virgula antecedens hanc orationem et vox « oboediens », hoc modo: « Ecclesia ex intimis propriae catholicitatis exigentiis et mandato sui Fundatoris, Evangelium ad omnes homines afferre contendit ». *Ratio*: claritas, ut fontes activitatis missionalis Ecclesiae bene appareant, scilicet: 1) sua ipsa natura; 2) mandatum Christi. Mandatum Christi, uti prostat, est « incisum » et non ponitur in aequali luce ac natura Ecclesiae.

Pag. 5, al. 8: « in praesenti novo ordine rerum... ». Aut auferatur aut dicatur « etiam in praesenti novo rerum ordine... ». *Ratio*: quia Deus semper ad unitatem universos, immo universa vocavit uti pulcherrime asseritur in n. 2 nostri schematis, independenter a quocumque ordine rerum.

Pag. 5, al. 12: « Sancta Synodus ». Dicatur: « Haec Sacrosancta Vat. II Synodus », vel aliquid simile. *Ratio*: claritas et traditio! Ut subiectum sit bene definitum (claritas) et ut servetur dictio (traditio) in Ecclesia iam consecrata;

terminus enim clarus et definitivus non debet praeteriri quia est acquisitio humanae mentis omni laude digna.

Bonum mihi videtur, praesertim si attendatur ad illud schematis dogm. *de Ecclesia*: *Ecclesia est ab Abel iusto usque ad ultimum electum,* aliqua, etsi pauca, dicere de activitate missionali Ecclesiae ante adventum Domini nostri I. Christi, praesertim sub luce Amoris ad unitatem omnia, non modo omnes, attrahens, nunc per Patriarchas, nunc per Prophetas.

Bene pariter in luce ponatur existentia unici divini propositi quod per gradus evolvitur et ad perfectionem ductus est in persona et opere Christi. *Ratio* est evidens.

Al. 21: « originem ducunt ». Forsan, ratione claritatis et ne indocti ad errorem ducantur, melius est dicere uti dicebatur: procedere non originem ducere. Et ni fallor, in omnibus vel fere omnibus versionibus symboli fidei quod in missa invenitur, formula « procedere » fuit retenta — censeo — propter eamdem rationem!

Al. 21: « ex nimia et misericordi benignitate sua ». Vel supprimatur, vel ponatur post « creans ». *Ratio* primi: quia inutile (dicitur enim libere in al. seq.!) et aequivocum (posset referri ad processionem Filii et Spiritus Sancti). *Ratio* alteri: claritas.

Tamen notanda sunt vocabula dulciora istius orationis, quae verba plus quam aequo videntur: « misericordia, benignitas, liberalitas, gratiositas, bonitas ».

Pag. 6, al. 1-15. In hac pericope ubi pulcherrime evolvitur idea missionis Filii, invenitur — et sane dolendum est — confusio propter insufficientem determinationem subiecti grammaticalis, nam terminus « Deus » septies apparet et nec semper in eadem significatione, nam aliquando idem est ac Pater, aliquando Trinitatem significat et aliquando notionem generalissimam Dei quae habetur apud populos etiam incultos.

Pag. 6, al. 10. « Deus... manifeste intrare decrevit in historiam hominum ». Loco « manifeste » dicatur « directe ». *Ratio*: multae epiphaniae habentur etiam in V. T.! at non epiphaniae directae! Quod si verbum « directe » philosophicum videtur, dicatur « pleniori forma » vel similiter ad significandam activitatem divinam per tempora seu propositum Dei Patris in evolutione, a prima ad novissimam formam Ecclesiae quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum pergit (cf. sch. dogm. *de Ecclesia*).

Pag. 6, al. 14. « ... ut qui omnia creavit, in seipso homine facto... ». Creatio et Redemptio uni Patri tributae videntur hoc modo; corrigatur! *Ratio*: subiecta grammaticalia non bene distinguuntur: *a*) qui omnia creavit (Pater); *b*) in seipso homine facto (Filius)!

Pag. 6, al. 9. « ... eosque peccatores »: auferatur! *Ratio*: parum dicit et fere non est ad rem. Ad summum, meo iudicio, dicendum esset hoc modo: inter homines peccatores (vel praevaricatores); sed superfluum videtur propter ea quae dicuntur in al. 11.

Pag. 6, al. 17: « corporaliter ». Auferatur! *Ratio*: est explicatio doctrinalis sat difficilis et rudiores praesertim parum intelligere possunt de hac re; insuper de divinitate Christi nullum dubium oriri potest cum verba illa « Cum Deus sit, in ipso inhabitat plenitudo divinitatis » sint clarissima.

Pag. 6, al. 18: « secundum autem humanam naturam... », dicatur: « homo

cum sit... ». *Ratio*: parallelismus cum al. 17 ubi oratio sumit exordium per verba: « cum Deus sit... ».

Pag. 6, al. 1-44. Pronomina quae ad Christum referuntur, et plura sunt hac in pagina (« sibi, eo, illum... »), modo veniunt litteris crassis (« maiuscole ») modo litteris parvis (« minuscole »).

Bonum mihi videtur ponere in omnibus casibus uniformitatem et nescio si hoc contigit etiam aliis in paginis; quo in casu, revisio generalis fiat.

Pag. 6, al. 25: « hinc SS. Patres... ». Auferatur vel in fine ponatur post al. 33. *Ratio*: ad summum esset bona conclusio orationis, sed ubi invenitur hodie, nihil concludit et non bene unitur ad ea quae dicuntur in prioribus alineis.

Pag. 6, al. 20-33. Propter rationes logicae grammaticalis et rationalis, aliam darem dispositionem propositionibus hoc in periodo contentis, et unam, uti superfluam, immo inutilem, auferrem. Hoc modo:

1) Itaque per vias verae Incarnationis... faceret;

2) Assumpsit *enim* integram humanam naturam... absque tamen peccato;

3) *At* Filius Hominis non venit ut Sibi ministraretur, sed... id est pro omnibus;

4) de Seipso enim dixit Christus: « Spiritus Domini... ». Propositio auferenda: « quem Pater sanctificavit et misit in mundum ». *Ratio*: *a*) iam dictum est et pluries, verbis aequivalentibus; *b*) citatio verborum Christi meliori in luce ponuntur, nam directe ad subiectum referuntur.

Pag. 6, al. 34-44. Ter apparet vox « semel » et non semper in eadem significatione; ideo ratio grammaticalis expostulat revisionem.

Insuper, plura pluries a Christo fuerunt declarata; ideo si tantum quae semel ab Ipso praedicata praedicanda essent, haec certissime non essent!

Pag. 6, al. 37. Ne rudi confusionem faciant, forsan vox « assumeretur », etsi biblica, esset sublanda et eius loco ponenda « ascenderet » quae vox pariter biblica est et clarior!

Pag. 7, al. 2: « a Patre ». Auferatur! *Ratio*: ne aliquis dicat tantummodo a Patre procedere Spiritum, et Conciliares indulgere sententiae Orthodoxae Ecclesiae (quaestio de Filioque).

Pag. 7, al. 3 et 4: « vel... vel »: auferantur hae particulae. *Ratio*: ne videantur modi separati et separandi missionis Spiritus.

Modus propositus: « ... ad sese dilatandam moveret, quasi anima, ecclesiastica instituta vivificando vel quasi animum quo ipse Christus actus fuerat, in cordibus instillando ».

Pag. 7, al. 14: « procul dubio etc. »: exordium hoc, mihi videtur reditum ad priores gressus, et non invenio evolutionem sed involutionem periodi.

Pag. 7, al. 15 et ss.: si regressus desideratur, cur non ponitur pulcherrima citatio leonina quae claritate et concinnitate praelucet?...

Pag. 7, al. 17-21: bonum esset semper memorare quae scripta sunt in schemate dogmatico *de Ecclesia* et in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* ne Ecclesia nostra nimis Episcopaliana videatur! Formula ibi consecrata est « *cum, at sub* »!

Pag. 7, al. 23: « in Corpore ». Theologi bene intelligunt quod de mystico Christi Corpore hic fit sermo, at non omnes legentes erunt theologi!

Modus propositus: quando in eadem alinea loquitur de « Ecclesia tota », aliquid dicatur de ipsius compositione his vel similibus verbis: « In exsequendo hoc Ecclesia tota, *quae Christi mysticum Corpus est, et* unumquodque membrum cooperatur secundum locum, officium et gratiam *sibi proprium* ».

Pag. 7, al. 23: « Missio ergo Ecclesiae », dicatur: « Haec ergo Missio Ecclesiae... ». *Ratio*: ut melius appareat nexus cum antecedenti affirmatione.

Pag. 7, al. 24: « mandato Christi oboediens et Spiritus Sancti caritate motus », dicatur: « Spiritus Sancti caritate motus et mandato Christi oboediens ». *Ratio*: impulsus Spiritus, necessarius est etiam in oboedientia quae Iesu debetur.

Pag. 7, al. 25: « hominibus vel gentibus », dicatur: « omnibus hominibus » vel « omnibus gentibus ». *Ratio*: « homines » et « gentes » idem significant!

Pag. 7, al. 25: « in Christum non credentibus », auferatur! *Ratio*: inutilis evadit si praesertim ponitur « omnibus gentibus » in eadem alinea!

Pag. 7, al. 26: « eos », si in priori alinea ponitur: « omnibus gentibus » ponatur hic « eas ». *Ratio* est evidens.

Pag. 7, al. 27: « ad finem... Christi ». Nescio quid ista verba significent et quid de hac re populus christianus intelligere possit. Forsan melius esset unire propositiones (ratione finis, iam eas unitas invenimus etiam grammatice!) hoc vel simili modo: « ut *eis,* praedicatione, Sacramentis ceterisque gratiae instrumentis, via libera firma ac libera patefiat... » paucis omissis, ut videtur, verbis.

Pag. 7, al. 29: forsan, cum hic non agatur « de Ecclesia » cumque de Ecclesia iam Concilium disseruerit, hae ultimae alineae in quibus Ecclesia definitur « Populus Dei — Corpus Christi et Spiritus Sancti templum » omittere possumus sine detrimento. Adde, quod in initio (al. 23), orationis Ecclesia praesentatur ut a Spiritu nota et Christo oboediens; ergo opportunum videtur, salvo meliori iudicio, non urgere imagines per quas identificantur Christus et Ecclesia!

Pag. 7, al. 31: « cum haec missio Ecclesiae continuet et propaget ipsius Christi missionem », dicatur: « cum Ecclesia perseveret hoc in munere et continuet ipsius Christi missionem ». *Ratio*: *a*) subiectum continuationis missionis Christi est Ecclesia et non Ecclesiae missio; *b*) latinitas id postulat, nam in al. 23 iam apparet formula: missio Ecclesiae et repetitiones sunt vitandae.

Pag. 7, al. 32: « eadem via »: auferatur quia superfluum, repetitum (cf. al. 33) et forsan erratum videtur!

Pag. 7, al. 32: « instigante Spiritu Christi ». Verbum « instigante » inusitatum et inopportunum videtur propter significationem negativam apud nonnullas linguas; dicatur: « mota a Spiritu Christi (Ecclesia) » vel aliquid simile.

Pag. 7, al. 33: « via nempe paupertatis... ». Forsan, et latine, melius esset dicere: « *in* via nempe paupertatis ».

At nihil de amore? ... in pag. 12, quando de praeambulis disseritur, loquitur in primis « de praesentia caritatis »: dicatur ergo aliquid de caritate et de veritate pariter, quia tum Bonitas tum Veritas (et Deus Bonitas et Veritas est) homines alliciunt!

Pag. 7, al. 34: « Sic in spe ambulaverunt Apostoli ». Cur hic loquitur de spe quando nihil hucusque de ea dictum est? ... Dicatur simpliciter: « Sic ambulaverunt Apostoli... » et adiiciatur citatio Paulina, indirecte, ut in sequenti oratione, his vel similibus verbis: « Sic ambulaverunt omnes Apostoli, qui *omnia omnibus*

facti, propter amorem Christi, tribulationibus et passionibus *multis* adimpleverunt ea... ».

Pag. 7, al. 37: « Saepe etiam semen fuit sanguis Christianorum ». Nescio si citatio Tertulliana est ad litteram vel ad sensum: si primum, uti prostat, relinquatur; si alterum, fiat conversio subiectorum, ratione claritatis, hoc modo: « Sanguis fuit semen christianorum »; et in utroque casu loco « etiam » ponatur « enim », nam citatio ponitur ut conclusio praecedentis orationis.

Pag. 7, al. 39: « Successor Petri »: propter allatas rationes, dicatur: « Romanus Pontifex », nam haec est relatio et nomenclatura sequenda: *Apostoli - Petrus; Episcopi - Romanus Pontifex.*

Pag. 7, al. 39: « Cooperante toto Ecclesiae Corpore ». Nescio si absolute loqui possumus de « cooperatione » tantum quando de activitate membrorum loquitur unius corporis uti Ecclesia est et praesentatur, etiam hoc in loco! Laici sunt tantum cooperatores vel sunt etiam factores in activitate Ecclesiae?...

NOTA: Exc.mus P. D. Grotti, die 8 octobris 1965 secretariae generali communicavit: « Sequentes Patres nomine "cuiusdam collegii Americae Latinae" quorum nomina in allato elencho prostant, loquuntur: Ioannes Gazza (cap. I); Iucundum Grotti (cap. I - cap. V); Bernardus Cazzaro (cap. II); Albertus Ramos (cap. II); Servilius Conti (cap. II); Martinus Llegarra (cap. IV); Iacobus Ryan (cap. II); Cano Valencia (cap. III); P. Arrupe (cap. IV). Gratias! Fr. Iucundus Grotti, o.s.m .».

Benedictus Zorzi, ep. Caxias; J. Alves Trindade, ep.; Amletus de Angelis, ep.; Amadeus ...; Franciscus Angetil, ep.; Ioseph Gonçalves da Costa, ep.; Thomas Vasquez, ep.; R. P. Veigla, P. N.; Cornelius Veerman, ep. P. N.; Iacobus Schuck, ep. P. N.; Alonsus Silveira Mello, ep. P. N.; Ioannes Tielbeek, ep. P. N.; Alonso Ap. Alvares, ep.; Ioannes Loewenau, ep. P. N.; Vinnibaldus Talleur, ep. P. N.; Adolphus Bossi, ep. P. N.; Stanislaus Van Melis, ep. P. N.; Gonzales Amedeus, ep. P. N.; Cornelius Chizzini, ep. P. N.; Clemens Geiger, ep. P. N.; Milton Pereira, ep. P. N.; Marcus Alibardoni, ep. P. N.; Victor Garaygordobal, ep. P. N.; R. P. Edwinus Kingl, pr. ap.; Philippus; Ernestus de Paula, ep. tit.; Franciscus Tortora, ep. tit.; Ioseph Gomes, ep. Bagé; Ioseph Dalvit, ep. S. Mateo; Faustinus Tissot, ep. Chengchow; Iacobus Coelho, ep. Maringá; Albertus Ramos, arch. Belém; J. de Souza Lima, arch. Manaus; Iucundus Grotti, ep. tit. Tunigabensis; Ioseph Ascher, ep. P. N.; J. B. Costa, ep. P. N.; Michael D'Aversa, ep. P. N.; J. Liftus, sup. gen. O.S.M.; Bernardus Cazzaro, vic. ap.; I. Gazza, ep. P. N.; Servilius Conti; P. N.; M. Llegarra, ep. P. N.; J. Ryan, ep. P. N.; Cano Valencia, ep. P. N.; A. Rivato, ep. P. N.; A. Ungarelli, ep. P. N.; Guido Casullo, ep.; Cesarius Minali, ep. P. N.; A. Marzi, ep. P. N.; Marius Anglim, P. N.; R. Gauci, P. N.; Fl. Armas, P. N.; Alq. Alvares; C. Faresin, ep.; O. Claves, arch. Cuiabá; A. Cerqua, ep. P. N.; A. Pirovano, ep. sup. gen.; M. Marchesi, ep. tit.; D. Parodi, ep. P. N.; J. Nepote, ep. tit.; P. Mazza, ep. tit.; F. McHugh, ep. tit.; N. D'Antonio, P. N.; B. da Silva, ep.; V. Cecchi, ep. Fossombrone; Exp. Mellado, ep.; Exp. de Oliveira, ep. Patos; A. Petrò, ep. Uruguaiana; A. Brandâo, arch. Teresina; H. Malzone, ep. Valadares; J. Costa Campos, ep. Valinga; C. dos Santos, ep. Ilheus; I. Hoffmann, ep. Fred. Westph.; W. Battù W., ep. tit.; J. Mazzarotti, ep. tit.; A. Mazzarotti, ep. tit.; Al. Sartori, ep. Sta Maria; J. de Lange, ep. P. N.; E. Coroli, ep. P. N.; J. Thurler, ep. tit.

12

Rev.mus P. D. PETRUS ARRUPE

Praepositus generalis Societatis Iesu

Venerabiles Patres,

...[1] Considerationes ...[2] quasdam facere velim quibus textus schematis compleri possit maxime in eis quae ad *renovationem ideae laboris missionalis et ad* [3] cooperationem spectant.

Haec autem omnium in opere missionali cooperatio requirit quasi *renovatam* ideam laboris missionalis: vulgata idea, quae apud plures viget, procedit quoad maximam partem ex cognitione *deformata* realitatis missionum; quae deformatio maxime sentitur a missionariis qui redeunt in patriam vel qui quacumque ex causa in Occidentem veniunt. ...[4] Multum in hunc finem iuvabit exacta cognitio concretae condicionis mundi missionarii eiusque complexi laboris specifici in concreta iterum condicione totius mundi hodierni; ac praesertim de sequentibus modo efficaci cognitio divulgetur.

1. *De urgentia laboris missionalis. Suppositis argumentis theologicis quae iam bene exposita sunt, loquar de urgentia laboris missionalis propter praevisionem mutationis centri gravitatis humanitatis.*[5] Nam hodie duo millia *millium* [6] hominum extra Ecclesiam vivunt quos ad plenitudinem fidei adducere debemus ...[7]. Nonne praevidere licet pondus mundi seu centrum gravitatis humanitatis ad hos *optimos* [8] populos afro-asiaticos *duo millia millium* [9] hominum constantes inclinari? Nonne praesens evolutio populorum sub-evolutorum, ut dicitur, eorumque celerrimus progressus nationes in mundo potentissimas augurari videntur? Exemplum sit Iaponia, quae ante octoginta annos in cultura technica *minus evoluta* [10] diceretur, sed nunc inter primas nationes numeratur: e. g. in civitate Tokyo — *non in Iaponia sed in Tokyo tantum* [11] — nonaginta universitates habentur; numerus analphabetarum *minus quam unum per centum, ut exactius dicam* [12] octo pro mille constituit.

2. *De complexitate et difficultate nostri laboris missionalis.* Etenim non solum omnia et singula problemata apostolatus moderni in missionibus exsistunt, scil. theologica, philosophica, linguistica, socialia, etc., sed insuper gravissimae difficultates ex eo accedunt quod in terris missionum inveniamus haud raro mixtionem antiquarum et ditissimarum culturarum et religionum; ita ut omnes difficultates tam ex culturis et religionibus antiquis ...[13] quam ex culturis modernis ...[14] simul invenian-

tur, quod difficillimum reddit laborem *conversionis et* [15] ut hi populi cum suis culturis integrentur in civitatem Dei super terram ...[16]. Ex alia autem parte, ...[17] missionarii nostri possident praeter doctrinam et media quae correspondent intimae aspirationi humanitatis, cognitionem et praesertim amorem erga populos pro quibus laborant: omnibus derelictis suam vitam offerunt pro eorum bono spirituali et materiali ...[18]. Sine illorum influxu spirituali, hodiernus motus erga fusionem culturarum non tantum sine anima permanebit verum etiam monstrum materialisticum deveniet.

3. ...[19] Haec omnia *divina et humana* [20] nucleum constituunt idealis et vitae cotidianae missionariorum; sed ipsi, qui in Occidentem redeunt, animo frequenter deiciuntur, quia, quamvis perspiciant plures fideles, *praesertim pueri et simplices,*[21] fecisse et facere ut nomen Christi gentibus annuntietur, tamen simul etiam animadvertunt non paucos, praesertim inter adultos, divites et excultos, hac missionaria mentalitate *omnino* [22] carere. Quidam defectus huic situationi ansam dederunt, quorum *praecipua corrigenda criteria* [23] enumero:

a) *Infantilismus.* Nimis frequenter accidit quod ...[24] informationes nostrae ...[25] ad coetus puerorum et simplicium hominum nimis exclusive adaptantur. Unde non raro evenit quod conceptiones missionales in mente plurium quibusdam notis infantilismi laborant nec ergo illa adiutoria intellectualia et materialia obtinentur quae hodie pro Missionibus indispensabilia sunt.

b) *Sentimentalismus.* Hoc quoque accidit quod illa opera quae sensibilitatem humanam facilius commovent — uti sunt opera pro infantibus et infirmis — laudabilissime adiuvantur, alia autem opera quae sane non minus necessaria sunt quia maiorem influxum exercent in activitate missionali — utputa Scholae Superiores, magnae publicationes scientificae, *etc.*[26] — subsidia necessaria vix vel nonnisi difficillime obtinere possint.

c) *Sensus superioritatis.* Ex inadaequata muneris missionalis Ecclesiae intellectione ille quoque detestabilis sensus superioritatis sequitur, qui, proh dolor! etiam hodie erga populos non-occidentales apud nonnullos deprehenditur qui ...[27] saepe saepius in pura ignorantia radicatur, cum populi afro-asiatici optimis qualitatibus ornentur. Sufficiat cogitare Asiaticos quosdam praemium Nobel obtinuisse non solum in litteratura (Tagore) sed etiam in physica (Raman), in botanica (Bose), in biologia, etc. In campo investigationis atomicae in Asia habentur saltem viginti et quattuor reactores nucleares: undecim in Iaponia, tres in India, tres in Indonesia, quattuor in Sinis ubi recenter explosiones nucleares causatae fuerunt.

d) *Miopia* quaedam, id est, *id quod proximius est, maius videtur.* ...[28] Hoc criterium saepe exprimitur: cum omnibus necessitatibus propriae urbis vel dioeceseos subvenerimus, tunc de missionibus cogitabimus. Quis non videt hoc finem activitatum missionariarum significare?

e) *Superficialitas.* ...[29] Loquor de illis viris qui post brevissima itinera in terras missionum quasi ex cathedra peremptorias, critica plenas ast subiectivas et saepe valde erratas sententias propalant de situatione missionum, de erroribus a missionariis commissis, de methodis sequendis et sic porro de qualibet re missionali. Talis modus superficialis scribendi atque loquendi non solum falsas ideas in populo christiano divulgat et confusionem creat, verum etiam non raro missionariis animum deicit et in ipsis populis exteris *in missionibus*[30] reactiones Ecclesiae nocivas suscitat. Qua in re deprehenditur speciatim exaggerata tendentia successus activitatis missionalis computandi ex *numericis*[31] statisticis conversionum ...[32]

f) *Falsum criterium electionis missionariorum.* Proh dolor! saepe reputatur ut aliquis missionarius esse possit, sufficere eum qualitates mediocres habere, scil. sanitatem corporalem, robur et bonam voluntatem, dum, e contra, missionarius, propter difficultates omnium generum, quas solvere debet, habere debet personalitatem pluribus qualitatibus ornatam quam pro labore in patria.

g) *Mendicitas. De qua bene in Relatione.*[33] « Ferri non potest, *dicitur in Relatione,*[34] quod Missionarii et Missiones uti supplices ac mendici habeantur » ...[35], nec ut cogantur missionarii tempus terere in emendicandis subsidiis quae illis sponte dari deberent: tempus, inquam, quod totum in evangelizationem deberent expendere. Et ne loquamur adhuc de impressione parum felici quam episcopi aliique recipiunt cum unum missionarium post alium — et saepe plures simul — mendicantes conspiciunt pro necessitatibus diversarum suarum missionum.

Ut hi defectus in posterum evitentur et informationes accuratiores populo christiano praebeantur, ad modum conclusionis, propono ut in schemate recommendentur organa quaedam informativa quae in collaboratione cum bene merito dicasterio de Propaganda Fide et in arcta connexione cum variarum missionum conferentiis episcopalibus procurent:

1. ut systematicae, adaequatae, realitati respondentes informationes missionales praebeantur ...[36];

2. ut exhinc creetur maior appretiatio variarum culturarum et personarum a nostris occidentalibus normis tantopere diversarum ...[37];

3. ut profundius intelligatur Missionarios debere esse quam selectissimos et optima, qua potest, praeparatione ornatos ...[38];

4. ut clarius ex intimis rationibus theologicis intelligatur gravissima obligatio *toti Populo Dei* et *singulis eius membris* ...[39]

Haec est spes tot millium missionariorum quos plura centena Patrum conciliarium in hac aula repraesentant: hi omnes magna cum anxietate exspectant ut a Concilio Vaticano II apostolatus missionarius ut praecipuus in Ecclesia agnoscatur et *nunc et non postea*[40] efficaciter foveatur.

Dicam cum S. Augustino: « Et istud, quando? ... Si aliquando cur non modo, si non modo, cur aliquando? ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema *de activitate missionali Ecclesiae* si praescindamus a quibusdam punctis de quibus animadversiones scriptas ad commissionem mitto, optime exponit fundamenta theologica laboris missionalis in Ecclesia. [2] tamen. [3] deest. [4] Itaque valde necessarium est ut universalitas missionis Ecclesiae sub vera luce proponatur, ita ut qui auctoritatem detinent, sive laici sint sive ecclesiastici, immo fideles omnes claram, distinctam et adaequatam problematis missionarii notionem habeant, atque sublato quolibet romanticismi et infantilismi sensu, medullam ipsam mandati Christi attingere valeant. Positio huius rei solido fundamento theologico. [5] deest. [6] millionum. [7] Qui numerus incessanter crescit, saltem absolute, sed forse etiam proportionaliter. Addatur non semel in ephemeridibus et congressibus sermonem factum esse de quadam hodierna excitatione populorum tertii mundi versus semper maiorem progressum. [8] deest. [9] mille quingentis millionibus. [10] sub-evoluta. [11] deest. [12] deest. [13] (uti sunt buddhismus, shintoismus, hinduismus). [14] (exsistentialismus, marxismus). [15] deest. [16] Itaque prudens praevisio futuri exigit ut, dum tempus sit acceptabile, maximo nisu pro conversione horum populorum adlaboremus. [17] ibi fons invenitur, ex quo nostrum patrimonium culturale valde ditari potest: perantiquae enim asiaticorum populorum culturae insigne monumentum sunt humani ingenii et praestantiae. Nostrum est divitias huius culturae thesauro christianae fidei adiungere ut inter varias expressiones fidei christianae adnumerari valeant. Qua in re Ecclesia per missionarios praeclarissimum munus pro humano progressu habet. Nam. [18] Ex hoc etiam capite missionarii maxime idonei sunt ut hanc integrationem peragant. [19] Praeterea maior intensitas activitatis missionalis nunc hodie ex eo etiam exigitur, quod ad veram pacem mundi efficaciter conferet; ideologia enim dialectico-materialistica, quae quasi, ut aiunt, mysticismus quidam fortiter homines trahit, non oppositione et bello vincetur, sed solum superari poterit a vero et authentico mysticismo fidei caritatisque fraternae. Ille autem « mysticismus » nascetur in conversis ex fide christiana obtenta et in reliquo Dei Populo ex consideratione atque amore singularum personarum quibus divitias Ecclesiae tradere conabimur et ex visione responsabilitatis nostrae erga totum genus humanum, quod, divina Providentia sic disponente, fiat oportet Populus Dei et Corpus Christi in quo omnia assumuntur et integrantur ad maiorem Dei gloriam. Hoc munus divinum ad omnes christianos (praesules, sacerdotes et fideles) spectat et ad illud

exsequendum gravissima obligatione tenentur. [20] deest. [21] magna sacrificia. [22] deest. [23] praecipuos. [24] homines culti de necessitatibus missionum non adaequato modo certiores fiunt, dum. [25] — ob rationes complexas quas, ob angustias temporis, hic enumerare non expedit —. [26] de historia, cultura, religionibus populorum exterorum. [27] cum vero sensu christiano componi non potest et. [28] Exhinc etiam — saltem ex parte — explicandum esse videtur mirus particularismus qui apud non paucos persistit qui sese manifestat praesertim in eo quod homines operibus propriae nationis vel urbis providere satagunt, necessitates autem missionum utut magis remotas nonnisi ultimo loco considerant. [29] Liceat in hoc contextu aliam adhuc indicare rationem propter quam problema missionarium non raro ab hominibus falso intelligatur et gravia proinde damna patiatur. [30] deest. [31] deest. [32] necnon neglectus problematum specialium quae unicuique missioni sunt propria. [33] « Si volumus Ecclesiae muneri missionali aliquo modo satisfacere et activitatem missionalem a sua debilitate et indigentia liberare, tota Ecclesia, totus Populus Dei in omnibus suis membris ac coetibus, missionarius sit oportet, de officio suo missionali conscius et ad illud relatus » (Relatio p. 9). [34] deest. [35] (ibid.). [36] exigentiis hominum cultorum adaptatae et propositae secundum criteria mox enumerata. [37] et suscitetur ardentius desiderium collaborandi cum illis, quovis sensu superioritatis seposito; et hoc non quasi ex aliqua concessione externa, sed ex corde et ita ut agnitione vere fraterna tractentur. [38] ut missionibus efficacius inserviant, quarum tamen directio semper magis committatur personis ex ipsis missionibus oriundis. Ad hoc debent dirigentes educari, dando eis occasionem optimae formationis religiosae et scientificae. Videamus exemplum atheorum militantium qui habent triginta milia studentium in Schola Superiore atheistica, e quibus plura milia sunt iuvenes selecti e nationibus afro-asiaticis. Non esset possibile ut etiam nos multos iuvenes vocemus ad studia superiora in nostris Universitatibus catholicis? Ipsi essent duces (leaders) pro futuro. [39] — cuiusvis sint condicionis — incumbens: suam scil. faciendi rem missionalem in variis suis aspectibus, ita ut omnes ad collaborationem moveantur et sermo Dei currat et clarificetur (*2 Thess.* 3, 1). [40] deest.

13

Exc.mus P. D. HUGO POLETTI
Episcopus tit. Medelitanus

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 134 Patrum, *quibus gratias ago.*[1] Mea interventio se refert ad cap. V schematis, seu « de cooperatione », et quidem ad art. 36, pag. 25 ...[2], ubi dicitur: « Episcopi erit ... opera Institutorum Missionalium et praesertim Opera Pontificalia Missionalia, quibus iure primus locus concedi debet quaeque sunt media ad catholicos inde ab infantia sensu vere universali et missionario imbuendos, apud suos fideles promovere ».

Schema non tantum agnoscit existentiam Pontificialium Operum Missionalium, sed etiam laudabiliter eorum primatum in cooperatione affirmat.

Attamen unum tantum de officiis eorum propriis nominat, scil. institutionem conscientiae inde ab infantia vere universalis et missionariae pro omnibus fidelibus.

Prorsus ignorat alterum munus, pariter essentiale, eorum Operum, scil. *munus servitii,* seu disciplinam cooperationis christifidelium in bonum omnium et singularum Missionum, ita ut eadem cooperatio, tum in precibus tum in oblationibus, vere evadat adiutorium unum, efficax, solidale, continuum, proportionale, coalescens ex contributione totius Christianitatis, sub ductu Summi Pontificis, qui solus, ut Pater et providus administrator Familiae Dei providere potest ad bonum commune totius operis missionalis, *per dicasterium de Propaganda Fide.*[3]

At nemo ignorat visionem unitariam et universalem status missionalis Ecclesiae absolute expostulare etiam solutionem pariter unitariam et universalem in cooperatione, quae respiciat in primis bonum commune, eique subordinet et coordinet omnia incepta particularia.

Hoc modo tantum fit ut Ecclesia catholica vere possit adesse active, immediate, efficaciter, tempestive in omnibus missionibus pro cuiuscumque necessitate.

Sed hoc est prorsus munus et officium Pontificalium Operum Missionalium, quod nemo oblivisci debet. Ipsa enim « relatio super schema decreti » nostri, pag. 7 ultimis alineis, illustrat hoc meritum Pontificalium Operum. Insuper ipsi omnes episcopi missionales testes sunt primarii et providi adiutorii, quod ipsis advenit ex parte Pontificalium Operum Missionalium tam in subsidiis ordinariis annuis, quam in extraordinariis.

Quare humiliter censeo et propono art. 36, par. 3, linn. 35-38, perficiendum esse, ita ut fere hoc modo legatur: « Episcopi erit ... Opera Institutorum missionalium apud suos fideles promovere, sed praesertim Opera Pontificalia Missionalia. Istis enim Operibus iure primus locus concedi debet quippe quae media sunt *tum* ad catholicos inde ab infantia sensu vere universali et missionario imbuendos, *tum* ad excitandam et ordinandam efficacem collectionem subsidiorum in bonum omnium Missionum pro cuiuscumque necessitate sub ductu dicasterii De Propaganda Fide » ...[4] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Quorum nomina competenti commissioni trado. [2] linn. 35-38. [3] deest. [4] cf. etiam in schemate art. 27, par. 2, pag. 22, linn. 8-11.

[*Subscripserunt etiam*] G. Amici, arch. Modena; C. Ursi, arch. Acerenza; G. Carata, aux. Trani; J. Vazquez, ep. tit. Usula; R. Guilly, ep. Georgetown; C. Parteli, ep. Tacuarembò; E. Quaglia, ep. Minas; J. Martin, ep. Bururi; V. van Melckebeke, ep. Ningsia; A. Angrisani, ep. Casale; A. Salvucci, ep. Molfetta; A. Tortolo, arch. Paranà; J. Garneri, ep. Susa; L. Proaño, ep. Riobamba; G. Motolese, arch. Taranto; C. Maccari, arch. ep. Mondovì; J. Petralia, ep. Agrigento; J. Ferro, arch. Reggio Calabria; D. Picchinenna, arch. Cosenza; O. Semeraro, ep. Cariati; V. De Chiara, ep. Mileto; G. Cognato, ep. tit. Farsalo; P. Raimundi, ep. Crotone; R. Massimiliani, ep. Civita Castellana; V. de Zanche, ep. Concordia; S. Sorrentino, aux. Pozzuoli; J. Rizzo, arch. Rossano; M. Longo Dorni, ep. Pistoia; N. Cavanna, ep. Rieti; B. Barbisotti, vic. ap. Esmeraldas; A. Bossi, coad. São José de Grajaù; A. Rodriguez, ep. Santa Cruz de la Sierra; E. Gavazzi, abb. Subiaco; J. Proni, ep. Termoli; P. Quarembia, ep. Gallipoli; A. Barbero, ep. Vigevano; R. Spallanzani, aux. Viterbo; G. Bianchi, aux. Firenze; G. Baroni, ep. Reggio Emilia; A. Mensa, ep. Ivrea; J. Dell'Omo, ep. Acqui; St. Tinivella, arch. tit. Utina; A. Mennonna, ep. Nardò; A. Semeraro, ep. Oria; M. Caliaro, ep. Sabina e Poggio Mirteto; S. Cassulo, ep. Macerata; G. Ruotolo, ep. Ugento; A. D'Arco, ep. Castellammare di Stabia; F. Brustia, ep. Andria; Pl. Cambiaghi, ep. Novara; E. Piana, aux. Novara; F. Ricceri, ep. Trapani; F. Aglialoro, ep. tit. Germa di Galazia; A. Fares, arch. Catanzaro; A. Binni, ep. Nola; V. Vallati, ep. San Severo; A. Fustella, ep. Todi; R. Calabrìa, arch. Benevento; C. Allorio, ep. Pavia; V. Costantini, ep. Sessa Aurunca; A. Sorrentino, ep. Bova; F. Pocci, aux. Roma; F. Tortora, ep. tit. Liviade, prael. S. Lucia del Mela; A. Calabretta, ep. Noto; F. Pennisi, ep. Ragusa; G. Dal Prà, ep. Terni e Narni; St. Battistelli, ep. Teramo e Atri; L. Faveri, ep. Tivoli; F. Fasola, arch. Messina; N. Perini, arch. Fermo; U. Malchiodi, arch. ep. Piacenza; A. Catarella, ep. Piazza Armerina; F. Pezzullo, ep. Policastro; N. Capasso, ep. Acerra; E. Colli, arch. ep. Parma; L. Basoli, ep. Ogliastra; P. Ghizzoni, ep. tit. Tene; A. Zambarbieri, ep. Guastalla; A. Prati, ep. Carpi; F. Longinotti, ep. San Severino; P. Botto, arch. Cagliari; D. Valerii, ep. Marsi; A. Vozzi, ep. Cava; G. Picco; A. Poma, ep. Mantova; M. Bergonzini, ep. Volterra; A. Conigli, ep. Sansepolcro; A. Pirotto, ep. Troia; F. Bottino, ep. tit. Sebaste di Palestina; G. Almici, ep. Alessandria; D. Bolognini, ep. Cremona; M. Pellegrino, arch. el. Torino; R. Pellecchia, ep. Alife; V. Ottaviani, ep. Alatri; Fr. Bertoglio, aux. Milano; A. Gianfranceschi, ep. Cesena; E. Barbieri, ep. Città della Pieve; M. Tinti, ep. Fabriano e Matelica; P. Vanni, arch.; F. Monaco, ep. Caltanissetta; G. Vairo, ep. Gravina e Irsina; R. Falcucci, arch. tit. Preslavo; G. Pollio, arch. Otranto; B. Pelaia, ep. Tricarico; U. Altomare, ep. Muro Lucano; A. Jannucci, ep. Penne-Pescara; G. Franciolini, ep. Cortona; A. Marena, ep. Ruvo e Bitonto; L. Rinaldi, ep. S. Marco e Bisignano; I. Roatta, ep. S. Agata dei Goti; F. Pennisi, ep. Ragusa; J. Dal Prà, ep. Terni e Narni; E. Pizzoni, ep. Terracina, Priverno e Sezze; A. Calabretta, ep. Noto; S. Nicolai, ep. Lipari; L. Morstabilini, ep. Brescia; V. Dondeo, ep. Orvieto; A. Cazzaniga, arch. Urbino; V. Cecchi, ep. Fossombrone; G. Bonacini, ep. Bertinoro; N. Riezzo, ep. Castellaneta; A. Palmerini, ep. Isernia e Venafro; L. Tranfaglia, abb. Montevergine; A. Signora, arch. tit. Nicosia; Fr. Costa, ep. tit. Emmaus; C. Mingo, arch. Monreale; S. Tagliabue, ep. Anglona-Tursi; J. Stella, ep. La Spezia; S. Silvestri, ep. Foligno; G. Pardini, ep. Iesi; G. Bonfiglioli, coad. Siracusa.

14

Exc.mus P. D. PAULUS YÜ-PIN
Archiepiscopus Nanchimensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Schema *de activitate missionali Ecclesiae* laudandum est, licet nomen « *Missio* » originaliter « Missionem ad Exteros » significaret, quod minus realitati hodiernae convenire videtur, sive cum Ecclesia ipsa per totum mundum sit missionaria, sive cum clerus et fideles autochtoni etiam activitatem missionalem exerceant, non quidem ad exteros, sed ad domesticos suos. Tamen de hoc transeat!

Vellem hic meam humilem opinionem exprimere circa duo puncta:

1. *De vocatione missionariorum proprie dicta.* Signa vocationis ordinaria ad sacerdotium non sunt sufficientia ad determinandam vocationem missionariam. *Necesse* [1] est ut iuvenes sentiant in seipsis sympathiam, vel potius, amorem erga populos quibus post ordinationem mittantur. Ad perficiendam vocationem autem, seminaristae selecti, quam citius initientur linguae, historiae, philosophiae, artibus, moribus, aspirationibus et difficultatibus particularibus nationum quibus servitium pro nomine Christi praestabunt. Hoc genus studiorum arduum, si tarde incipit, non potest producere fructum speratum. Propterea omnes missionarii intendunt imitari S. Paulum apostolum, pauci tamen ad felicem exitum venerunt, et monitionem apostoli « omnia omnibus factus sum » adimplerunt. Idcirco, aliqui episcopi sinenses bene conscii de difficultate et antiquitate culturae sinicae, simul autem de paucitate vocationum sacerdotalium inter Sinenses propter immanem persecutionem in hoc territorio gravescentem, desiderio desiderant ut seminaria sinica erigantur in aliquibus nationibus ubi vocationes sacerdotales abundant. In his seminariis, praeter formationem fundamentalem, formatio vere sinica dabitur omnibus iuvenibus e qualicumque natione venientibus. Non ut fiant periti in cultura, sed saltem ut inter intellectuales sinenses numerari possint, et paulatim culturam sinicam christianizare valeant. Quia « similes similibus gaudent », missionarii sic formati secundum cor S. Pauli, vestigia magnorum missionariorum sequi poterunt. Christus Dominus Noster factus est homo ut homines salvet. Ita missionarii novo modo formati Sinenses fiunt ut fructum apostolicum plus afferant inter Sinenses, quippe qui constituunt quartam partem humanitatis.

2. *De cooperatione laicorum.* Ecclesia est essentialiter missionaria, laici quoque officium missionarium habent, sicut bene dicitur in nostro

schemate. De facto, laici iam verbo, opere, precibus ac obolis multum fecerunt pro missionibus in his ultimis temporibus, multo autem melius poterunt facere, si propositum sequens acceperint et practicaverint. Loquor de catholicis professionalibus: saepe saepius fideles ex natione catholica multi inveniuntur scientiarum cultores, technici, medici, necnon operibus iuridicis vel socialibus addicti, in terris missionum laborantes. Hi catholici, si practicantes fuerint, multum adiuvant opera missionaria, praesertim cum exemplis suis vere christianis. Sed proh dolor! non omnes vivunt secundum praecepta Dei et ita saepe fiunt scandala et obstacula pro propagatione Fidei. Multi autem inter eos gaudent positione superiore et aestimatione, exempla eorum plures ad Ecclesiam trahere possunt. Ad tales catholicos professionales formandos requiritur praeparatio praevia ac specifica, ut fit iam in multis nationibus christianis, Universitatibus vel aliis institutis catholicis. Hi laici professionales non sunt catechistae nec auxiliares missionariorum, remanent semper independentes professionales et salariati, atque cum familia. Haec forma apostolica non est onerosa Missionibus sed penetrat facilius vitam individualem et collectivam populorum non christianorum. Isti laici professionales in terris Missionum sunt veluti lux, sal et fermentum, et ad consecrationem mundi praestabunt media efficaciora.

Faxit Deus ut tales laici multiplicentur et in professionibus suis Deum glorificent salutemque animarum procurent! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Necessarium.

Secretarius generalis: Patres, velitis ad vestra loca redire, nam et pittacia distribuentur et quaestiones peculiares ab em.mo moderatore proponentur, hora meridiana. Ergo velitis propere ad vestra loca redire!

15

Exc.mus P. D. SEBASTIANUS SOARES DE RESENDE
Episcopus Beirensis

Venerabiles Patres,

Textus novus *de activitate missionali Ecclesiae* in genere placet iuxta modum et quapropter aliquas brevissimas considerationes adnotare volo circa puncta determinata nostri schematis quae mihi videntur corrigenda, evolvenda et addenda.

1. ...[1]

...[2] In cap. II et in art. 2, post n. 14, numerus novus, mea opinione, introduci deberet cum hoc titulo: De actione sociali. Nam in territoriis in quibus deficit vel minima est talis organizatio socialis structuras respiciens fundamentales salutis vel hygienis, profectus agriculturae, promotionis humanae, etc., ego censeo illam sic dictam organizationem socialem, antea vel postea vel simul cum activitate missionaria, ibi instaurandam esse. Attamen valde desiderandum est quod talis activitas socialis et alia similia a laicis exerceantur, quia illis pertinent et sacerdotibus missionariis tantum remaneat munus illud specifice sacerdotale. De hac re ego non ignoro quod unum est evangelizare et aliud est humanizare. Sed Christus Iesus miraculum fecit panum multiplicationis contra consilium discipulorum dicentium « Dimitte turbas ut euntes in castella emant sibi escas. Iesus dixit eis ... date illis vos manducare » ...[3]. Praeterea in fine temporum omnes nos a Christo iudicaturi sumus in perspectiva sociali: « Esurivi ... et dedisti mihi manducare; sitivi et dedisti mihi bibere ... » etc.

2.[4] In art. 3, et post n. 18, numerus addatur in quo explicite affirmetur quod in communitate christiana efformanda praeter populum Dei, clerum, catechistas et familias religiosas haberi debet et diligentissime parari specialis coetus laicorum qui in lingua gallica dicitur « élite ». Etenim temporibus nostris, ubique sed a fortiori in territoriis in quibus Ecclesia incepit plantari, omnino urget talis coetus vel sic dicta « élite » laicorum non solum ut exemplum tota conscientia afferent vitae christianae sed etiam et praesertim ut vis organizata constituatur in ordine ad apostolatum faciendum et ad actionem socialem et civilem agendam apud homines. Si talis non habetur coetus instrumentum deficiet efficax ad permeandum populum ut etiam illum cum tempore praeveniat contra maxima pericula principaliter ordinis moralis et socialis.

3.[5] Post nn. 19 et 20, in quibus agitur de Ecclesiarum localium incremento et de methodo tale incrementum fovendi, ego propono quod novus numerus addatur cum titulo plus minusve sic sonante: Ecclesia localis pars non est sed cellula viva Ecclesiae universalis. Nam aetate nostra multum loquitur de nationalismis, de territorialismis, de continentibus, etc., et hoc optimum esset si in istis sermonibus et adunationibus semper ageretur de unione populorum fovenda pro bono pacis et progressus et melioris vitae tum materialis et ...[6] spiritualis. Sed e contra multoties vehementer appellatur ad valores locales unice ut homines magis separent inter se et in statu vivant exacerbatae rivalitatis et excitatae passionis ita ut periculum constituit permanens bellum deflagrandi in quacumque modalitate. In tali autem situatione valde oportet

Ecclesiam localem pati non debere influentiam talis climatis inordinati et revolutionarii, quia revera Ecclesia non est totaliter localis sed superlocalis, super-territorialis, super-continentalis, scil. universalis est.

4.[7] In n. 22 de spiritualitate missionaria schema nostrum pulcherrima habet. Attamen mihi videtur spiritualitatem illam non praesentari ut totum unum et vivum sed tantum ut complexum partibus constans iuxtapositis. Et spiritualitas missionaria, quae spiritualitas non est alicuius mulierculae, veram unitatem continere debet. Ideoque, quaeso, quare spiritualitas missionaria non exponatur tamquam in sacrificio missae centrata in quo missionarii, vel celebrantes vel participantes, cum Christo Deo offerunt et consecrant omnes suos et sua omnia in unoquoque die vitae eorum? Reliquum autem viventia est istarum realitatum usque ad finem.

5.[8] In doctrina exposita in n. 24 aliquid explicite addendum erat. Ordines et congregationes religiosae sunt multae non totaliter missionariae. In seminariis maioribus eorum cursus theologicus unicus est tam pro alumnis qui missionibus destinantur quam pro aliis. *Et* [6] quapropter isti futuri missionarii, in ipso cursu theologico, formationem specialem non habent in ordine ad eorum apostolatum specificum et haec deficientia, in casibus supracitatis, suppleri debet omnino a cursibus specialibus ad hoc diligenter paratis. Nostris diebus, labor missionarius relinquere non potest omni speciei improvisationis. Tempus transit in quo ad missiones optimi considerabantur omnes.

Sexta et ultima consideratio ...[10]

...[11] Relate ad totum cap. IV habeo aliquid dicendum sed valde reverenter — *sed valde reverenter.*[12] Aliqua ordinatio etiam in ipsa Congregatione Propagandae Fidei desideranda est. Episcopus sum missionarius sed huic dicasterio non subordinatus. Ergo obiective — *obiective* [13] — loquor.

Primo, illa ordinatio incipere deberet ab ipso nomine vel titulo: Sacra Congregatio Propagandae Fidei. Ratio est:

a) Nomen illud exactum non est. Nam non agitur tantum de propaganda fide sed de Evangelio praedicando et Evangelium non est fides tantum.

b) Idem nomen non est actuale. Etenim dicasterium illud longam habet historiam et nomina talium institutorum quae revelationem divinam vel infallibilitatem pontificiam non supponunt, talia nomina sicut homines etiam senescunt.

c) Adhuc idem nomen offendere potest aures pias minus credentium. Nam hominibus temporis nostri loqui de propaganda fide potest

idem sapere ac de propaganda re commerciali vel industriali, quia de propaganda non agitur sed de praedicatione Evangelii.

Secundo, illa ordinatio in dicasterio hoc deberet esse quoad rem. Tantum referre intendo — *reliquum non mihi pertinet —, tantum referre intendo*[14] illud quod respicit statisticas quae omni anno eduntur et omnibus hominibus narrant vitam missionum et hoc optimum est quia Ecclesia praescindere non potest neque debet ab opinione publica. Attamen, in illis statisticis, nihil habetur de vita illarum missionum quae subordinatae non sunt illi dicasterio. Sed missiones istae catholicae et multae florescentissimae sunt et revera vultum Ecclesiae demonstrant. Ergo — *ad concludendum* — *ergo*[15] propono quod Sacra Congregatio Propagandae Fidei etiam ordinetur quoad nomen quod esse poterat, v. g. Secretariatus Evangelizationis Mundi, vel aliud.

Moderator: Exc.me Domine, tempus exhaustum est!

Orator: Ergo, concludo. Unum valde oportet quod nomen huic dicasterio applicandum sit actuale, psychologicum, dynamicum immo electronicum! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Imprimis numeri illi 7, 8 et 9 qui in cap. I inseruntur ex logica exigentia ad cap. II transferendi essent, quia iam de principiis doctrinalibus missionum non agunt, sed de vera et specifica opera missionaria, de qua revera tantum incipit tractari in illo cap. II. Etenim necessitas activitatis missionariae, eius evolutio in historia hominum et indoles eius eschatologica principia doctrinalia non constituunt, sed illa tantum supponunt. [2] 2. [3] (*Mt.* 14, 15-16). [4] 3. [5] 4. [6] moralis, tum intellectualis et. [7] 5. [8] 6. [9] deest. [10] 7. In n. 31 aliquid addendum erat explicite circa coordinationem inter Instituta Missionaria. Valde desiderandum est quod ephemerides uniuscuiusque Instituti reductae sint ad paucas vel ad unam in unaquaque natione, ut litteratura missionaria minuens quoad quantitatem crescat autem in qualitate. Saepe hoc imponitur ad honorem talis litteraturae et semper pro bono ipsius operis missionarii. Identica autem ordinatio optanda est quoad seminaria saltem maiora, ita ut unus vel pauci in unoquoque territorio vel natione aptiora esse possint ad missionarios efformandos secundum exigentias temporis nostri. In istis circumstantiis praeter alia bona ab hac formatione provenientia etiam haberetur magis practica revelatio sensus fraternitatis omnium hominum, universalitatis Ecclesiae et caritatis Christi. [11] 8. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest.

16

Exc.mus P. D. PAULUS KINAM RO
Archiepiscopus Seulensis

Venerabiles Patres,

Schema de activitate missionali Ecclesiae in genere mihi placet. Liceat tamen mihi aliquas propositiones exponere.

1. In pag. 13, in n. 14, dicitur: « liturgicis caeremoniis admittantur ad catechumenatum ». In meo humili iudicio, si talis caeremonia inseritur in decreto Concilii ut obligatoria, in multis locis Missionum, ubi sunt multi pagani *et* [1] protestantes, praxis huius caeremoniae erit valde difficilis et aliquando obnoxia pro conversione multorum. Nam in multis locis Missionum, pagani vel protestantes, praesertim iuvenes moderni intellectuales, saepe accusant Ecclesiam catholicam esse religionem antiquam, veteris testamenti, religionem tenacem ritibus antiquis non convenientibus modernis temporibus, etc. Si ergo iam in admissione ad catechumenatum, talis caeremonia imponitur, multi pagani vel protestantes, praesertim iuvenes moderni intellectuales, a principio abstinebunt intrare in catholicam religionem.

Secunda ratio inconvenientiae est: quia talis praxis, in multis locis Missionum, pro parochis erit labor valde fatigabilis et quasi insupportabilis. Quia in multis locis Missionum, iam in catechumenatu, plura decena vel aliquando plura centena catechumenorum conveniunt. Si in talibus casibus, haec caeremonia iuvetur, sacerdotes cum sudore et turbatione valde fatigabuntur.

Propono igitur: caeremonia liturgica admissionis ad catechumenatum componatur quambrevissime, eius vero praxis relinquatur prudenti iudicio Ordinariorum vel parochorum.

2. *Secunda propositio.* In cap. V, de cooperatione, addatur unus articulus, scil.: De amovendo obstaculo et de promovendo adiutorio pro Missionibus; scil. renovatio seu reformatio vitae catholicae in regionibus catholicis.

Ratio est, quia mundus hodiernus evasit valde parvus et homines totius mundi *hodierni* [2] evaserunt vere vicini. Nam aliqua facta vel eventus ortus in una parte mundi, post aliquot horas, per totum orbem terrarum divulgantur. Homines Extremi Orientis, post aliquot horas, iam esse possunt in Occidente. Multi pagani, *catechumeni* [3] vel neophyti ex Missionibus saepe *saepius* [4] veniunt in regionibus catholicis, vice versa, multi catholici ex regionibus catholicis veniunt in terris Missionum. In-

feliciter, multi pagani *catechumeni*[5] vel neophyti, in regionibus catholicis, vident vitam multorum catholicorum non esse eamdem quam Missionarii praedicant in Missionibus. Nos Missionarii in Missionibus, praedicamus praeceptum adsistendi Missae in die Dominica, esse grave praeceptum Ecclesiae; severe prohibemus coniugibus, ne contra naturam, artificiose evitent conceptionem prolis in actu coniugali, etc. Sed pagani, *catechumeni*[6] vel neophyti in regionibus catholicis, vident die dominica multos catholicos non adsistere Missae; vident multos coniuges catholicos non gignere proles; vident et audiunt in his regionibus catholicis multa esse media, instrumenta, medicinae etc. ad evitandam conceptionem. Pagani *vel catechumeni*[7] vel neophyti videndo et audiendo *talia,*[8] talem vitam catholicorum in regionibus catholicis, valde scandalizantur; tandem, vel abstinent converti in fidem catholicam, vel amittunt fidem catholicam ... In regionibus Missionum, praesertim in magnis civitatibus, ut iam dixit S. E. mons. Yü-Pin, multi catholici ex regionibus catholicis veniunt, sive politici, sive diplomatici, sive mercatores, sive technici, etc. Sed infeliciter inter eos, ex mea experientia, rari sunt qui vere practicant vitam catholicam! Si isti catholici in Missionibus degentes, vere practicarent fidem catholicam, quam effectuosum adiutorium darent Missionibus!

Venerabiles Patres, liceat mihi proferre hic unam meam experientiam: Ab anno 1950 ad annum 1953, in Corea magnum bellum ortum fuerat. Illo tempore, ex 16 Nationibus, *multi*[9] milites venerant in Coream ad adiuvandum Corea. Praesertim ex America, plures divisiones militum seu plura decena milia militum Americanorum venerant in Coream. Inter *eos*[10] Americanos milites, multi erant boni et practicantes catholici. Singulis diebus dominicis, in ecclesia cathedrali de Seoul, sexcenti vel septingenti milites, plurimi officiales et generales catholici veniebant pro Missa et pro Confessione, et multi communicabant in eadem mensa communionis cum catholicis coreanis! Post Missam, officiales et generales, salutabant parochum coreanum et veniebant ad episcopum coreanum, osculantes anulum episcopi, episcopum coreanum ut suum episcopum venerabantur! Coreani pagani *catechumeni*[11] et neophyti, videntes hoc factum et exemplum, admirabantur et dicebant: « Ecclesia catholica vere est universalis. Ecclesia catholica *vere est religio vera*[12]! », et multi pagani convertebantur. Propterea, ego saepe dicere soleo ad milites istos: Vos estote ubique et semper boni et practicantes catholici; si vos ubique tales eritis, vos eritis non solum boni milites, sed eritis boni Missionarii laici.

Unde propono ut in schemate nostro, addatur unus articulus: « De amovendo obstaculo et promovendo adiutorio pro Missionibus »: scil.

renovatio seu [13] reformatio vitae catholicae in regionibus catholicis. Si-non, aliquando erit tempus quo pagani ex missionibus ad regiones catholicas et ...[14] ad missionarios qui veniunt ex regionibus catholicis ...

Moderator: Exc.me Domine, tempus exhaustum est!

Orator: ... dicent: *amice,*[15] cura teipsum! Gratias.

In textu scripto tradito: [1] vel. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] illos. [11] deest. [12] vera est religio. [13] deest. [14] indirecte. [15] medice.

Moderator: Venerabiles Patres, moderatores censent disceptationem *de activitate missionali Ecclesiae* satis protractam esse. Et ideo proponunt vobis, venerabiles Patres, quaesitum: An placeat finem imponi discussioni.

Ii quibus placet finem imponi, surgant; quibus non placet, maneant sedentes. [*Intervallum*].

Loquitur exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, exacta discussione, em.mi moderatores proponunt vobis hanc quaestionem: « Utrum schema *de activitate missionali Ecclesiae* placeat tamquam basis ulterioris elaborationis perficiendae iuxta animadversiones Patrum? »

Responsio duplex tantum esse potest: *placet* et *non placet*. Et suffragatio fit per schedulam quae mox distribuetur.

Repeto quaesitum: « Utrum schema *de activitate missionali Ecclesiae* placeat tamquam basis ulterioris elaborationis perficiendae iuxta animadversiones Patrum? ». *Placet* an *non placet?*

Moderator: Venerabiles Patres, cum quidam Patres veniam iam petierint loquendi nomine 70 Patrum, nunc loquatur, tali in qualitate, exc.mus D. Daniel Lamont, Ep. Umtaliensis in Rhodesia Meridionali, et erit ultimus.

17

EXC.MUS P. D. DANIEL RAIMUNDUS LAMONT
Episcopus Umtaliensis

Venerabiles et mitissimi Patres,

Patientiam habeatis in me! [1] Nomine non tantum meo, sed multorum loquor, qui laboris missionarii experientia quotidie faciant. Hi omnes et ego schema quoad suam substantiam approbamus et acceptamus, gratias agentes ex corde iis qui illud volenti animo praepararunt, ita ut non amplius habeamus nudam illam seriem propositionum frigidarum, sed schema doctrina et propositis plenum, hodiernis conditionibus aptum, et schematibus iam in Concilio approbatis vel approbaturis accommodatum.

Schema istud non est, nec concipiendum videtur ut simplex documentum exaratum ad consolandos missionarios. Non ita se habet. Agit enim non tantum de personis qui in missionibus laborant, sed de ipsa activitate missionali totius Ecclesiae.

Item, schema uti finis non est habendum, sed uti medium, quo principia missionalis activitatis delineantur, et quo adiuvante, vires omnium fidelium colligantur ut regnum Christi ubique diffundatur, eiusque adventui viae parentur.

Impetus ad missiones, *immo* [2] ipsa vis missionaria non ab uno nascitur schemate, sed nec ab omnibus huius sancti Concilii schematibus, quae uti littera mortua manerent, si nos episcopi certi non essemus quod mandatum nostrum urgens sit, grave etiam sit, immo et divinum sit ...[3]

Aperte dicam: Missionarii non desiderant merum schema, etsi litterarie et doctrinaliter perfectum, neque tractatum missiologiae, sed aliud omnino, nempe omnium episcoporum hic in Domino coadunatorum solemnem promissionem, ne dicam iuramentum, modo resoluto ex corde emissam, acceptandi onus quod ab apostolis uti sacram haereditatem acceperunt.

In schemate clarissime apparet quod responsabilitas activitatis missionariae in Ecclesia ita tantum episcopatui totius mundi competit, quantum ipsi apostolorum collegio ...[4]. Quapropter, non mihi soli nec tibi soli, sed mihi et tibi et omnibus nobis coniunctim et divisim competit onus, immo honor missionarius.

Ad particularia, utique pauca, descendamus:

1. In luce clariori essent ponenda labores et auxilium missionibus

praestitum ab innumeris religiosis fratribus et sororibus qui in scholis et in nosocomiis *laborant.*[5] Hi, uti ignoti in schemate videntur haberi, dum milites sunt sine quibus sacerdotes fere nihil facere posse arbitrantur. Laudentur et ipsi. Digni enim sunt.

2. Ubi in n. 19 « De Ecclesiis particularibus » sermo fit, clarius exprimatur quod tales Ecclesiae eumdem zelum pro dilatatione regni *Dei*[6] monstrare deberent, quem in earum origine monstrarunt ipsarum fundatores. Maturae nunc effectae, adlaborare debent ut aliae Ecclesiae et ipsae maturescant, auxilia materialia et alia adiumenta illis offerentes, etiam ex propria eorum inopia. Hoc faciant omnino.

3. Nulla gens tam fera est ut Christi Evangelii capax non sit, neque tam culta ut Evangelio non indigeat, quapropter clarius et fortius omnino exprimatur in schemate necessitas nuntium salutis praedicandi doctis et indoctis, ut apostolus asserit, in hoc nobis relinquens magisterium pariter et exemplum.

Post apostolum, nostri temporis exempla sequamur. Huius apostoli nomen portans, eodemque pro Christo ardescens zelo, Summus Pontifex, quem Deus diu sospitem habeat, sua sapientia haec et alia plura edixit in ea, quem laudare sufficienter non valemus, allocutione die 14 mensis maii huius anni, directa ad Praefectum, moderatores et consiliarios Pontificalium Operum missionalium. Ardens Pauli Summi Pontificis doctrina, sit ergo et nostra.

Nos hic coadunati, cum apostolis idem sentire, idem velle debemus, cum nostrae responsabilitati abrenuntiare non possimus. Non sufficit ...[7] « Placet » dicere, et postea cum in dioecesi nostra erimus, omnium oblivisci. Non cras, nec altera die, sed nunc et in hac hora agamus et operemur.

Ut olim, ad exhortationem pii cuiusdam eremitae, tota ad Ecclesiae adiutorium surrexit Europa clamans « Deus vult », ita vox nostra in hac insonet aula, ut Populus Dei eam audiens, in missionum opus fervens exsurgat. Hic agere nunc operari fortiter quidem et generose incipiamus ut qui post nos venient, admirantes novum zelum, nova incepta missionalia fructusque generosos ab hoc Concilio Vaticano II promanantes, dicant: « Vere manus Dei cum illis erat! Placuit ipsis, missionum tempus et horam noviter cognoscere, noviter proclamare, et noviter incipere. Spiritu Sancto inspirante, renovarunt faciem terrae ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] omnibus hominibus praedicandi Evangelium. [4] competebat. [5] opera dant. [6] deest. [7] tamen.

Secretarius generalis:

Patres venerabiles, antequam communicem exitus suffragationum quae mane factae sunt, vobis recolo: crastina, postquam audierimus Patres qui nomine septuaginta loquuntur *de activitate missionali Ecclesiae,* incipiet, post relationem, disceptatio super schemate *de vita et ministerio sacerdotum.* Et, eodem tempore, incipiet suffragatio supra modos schematis *de educatione christiana,* cum duplici formula: placet, non placet, uti iam nos omnes scimus.

Quidam Patres postulaverunt kalendarium sequentium dierum. Vobis communicabitur, Patres, sed interim patientiam habetote. Nostrum kalendarium multum pendet a labore commissionum. Et speramus fore ut commissiones nobis dent laborem!

Communico exitus:

Suffragatio 374:

Inter Patres praesentes votantes	2.179
Dixerunt *placet*	2.164
non placet	14
Suffragium nullum	1

Suffragatio 375:

Patres praesentes suffragantes	2.185
Dixerunt *placet*	2.127
non placet	58

Suffragatio 376:

Patres praesentes et votantes	2.189
Dixerunt *placet*	2.170
non placet	16
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	2

Suffragatio 377:

Patres praesentes votantes	2.186
Dixerunt *placet*	2.180
non placet	6

Suffragatio 378:

Patres praesentes votantes	2.174
Dixerunt *placet*	2.166
non placet	6
Suffragia nulla	2

Suffragatio 379 et ultima pro hoc schemate quoad singulos modos:

Et Patres praesentes votantes fuerunt . . .	2.135
Ex quibus dixerunt *placet*	2.120
non placet	13
et *placet iuxta modum* . .	1
Suffragium nullum	1

Ergo, omnes modi approbati sunt, et textus approbatus est. Attamen moderatores statuerunt faciendam esse suffragationem super integro, quae erit ultima in congregatione generali: haec fiet crastina, prima suffragatio crastinae.

Patres venerabiles, alium nuntium, tristem quidem: mortuus enim est exc.mus ac rev.mus D. Bartholomaeus Badalik, ep. residentialis Veszprimiensis. Mortuus est Budapestini, heri, sat inexspectate, quemadmodum nobis communicatur.

Oremus pro anima ipsius!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine ... Oremus.* Deus qui ...

Moderator: Proxima congregatio generalis, crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXLVIII

13 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXLVIII

13 octobris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Patres venerabiles, congregationem generalem 148 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

In hac congregatione *distribuetur* Relatio super schema declarationis *de educatione christiana.*

Prosequetur *disceptatio* circa schema *de activitate missionali Ecclesiae,* nempe loquentur Patres qui verbum postulaverunt nomine septuaginta confratrum. Postea, praemissa relatione, fiet transitus ad disceptandum schema *de ministerio et vita presbyterorum.*

Interim, fiet imprimis *suffragatio* super integro schemate *de institutione sacerdotali;* et, praemissa relatione, incipiet suffragatio schematis, nempe modorum schematis *de educatione christiana.*

Antequam legam nomina eorum qui verbum facere postulaverunt, communico *exitum* postremae suffragationis heri factae, quae respiciebat schema *de activitate missionali Ecclesiae*: utrum, nempe, hoc schema placeret tamquam basis etc. Haec suffragatio hunc exitum habuit:

Inter Patres	2.085
votum favorabile, nempe	
placet dederunt	2.070
non placet	15

Ergo exitus est favorabilis.

En nomina. In primis, quoad schema *de activitate missionali Ecclesiae,* verbum facere postulaverunt nomine septuaginta exc.mi ac rev.mi DD. Carolus Heerey, arch. Onitshaënsis in Nigeria; Omer Degrijse, sup. gen. Congregationis Immaculati Cordis Mariae; Ioannes Gazza, prael. null. Abaëtiensis in Brasilia; Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoënsis in Congo; Ioannes Gay, ep. Imae Telluris (Basse-Terre) in Insula Guadalupe; Laurentius Nagae, ep. Urawaënsis (Urawa) in Iaponia; Ioannes Baptista Velasco, ep. Sciiamenensis (Amoy) in Sinis; Aristides Pirovano,

ep. tit. Hadrianiensis in Italia; Petrus Han, ep. Jeon Ju in Corea; Ioannes de Reeper, ep. Kisumuensis in Kenya.

Deinde, nomine auditorum verbum facere postulavit egregius D. Eusebius Adjakpley, secretarius regionalis Africanus Foederationis Internationalis Iuventutis Catholicae.

Post hos, transitus fiet ad disceptandum schema *de ministerio et vita presbyterorum,* circa quod verbum facere postulaverunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochiae Maronitarum; Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Beniaminus de Arriba, arch. Tarraconensis in Hispania; Ferdinandus Quiroga, arch. Compostellanus (Santiago de Compostela) in Hispania; Paulus Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; et exc.mi ac rev.mi DD. Carolus de Provenchères, arch. Aquensis (Aix) in Gallia; Antonius Quarracino, ep. Novem Iulii in Argentina; Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis (Mondoñedo) in Hispania; Ioannes Guyot, ep. Constantiensis (Coutances) in Gallia; Aloisius Henriquez, ep. aux. Caracensis (Caracas) in Venezuela; Antonius Santin, ep. Tergestinus (Trieste) in Italia; Narcissus Jubany, ep. Gerundensis (Gerona) in Hispania; Michaël Miranda, arch. Mexicanus in Mexico.

Ut videtis, Patres venerabiles, multi loquuntur et plurimi loqui postulaverunt. Quapropter est prorsus necessarium ut sabbato fiat congregatio generalis ... Si sufficit! Secus etiam feria secunda.

Lego vobis, Patres venerabiles, textum decreti — schematis decreti — *De institutione sacerdotali.* Ut iam moris est, lego principium et finem, sed totum textum pro lecto habeatis ut suffragium vestrum feratis.

Videatis pag. 5. Suffragatio est 381: *De institutione sacerdotali* (Videatis latum dextrum) [*cf. pag. 11 ss.*]. Porro, hic textus *placet*ne vobis, Patres venerabiles, an *non placet?* Respondeatis.

SCHEMA DECLARATIONIS DE EDUCATIONE CHRISTIANA * [5]

1 – TEXTUS EMENDATUS ET MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DE SEMINARIIS
DE STUDIIS ET DE EDUCATIONE CATHOLICA EXAMINATI

Textus prior

SCHEMA DECLARATIONIS PATRUM DISCEPTATIONI 17-19 NOV. 1964 SUBIECTUM.

[*Prooemium*]. Sancta Oecumenica Synodus attente perpendit gravissimum educationis momentum in vita hominis eiusque influxum semper maiorem in socialem mundi moderni evolutionem; etenim late multiplicantur scholae atque alia educationis instituta, celeriter crebrescit alumnorum numerus; simul vero miro modo evolvitur ars technica et scientifica inquisitio progreditur; ac generosi ubique conatus fiunt ad opus educationis magis magisque promovendum.

Cum vero Ecclesia vi divinae suae missionis mundi transformationi ac praesertim educationis evolutioni atque ampliationi opem

Textus iuxta Modos recognitus

SCHEMA DECLARATIONIS IUXTA PATRUM ANIMADVERSIONES ET « MODOS » RECOGNITUM **

[*Prooemium*]. *Gravissimum educationis momentum in vita hominis eiusque influxum semper maiorem in socialem huius aetatis progressum Sancta Oecumenica Synodus attente perpendit.*[1] Re quidem vera iuvenum educatio, immo adultorum quoque continua quaedam institutio, cum facilior tum urgentior redditur temporis nostri adiunctis. Homines enim propriae dignitatis et officii plenius conscii, vitam socialem ac praesertim oeconomicam et politicam actuosius in dies participare praeoptant;[2] mirabiles *artis technicae et inquisitionis scientificae progressus,* nova communicationis socialis subsidia opportunitatem praebent homini-

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 143, die 6 octobris 1965.

** Huius Declarationis textus iuxta Patrum animadversiones et Modos largius evolvendus et complendus erat. Litteris cursivis conspicuae eae locutiones redduntur quae ex praecedenti Declaratione verbotenus retentae sunt. Ceteri textus iuxta animadversiones et « Modos » Patrum exarati, textui iam approbato minime sunt contrarii; quin etiam illum reddunt magis definitum et absolutum.

[5]

Textus prior

ferre nunc quoque debeat, Sancta Synodus fundamentalia quaedam principia declarat, quae a speciali post Concilium Commissione fusius evolvenda erunt atque ab Episcoporum Coetibus ad diversas regionum condiciones applicanda.

2. [*De Ecclesiae collaboratione in universo educationis campo*]. Quare Ecclesia omnibus populis confirmat sinceram suam voluntatem adiutricem praestandi operam in universo educationis campo, ut uniuscuiusque populi filii

Textus iuxta Modos recognitus

bus, maiore interdum temporis spatio ab occupationibus liberi fruentibus, facilius ad patrimonium mentis animique culturae accedendi atque arctiore tum coetuum tum ipsorum populorum necessitudine mutuo se complendi.

Proinde *ubique conatus fiunt ad opus educationis magis magisque promovendum;* hominum, et peculiariter puerorum atque parentum, iura primaria educationem respicientia declarantur et publicis documentis consignantur;[3] *alumnorum numero celeriter crescente, late* multiplicantur et perficiuntur *scholae atque alia*

[6] *educationis instituta* conduntur; novis experimentis excoluntur educationis et instructionis methodi; magni quidem ponderis peraguntur nisus ad eas omnibus hominibus procurandas, licet permulti pueri et iuvenes institutione etiam fundamentali adhuc priventur et tot alii apta educatione, in qua simul veritas et caritas excoluntur, careant.

Cum vero Sancta Mater Ecclesia ad mandatum implendum a divino suo Conditore acceptum, mysterium nempe salutis omnibus hominibus nuntiandi et omnia instaurandi in Christo, integram hominis vitam etiam terrenam quatenus cum vocatione caelesti connexam curare debeat,[4] in *educationis progressu atque amplificatione partes suas habet. Proinde S. Synodus* de educatione christiana praesertim in scholis *fundamentalia quaedam principia declarat, quae a speciali post Concilium Commissione fusius evolvenda erunt atque ab Episcoporum Conferentiis ad diversas regionum condiciones applicanda.*

N. 1. (olim n. 2). [*De universali iure ad educationem eiusdemque notione*]. *Omnibus hominibus cuiusvis stirpis, condicionis et aetatis utpote dignitate personae pollentibus, ius est inalienabile ad educationem,*[5] proprio fini re-

Textus prior

educationem propriae indoli ac culturae, patriisque traditionibus accommodatam recipiant et ad altiorem veritatis cognitionem perducantur. Omnibus enim hominibus cuiusvis stirpis, condicionis et aetatis utpote dignitate personae pollentibus aequale est ius inalienabile ad adaequatam omnium facultatum educationem.

Textus iuxta Modos recognitus [6]

spondentem,[6] propriae *indoli,* sexus differentiae, *culturae patriisque traditionibus accommodatam* et simul fraternae cum aliis populis consortioni apertam ad veram unitatem et pacem in terris fovendam. Vera autem educatio prosequitur formationem personae humanae in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum officiis, adultus effectus, partem habebit.

Pueri igitur et adolescentes, ratione habita progressus scientiae psychologicae, paedagogicae et didacticae adiuventur oportet ad dotes physicas, morales et intellectuales harmonice evolvendas, ad gradatim acquirendum perfectiorem [7] sensum responsabilitatis in propria vita continuo nisu recte excolenda et in vera libertate prosequenda, obstaculis magno et constanti animo superatis. Positiva et prudenti educatione sexuali progrediente aetate instituantur. Praeterea ad vitam socialem participandam ita conformentur ut, instrumentis necessariis et opportunis rite instructi, in varios humanae communitatis coetus actuose sese inserere valeant, colloquio cum aliis aperiantur communique bono provehendo operam libenter navent.

Similiter Sancta Synodus declarat pueris ac adolescentibus ius esse ut in valoribus moralibus recta conscientia aestimandis et adhaesione personali amplectendis necnon in Deo perfectius cognoscendo et diligendo instimulentur. Ideoque enixe rogat omnes qui vel populorum regimen tenent vel educationi praesunt, ut curent ne umquam iuventus hoc sacro iure privetur. Filios autem Ecclesiae exhortatur ut generoso animo *operam praestent in universo educationis campo,* praesertim hunc in finem ut congrua educationis et instructionis beneficia ad omnes ubique terrarum citius extendi possint.[7]

[7]

Textus prior

1. [*De educationis christianae fine*]. Educatio christiana eo tendit ut homines ad perfectionem humanam simul et religiosam perveniant ita ut, mysterium Christi Redemptoris participantes, salutem a Christo accipiant et, suae altioris vocationis conscii, consecrationi mundi collaborent, qua naturales valores in completa hominis a Christo redempti consideratione assumpti, ad totius societatis bonum magnopere conferunt.

Textus iuxta Modos recognitus

N. 2. (olim n. 1). [*De educatione christiana*]. Omnibus christianis, quippe qui, per regenerationem ex aqua et Spiritu Sancto nova creatura effecti,[8] filii Dei nominentur et sint, ius est ad educationem christianam. Quae quidem non solum maturitatem humanae personae modo descriptam prosequitur, sed eo principaliter spectat ut baptizati dum in cognitionem mysterii salutis gradatim introducuntur, accepti fidei doni in dies magis conscii fiant; Deum Patrem in spiritu et veritate adorare (cf. *Io.* 4, 23) praeprimis in actione liturgica addiscant, ad propriam vitam secundum novum hominem in iustitia et sanctitate veritatis (*Eph.* 4, 22-24) gerendam conformentur; ita quidem occurrant in virum perfectum, in aetatem plenitudinis

[8] Christi (cf. *Eph.* 4, 13) et augmento corporis mystici operam praestent. Iidem insuper *suae vocationis conscii* tum spei quae in eis est (cf. *1 Petr.* 3, 15), testimonium exhibere tum christianam mundi conformationem adiuvare consuescant, *qua naturales valores in completa hominis a Christo redempti consideratione assumpti, ad totius societatis bonum conferant.*[9] Quare haec S. Synodus animarum Pastoribus gravissimum recolit officium omnia disponendi ut hac educatione christiana omnes fideles fruantur, praeprimis iuvenes qui spes sunt Ecclesiae.[10]

[Nota: *Ideae contentae in nn. 3, 4, 5 textus prioris, iuxta Patrum animadversiones et « Modos » meliore ordine et magis enucleate exprimuntur in nn. 3, 3 bis, 4 et 5 textus emendati; proinde in hac parte singuli numeri textus prioris non plene respondent analogis numeris textus emendati*].

N. 3. [*Auctores educationis*]. *Parentes,* cum vitam filiis contulerint, prolem educandi gravissima obligatione tenentur et ideo primi et praecipui eorum educatores agnoscendi sunt.[11] Quod munus educationis tanti ponderis est ut, ubi desit, aegre suppleri possit. Parentum enim est talem familiae ambitum amore, pietate erga Deum et homines animatum creare qui integrae filiorum educationi personali et sociali fa-

Textus prior

Textus iuxta Modos recognitus [8]

veat. Familia proinde est prima schola virtutum socialium quibus indigent omnes societates. Maxime vero in christiana familia, matrimonii sacramenti gratia et officio ditata, filii iam a prima aetate secundum fidem in baptismo receptam Deum percipere et colere atque proximum diligere doceantur oportet; ibidem primam inveniunt experientiam et sanae societatis humanae et Ecclesiae; per familiam denique in civilem hominum consortionem et in populum Dei sensim introducuntur. Persentiant igitur parentes quanti momenti sit familia vere christiana pro vita et progressu ipsius populi Dei.[12]

Educationis impertiendae munus primario familiae competens totius societatis auxiliis indiget. Praeter igitur iura parentum ceterorumque quibus ipsi partem in munere educationis concredunt, certa quidem officia et iura competunt *societati civili,* quatenus eius est ea [9] ordinare quae ad bonum commune temporale requiruntur. Ad eius munera pertinet educationem iuventutis pluribus modis provehere: parentum scilicet aliorumque qui in educatione partes habent officia et iura tueri eisque adiumenta praebere; iuxta subsidiarii officii principium, deficientibus parentum aliarumque societatum incoeptis, educationis opus, attentis quidem parentum votis, perficere; insuper, quatenus bonum commune postulat, scholas et instituta propria condere.[13]

Singulari demum ratione officium educandi *ad Ecclesiam* spectat, non solum quia humana quoque societas educationis tradendae capax agnoscenda est, sed maxime quia munus habet viam salutis omnibus hominibus annuntiandi, credentibus vitam Christi communicandi eosque continua sollicitudine adiuvandi ut ad huius vitae plenitudinem pervenire

[9] *Textus prior* — *Textus iuxta Modos recognitus*

valeant.[14] His igitur filiis suis tanquam Mater eam praestare Ecclesia tenetur educationem, qua tota eorum vita spiritu Christi imbuatur, simul autem omnibus populis suam operam praebet ad promovendam integram personae humanae perfectionem, ad bonum quoque societatis terrestris atque ad aedificationem mundi humanius configurandi.[15]

3. [*De variis educationis mediis*]. Ad hunc finem Ecclesia de omnibus educationis instrumentis quam maxime sollicita est sicuti sunt communicationis socialis media, iuvenum consociationes, multiplices corporis animique exercitationum coetus, quae ad animos excolendos hominesque formandos magnopere conferunt.

N. 3 bis. [*De variis educationis christianae subsidiis*]. In munere suo educationis explendo Ecclesia de omnibus aptis subsidiis sollicita, praecipue de eis curat quae ipsi sunt propria, quorum primum est institutio catechetica [16] quae fidem illuminat et roborat, vitam secundum spiritum Christi nutrit, ad mysterii liturgici consciam et actuosam participationem conducit [17] atque ad actionem apostolicam excitat. Ecclesia magni facit et suo spiritu penetrare et elevare quaerit cetera quoque auxilia, quae ad commune hominum patrimonium pertinent *quaeque ad animos ex-* [10] *colendos hominesque formandos magnopere conferunt, uti sunt communicationis socialis media,*[18] *multiplices animi corporisque exercitationum coetus, iuvenum consociationes* atque praesertim scholae.

4. [*De scholae momento et de parentum iuribus*]. Cum vero inter omnia educationis instrumenta peculiare momentum habeat schola, Ecclesia libenter collaborationem iugiter praebet parentibus. His enim primum et inalienabile officium et ius est filios educandi ideoque scholas libere condendi et eligendi, quovis scholae monopolio excluso, quod nativis personae humanae iuribus adversatur; necnon necessaria subsidia a societate civili obtinendi.

N. 4. [*De scholae momento*]. *Inter omnia educationis instrumenta peculiare momentum habet schola,*[19] quae vi suae missionis dum facultates intellectuales assidua cura excolit, recte iudicandi capacitatem evolvit, in patrimonium culturae a generationibus praeteritis acquisitum introducit, sensum valorum promovet, vitam professionalem praeparat, inter alumnos diversae indolis et condicionis amicalem consortionem pariens mutuam se comprehendendi dispositionem fovet; insuper velut quoddam centrum constituit cuius operositatem et profectum una

Textus prior

5. [*De cooperatione cum societate civili*]. Societati quoque civili ad cuius munera pertinet parentum officia et iura tueri eisque adiumentum praebere, educationis et scholarum opus promovendo, catholici collaborationem ultro praestare debent tum ad aptas educationis methodos studiorumque rationes inveniendas, tum ad magistros efformandos qui iuvenes recte educare valeant.

Textus iuxta Modos recognitus [10]

participare debent familiae, magistri, varii generis consociationes vitam culturalem, civicam, religiosam promoventes, societas civilis, et tota communitas humana.

Pulchra igitur et gravis quidem ponderis est vocatio illorum omnium qui parentes in eorundem officio implendo iuvantes et communitatis humanae vices gerentes, munus educandi in scholis suscipiunt; quae vocatio peculiares mentis et cordis dotes, diligentissimam praeparationem, continuam renovationis et adaptationis promptitudinem expostulat.

N. 5. [*De parentum officiis et iuribus*]. *Parentes quibus primum et inalienabile officium et ius est filios educandi,* in scholis eligendis vera libertate gaudeant oportet. Potestas publica igitur cuius est civium libertates tueri et defendere, iustitiae distributivae consulens curare debet, ut *subsidia publica* ita erogentur ut parentes pro filiis suis scholas, secundum conscientiam suam, vere libere selegere valeant.[20]

Ceterum rei publicae est providere ut omnes cives ad congruam culturae participationem [11] accedere valeant atque ad officia et iura civilia exercenda debite praeparentur. Ipsa igitur res publica ius puerorum ad adaequatam educationem scholarem tutari, magistrorum capacitati studiorumque praestantiae vigilare, alumnorum sanitati consulere atque in genere integrum scholarum opus promovere debet, principio subsidiarii officii prae oculis habito et ideo *quovis excluso scholarum monopolio, quod nativis humanae personae iuribus,* ipsius quoque culturae profectui et divulgationi, pacificae civium consortioni necnon pluralismo in permultis societatibus hodie vigenti *adversatur.*[21]

[11]

Textus prior

6. [*De educatione morali et religiosa*]. Gravissimum praeterea officium persentiens et religiosam educationem suorum filiorum sedulo curandi, in quacumque instituantur schola, Ecclesia omnia media inquirere et adhibere intendit tum ad magistros praebendos, qui religionem doceant alumnos cuiusvis gradus scholarum, ratione aetati et adiunctis aptata, tum ad spirituale auxilium praestandum opportunis inceptis pro rerum temporumque condicione.

Parentibus autem sollemniter recolit grave officium quod eis competit omnia disponendi vel etiam exigendi ut filii sui illos magistros adire possint et formatione christiana eodem gressu ac profana progrediantur. Propterea illas auctoritates et societates civiles dilaudat, [12] quae familias in hoc munere explendo adiuvant.

7. [*De scholis catholicis*]. Conscia quoque proprii iuris scholas cuiusvis ordinis et gradus libere condendi atque regendi, Ecclesia catho-

Textus iuxta Modos recognitus

Christifideles vero S. Synodus hortatur ut sive ad *aptas educationis methodos studiorumque rationem inveniendas,* sive *ad magistros efformandos qui iuvenes recte educare valeant, auxiliatricem operam ultro praestent* atque, parentum praesertim consociationibus, universum scholae munus et praecipue educationem moralem in ea tradendam suis adiumentis prosequantur.[22]

N. 6. [*De educatione morali et religiosa in omnibus scholis*]. *Gravissimum praeterea officium persentiens moralem et religiosam educationem* omnium *suorum filiorum sedulo curandi,* Ecclesia peculiari suo affectu et adiutorio praesens sit oportet iis plurimis qui in scholis non catholicis instituuntur; tum per testimonium vitae eorum qui eos docent et moderantur, tum per condiscipulorum apostolicam actionem,[23] tum maxime per ministerium sacerdotum et laicorum qui eis doctrinam salutis tradunt, *ratione aetati et adiunctis accommodata* et *spirituale auxilium* praebent *opportunis incoeptis pro rerum temporumque condicione.*

Parentibus autem grave recolit officium quod eis competit omnia disponendi vel etiam exigendi ut filii sui illis auxiliis frui possint et *formatione christiana* harmonico *gressu* cum *profana progrediantur. Propterea* Ecclesia *illas auctoritates et societates civiles dilaudat, quae* pluralismi hodiernae societatis ratione habita et debitae libertati religiosae consulentes, *familias adiuvant* ut educatio filiorum in omnibus scholis secundum propria familiarum principia moralia et religiosa impertiri possit.[24]

N. 7. [*De Scholis catholicis*]. Ecclesiae praesentia in scholarum campo ostenditur peculiari ratione per scholam catholicam. Ea qui-

Textus prior

licas scholas, pro suis viribus et locorum adiunctis, impense fovet, in quibus alumni eam perfectionem humanam simul et christianam assequantur qua exemplaris et apostolicae vitae exercitio salutare veluti fermentum humanae communitatis efficiantur.

Quare hoc ministerium veri nominis apostolatum, nostris quoque temporibus maxime congruentem et necessarium, declarat, simulque verum servitium societati praestitum; et parentibus christianis officium memorat liberos suos concredendi, quando et ubi possunt, scholis catholicis easque pro viribus sustinendi.

Textus iuxta Modos recognitus [12]

dem non minus quam aliae scholae fines culturales et humanam iuvenum formationem prosequitur. Proprium autem illius est communitatis scholaris ambitum, spiritu evangelico libertatis et caritatis animatum creare, adolescentes adiuvare ut in propria persona evolvenda una simul crescant secundum novam creaturam quae per baptismum effecti sunt, atque universam culturam humanam ad nuntium salutis postremo ordinare ita ut cognitio quam alumni de mundo, vita et homine gradatim acquirunt, fide illuminetur.[25] Ita quidem schola catholica, dum progredientis aetatis condicionibus sicut oportet se aperit, suos alumnos ad civitatis terrestris bonum efficaciter provehendum educat et ad servitium pro Regno Dei dilatando praeparat, ut *exemplaris et apostolicae vitae exercitio salutare veluti fermentum humanae communitatis efficiantur.*

Schola catholica igitur cum ad Populi Dei missionem explendam tantopere conferre et dialogo inter Ecclesiam et hominum communitatem, in ipsorum mutuum beneficium, inservire valeat, nostris quoque rerum adiunctis suum gravissimum retinet momentum. Quare haec S. Synodus *ius* Ecclesiae *scholas cuiusvis ordinis et gradus libere condendi atque regendi,* in plurimis Magisterii documentis iam declaratum,[26] denuo proclamat, in memoriam revocans huiusmodi iuris exercitium libertati quoque conscientiae et parentum iuribus tuendis [13] necnon ipsius culturae profectui summopere conferre.

Meminerint autem Magistri se quam maxime esse auctores ut schola catholica sua proposita et incoepta ad rem deducere valeat.[27] Peculiari ergo iidem praeparentur sollicitudine ut scientia tum profana tum religiosa idoneis titulis comprobata sint praediti et arte edu-

[13]

Textus prior

Textus iuxta Modos recognitus

candi progredientis aetatis inventis congruente ditati. Caritate sibi vicissim et discipulis devicti atque spiritu apostolico imbuti, tam vita quam doctrina testimonium exhibeant unico Magistro Christo. Sociam, imprimis cum parentibus praestent operam; una cum ipsis debitam in universa educatione habeant rationem discriminis sexus et finis proprii utrique sexui in familia et in societate a divina providentia praestituti; personalem ipsorum alumnorum actionem excitare satagant eosque, absoluto curriculo scholari, consilio, amicitia, peculiaribus quoque conditis associationibus vero spiritu ecclesiali ditatis prosequi pergant. Horum magistrorum *ministerium veri nominis apostolatum, nostris quoque temporibus maxime congruentem et necessarium* S. Synodus *declarat, simulque verum servitium societati praestitum. Parentibus vero christianis officium memorat liberos suos concredendi, quando et ubi possunt, scholis catholicis, eas pro viribus sustinendi* et cum eis in bonum filiorum suorum collaborandi.[28]

8. [*De variis scholarum catholicarum speciebus*]. Inter scholas catholicas eas studiose fovet Ecclesia quae inferioris et medii ordinis sunt atque educationis fundamentum constituunt; et in hodiernis praesertim societatis condicionibus scholas commendat quae professionales et technicae nuncupantur necnon instituta erudiendis adultis destinata et scholas in quibus educantur qui ob naturae defectum peculiari indigent cura.

N. 8. [*De variis scholarum catholicarum speciebus*]. Huic scholae catholicae imagini omnes scholae ab Ecclesia quavis ratione dependentes pro viribus conformentur oportet, licet schola catholica pro locorum adiunctis varias formas induere possit.[29] Carissimas sane sibi habet Ecclesia etiam scholas catholicas quae in novarum ecclesiarum praesertim territoriis ab alumnis quoque non catholicis frequentantur.

[14]

Ceterum in scholis catholicis constituendis et ordinandis progredientis aetatis necessitatibus consulendum est. Propterea, dum fovendae manent scholae *quae inferioris et medii ordinis sunt atque educationis fundamentum consti-*

Textus prior

9. [*De Facultatibus et Universitatibus Catholicis*]. Superiores pariter scholas, praesertim Facultates et Universitates Ecclesia sedula prosequitur cura, organica stabilique ratione intendens ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate excolantur ut profundior in dies humanarum divinarumque rerum intelligentia obtineatur, fidei cum ratione concordia; eaque alumnis ita tradantur ut homines vere docti formentur, gravioribus officiis in societate obeundis parati, atque fidei testes in mundo exsistant.

Quare Sancta Synodus valde commendat ut haec studiorum superiorum domicilia, in diversis terrae partibus convenienter distributa, promoveantur ac, potius quam numero, doctrinae studio eniteant, eorumque aditus facile pateat alumnis maioris spei, etsi tenuioris fortunae, iis praesertim qui e novis adveniant nationibus.

Textus iuxta Modos recognitus [14]

tuunt, magni quoque faciendae sunt illae quae ab *hodiernis condicionibus* peculiari ratione requiruntur, ut sunt scholae *quae professionales*[30] *et technicae nuncupantur, instituta erudiendis adultis,* socialibus auxiliis provehendis *necnon iis, qui ob naturae defectum peculiari cura indigent, destinata* atque scholae in quibus magistri tum pro institutione religiosa tum pro aliis educationis formis praeparantur.

Sancta Synodus Ecclesiae Pastores necnon omnes christifideles vehementer hortatur ut, nullis praetermissis sacrificiis, scholas catholicas adiuvent in earundem munere in dies perfectius explendo et praeprimis in curandis necessitatibus eorum qui bonis temporalibus sunt pauperes vel familiae adiutorio et affectu privantur vel a dono fidei sunt alieni.

N. 9. [*De Facultatibus et Universitatibus Catholicis*]. Altioris ordinis *pariter scholas, praesertim Universitates et Facultates Ecclesia sedula prosequitur cura.* Quin etiam in iis quae ab ipsa dependent, *organica ratione* intendit *ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate ita excolantur, ut profundior in dies* earum *intelligentia obtineatur* et, novis progredientis aetatis quaestionibus ac investigationibus accuratissime consideratis, altius perspiciatur quomodo fides et ratio in unum verum conspirent, Ecclesiae Doctorum, praesertim S. Thomae Aquinatis vestigia premendo. Ita quidem veluti publica, stabilis atque universalis praesentia efficiatur mentis christianae in toto culturae altioris promovendae studio atque horum institutorum alumni *formentur homines* doctrina vere praestantes, *gravioribus officiis in societate obeundis parati atque fidei in mun-* [15] *do testes.*[31]

[15]

Textus prior

10. [*De scientiarum sacrarum Facultatibus*]. Una cum scientiis profanis, scientias sacras et cum sacris connexas Ecclesia sibi caris-

Textus iuxta Modos recognitus

In Universitatibus Catholicis in quibus nulla Facultas S. Theologiae exstet, Institutum habeatur vel Cathedra S. Theologiae, in qua lectiones laicis quoque alumnis accommodatae tradantur. Cum scientiae per investigationes peculiares altioris scientifici momenti praecipue proficiant, in Universitatibus et Facultatibus catholicis Instituta maxime foveantur, quae primario investigationi scientificae promovendae inserviant.

Sancta Synodus valde commendat ut Universitates et Facultates catholicae *in diversis terrae partibus convenienter distributae, promoveantur,* ita tamen ut non *numero,* sed *doctrinae studio eniteant; eorumque aditus facile pateat alumnis maioris spei, etsi tenuioris fortunae, iis praesertim qui e novis adveniant nationibus.*

Quandoquidem sors societatis et ipsius Ecclesiae cum iuvenum altiora studia excolentium profectu intime connectitur,[32] Ecclesiae Pastores non tantum impensam habeant curam de vita spirituali alumnorum qui Universitates Catholicas frequentant; sed de formatione spirituali omnium filiorum suorum solliciti, inter Episcopos consiliis opportune collatis, provideant ut etiam apud Universitates non catholicas convictus et centra universitaria catholica habeantur, in quibus sacerdotes, religiosi et laici, accurate selecti et praeparati, iuventuti universitariae spirituale et intellectuale adiutorium praebeant permanens. Iuvenes autem melioris ingenii sive catholicarum sive aliarum Universitatum, qui ad docendum et investigandum apti videantur, peculiari cura excolantur et ad magisteria suscipienda promoveantur.

N. 10. [*De scientiarum sacrarum Facultatibus*]. *A scientiarum sacrarum* Facultatum operositate plurimum *exspectat Ecclesia.*[33] Ipsis

Textus prior

simas habet, et vult ut ecclesiasticae Facultates et Universitates eas impense promoveant et ad altiores investigationes auditores instituant, recentioribus quoque methodis et auxiliis adhibitis, earumque legibus opportune recognitis.

A scientiarum sacrarum progressu multum exspectat Ecclesia, cum profundior Sacrae Revelationis cognitio uberes allatura sit fructus tam pro omnimodo apostolatu tam pro oecumenico dialogo.

11. [*De coordinatione in re scholastica fovenda*]. Cum cooperatio, quae in ordine nationali et internationali altius in dies exprimitur, etiam in re scholastica maxime sit necessaria, omni ope curanda est tum scholarum catholicarum coordinatio, tum earundem cum omnibus aliis scholis, praesertim superioribus collaboratio, quam universae hominum communitatis bonum requirit.

Textus iuxta Modos recognitus [15]

enim concredit gravissimum officium proprios alumnos praeparandi non solum ad ministerium [16] sacerdotale sed maxime sive ad docendum in superiorum studiorum ecclesiasticorum sedibus sive ad disciplinas propria ope promovendas sive ad magis ardua apostolatus intellectualis munera suscipienda. Ipsarum Facultatum item est varias sacrarum disciplinarum regiones altius pervestigare ita ut *profundior* in dies *Sacrae Revelationis* intellectus obtineatur, patrimonium sapientiae christianae a maioribus traditum plenius aperiatur, dialogus cum fratribus seiunctis et cum non christianis promoveatur atque quaestionibus a doctrinarum progressu exortis respondeatur.[34]

Quare *ecclesiasticae Facultates,* propriis *ipsarum legibus opportune recognitis,* scientias sacras et cum sacris connexas *impense promoveant et recentioribus quoque methodis et auxiliis adhibitis, ad altiores investigationes auditores instituant.*

N. 11. [*De coordinatione in re scholastica fovenda*]. *Cum cooperatio, quae in ordine* dioecesano, *nationali et internationali altius in dies* urgetur et invalescit, *etiam in re scholastica maxime sit necessaria, omni ope curandum est* ut inter *scholas catholicas* apta foveatur *coordinatio,* atque inter easdem ceterasque scholas provehatur *collaboratio, quam universae hominum communitatis bonum requirit.*[35]

Ex maiore coordinatione sociaque opera praecipue in Institutorum academicorum ambitu uberiores fructus percipientur. In omni igitur Universitate variae Facultates mutuam sibi, prout obiectum siverit, praestent operam. Ipsae quoque Universitates mutua inter sese operae coniunctione conspirent, conventus internationales una simul promovendo, scientificas

[16]

Textus prior

Textus iuxta Modos recognitus

pervestigationes inter sese distribuendo, inventa vicissim communicando ac magistros ad tempus permutando inter se ceteraque quae ad maiorem adiutricem operam conferunt provehendo.

[17]

Textus prior

[*Conclusio*]. Ecclesia, dum gratissimam se profitetur erga sacerdotes, religiosos, religiosas et laicos, qui evangelica sui deditione in immensum educationis et scholarum cuiusvis generis et gradus opus incumbunt, eos vehementer hortatur ut in suscepto munere generose perseverent et tum in arte paedagogica tum in scientiarum studio ita excellere nitantur ut beneficam Ecclesiae praesentiam in mundo intellectuali moderno servent et augeant.

Textus iuxta Modos recognitus

[*Conclusio*]. S. Synodus ipsos iuvenes enixe hortatur ut praestantiae muneris educandi conscii, ad illud suscipiendum generoso animo sint parati, in illis praesertim regionibus in quibus ob magistrorum inopiam iuventutis educatio in discrimine est.

Eadem S. Synodus, *dum gratissimam se profitetur erga sacerdotes, religiosos, religiosas et laicos, qui evangelica sui deditione* in praecellens *educationis et scholarum cuiusvis generis et gradus opus incumbunt, eos hortatur ut in suscepto munere generose perseverent* atque in alumnis spiritu Christi imbuendis, *in paedagogica arte* et *in scientiarum studio ita excellere nitantur ut* non solum internam *Ecclesiae* renovationem promoveant, sed eius *beneficam praesentiam in mundo* hodierno praesertim *intellectuali servent et augeant.*

NOTAE

[1] Inter plurima documenta momentum educationis illustrantia cf. imprimis:

BENEDICTUS XV, Ep. Apost. *Communes Litteras,* 10 apr. 1919: *A.A.S.,* 11 (1919), p. 172.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.*, 22 (1930), pp. 49-86.

PIUS XII, Alloc. ad Iuvenes A.C.I., 20 apr. 1946: Discorsi e Radiomessaggi VIII, pp. 53-57.

— Alloc. ad Patres familias Galliae, 18 sept. 1951: Discorsi e Radiomessaggi XIII, pp. 241-245.

IOANNES XXIII, Nuntius tricesimo exacto anno ex quo Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri* editae sunt, 30 dec. 1959: *A.A.S.,* 52 (1960), pp. 57-59.

PAULUS VI, Allocutio ad sodales F.I.D.A.E. (Federazione Istituti Dipendenti dall'Autorità Ecclesiastica): Encicliche e Discorsi di S. S. Paolo VI, I, Roma 1964, pp. 601-603.

Insuper conferantur Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando, series I, Antepraeparatoria, vol. III, pp. 363-364, 370-371, 373-374.

[2] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 413, 415-417, 424. [17]

— Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 278 s.

[3] Cf. Professionem Universalem iurium humanarum (Déclaration des droits de l'homme) die 10 dec. 1948 a Foederatarum Nationum Coetu generali ratam habitam; et cf. Déclaration des droits de l'enfant, 20 nov. 1959; Protocole additionnel à la convention de sauvegarde des droits de l'homme et des libertés fondamentales, Parisiis, 20 mart. 1952; circa illam Professionem Universalem [18] iurium humanorum cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 295 s.

[4] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 402.

Conc. Vat. II, Constitutio Dogmatica *De Ecclesia,* n. 17: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 21; Constitutio Pastoralis *De Ecclesia in mundo huius temporis,* passim.

[5] Pius XII, Nuntius radiophonicus datus 24 dec. 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 9, 24.

Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 259 s. Et cf. Declarationes iurium hominis laudatas in nota 3.

[6] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 50.

[7] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 441 s.

[8] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. p. 83.

[9] Cf. Conc. Vat. II, Constitutio Dogm. *De Ecclesia,* n. 36: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 41 s.

[10] Cf. Conc. Vat. II, Decretum *De Apostolatu Laicorum,* n. 12.

[11] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. p. 59 s.; Litt. Encycl. *Mit. brennender Sorge,* 14 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), pp. 164 s., 182 s.

Pius XII, Allocutio ad primum congressum nationalem Consociationis Italicae Magistrorum catholicorum (A.I.M.C.), 8 sept. 1946: Discorsi e Radiomessaggi VIII, p. 218.

[12] Cf. Conc. Vat. II, Constitutio Dogmatica *De Ecclesia,* nn. 11 et 35: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 16 et 40 s.

[13] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. pp. 63 s.

Pius XII, Nuntius radiophonicus datus 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 200; Allocutio ad primum Congressum nationalem Consociationis Italicae Magistrorum catholicorum, 8 sept. 1946: Discorsi e Radiomessaggi VIII, p. 218.

Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 274.

[14] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. pp. 53 s., 56 s.

— Litt. Encycl. *Non abbiamo bisogno,* 29 iunii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 311 s.

Pius XII, Litt. Secretariae Status ad XXVIII Hebdomadam Soc. Ital. 20 sept. 1955: *L'Osservatore Romano,* 29 sept. 1955.

[15] Cf. Conc. Vat. II, Constitutio pastoralis *De Ecclesia in mundo huius temporis.*

[16] Cf. Pius XI, Motu proprio *Orbem catholicum,* 29 iunii 1923: *A.A.S.,* 15

[18] (1923), p. 327; Decretum *Provido sane,* 12 ianuarii 1935: *A.A.S.,* 27 (1935), pp. 145-152. CONC. VAT. II, Decretum *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia,* nn. 13 et 14.

[17] Cf. CONC. VAT. II, Constit. *De Sacra Liturgia,* n. 14: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 104.

[18] Cf. CONC. VAT. II, Decretum *De instrumentis communicationis socialis,* nn. 13 et 14: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 149 s.

[19] Cf. LEO XIII, Encycl. *Dall'alto,* 15 oct. 1890: *Acta Leonis XIII,* vol. X, p. 251; PIUS XII, Allocutio ad Associationem Magistrorum Catholicorum Bavariae, 31 dec. 1956: Discorsi e Radiomessaggi XVIII, p. 746.

[19] [20] Cf. CONC. PROV. CINCINNATENSE III, a. 1861: Collatio Lacensis, III, col. 1240, c/d; PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. pp. 60, 63 s.

[21] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. p. 63; Litt. Encycl. *Non abbiamo bisogno,* 29 iunii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 305.

PIUS XII, Litt. Secretariae Status ad XXVIII Hebdomadam Soc. Ital., 20 sept. 1955: *L'Osservatore Romano,* 29 sept. 1955.

PAULUS VI, Allocutio ad Associationem Christianam Operariorum Italiae (A.C.L.I.), 6 oct. 1963: Encicliche e Discorsi di Paolo VI, I, Roma 1964, p. 230.

[22] Cf. IOANNES XXIII, Nuntius tricesimo exacto anno ex quo Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri* editae sunt, 30 dec. 1959: *A.A.S.,* 52 (1960), p. 57.

[23] Cf. CONC. VAT. II, Decretum *De Apostolatu Laicorum,* nn. 12 et 16.

[24] Cf. CONC. VAT. II, Declaratio *De libertate religiosa,* n. 7.

[25] Cf. CONC. PROV. WESTMONASTERIENSE I, a. 1852: Collatio Lacensis III, col. 1334, a/b. — PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. p. 77 s. — PIUS XII, Allocutio ad Associationem Magistrorum Catholicorum Bavariae, 31 dec. 1956: Discorsi e Radiomessaggi XVIII, p. 746. — PAULUS VI, Allocutio ad sodales F.I.D.A.E. (Federazione Istituti Dipendenti dall'Autorità Ecclesiastica), 30 dec. 1963: Encicliche e Discorsi di Paolo VI, I, Roma 1964, p. 602 s.

[26] Cf. Imprimis documenta in nota 1 laudata; insuper hoc Ecclesiae ius proclamatur a multis Conciliis provincialibus nec non in recentissimis Declarationibus plurium Conferentiarum Episcoporum.

[27] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. p. 80 s. — PIUS XII, Allocutio ad Consociationem Catholic. Italicam Magistrorum scholarum secundariarum (U.C.I.I.M.), 5 ianuarii 1954: Discorsi e Radiomessaggi, XV, pp. 551-556. — IOANNES XXIII, Allocutio ad VI Congressum Associationis Italicae Magistrorum Catholicorum (A.I.M.C.), 5 sept. 1959: Discorsi, Messaggi, Colloqui, I, Roma 1960, pp. 427-431.

[28] Cf. PIUS XII, Allocutio ad Consociationem Cathol. Italicam Magistrorum scholarum secundariarum (U.C.I.I.M.), 5 ianuarii 1954, l. c., p. 555.

[29] Cf. PAULUS VI, Allocutio ad Officium Internationale Educationis Catholicae (O.I.E.C.), 25 febr. 1964: Encicliche e Discorsi di Paolo VI, II, Roma 1964, p. 232.

[30] Cf. PAULUS VI, Allocutio ad Associationem Christianam Operariorum Italiae (A.C.L.I.), 6 oct. 1963: Encicliche e Discorsi di Paolo VI, Roma I, 1964, p. 229.

[31] Cf. PIUS XII, Allocutio ad magistros et alumnos Institutorum Superiorum Cathol. Galliae, 21 sept. 1950: Discorsi e Radiomessaggi XII, pp. 219-221; Litterae ad XXII Congressum « Pax Romana », 12 aug. 1952: Discorsi e Radio-

messaggi XIV, pp. 567-569. — IOANNES XXIII, Allocutio ad Foederationem Universitatum Catholicarum, 1 apr. 1959: Discorsi, Messaggi, Colloqui, I, Roma 1960, pp. 226-229. — PAULUS VI, Allocutio ad Senatum Academicum Universitatis Catholicae Mediolanensis, 5 apr. 1964: Encicliche e Discorsi di Paolo VI, II, Roma 1964, pp. 438-443. [19]

[32] Cf. PIUS XII, Allocutio ad Senatum Academicum et alumnos Universitatis Romanae, 15 iunii 1952: Discorsi e Radiomessaggi XIV, p. 208: « La direzione della società di domani è principalmente riposta nella mente e nel cuore degli universitari di oggi ».

[33] Cf. PIUS XI, Constitutio Apostolica *Deus Scientiarum Dominus,* 24 maii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 241-262.

[34] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani Generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 [20]
(1950). — PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* Pars III, 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 637-659. — CONC. VAT. II, Decretum *De Oecumenismo*: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 90-107.

[35] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 284 et passim.

RESPONSIO [21]
AD SINGULOS MODOS A PATRIBUS PROPOSITOS *

Omnes Modi referuntur ad Declarationis *textum priorem,* in hoc fasciculo positum in parte sinistra paginarum 5-17.

MODI GENERALES DE TOTO SCHEMATE ET AD PROOEMIUM

1 — *1 Pater*: Valde dolenda est nimia brevitas huius schematis! Ne dubitet Commissio, modorum expensionem faciendo, ampliorem textum, etiam de prioribus schematibus ab ipsa confectis desumptum, conscribere.

Ratio: « S. Oecumenica Synodus attente perpendit *gravissimum* educationis momentum... » etc. (cf. Prooemium Declarationis).

R. — Textus secundum « Modos » emendatus de facto magis enucleat asserta nimis pressa prioris textus.

1 a — *1 Pater*: Schema amplius sit et res magni momenti tractet, attentis observationibus in Aula prolatis.

R. — Sicut ad Modum 1.

2 — *2 Patres*: Schema recognoscatur ad mentem interventionum

* Textus Relationis de mutationibus in textum emendatum inductis separatim distribuetur Patribus [*cf. pag. 280*].

[21] Exc. DD. Elchinger, Gouyon, Muñoz-Vega et Em.mi Card. Léger (alter Pater addit: et Exc.mi D. Van Waeyenbergh).

R. — Commissio omnes interventiones attente perpendit et quantum fieri potuit, in textu emendato earum rationem habuit.

3 — *2 Patres*: Renovetur totum schema iuxta bonum propositum quod refert *Relatio* ab Exc.mo Iulio Daem prolata.

R. — Textus secundum Modos emendatos huic proposito satisfacere quaerit.

3 a — *2 Patres*: Satisfiat petitioni ab Exc.mo Relatore Daem die 18 nov. 1964 cum fortissimis rationibus prolatae. Schema amplius fiat; res magni momenti explicitius tractet; animadversio-
[22] nes in Aula prolatas magni habeat et in textu emendato interponat.

R. — Sicut ad Modum 3.

4 — *1 Pater*: Tale est momentum educationis christianae ut aliquid plus quam simplex Declaratio requiratur ad ea proponenda quae necessaria videntur pro Christianis in mundo moderno viventibus.

Documentum Commissionis « post-conciliaris » nullo modo vim habebit documenti Conciliaris. Ea quae dicentur, etiam si optima videntur, tamen non erunt quae tantum a Concilio sanciri possunt.

Loquentes de educatione christiana, ante omnia nos claras normas praebere debemus circa ea quae intime cum ipsa connectuntur. Sermo esse debet:

1) *De iure parentum circa filiorum educationem,* et quidem:
- *a*) de eorum iure et munere domi explicando;
- *b*) de eorum iure et munere scholas seligendi pro filiorum educatione.

2) *De Ecclesiae iure circa educationem iuventutis catholicae,* et quidem:
- *a*) de iuventutis catholicae educatione;
- *b*) de iuventutis christianae educatione;
- *c*) de iuventutis christianae educatione in scholis catholicis.

3) *De Societatis Saecularis munere circa iuventutis educationem,* et quidem:
- *a*) pro illis qui ipsius Societatis Civilis scholas attendunt;

b) de officiis et iuribus circa illos qui scholas proprias volunt, ut v. g., Christiani, Catholici, Musulmani, etc. [22]

4) *De Ecclesiae iure in iuventutis educatione quae ad scholas catholicas accedit,* et quidem:

a) de scholis catholicis in locis ubi maior pars populi est catholica;

b) de scholis catholicis in locis ubi maior pars populi est christiana;

c) de scholis catholicis in locis ubi maior pars populi est non-christiana;

d) de scholis neutris ad quas catholici quandoque pergere debent.

Si Concilium de omnibus istis non decernit, problema maximi momenti relinquit insolutum. Immo Catholici, speciatim in locis Missionum, i. e. in maxima parte mundi, in magnis [23] difficultatibus erunt; immo iuventus totius mundi sine Deo ac saepe contra Deum educabitur.

Uti conclusio liceat nobis dicere quod valde mirum est quod Declaratio circa educationem christianam immediate post aliquam in Aula Conciliari discussionem proposita sit pro voto, antequam competens Commissio attentionem dederit iis quae dicta sunt pro textus emendatione.

R. — Ad desiderium maioris enucleationis quod attinet, textus emendatus argumenta potiora magis explicitata proponit; quaedam vero, imprimis n. 4 spectantia, tractantur in schemate « De libertate religiosa ». Ad modum procedendi in disceptatione et in suffragio ferendo quod attinet, is determinatus est ab auctoritatibus Concilium moderantibus.

5 — 1 *Pater*: Titulus novae Declarationis nempe « De educatione christiana », longe differt a titulo Propositionum « De Scholis Catholicis ». Sed materia Declarationis titulo suo nunc non apte correspondet. Etsi obiter de diversis educationis mediis mentio fit, tamen essentialiter tractatur de educatione in scholis. Itaque humiliter propono tituli modificationem, v. g. « Declaratio de Educatione christiana praesertim in scholis », vel etiam: « De Educatione christiana in mundo scholarum ».

R. — Animadversio est bona. Ut ipsi satisfiat, in fine Prooemii emendati dicitur: « Proinde S. Synodus de educatione christiana *praesertim in scholis* fundamentalia quaedam principia de-

[23] clarat, ... ». Ceterum textus recognitus etiam de ipsa educatione accuratius tractat.

5 a — *1 Pater*: Titulus sic mutetur: « De educatione christiana, *praesertim de scholis* » vel: « ...*et in specie de scholis* » vel alia similia. Sic melius correspondet schematis argumento. Hoc schema enim de educatione christiana in genere tractare non conatur.

R. — Sicut ad Modum 5.

6 — *1 Pater*: Propositiones de educatione christiana sunt bonae, aptae, ac bene concinnatae. Attamen non habent sufficientem unctionem. Nulla dantur verba S. Scripturae, ne quidem referentiae. Propter momentum rei, fiat declaratio tam in forma quam in materia optima.

In prooemio vel alio convenienti numero declarandum est quod Iesus Christus est Magister noster qui « illuminat omnem
[24] hominem venientem in hunc mundum » (*Io.* 1, 9), et qui dixit « Ego sum via, veritas et vita ». Omnis schola christiana reflectere debet doctrinam huius Supremi Magistri. Loquendum est de Spiritu Sancto qui « docebit vos omnia ». In convenienti loco declarandum est quod omnis magister in schola partem sumit parentum et in schola christiana ipsius Christi et Ecclesiae. Oportet ut in magno honore habeatur, sufficientem auctoritatem possideat atque dignum stipendium recipiat.

R. — Textus secundum « Modos » emendatus refert explicite ad plures locos S. Scripturae. De unico et supremo Magistro Christo sermo est in n. 7 § 3. In eadem paragrapho peculiaris missio magistrorum catholicorum magis enucleatur.

7 — *1 Pater*: In genere et ad Prooemium. – Explanetur doctrina catholica iuxta documenta doctrinalia Summorum Pontificum praesertim:

1) relate ad problemata, noviter nova, quae plurima occurrunt;

2) relate ad errores qui in educatione christiana iuvenum grassantur intra fines Ecclesiae et aliquando partim inveniuntur quoque in scholis catholicis superioribus.

R. — In quantum brevitas documenti permittit, textus emendatus

1) problemata nova passim tangit; imprimis in Prooemio, in nn. 1, 3, 5, 7, 8, 9, 11;

2) errores ut in pluribus indirecte repelluntur. Doctrina documentorum Summorum Pontificum in toto schemate prae ocu-

lis habetur; expresse ad eadem documenta remittitur in textu emendato: n. 7, paragrapho 2. [24]

7 a — *1 Pater*: Sicut in Prooemio declaratur *principia generalia* declarationis post Concilium a Commissione speciali evolvenda esse, ita etiam declarandum est de facto *praeterito*: omnino approbanda est « magna charta educationis Ecclesiae » id est Encyclica « Divini illius Magistri », aut saltem expressa mentio fiat in declaratione de hoc insigni documento doctrinali S. Ecclesiae, tamquam de fundamentali constitutione educativa, quae minime retractata est. (Talia vel similia addenda sunt).

R. — Sicut ad Modum 7, 2°.

8 — *1 Pater*: *a*) inseratur in Prooemium fundamentum theologicum totius educationis iuvenum;

b) enucleetur doctrina catholica de educatione in qua educatio scholastica est tantum unus ex aspectibus educationis.

R. — Fundamentum theologicum presse indicatur in Prooemio (paragr. 3) et in nn. 2 et 3 (paragr. 3). [25]

9 — *1 Pater*: Retineatur Prooemium schematis « De Scholis catholicis », ita tamen ut exprimatur modo positivo quanti Ecclesia momentum educationis iudicet; et asseratur Ecclesiam decursu totius suae historiae integram educationem vere humanam quam maxime coluisse.

R. — Momentum, quod Ecclesia educationi tribuit, clare apparet in Prooemio emendato, in fine numeri 2 emendati et in n. 3 (paragr. 3).

10 — *4 Patres*: Ad Prooemium et n. 1. - Textus pauperrimus est. Ita reficiatur ut appareat momentum educationis ad tollendas condiciones anti-humanas existentes in maiore parte mundi huius temporis. Solummodo plena educatio hominum basis erit ad pacem instaurandam in mundo, quia possibilem reddit verum dialogum inter homines. Ad hunc finem obtinendum, officium incumbit, ex iustitia, nationibus divitioribus iuvandi alias nationes ad peccatum sociale analphabetismi tollendum. Tanquam Mater pro omnibus constituta, Ecclesia in hoc opere collaborare vult.

R. — Animadversionis ratio habetur in textu emendato Prooemii et numeri 1 (in fine 3 paragr.).

11 — *2 Patres*: In Prooemio, primo inciso, dicatur: « Sancta Oecumenica Synodus conscia gravissimi momenti educationis chri-

[25] stianae pro formatione Populi Dei et eius missione in mundo hodierno, attente etiam perpendit momentum eius in vita hominis ... ».

Tota Declaratio laborat vitio aliquo fundamentali: videtur oblivisci finem primarium educationis christianae et fere unice attendere educationem humanam et consecrationem mundi. Ideo non est in linea doctrinae expositae in schemate de Ecclesia (ubi de Populo Dei, de Laicis), in schemate de Apostolatu Laicorum (de formatione laicorum), in schemate de Activitate missionali Ecclesiae.

Tota Ecclesia in omnibus membris debet esse missionaria et apostolica. Apostolatus ius et officium est omnis baptizati. Agitur de problemate fundamentali pro vita Ecclesiae et eius missione necnon pro successu Concilii. Patet quod solutio huius problematis maxima pro parte a scholis catholicis pendet.

[26] R. — Ideae considerantur in textu emendato; cf. Prooemium (paragr. 3); nn. 2, 3 (paragr. 1), 7 (paragr. 1).

12 — *1 Pater*: In Prooemio, secundo inciso, dicatur: « Cum vero Ecclesia vi divinae suae missionis *Christi doctrinam et vitam hominibus transmittere et* mundi transformationi ... etc. ».

R. — Substantia huius animadversionis inserta est in paragr. 3 Prooemii emendati.

12 a — *1 Pater*: loco « Cum Ecclesia ... etc. » dicatur: « Ecclesia cum vi divinae suae missionis omnium sit mater et magistra, quippe qui omnes sint redempti et ad agnitionem veritatis vocentur, iure primario gaudet in veritatibus quae ad fidem et mores pertinent; proinde mundi transformationi ... debet. Sancta igitur Synodus ... ».

R. — Sicut ad Modum 12.

12 b — *1 Pater*: Ad Prooemium, secundo inciso, dicatur: « Ecclesia vi suae divinae missionis primario debet intendere ad verbi Dei diffusionem et regni Dei fundationem, ad perfectionem supernaturalem suorum filiorum in vitam aeternam baptismate renatorum, quae vita fundatur et supponit harmonicam et completam, quatenus fieri potest, evolutionem donorum naturalium a Deo creatore concessorum hominibus, ut praesuppositum ordinis gratiae; cum vero haec humana perfectio et abundans vita supernaturalis quam maxime pendeant ab educatione puerorum et iuventutis, Sancta Synodus fundamentalia ... etc. ».

R. — Sicut ad Modum 12; cf. insuper textum emendatum in nn. 1, 2, 7, ubi explicite asseritur nexus inter naturalem personae humanae maturitatem et perfectionem supernaturalem. [26]

13 — *2 Patres*: Si S. Synodus vult « fundamentalia quaedam principia » declarare « quae a speciali post Concilium Commissione fusius evolvenda erunt atque ab Episcoporum Coetibus ad diversas regionum condiciones applicanda », sicut in Prooemio dicitur, tunc *principia illa debet Declaratio saltem innuere*. Quatuor illa principia philosophica: causa finalis, causa materialis, causa formalis et causa efficiens, aliquomodo enumerentur et quidem pro educatione supernaturali quam pro educatione vel instructione mere naturali. Aliter a Coetibus in eorum deliberationibus ignorantur vel omittuntur.

R. — Textus emendatus de facto innuit, immo aliquatenus enucleat illa principia, evitata autem terminologia nimis technica manualium Philosophiae. [27]

14 — *29 Patres*: Addatur in fine Prooemii: « Constituenda ergo est Commissio post-conciliaris de educatione christiana, in qua cooptentur etiam laici vere periti, praesertim ex iis qui in campo internationali de educatione et de institutione optime meriti sunt, uti sunt membra Foederationis universitatum catholicarum, Foederationis Internationalis scholarum catholicarum ».

Ratio: Ista Commissio, etsi de ea clare a Relatore dictum est, non satis explicite proponitur nec describitur a schemate ipso.

R. — Determinatio ulterior Commissionis post-conciliaris fit a Summo Pontifice.

AD NUM. 1

N. B.: Prioris textus numerus 1, ad quem referuntur sequentes « Modi », in textu emendato effectus est n. 2 (cf. p. 7).

1 — *1 Pater*: *a*) Antequam de fine educationis christianae agatur, affirmandum est — sive in Prooemio sive in numero qui numerum I schematis praecedat — *ius* et *officium* Ecclesiae educationem impertiendi et consequenter omnia media adhibendi, quae in ordine ad educationem necessaria vel utilia videntur.

Ideo fundamenta biblica et theologica huius iuris-officii, etsi perbreviter, revocanda sunt. Potissimum in lucem ponendus est nexus cum doctrina, quae in Constitutione « De Ecclesia »

[27] et in Decreto « De apostolatu laicorum » habetur. Ita haec Declaratio non quid per se stans, sed quid ex doctrina a Concilio tradita profluens et organice contextui totius Concilii insertum apparebit.

b) In n. 1 recte dimensiones christianae educationis assignantur, sed explicitius dimensio apostolica et communitaria indicanda est et affirmandum est istam dimensionem tenendam esse uti canonem fundamentalem sui muneris ab omnibus educatoribus catholicis, qui, e contra, non raro educationi sat individualisticae et pietisticae indulgent.

R. — Ad *a*) Fundamenta biblica et theologica officii et iuris Ecclesiae relate ad educationem perstringuntur in Prooemio emendato (paragr. 3) et in n. 2 et 3 (paragr. 3).

Ad *b*) De dimensione apostolica et communitaria christianae educationis clarissime agitur in textu emendato: nn. 2 et 7.

[28] 2 — 2 *Patres*: Textus sic mutetur: « Educatio christiana est imprimis educatio fidei personalis, ita ut homines ad perfectionem humanam simul et religiosam perveniant. Hoc modo mysterium Christi participantes, salutem a Christo accipiunt, et suae altioris vocationis conscii, consecrationi mundi collaborant, qua naturales valores in completa hominis a Christo redempti consideratione assumpti, ad totius societatis bonum magnopere conferunt. Ad talem scopum assequendum media sequentia adhibentur: educatio ad orationem personalem; ambitus collectivus sinceritatis et fraternae caritatis; ratio habenda modo peculiari personae alumni educandi; initiatio iam a primordiis ad apostolatum et, ut patet, institutio catechetica et biblica aptata».

R. — Huius legitimi desiderii Commissio rationem habuit in textu emendato, nn. 2 et 7. Cf. insuper n. 3 (par. 1).

3 — 2 *Patres*: ad n. 1, primae lineae scribantur ut sequitur « Educatio christiana eo tendit, ut pueri et iuvenes iuventur et manuducantur in addiscendo sua libertate qua optime uti, et ita, semel adulti, eam perfectionem humanam simul ac religiosam prosequantur, ut mysterium Christi Redemptoris participantes, etc. » ut in lucem ponatur, quod adhibenda est diligentia et activitas personalis hominis, qui educatur.

R. — De usu libertatis addiscendo fit sermo in textu emendato, n. 1 (par. 2); de perfectione humana simul et religiosa prosequenda

agitur in n. 1 (par. 3) et in n. 2. Textus emendatus evitat oppositionem inter perfectionem humanam et religiosam. [28]

3 a — *1 Pater*: In n. 1 mutetur finis quo tendit educatio christiana; nam dicitur: « ut homines ad perfectionem humanam simul et religiosam perveniant ». Melius compleatur addendo considerationem de personali voluntate, de libertate bene dirigenda, deque fide in baptismate recepta viva et pervadente totam hominis activitatem, complenda.

R. — Sicut ad Modum 3; de fide in baptismo recepta vivenda cf. n. 2 emendatum. « ... ut baptizati, dum in cognitionem mysterii salutis gradatim introducuntur, accepti fidei doni in dies magis conscii fiant ... ».

4 — *4 Patres*: Finis educationis christianae modo magis « incarnato » debet demonstrari, non tantum per abstractum conceptum « perfectionis ». Explicite agatur de diversis valoribus humanis et de variis vocationibus in societate, totaliter assumptis per [29]
incorporationem hominum in Ecclesia Christi.

R. — In textus emendati numero 1 (par. 2 et 3) et in n. 2 ratio huius Modi habetur.

5 — *1 Pater*: In n. 1 explicetur finis christianae educationis modo magis realistico. Adest confusio inter perfectionem, salutem aeternam, consecrationem mundi et valores naturales. Detur ordo inter hos fines et eorum permixtionem.

R. — Animadversio accipitur; vide textum emendatum, nn. 1 et 2.

5 a — *4 Patres*: Duae primae lineae n. 1 sic corrigantur: « Educatio eo tendit ut homines ad perfectionem in ordine *naturali et supernaturali* perveniant ita ut ... ».

R. — Textus emendatus in n. 1 considerat perfectionem humanam quatenus lumine rationis innotescit; in n. 2 autem agit de educatione ad perfectionem quae ex Revelatione supernaturali elucet.

5 b — *1 Pater*: Loco: « Educatio christiana eo tendit ut homines ad perfectionem humanam *simul et* religiosam ... » dicatur: « humanam, *praesertim* religiosam », ne quis dicat Ecclesiam putare perfectionem religiosam non esse humanam. Anima enim si non « naturaliter christiana », saltem religiosa invenitur ubique terrarum.

R. — Sicut ad Modum 5 et 3.

[29] 5 c — *1 Pater*: Initium n. 1 legatur: « Educatio christiana tendit *ad homines efformandos, qui vitam aeternam assequantur ac suam perfectionem naturalem et supernaturalem adipiscantur,* ita ut ... ».

R. — Ratio habetur in n. 2 emendato.

6 — *2 Patres*: In medio n. 1, post verba « ... vocationis conscii » addatur: « imbuantur solido spiritu apostolico et ecclesiali, consecrationi ... ». Tota enim Ecclesia in omnibus membris debet esse missionaria et apostolica. Apostolatus ius et officium est omnis baptizati. Agitur de problemate fundamentali pro vita Ecclesiae et eius missione necnon pro successu Concilii. Patet quod solutio huius problematis maxima pro parte a scholis catholicis pendet.

[30] R. — In n. 2 emendato dicitur: « Augmento corporis mystici operam praestent »; cf. etiam n. 7 emendatum: « ... et ad servitium pro Regno Dei dilatando praeparat, ut exemplaris et apostolicae vitae exercitio veluti fermentum humanae communitatis efficiantur ».

7 — *1 Pater*: loco « consecrationi mundi collaborent » dicatur: « christianae animationi ordinis temporalis ». In schematibus de Ecclesia, De Apostolatu laicorum et De Ecclesia in mundo consulto vitata est expressio « consecratio », quia adsunt polemicae de hac re.

R. — Accipitur. In n. 2 emendato dicitur: « ... christianam mundi conformationem adiuvare consuescant, ... ».

8 — *1 Pater*: Addatur post n. 1: « Ecclesia verborum Domini: Euntes ergo docete ... (*Mt.* 28, 18) memor, catecheticam institutionem lato sensu pro omnimoda revelationis christianae communicatione sumptam, qua Deo iuvante fides generatur, tamquam primordiale suum munus educativum considerat. Quae catechetica institutio non potissimum consistit in systematis doctrinalis expositione, sed in Boni Nuntii salutis communicatione. Huius contentum est historia magnalium Dei ad redemptionem christianam gestorum, quam homines invitantur participare ut salutem suam inveniant.

Catechesis obiectum est ideo cum adiumentis scientiarum psychologicarum et paedagogicarum historiam mysterii salutis docere, cuius pars praeterita in Sacris Litteris et in historia Ecclesiae narratur (methodus biblica) et quae protrahitur in vita liturgica et christiana hodierna (methodus liturgica).

Finis illius institutionis est ut omnes homines, cognoscendo « initiativam » divinae benevolae allocutionis, per fidem et vitam christianam respondeant in Ecclesia, quae est familia populi Dei peregrinantis ad gloriosam communitatem salutis in Caelo ». [30]

Ratio: Educatio christiana ut principaliorem finem habet vitam iuxta fidem. Quapropter primordialis est illa instructio qua fides christiana nascitur et alitur; i. e. catechesis.

R. — De momento instructionis catecheticae implicite agitur in n. 2 emendato; explicite autem in n. 3 bis.

8 a — *6 Patres*: post n. 1 addatur paragraphus: « ius et officium habent parentes filios educandi quod fluit ex consideratione familiae et pro Christianis profundiorem significationem desumit ex sacramento matrimonii. Hoc ius et officium nec scholis [31]
nec aliis totaliter tradere possunt.

Filii ius habent ad debitam curam et formationem a parentibus suis obtinendam. Parentes vero ius habent ad omnia subsidia, religiosa, socialia, scholastica et iuridica quae sunt necessaria ».

R. — Quae expostulantur, habentur in n. 3 emendato (par. 1), ubi sermo fit de sacramento matrimonii, et in n. 5.

9 — *6 Patres*: post n. 1 addatur novus numerus, in quo Concilium Oecumenicum uti principium fundamentale statuat omnes homines cuiusvis stirpis, conditionis et aetatis aequale habere ius inalienabile ad adaequatam humanam, moralem et religiosam educationem.

R. — Haec de facto dicuntur in n. 1 emendato.

AD NUM. 2

N. B.: Prioris textus n. 2, ad quem sequentes « Modi » referuntur, in textu emendato effectus est n. 1.

1 — *27 Patres*: Ordo paragraphi sic mutetur: « Omnibus enim hominibus cuiusvis stirpis, condicionis et aetatis utpote dignitate personae pollentibus aequale est ius inalienabile ad adaequatam omnium facultatum educationem. Quare Ecclesia omnibus populis ... etc. ». Ordo novus videtur magis logicus.

R. — Textus emendatus novi numeri 1 de facto ordinem mutavit in sensu ab his Patribus desiderato.

2 — *1 Pater*: Ecclesia non solum « collaborat » in educationis opere,

[31] sed principale *munus* eius est educare iuventutem; collaboratio est « subsidiaria », non *principale* elementum.

R. — Accipitur haec animadversio. Insuper munera Ecclesiae plenius describuntur in n. 3 emendato (par. 3).

3 — *1 Pater*: n. 2 sic incipiat: « Quare Ecclesia *conscia sui iuris necnon divitiarum divinae veritatis quarum depositum ac magisterium detinet...* » ut ius affirmetur Ecclesiae ad educationem necnon possibilitates quas una Ecclesia habet.

R. — Ideae inveniuntur in Prooemio emendato (par. 3) et in n. 3 (par. 3).

[32] 3 a — *1 Pater*: Dicatur: « Conscia cum sit Ecclesia divini mandati quo urgetur ad inserviendum omnibus gentibus per divini verbi praedicationem, et ad vitam in suis filiis fovendam et ad perfectionem ducendam, omnibus populis, etc. ».

R. — Sicut ad Modum 3.

AD NUM. 3

1 — *1 Pater*: Hic numerus funditus mutetur, ita ut, antequam de scholis in specie tractetur (in n. 4 et seq.) conspectus generalis de diversis educationis mediis vel condicionibus detur, sicuti sunt imprimis familia, institutio religiosa ac profana, schola, iuvenum consociationes.

Sic vitaretur huius numeri defectus, scilicet prius enumerandi educationis instrumenta minora, et postea (in n. 4) loquendi de parentibus et de scholis.

R. — In schemate emendato de facto prius agitur de parentibus et aliis educationis auctoribus; deinde de institutione religiosa (cf. n. 3 bis); postea innuuntur quaedam educationis media. De schola autem agitur separatim ut de argumento praecipuo schematis.

2 — *1 Pater*: post verbum « instrumentis » addatur: « intra quae familia est maximi momenti ».

R. — Momentum familiae abunde declaratur in n. 3 emendato.

AD NUM. 4

1 — *1 Pater*: n. 4 debet esse in loco n. 2 propter eius momentum.

R. — Textus emendatus hunc ordinem sequitur: De universali iure

ad educationem (n. 1). De educatione christiana (n. 2). De auctoribus educationis (n. 3). De variis educationis christianae subsidiis (n. 3 bis). De scholae momento (n. 4). De parentum officiis et iuribus (n. 5). Qui ordo videtur clarior. [32]

2 — *3 Patres*: Includantur in hoc numero verba identica vel similia numeri 6 (de iuribus parentum) schematis prioris propositionum « De Scholis Catholicis » (mensis aprilis 1964).

R. — Huius desiderii ratio habita est in n. 5 emendato.

3 — *6 Patres*: S. Synodus non sub n. 4 una cum aliis rebus, sed *in numero separato* declaret libertatem educationis et scholae ad inalienabilia hominis iura pertinere, et quidem uti sequelam libertatis religiosae, proinde monopolium scholae nativis hominis iuribus adversari. [33]

R. — Haec iura aperte declarantur in nn. 5 et 6 emendatis.

4 — *1 Pater*: De parentibus dicatur: « His enim ex fine praecipuo unionis coniugalis, ex facto generationis, vi cuius filii primario sunt extensio et prolongatio in tempore et in spatio personalitatis parentum (ita ut nonnisi per familiam filii in societatem civilem ingrediantur), naturae ius et obligatio impraescriptibilia et naturaliter inalienabilia competunt filios educandi, ideoque scholas libere condendi et pro suis filiis eligendi, a quo iure a nulla potestate possunt impediri, dummodo capaces sint illud exercendi, et a qua obligatione non possunt absolvi. Quapropter instandum est ab omnibus hominibus cordatis et sincere pacem et dignitatem personae humanae quaerentibus, ut hoc ius, cum libertate religiosa quam maxime connexum, scilicet educandi proprios filios ad normas suae bonae conscientiae, ius quod populi civiles sollemniter proclamavere, non sine plausu Summae Auctoritatis Ecclesiae, in omnibus legibus et in praxi in tuto ponatur, quovis monopolio scholae excluso, etc. ».

R. — Omnes ideae inveniuntur in nn. 3, 5, 6 emendatis.

4 a — *2 Patres*: iura parentum clarius statuantur.

R. — Sicut ad Modum 4.

5 — *1 Pater*: in nn. 4 et 5 clarius et magis complete exponantur:

a) munera reipublicae;

b) opus omnium civium (ergo et catholicorum) ad bonum commune scholasticum (vel instructionis et educationis) promovendum; sic facilius intelligitur sermo de subsidiis (non nominetur verbum « *pecunia* »).

[33] R. — De officiis rei publicae explicitius agitur in nn. 3, 5, 6 emendatis. De socia opera a christifidelibus praestanda sermo fit in n. 5 (par. 3).

6 — *1 Pater*: In secunda phrasi numeri 4, loco « His (i. e., parentibus) enim primum et inalienabile officium et ius est filios educandi ... » dicatur: « His ... primum et inalienabile, *non autem supremum aut exclusivum,* ius est filios educandi ... ».

Ratio: Ius supernaturale Ecclesiae superior est iuribus na-
[34] turalibus aliarum societatum. In nostra oppositione erga Statum vel auctoritatem civilem et in defendendo iure familiae ne nimis dicatur, ita ut parentes se putent fontem in re educationis etiam supernaturalis.

R. — In n. 3 textus emendati iam clare apparent officia et iura singulorum auctorum educationis.

6 a — *1 Pater*: Dicatur: « (parentibus) ... inalienabile officium et ius est, etsi rationibus communis boni delimitatum ». Ius parentum libere condendi scholas pro filiis non potest nec debet praescindere ab exigentiis boni communis necnon ab aliqua societatis civilis supervisione, v. g. quoad validitatem diplomatum et similia.

R. — De iure parentum relate ad scholas in textu emendato agitur in n. 5, in quo etiam officia et iura Status in re scholastica plenius declarantur.

6 b — *1 Pater*: Dicatur: « his enim primum et ... filios educandi ideoque *generatim* (vel si possibile est, in ordinariis adiunctis ... vel aliquid simile) scholas libere ... » ut insinuetur aliqua temperatio in illa stricta consequentia: ius ad educationem, ergo et ad scholas.

R. — Textus emendatus numeri 5 ius parentum affirmat, iusta autem temperatione servata.

6 c — *1 Pater*: loco « His enim (parentibus) primum et inalienabile officium et ius est ... », scribatur: « His enim primum et inalienabile officium et ius est filios educandi ideoque scholas libere eligendi, etiam condendi observatis conditionibus a gubernio civili rationabiliter et iuste statutis, quovis scholae monopolio excluso ... etc. ». Iura enim parentum et familiae suos terminos habent propter iura societatis et bonum commune. Insuper experientia docet, quod aliqua supervisio a gubernio civili quoad qualificationem institutorum et professorum, programma scho-

lae, conditionem hygienicam locorum etc. scholis privatis non [34]
nocet, sed e contra magnopere prodest.

R. — De facto textus emendatus n. 5 affirmat ius gubernii civilis quoad studiorum et professorum qualitatem et quoad integrum scholarum opus promovendum; mentio autem fit etiam principii subsidiaritatis et aperte reicitur scholae monopolium a potestate civili saepe attentatum.

6 d — *35 Patres*: n. 4 sic mutetur: « Parentibus pertinet primum et inalienabile officium filios educandi. Illud officium soli adimplere non possunt. Requiritur auxilium peritorum qui inveniri [35]
possunt in institutionibus sive privatis, sive publicis seu a guberniis constitutis. Notatur tamen quod officium educationis in parentibus permanet etiamsi supradictis peritis adiuvantur. His etiam parentibus ius est scholas libere condendi et eligendi, quovis scholae monopolio excluso, quod nativis personae humanae iuribus adversatur, necnon necessaria subsidia a societate obtinendi ». Ius enim parentum est primarium et illud ponendum est priusquam de scholis tractetur.

R. — De iure primario parentum ad educationem in textu emendato de facto (in n. 3) sermo fit, antequam agatur de scholis.

7 — *1 Pater*: Mihi videtur quod fortius exprimendum est ius parentum ad subsidia accipienda a gubernio pro scholis non gubernativis. Ius naturalis legis est.

R. — In n. 5 emendato (paragr. 1) dicitur: « Potestas publica ... iustitiae distributivae consulens curare debet ut subsidia publica ita erogentur ut parentes pro filiis suis scholas, iuxta suam conscientiam, vere libere selegere valeant ».

7 a — *3 Patres*: ad n. 4, ultima linea, loco « necnon necessaria subsidia a societate civili obtinendi » ponatur: « Societas civilis hoc in exercitio libertatis parentes adiuvare debet etiam subsidiis, quia vana esset libertas sine mediis se exercendi ».

R. — Sicut ad Modum 7.

7 b — *1 Pater*: Dicatur: « Iustitia distributiva et ipsa libertas scholae postulat ut pecunia communitatis, pro scholarum sustentatione collecta, inter omnes scholas, dummodo et alumnis et bono communi ne noceant, sine ullo discrimine impendatur, ita ut omnibus, praesertim pauperibus, scholae pateant ».

R. — Sicut ad Modum 7. Quoad bonum commune servandum cf. n. 3 (paragr. 2) textus emendati. Quod ad alumnorum bonum

[35] spectat, in n. 5 emendato agnoscitur officium Status invigilandi « magistrorum capacitati studiorumque praestantiae ».

7 c — *168 Patres*: In fine numeri 4 adiungatur: « *Iustitia distributiva* postulat, ut societas civilis omnes scholas, etiam sic dictas privatas, si aequi valoris sint, aequali modo ac scholas proprias seu publicas pecunia et aliis subsidiis adiuvet.

In omnibus Res publica connexionem et subordinationem finium consequendorum, diversam naturam auctoritatis exercendae et *principium subsidiaritatis* prae oculis habeat ».

[36] R. — Substantia Modi accipitur; vide n. 5 schematis emendati et cf. Responsionem ad Modum 7.

7 d — *4 Patres* proponunt eundem modum (sicut in 7 c), omissa autem altera paragrapho de subordinatione finium et de principio subsidiaritatis.

R. — Sicut ad Modum 7 c.

7 e — *1 Pater*: Post primam paragraphum eiusdem modi (7 c) addantur haec solummodo verba: « *principium subsidiaritatis prae oculis habens* ».

R. — Accipitur; vide textum emendatum n. 5.

AD NUM. 5

1 — *1 Pater*: Ius et officium parentum *multo fortius* et clarius exponi et *probari* debet. Hic in numero 5 quasi « per transennam » asseruntur.

R. — Accipitur. Vide n. 5 emendatum.

2 — *1 Pater*: Expresse et alte adfirmetur quod fere ab omnibus desideratur ut scilicet Gubernia *ex iustitia* tenentur subsidia omnibus scholis et privatis praebere, cum et in his iuvenes ipsius nationis sint. Potest certe exigere ut programma conveniens ab omnibus adhibeatur.

R. — Accipitur. Vide n. 5 emendatum et supra Resp. ad Modum 7 numeri 4.

3 — *1 Pater*: Urgeatur officium catholicorum collaborationem praestandi Societati civili in istius munere educandi et instituendi cives.

R. — Accipitur. Vide n. 5 emendatum, paragr. 3.

4 — *1 Pater*: Expresse memorentur iura Status in materia educationis, et exprimatur obligatio eius impugnandi ignorantiam, necnon ius correlativum, quod habet, exigendi cooperationem familiarum, institutionum particularium et publicarum, salva earum legitima autonomia, totiusque populi et divitum, servata intacta « initiativa » privata, ad bonos cives, per educationem efformandos, quin legitimae libertati obsistat nationalismus, fallax unitas politica vel specialis ideologia, quam non potest imponere, quamvis eius opera perveniat ad requirendam etiam moralem educationem, quatenus est fundamentum boni communis et publicae moralitatis. [36] [37]

R. — Huius Modi aequa ratio habetur in textu emendato nn, 3 et 5.

5 — *3 Patres*: Cum hodiernis diebus opus educationis non compleatur sine ratione vel, dico, planificatione, saltem pro singulis nationibus, catholici debent collaborare in conatibus ad hanc rationem planificativam complendam. Ideo, magni momenti est praeparatio aliquorum catholicorum vere peritorum in re tam complexa et technica. Unus ex istis Patribus addit sequentia: Hoc autem asseverandum et scribendum esset in schemate, ut illi catholici technici sustineantur et confortentur practice ab Episcopis.

R. — Huius optati implicita ratio habetur in nn. 5 (par. 3), 11 (par. 1) et in Conclusione.

6 — *1 Pater*: Dicatur: « Neque sola familia et Ecclesia quamvis titulis et iure diversis, educandi officio tenentur, sed ceterae quoque humanae consociationes privatae *et* ipsa Res Publica, ... ». Aliter enim associationum privatarum iura, quae quidem iura naturalia et priora sunt iuribus Potestatis Publicae, aliquantulum minuuntur et non sufficienter apparet Auctoritatem Politicam secundum principium subsidiaritatis, etiam in hac re, regi debere erga initiativam privatam.

R. — De ceterarum humanarum consociationum privatarum iuribus sermo fit in n. 3 emendato (par. 2): « Praeter iura parentum *ceterorumque* quibus ipsi partem in munere educationis concredunt, certa quidem iura competunt societati civili, ... ». In fine eiusdem paragraphi insuper dicitur: « ... iuxta subsidiarii officii principium, deficientibus parentum *aliarumque societatum* incoeptis, ipsius (societatis civilis) est, ... ». In n. 5 emendato iterum recolitur principium subsidiaritatis et reprobatur quodvis scholae monopolium.

[37]

AD NUM. 6

1 — *1 Pater*: Doctrina fusius exponatur.

R. — Doctrina in textu emendato reapse melius enucleatur.

2 — *1 Pater*: Clarius exponatur officium parentum invigilandi, ne in quacumque schola violetur ius parentum et filiorum ad edu-
[38] cationem, per doctrinas vel praxim fidei vel moribus christianis infensas, tum etiam exercendi iura sua politica ut etiam in scholis publicis educatio religiosa iuventuti praebeatur, salva omnium libertate religiosa, seu libertate conscientiarum, tum, iustitia distributiva hoc praecipiente, curandi ut Status bonum commune promovendo, debita praebeat et sufficientia, quatenus fieri potest, subsidia scholis privatis.

In secundo inciso: Ne videatur obligatio imponi parentibus disponendi, vel etiam exigendi, ut filii sui adire possint illos praecise magistros qui ab Ecclesia praeberi possunt, dummodo institutio religiosa, theoretica et practica praebeatur cum approbatione Ecclesiae a competenter educantibus in lege Domini.

R. — *a*) In textu emendato n. 6 (par. 2) clare omnino affirmatur officium parentum invigilandi, ut in omnibus scholis educatio filiorum « secundum propria familiarum principia moralia et religiosa impertiri possit ».

b) De obligatione ex iustitia distributiva sermo fit in n. 5 (par. 1) textus emendati.

c) In textu emendato evitatur ea interpretatio, acsi nonnisi magistri quos Ecclesia praebet, adiri possint.

3 — *162 Patres*: In fine primae paragraphi n. 6 post verba « temporumque condicione » addatur: « Etiam Scholae Status, i. e. scholae publicae, nequaquam e natura rei debent esse laicisticae nempe a religione eiusque veritatibus et principiis moralibus abstrahentes. Quamquam societas civilis externas conditiones materiales et organizatorias pro re scholastica praebet, tamen principia interna educationis et praeprimis fundamenta religiosa secundum conscientiam genitorum statuenda sunt ».

N.B.: Ex his Patribus unus in textu a se subscripto *delevit* verba: « *i. e. scholae publicae* »; unus autem delevit verba « *laicisticae nempe* »; unus scribit: « i. e. scholae *rei publicae* »; unus denique integram sententiam ultimam, quae incipit « quamquam societas ... » posuit in uncis.

R. — Huius animadversionis ratio habetur in ultima sententia textus emendati: cf. Resp. ad Modum 2. Insuper in nota numero sexto addita refertur ad schema « De Libertate Religiosa » n. 7. [38]

4 — *35 Patres*: paragraphus 2 n. 6 sic incipiat: « Multi pueri instructionem et educationem accipiunt in scholis catholicis. Multi tamen et etiam numerosiores docentur in scholis publicis quae saepe saepius neutralitatem religiosam servare debent. Illos autem baptizatos ut suos agnoscit Ecclesia et pari affectu dili- [39]
git, Parentibus autem sollemniter recolit ... ». Sic manifestatur dilectio Ecclesiae pro omnibus sine attentione ad scholam a pueris et parentibus electam.

N.B.: Unus ex istis 35 Patribus in textu a se subscripto ultimam sententiam sic mutavit: « Illos autem baptizatos Ecclesia pari affectu diligit » delens verba « ut suos agnoscit ».

R. — Huic legitimo desiderio satisfit in n. 6 emendato: « ... Ecclesia peculiari suo affectu et adiutorio praesens sit oportet iis plurimis qui in scholis non catholicis instituuntur ».

5 — *1 Pater*: in 2 paragrapho numeri 6 dicatur: « Parentibus autem sollemniter recolit grave officium, etc. ... ut filii sui *etiam in scholis non catholicis* illos magistros adire possint, etc. ... ». Necesse est ut clarius pateat quod hic agitur *non tantum* de iure parentum exigendi scholas in quibus formatio christiana eodem gressu ac profana progreditur, sed etiam *ut in scholis non catholicis* possibilitas aperiatur formationem catecheticam et educationem christianam completam accipiendi secundum principia libertatis religiosae.

R. — Haec omnia apte considerantur in n. 6 emendato.

6 — *35 Patres*: in fine n. 6 addatur: « Item requiritur vera cooperatio inter diversos agentes qui influxum habent in formationem adolescentium scilicet speciatim: familiam, magistros, capellanos, paroecias, associationes ita ut opus christianae educationis sit effectus omnium ad virum perfectum efficiendum ». Et hoc insuper notandum est: alumni ipsi in propria educatione partem habere debent: haec iuvenum participatio activa ad suam educationem christianam, magis magisque hodie necessaria est et immo apostolatus iuvenum apud iuvenes ».

Ratio: Scopus educationis melius attingitur propria participatione educandorum et sic melius apparet necessitas cooperationis in toto ambitu educationis.

[39] R. — In paragr. 1 textus emendati de facto sermo est de cooperatione variorum agentium; commemoratur quoque *actio apostolica ipsorum condiscipulorum.* In n. 7 (par. 3) magistri monentur, ut *personalem ipsorum alumnorum actionem* excitare satagant.

[40]

AD NUM. 7

1 — *1 Pater*: doctrina fusius exponatur.

R. — Accipitur. Vide textum emendatum.

2 — *2 Patres*: Iura Ecclesiae condendi scholas clarius asserenda sunt.

R. — Iura Ecclesiae enucleantur in paragr. 2 textus emendati.

2 a — *1 Pater*: Adiungatur alius numerus, quo, iuxta doctrinam Pii XI, declaretur ius nativum Ecclesiae instituendi et habendi proprias scholas.

R. — In paragr. 2 textus emendati refertur explicite ad documenta Pontificia.

2 b — *1 Pater*: Magis fortiter affirmetur ius Ecclesiae ad educationem et explicite dicatur Ecclesiam habere ut iniuriam sibi factam, denegationem huius iuris, in multis nationibus. Dicatur etiam verbum de educatione pauperum quia de hoc gravissimo problemate schema tacere non potest, et commendetur scholis catholicis ut in taxis seu pensionibus et ceteris conditionibus studiorum, media adhibeantur ad aperiendas portas suas non tantum classibus socialibus divitioribus, sed etiam classibus pauperioribus et modestae conditionis socialis.

R. — De iure Ecclesiae ad educationem plura dicuntur in n. 3 (par. 3) textus emendati; de iure Ecclesiae condendi scholas agitur explicitius in paragr. 2 numeri 7 emendati; de scholis catholicis pauperioribus maxime aperiendis sermo est in n. 8 emendato (par. 3).

2 c — *1 Pater*: Ius Ecclesiae condendi et administrandi scholas proprias clarius et fortius exprimi debet in ista declaratione. Necesse est vindicare ius Ecclesiae contra tendentiam fortem qua Status particulariter in quibusdam partibus terrae tantummodo scholas gubernativas permittit et scholas catholicas aut rapit aut claudit. Vindicatio iuris a Concilio adiumentum daret Episcopatui cui periculum istud occurrit.

R. — Sicut ad Modum 2 b.

2 d — *1 Pater*: Addantur aliqua verba quae ostendant fundamentum iuris Ecclesiae condendi et regendi scholas. [40]

Ratio: Sic Ecclesia coram omnibus appareat societas specialis originis divinae. [41]

R. — Sicut ad Modum 2 b. Cf. insuper fundamentum iuris Ecclesiae ad educationem, de quo in n. 3 (par. 3) emendato.

2 e — *7 Patres*: Aperte et sollemniter proclametur ius Ecclesiae ad suas scholas condendas et regendas. Affirmetur hoc ius Ecclesiae esse etiam in iure naturali fundatum.

Ratio: Erit validum auxilium ad defendendas scholas catholicas in quibusdam nationibus laicismo infectis et remedium contra grassantes errores.

R. — Sicut ad Modum 2 d.

2 f — *1 Pater*: In initio numeri 7 loco «(Ecclesia) Conscia quoque proprii iuris scholas ... condendi» dicatur: «Conscia quoque proprii iuris *supernaturalis* scholas ... condendi ...». Aliqui etiam parentes Catholici se putant fontem et originem omnium iurium in re educationis et instructionis, etiam christianae. Sed Ecclesia est fons et origo iurium supernaturalium in educatione christiana ex duplici titulo, generationis nempe supernaturalis et divinae commissionis.

R. — Ius Ecclesiae proprium in textu emendato clare affirmatur: in Prooemio (par. 3) et in nn. 3 (par. 3) et 7 (par. 2).

2 g — *1 Pater*: post verba « Conscia quoque proprii iuris » addatur: « quod ex maternitate supernaturali erga baptizatos tenet ». Illud momentosum ius affirmatur in textu, sed non fundatur. Valde convenit ut fundetur, nam a quibusdam etiam inter sacerdotes aperte denegatur, cum in Encyclica *Divini illius Magistri* clare et firmiter explicetur.

R. — Sicut ad Modum 2 f.

2 h — *1 Pater*: post verba «proprii iuris» adiungatur: «in divino mandato docendi omnes gentes fundati».

Ratio: Magni momenti est fundamentum explicite praeberi huic iuri Ecclesiae.

R. — Sicut ad Modum 2 f.

2 i — *1 Pater*: post verba « Conscia quoque proprii sui iuris » addantur haec vel similia: « *A Christo Domino accepti, docendi omnes gentes,* scholas cuiusvis, etc. ».

Ratio: Ne denegetur Ecclesiae ius docendi, vel saltem mi-

[42] nuatur ad simplicem operam misericordiae, quae finem habet quando societas civilis vel Status satis providet, ut hodie ab aliquibus sustinetur.

R. — Sicut ad Modum 2f.

2k — *1 Pater*: loco « Conscia quoque proprii iuris ... » ponatur: « *Conscia parentum christianorum iuris* scholas ... ».

R. — Etiam Ecclesia habet suum ius proprium aperiendi scholas.

3 — *3 Patres*: In initio numeri 7, loco « ... scholas cuiusvis ordinis et gradus libere condendi atque regendi, Ecclesia catholicas ... », dicatur: « ... officii adhibendi media adaequata ad suam specificam missionem praedicandi Evangelium (vel: Matris et Magistrae in via Salutis, vel: docendi Veritatem) Ecclesia catholicas scholas cuiusvis gradus vel ordinis pro suis viribus ... fovet ».

Rationes: Cum munus Ecclesiae finem habeat supernaturalem, et obiectum illius minime includat naturales scientias vel artes; formatio autem filiorum Dei ad vitam gratiae referatur; in ordine naturae finis scholae latius patet quam finis Ecclesiae. Ideoque, etsi ratione mediorum optime schola ad finem Ecclesiae concurrat, nec unicum medium est, nec absolute necessarium, sed et superat in eius structura humana et temporali, quae ad alios fines tendit, scopum Ecclesiae. Ergo, minus recte pure et simpliciter affirmatur ius Ecclesiae scholas cuiusvis generis libere condendi.

R. — In textu emendato de facto declaratur quo sensu schola ad propriam Ecclesiae missionem adimplendam conferat. De cetero iam in Prooemio (par. 3) affirmatur Ecclesiam vi mandati divinitus accepti integram hominis vitam etiam terrenam *quatenus cum vocatione caelesti connexam* curare debere. Insuper Ecclesia etiam ut « humana quoque societas educationis tradendae capax agnoscenda est » (n. 3, par. 3).

4 — *1 Pater*: Exponantur fusius notae (substantiales) scholae catholicae; non est catholica, schola, tantum quia a paroecia vel a Congregatione religiosa dirigitur.

R. — Accipitur. Vide textum emendatum.

4a — *1 Pater*: post verba « In quibus » addatur: « educatio datur sub lumine fidei ita ut alumni ... ».

Ratio: Ut sic melius appareat finis et ratio formalis scholae catholicae.

R. — In textu emendato (par. 1) dicitur: « ... ita ut cognitio quam alumni de mundo, vita et homine gradatim acquirunt, *fide illuminetur* ». [43]

4 b — *39 Patres*: in prima paragr., post verba « impense fovet » dicatur: « *in quibus alumni in omnibus profanis disciplinis sub lumine fidei edoceantur eamque* perfectionem humanam simul ac christianam assequantur qua exemplaris et apostolicae vitae exercitio salutare veluti fermentum humanae communitatis efficiantur ».

Ratio: Logice fides postulat ut omnes disciplinae cognitionis humanae sub lumine Revelationis doceantur: haec est autem ratio specifica omnium christianarum scholarum. Nisi alumni litteris et scientiis in lumine fidei studeant, eorum « instructio » omnino non potest christiana dici, etiamsi aliunde eorum educatio in familia vel paroecia principiis christianis imbuta sit: instructio enim ab educatione separari nequit, cuius est pars praestantissima.

R. — Sicut ad Modum 4 a.

4 c — *2 Patres*: In art. 7, loco: « ... in quibus alumni eam perfectionem humanam simul et christianam assequantur qua ... » *scribatur*: « in quibus alumni eam formationem humanam simul et christianam assequantur ... ». Sic melius exprimitur activitas personalis ipsius personae educandae, sine verbo « perfectionem ».

R. — In textu emendato (par. 1) loco « perfectio » usurpatur vocabulum « formatio ».

4 d — *4 Patres*: in prima paragrapho numeri 7, post « impense fovet », ponatur punctum et supprimatur finis phraseos. Et sequatur textus sequens:

« Scholae christianae, non minus quam aliae scholae, fines culturales et sociales prosequuntur. Ab aliis autem distinguantur spiritu quo animantur, sapientia christiana quam communicant, instructione religiosa quam impertiunt sub ductu maternaque Ecclesiae vigilantia.

Haec religiosa institutio ante omnia intendere debet ut in christiani iuvenis animo crescat illa *fidei* virtus quam in baptismo accepit atque orationis amor et scientia. Quod consequitur non solum per catechesim sed etiam per educationem accommodatam quae discipulorum animi cordisque desideria moderatur, per aërem quemdam spiritualem in quo adolescunt et

[44] per magistrorum *vitae* exemplum. Oportet etiam ut schola christiana missionaria sit. Ergo omni modo conari debet ut alumnos spiritu vere apostolico imbuat, ita ut sal terrae et lux mundi efficiantur ».

R. — Substantia Modi accipitur. Vide textum emendatum.

4 e — *1 Pater*: Ad magis alliciendos fideles et etiam eos qui extra Ecclesiam versantur, modeste quidem et breviter exponantur fructus christianae educationis in catholicis scholis, tum in nationibus maxime culturaliter evolutis, tum in iis quae in promotione ab ea adiuvantur; breviter etiam recolatur praeteritorum temporum actio Ecclesiae in defendenda et evolvenda cultura humana et morali.

R. — Fructus christianae educationis in catholicis scholis succincte declarantur in textu emendato, omittuntur vero considerationes historicae.

4 f — *1 Pater*: Notetur prudenter scholas catholicas apertas esse pueris non catholicis, praesertim pauperibus, et in eis sancte observari libertatem religiosam et voluntatem parentum.

R. — Huius animadversionis apta ratio habetur in n. 8 emendato (par. 1 et 3).

5 — *4 Patres*: Schola catholica non debet esse « insula » vel « ghetto » in societate, sed potius fermentum quod totam massam penetrat. Ipsa ideo totaliter inseri debet in communitate locali ubi exsistit, et imbuatur praesertim spiritu missionali. Nullo modo permittatur in scholis catholicis discriminationes oeconomicas vel ethnicas facere.

R. — Huius instantiae ratio habetur in integro n. 7 emendato et in n. 8 (par. 3).

5 a — *4 Patres*: In initio paragraphi 2 dicatur: « Quare hoc ministerium veri nominis apostolatum, nostris quoque temporibus maxime congruentem, *immo in quibusdam regionibus* necessarium, declarat simulque verum servitium societati praestitum ».

Ratio: Hisce temporibus non potest dici scholas catholicas in omnibus regionibus simpliciter esse necessarias, si educatio christiana reapse salvetur in aliis quoque scholis vel aliunde.

R. — In fine paragr. 3 dicitur: « Parentibus ... christianis officium memorat liberos suos concredendi, *quando et ubi possunt,* scholis catholicis ... ».

5b — *1 Pater*: « quare hoc ministerium, nostris quoque ... » deleantur verba: « veri nominis apostolatus ». [45]

R. — Commissio censuit haec verba omnino servanda esse.

6 — *1 Pater*: Obligatio parentum mittendi filios ad scholas catholicas fortiter dicatur.

R. — Textus enuntiat hanc obligationem, necessaria tamen discretione adhibita.

6a — *1 Pater*: post « et parentibus christianis officium memorat » dicatur: « ... *in linea normali fidei* per baptismum receptae » (vel similiter).

Ratio: Verba « quando et ubi possunt » nimis debilia et inefficacia videntur ad memorandam responsabilitatem parentum.

R. — Sicut ad Modum 6.

6b — *4 Patres*: Verba de officio parentum liberos concredendi scholis catholicis delenda sunt.

Ratio: Illa verba de facto parentes multos onerant multis anxietatibus, interdum sine ulla ratione (nempe quia aliunde de educatione christiana efficaciter curetur).

R. — Sicut ad Modum 6.

7 — *1 Pater*: In n. 7 affirmetur etiam officium omnium christifidelium, praesertim eorum qui in vita publica responsabilitatem habent, scholas catholicas fovendi et sustinendi uti irrenuntiabilem manifestationem vitalitatis Ecclesiae. Officium omnium christifidelium, praesertim eorum qui in vita publica responsabilitatem habent, affirmandum venit, cum non desint inter catholicos qui retineant et sustineant in praesentis temporis conditionibus Ecclesiam tempus terere in defendendo iure scholas condendi et regendi, cuius iuris exercitium hodie omnino impar esset Ecclesiae muneri veritatem docendi.

R. — Qui in vita publica responsabilitatem habent, prae oculis teneant ea quae in nn. 3 (par. 2) et 5 (par. 2) de specificis obligationibus Status dicuntur relate ad iura parentum et Ecclesiae.

7a — *1 Pater*: addatur in fine numeri 7: « et etiam iustitiam distributivam promovendi in legibus scholas inspicientibus.

R. — De iustitia distributiva iam agitur in n. 5 emendato.

7b — *1 Pater*: in fine numeri 7 adiungantur haec verba vel similia: [46]
« Ad iura autem familiarum tuenda etiam Status scholis catho-

[46] licis — sicut et ceteris privatis scholis — ad normam iustitiae distributivae subvenire tenetur ».

R. — Sicut ad Modum 7 a.

8 — *1 Pater*: in fine numeri desideratur paragraphus de praesentia Ecclesiae in scholis acatholicis, per sacerdotes docentes vel saltem per laicos peritos in illis docentes.

R. — De hac praesentia agitur in n. 6 emendato.

9 — *1 Pater*: adiungatur brevis sed efficax mentio de momento, pro educatione iuventutis, associationum ex-alumnorum; quae deberent semen fructificare quod in schola sertum est. Harum associationum scopus non est solum adunare ex-alumnos semel in anno, sed praesertim eos adhuc instituere et eos adiuvare efficaciter inserendos in vitam ecclesiae et societatis.

R. — Ratio habetur in textu emendato, paragr. 3: « ... peculiaribus quoque conditis associationibus vero spiritu ecclesiali ditatis ... ».

10 — *1 Pater*: addatur ad numerum 7 sequens: « Praecipui promotores huius apostolatus sunt magistri Catholici. Quare Sancta Synodus peculiari sollicitudine et amore cunctos magistros Catholicos, praesertim laicos, prosequitur qui in quibusvis scholis docendi muneri incumbunt eosque enixe hortatur ut in tanto munere exequendo Christianae educationi impertiendae indefatigabilem operam navent ».

Ratio est: In fere omnibus nationibus, praesertim in regionibus Missionum, primum locum in apostolatu laicorum tenent magistri. Ab eis sub ductu pastorum pendet totum opus Ecclesiae in iuvenibus religiose educandis. Haec in hac declaratione praeteriri sub silentio non debent.

R. — Huius animadversionis ratio habetur in textu emendato, in nn. 6 (par. 1) et 7 (par. 3) et in Conclusione.

AD NUM. 8

1 — *1 Pater*: Schema debet distinguere clare inter scholas catholicas inferiores et medii ordinis et alias scholas. Scholae primariae et secundariae maximi momenti sunt ad religiosam et mo-
[47] ralem formationem; aliae scholae — technicae et professionales — habent valorem temporalem tantum.

R. — In ipso textu affirmatur scholas inferiores et medii ordinis constituere educationis fundamentum. Sed etiam scholae professio-

nales et technicae, quae ceterum saepe locum tenent scholarum medii ordinis, habent momentum educativum pro tota persona, non mere temporale. [47]

2 — *1 Pater*: in n. 8 deleantur verba: « inferioris et medii ordinis sunt atque ». Non est facienda praeferentia inter scholas diversorum ordinum, quia omnes ex suo fine sunt summopere utiles immo necessariae.

R. — Admittendum est scholas inferioris et medii ordinis constituere fundamentum educationis.

3 — *1 Pater*: deleatur verbum « et technicae ».
Ratio: Est quod hae scholae non sunt necessariae.

R. — Scholae e. g. a S. Don Bosco et ab eius filiis conditae contradicunt huic asserto; et cf. Modum 4.

4 — *1 Pater*: Peto ut aliquid melius dicatur ad incrementum scholarum professionalium ad educationem operariorum et agricolarum ubique terrarum et in missionibus, ubi fructus uberrimos consecutae sunt conversionis et educationis christianae.

R. — Quae in schemate dicuntur, data brevitate textus et condicionum varietate, sufficere debent.

5 — *1 Pater*: In n. 8 enixa inseratur adhortatio ut, quantum fieri potest, scholae inferioris et medii ordinis instituantur apud paroecias. Notum est quantum scholae apud paroecias semper contulerint christianae formationi fidelium. Insuper maxime dialogus Ecclesiae cum mundo, ope ipsarum favebitur.

R. — Hoc systema, quod in quibusdam regionibus optimos dedit fructus, non ubique imponi potest.

6 — *38 Patres*: In fine n. 8 addatur: « Ad hunc mundum christiane educandum, vel etiam evangelizandum, non sufficiunt incepta dispersa: opus immensum ante nos iacet nec adimpleri potest sine apta coordinatione pastorali non tantum in dioecesi, sed etiam in regione et in natione ». Ad obtinendam meliorem cooperationem omnium educatorum et scholarum.

R. — De coordinatione in re scholastica promovenda agitur in n. 11.

7 — *1 Pater*: post n. 8 haec adiungantur: « Praeterea, ad operam [48]
Evangelii praeconum in terris infidelium oculos materna cum sollicitudine vertens, Ecclesia Catholica scholas mixtas ex pueris catholicis et infidelibus in terris missionum promovet, tot beneficiorum conscia quae ex hac communicatione, sub prudenti

[48] utique vigilantia magistrorum, provenire possunt ad cognitionem Religionis Christi augendam et ad fidem dilatandam ».

R. — In textu emendato (par. 1) substantia huius Modi inserta est.

8 — *1 Pater*: addatur: « Scholae catholicae tenentur se accommodare licitis necessitatibus Status », vel alia similia.

R. — Huius animadversionis ratio habetur, saltem implicite, in n. 5 (par. 2 et 3).

AD NUM. 9

1 — *1 Pater*: nn. 9 et 10 reficiantur ad mentem votorum in Aula Conciliari prolatorum, v. g. Em.mi Card. Léger et aliorum.

R. — Instantia sanae libertatis investigationis scientificae affirmatur in par. 1 numeri 9, ubi dicitur, singulas disciplinas « propriis principiis, propria methodo *atque propria inquisitionis scientificae libertate* » excolendas esse. De coordinatione et cooperatione Universitatum Catholicarum agitur in n. 11 (par. 2) emendato.

2 — *2 Patres*: Necesse est dicere quod melius esset non habere Universitates vel Facultates catholicas quam eas habere sine debita competentia scientifica ac technica. Ne fiant ergo fundationes universitariae cum adhuc non habeantur competens corpus magistrorum et sufficientes condiciones oeconomicae. Ubi defuerint condiciones favorabiles ad erigendam universitatem catholicam, commendatur creatio alicuius instituti ad culturam catholicam in gradu superiore fovendam, pro omnibus alumnis aliarum Universitatum aperti.

R. — Accipitur. In textu emendato (par. 3) dicitur Universitates et Facultates Catholicas ... non numero, sed doctrinae studio enitere debere.

3 — *1 Pater*: Opportunum etiam existimo ut explicite indicetur ubi de « De Universitatibus Catholicis », quomodo libertas Universitatum consequitur, non solum facultatem docendi, investigandi et educandi alumnos, sed etiam concedendi titulos
[49] academicos, quorum valor ad professiones liberales exercendas ab auctoritate civili sit recognitus, impletis conditionibus, quae vere et manifeste a bono communi revera exigantur.

In Gallia etenim, Universitates Catholicae existunt, sed eorum tituli carent valore civili, et in Hispania, etsi ab auctoritate civili recenter sint admissi, a multis vero civibus tenaciter impugnantur.

R. — Principia hac de re iam data sunt in n. 5, ubi excluditur quodvis scholae monopolium. Determinationes concretae conventionibus peculiaribus committendae sunt. [49]

4 — *1 Pater*: Quoad Universitates, attendatur ad maximum numerum eorum qui extra Universitates catholicas educantur, saepissime inter magna pericula amittendi fidem et mores christianos, et sufficiente cura spirituali destituti, ut excitetur zelus, tum eorum qui studentium bonum sub omni aspectu procurant, necnon ut appareat necessitas multos et optimos magistros catholicos habendi in Universitatibus non catholicis ad difficilem et fructuosissimum apostolatum.

R. — Accipitur. Vide novam paragr. 4 in textu emendato.

5 — *1 Pater*: post verba « Quare Sancta Synodus valde commendat ... convenienter distributa » addatur: « et simul coordinatione invicem cooperantia, praesertim in re theologica et biblica ... », ut exitus investigationis scientificae unius Universitatis alteri prosit et opus investigationis inter diversas Universitates distribui possit, ita ut in una Universitate insistatur in hoc campo scientiae et in altera in alio campo. Ad eum finem etiam statutis temporibus congressus interuniversitarii habeantur.

R. — Haec includuntur in eis quae disponuntur in n. 11 emendato (par. 2).

6 — *1 Pater*: ad nn. 9-10 addatur: « Ad novam synthesim culturalem iuxta catholicam doctrinam fovendam, optandum omnino est ut in Universitatibus catholicis semper exstet Facultas Theologica, et ex alia parte Facultates theologicae, quae in unaquaque natione instituendae erunt, intimiorem conversationem ineant cum aliis Universitatibus vel Facultatibus ».

R. — Huius optati ratio habetur in textu emendato (par. 2), necessaria autem discretione adhibita; non enim opportunum est ut in omni Universitate Catholica habeatur propria Facultas Theologica, quae secus nimis multiplicarentur. Sed haberi potest et debet saltem aliquod Institutum Theologicum vel Cathedra [50] S. Theologiae.

6 a — *1 Pater*: post n. 9 haec addantur: « Cum autem theologia regina et velut culmen sit omnium scientiarum, Sancta Synodus coetibus episcopalibus suadet ut, ubi fieri possit, operam dent ad facultates theologicas vel saltem Instituta de re theologica inducendas in civiles Universitates ».

R. — In textu emendato (par. 4) Episcopi invitantur ut apud Uni-

[50] versitates Civiles erigantur centra universitaria, quibus illarum Universitatum alumnis detur auxilium etiam spirituale et intellectuale. Nihil impedit quominus erigatur etiam magisterium theologicum in ipsa Universitate civili, ubi datis necessariis cautelis opportune fieri possit.

AD NUM. 10

1 — *1 Pater*: Post verba « methodis et auxiliis » addatur: « *congrua libertate* ». Libertas in investigatione scientifica etiam in scientiis sacris evidenter exigitur; dicitur congrua quia praescindere non potest a Magisterio.

R. — Congrua libertas scientifica supponitur.

2 — *1 Pater*: In fine numeri addatur: « In facultatibus philosophiae et theologiae principatum tenet doctrina a S. Thoma tradita » vel aliqua similia. Tantum doctrina sana et cohaerens, potest esse antemurale adversus relativismum doctrinalem et moralem ab existentialismo generatum. Thomismus probatissimus est et a Magisterio Ecclesiae commendatus.

R. — De momento doctrinae S. Thomae in studiis philosophicis et theologicis agitur in variis documentis pontificiis in quibus elucet etiam sensus dynamicus huius commendationis.

3 — *1 Pater*: Nec urgenda nec probanda propositio alicuius determinati Ecclesiae doctoris. Ecclesia hoc fecit, in uno momento, quando condiciones id exigebant. Immo et tunc plures postea declarationes factae sunt, quod exclusive minime intelligenda erant ea quae de S. Thoma dicebantur. Ergo vel tota philosophia catholica nominetur cum omnibus PP. et Doctoribus, a S. Augustino ad S. Franciscum Salesium, etc. vel tantum de sanitate doctrinae tractetur, quod nempe revelationi et fidei non
[51] contradicat, ne videatur monopolium alicuius doctoris haberi ... et de progressu philosophiae ratio habeatur.

R. — Schema non intrat in quaestiones methodologiae theologicae.

4 — *1 Pater*: Proponere audeo, ut sequens vel simile propositum referatur: « Etiam philosophiae christianae, historiae aliarumque disciplinarum, quae cum scientiis sacris connectuntur, verum progressum Ecclesia sibi carissimum habet. Quae igitur disciplinae in animis hominum rerum divinarum studium excitant atque illos ad revelationem amplectendam praeparant ».

R. — Expressio « philosophia christiana » melius evitatur. Textus loquitur in genere de disciplinis sacris et cum sacris connexis.

AD NUM. 11 [51]

1 — *1 Pater*: loco « tum scholarum catholicarum coordinatio » dicatur: « tum scholarum catholicarum coordinatio pastoralis in dioecesi et in regione », ad melius manifestandum scopum pastoralem et non tantum technicum aut administrativum huius coordinationis, quae hoc nomine, ad episcopum pertinet. Res est magni momenti in pluribus nationibus.

R. — Terminus « cooperatio » remanere debet in sua indeterminatione, qua et aspectus pastorales et aspectus « technicos » amplectitur.

2 — *2 Patres*: Item requiritur vera cooperatio inter diversos agentes qui influxum habent in formationem adulescentium, scilicet speciatim: familiam, magistros, capellanos, paroecias, associationes ita ut opus christianae educationis sit effectus omnium ad virum perfectum efficiendum.

R. — Sicut ad Modum 6 numeri 6.

3 — *1 Pater*: post n. 11 addatur n. 12: « De coordinatione in re pastorali fovenda »: « In omni dioecesi constituatur aliqua commissio scholaris quae parentes audiat, magistros roboret, scopum pastoralem eluceat, collaborationem cum paroeciis promoveat, dialogum cum religiosis congregationibus instituat, ad completam insertionem scholarum dioecesis in missione apostolica locali Ecclesiae ».

Ratio: *a*) Laeta omnium adhaesio ad opus salutis.

b) Vaticanum II Concilium *pastorale!*

R. — In ipso initio textus emendati innuitur explicite cooperatio in [52]
ordine per prius *dioecesano.*

AD CONCLUSIONEM

1 — *1 Pater*: Ultima paragraphus exprimere debet, tamquam conclusio, generalem exhortationem ad excellentiam scholarum christianarum et omnis educationis quam maxime promovendam.

R. — Accipitur. Vide textum emendatum.

2 — *1 Pater*: Fiat brevis sed expressiva commemoratio educatorum christianorum ubi recenseantur Fratres Religiosi laicales, qui se totos — sine sacerdotio — operi scholarum tradunt (secundum animadversionem scriptis exhibitam: E/4472).

[52] R. — Hi includuntur inter religiosos, de quibus explicite agitur in textu praeter sacerdotes.

3 — *1 Pater*: Tollatur in ultima linea verbum « intellectuale », quia hic iam agitur non de scholis tantum sed de educatione christiana.

R. — In textu emendato ratio habetur, dicendo: « ... in mundo hodierno praesertim intellectuali ... ».

4 — *2 Patres*: Media in Conclusione dicatur: « ... munere generose perseverent et tum in alumnos spiritu Christi imbuendo, tum in arte paedagogica tum in scientiarum studio ita excellere nitantur ut non solum internam renovationem Ecclesiae promoveant, sed etiam eius beneficam praesentiam in mundo intellectuali moderno servent et augeant ».

Ratio: Tota declaratio laborat vitio aliquo fundamentali: videtur oblivisci finem primarium educationis christianae et fere unice attendere educationem humanam et consecrationem mundi. Ideo non est in linea doctrinae expositae in schemate de Ecclesia (ubi de Populo Dei, de Laicis), in schemate de Apostolatu Laicorum (de formatione laicorum) et in schemate de Activitate Missionali Ecclesiae.

Tota Ecclesia in omnibus membris debet esse missionaria et apostolica. Apostolatus ius et officium est omnis baptizati. Agitur de problemate fundamentali pro vita Ecclesiae et eius missione necnon pro successu Concilii. Patet quod solutio huius problematis maxima pro parte a scholis catholicis pendet.

R. — Accipitur. Vide textum emendatum.

[53]

QUAESITA PARTICULARIA

De expensione facta a Commissione de Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica circa Modos schema Declarationis « De Educatione Christiana » spectantes.

1. *An placeat ut Declarationis Prooemium et nr. 1 legantur sicut proponuntur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 5, lin. 1, ad pag. 7, lin. 25.*

2. *An placeat ut Declarationis numeri 2, 3 et 3 bis, legantur sicut proponuntur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 7, lin. 26, ad pag. 10, lin. 5.*

3. *An placeat ut Declarationis numeri 4, 5 et 6 legantur sicut proponuntur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 10, lin. 6, ad pag. 12, lin. 9.* [53]

4. *An placeat ut Declarationis numeri 7 et 8 legantur sicut proponuntur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 12, lin. 10, ad pag. 14, lin. 22.*

5. *An placeat ut Declarationis numeri 9 et 10 legantur sicut proponuntur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 14, lin. 23, ad pag. 16, lin. 20.*

6. *An placeat ut Declarationis numerus 11 et Conclusio legantur sicut proponuntur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 16, lin. 21 ad pag. 17, lin. 23.*

QUAESITUM GENERALE

An placeat expensio facta a Commissione circa Modos schema declarationis de educatione christiana respicientes.

QUAESITA *

De expensione facta a Commissione de Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica circa Modos schema Declarationis « De Educatione Christiana » spectantes

1. An placeat ut Declarationis Prooemium legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 5, lin. 1, ad pag. 6, lin. 22.
2. An placeat ut Declarationis nr. 1 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 6, lin. 23, ad pag. 7, lin. 25.
3. An placeat ut Declarationis nr. 2 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 7, lin. 26, ad pag. 8, lin. 13.
4. An placeat ut Declarationis nr. 3 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 8, lin. 14, ad pag. 9, lin. 28.

---

* Huiusmodi folium Patribus distributum est in congregatione 147, die 12 octobris 1965.

Hic quaesitorum elenchus substituitur elencho posito in pag. 53 fasciculi, qui inscribitur: Schema Declarationis « De Educatione Christiana » Textus emendatus et Modi, Typis Polyglottis Vaticanis 1965.

5. An placeat ut Declarationis nr. 3 bis, legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 9, lin. 29, ad pag. 10, lin. 5.
6. An placeat ut Declarationis nr. 4 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos recognito: pag. 10, linn. 6-29.
7. An placeat ut Declarationis nr. 5 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 10, lin. 30, ad pag. 11, lin. 24.
8. An placeat ut Declarationis nr. 6 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 11, lin. 25, ad pag. 12, lin. 9.
9. An placeat ut Declarationis nr. 7 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 12, lin. 10, ad pag. 13, lin. 32.
10. An placeat ut Declarationis nr. 8 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 13, lin. 33, ad pag. 14, lin. 22.
11. An placeat ut Declarationis nr. 9 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 14, lin. 23, ad pag. 15, lin. 37.
12. An placeat ut Declarationis nr. 10 legatur sicut proponitur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 15, lin. 38, ad pag. 16, lin. 20.
13. An placeat ut Declarationis nr. 11 et Conclusio legantur sicut proponuntur in textu iuxta Modos recognito: a pag. 16, lin. 21, ad pag. 17, lin. 18.

Moderator: Velit nunc exc.mus D. Iulius Daem, ep. Antverpiensis, relator, legere relationem super schema declarationis *de educatione christiana,* de quo introducitur suffragatio.

2 – Exc.mus P. D. IULIUS DAEM
Episcopus Antverpiensis

RELATIO *

[3] *Venerabiles Patres,*

Commissio « De Seminariis, De Studiis et de Educatione Catholica » Vestris suffragiis submittit emendationes inductas in textum schematis Declarationis « De Educatione Christiana ». Quae emendationes Vestris optatis apprime satisfacere quaerunt. Commissio reapse omni cura perpendit omnia quae sive in animadversionibus oretenus vel scripto pro-

* Huiusmodi folium Patribus distributum fuit in hac ipsa congregatione generali.

latis sive in « Modis » a Vobis mense novembris 1964 exhibitis significata sunt; quorum plurima de facto in textu emendato Vobis iam tradito inserta invenistis. [3]

Succincte Vobis exhibentur igitur: [1]

A. Conspectus Suffragationis mense nov. 1964 habitae;
B. Examen Modorum a Commissione peractum;
C. Criteria in expensione Modorum observata.

A. *Conspectus Suffragationis mense nov. 1964 habitae*

Circa Declarationem « De Educatione Christiana » disceptatum est in Aula Conciliari diebus 17, 18, 19, novembris 1964. Viginti unus Patres locuti sunt, alii 37 termino disceptationi imposito prohibiti quominus oretenus mentem aperirent, in scriptis nomine proprio et etiam aliorum animadversiones exhibuerunt.

Die 19 novembris 1964 instituta est suffragatio praeliminaris sequentibus verbis: An placeat Patribus ut post expletam disceptationem, procedatur ad suffragationem de singulis numeris schematis Declarationis « De Educatione Christiana ». Responsum Patrum fuit:

Summa suffragiorum 1879: placet: 1457, non placet: 419, placet iuxta modum: 1, nulla: 2.

Proinde diebus 19 e 20 novembris schema in 4 partes divisum suffragationi Patrum submissum est; exitus suffragationum fuit sequens:

	Placet	Non placet	Iuxta modum	Nulla
I. Suffragatio (Prooem. et nn. 1-3)				
Nr. suffragantium 1891	1592	157	140	2
II. Suffragatio (nn. 4-6)				
Nr. suffragantium 1906	1465	159	280	2
III. Suffragatio (nn. 7-8)				
Nr. suffragantium 1891	1592	155	141	3
IV. Suffragatio (nn. 9-11 et Conclusio)				
Nr. suffragantium 1873	1588	173	110	2

B. *De Examine Modorum a Commissione peracto* [4]

Omnes Patrum animadversiones sive oretenus in Aula Conciliari (diebus 17-19 nov. 1964) propositae sive postea in scriptis traditae in fasciculo 132 paginarum collectae necnon « Modi » secundum schema-

[4] tis numeros et argumentorum affinitatem distributi, cum omnibus Commissionis Membris et Peritis communicata sunt. Diebus 23-30 martii 1965 habitus est conventus peculiaris in quo una cum schematis Relatore adlaboraverunt Rev.mus P. Paulus Hoffer, Commissionis Membrum, Secretarius Commissionis et Periti Masi Robertus, Onclin Guglielmus, Dezza Paulus, Suarez Laureanus, Bednarski Felix, Sauvage Michael.

Expensio Modorum a praefata Subcommissione praeparata accurato examini subiecta est ab ipsa Commissione plenaria in Conventu generali celebrato a die 26 aprilis ad diem 3 maii 1965, in quo textus, secundum Modos recognitus, approbatus est.

C. *Criteria in expensione Modorum observata*

1. Textus Declarationis « De Educatione Christiana » a Vobis, Venerabiles Patres, iam prima vice probatae (diebus 19-20 nov. 1964) quoad substantiam intactus remansit; sed sicut Vosmetipsi expostulastis, notabiliter enucleatus est.

Haec ampliatio reapse

a) respondet urgenti et fere unanimi voto Patrum, qui oretenus vel scriptis necnon in Modis expostulaverunt ut textus magis enuclearetur; quidam e. g. diserte monuit: « Ne dubitet Commissio ampliorem textum conscribere ». Patres, qui in suffragatione praevia (19 nov. 1964) votum « non placet » dederunt, magna ex parte ad hoc inducti esse videntur ob nimiam textus concinnitatem;

b) convenit singulari argumenti momento, quod in hac Aula a pluribus luculenter illustratum est, necnon desiderio a Vobis expresso, ut textus clariore modo rationem habeat tum problematum quae hodie circa educationem christianam (praesertim in scholis) moventur, tum aliarum Constitutionum et Decretorum ab hac S. Synodo iam probatorum vel adhuc promulgandorum;

c) congruit promissioni ab ipso Relatore immediate ante suffragium diei 19 novembris 1964 factae et a Vobis libenter receptae: textum scilicet secundum Modos ita expolitum et completum iri ut revera aptum fundamentum praebere valeat pro labore a Commissione post-conciliari et a Conferentiis Episcoporum in singulis regionibus praestando;

d) imponitur ea quoque ratione quod Commissio in textus recognitione duos gressus insimul facere debuit, qui in aliis schematibus expoliendis distincti fuerant, scilicet:

[5] (1) emendatio textus iuxta animadversiones Patrum in disceptatione schematis propositas;

(2) ulterior revisio textus iuxta Modos a Patribus exhibitos, occasione suffragationis de textu emendato instituendae. [5]

e) haec textus ampliatio, sicut Vosmetipsi iam videre potuistis, textui Declarationis iam a Vobis approbato, minime contradicit, immo illum secundum Vestra optata magis definitum et divitem reddit.

2.[2] In recognitione textus *quaedam transpositiones* argumentorum admittendae esse videbantur ita ut, secundum variorum Patrum optata, expositio evaderet magis logica et perspicua in primis quinque numeris. Textus igitur recognitus non amplius exordium sumit ab « educationis christianae fine », sed in primo numero presse enuntiat educationis notionem universim sumptam necnon universale ius ad congruam educationem; secundo loco (nr. 2) *christiana* educatio delineatur; in numero autem tertio educationis *auctores* considerantur; post asserta Ecclesiae munus educativum respicientia immediate commemorantur educationis christianae subsidia (in nr. 3 bis).

Exinde convenienter fit transitus ad *scholam* quae inter omnia educationis instrumenta peculiare momentum hodie quoque retinet (nr. 4); in numero 5 denique declarantur parentum officia et iura scholam spectantia, ratione quoque habita munerum rei publicae.

3. In enucleando schemate, inter alia, imprimis haec a Vobis desiderata clariore in luce ponenda videbantur:

a) describuntur accuratius condiciones mundi hodierni quibus educationis officium hac nostra aetate redditur urgentius, apud omnes populos, sive sint in apice prosperitatis constituti, sive in via promotionis ad statum magis evolutum (Prooemium);

b) meliore modo in textu recognito apparet, Declarationem non tantum de scholis catholicis tractare, sed ampliore visione quaestionem de educatione christiana prae oculis habere, etsi plena tanti argumenti expositio certo Commissioni post-conciliari committenda erit. Interea in textu iuxta Modos emendato evolvitur aliquatenus significatio educationis universim sumptae; presse indicantur fundamenta theologica christianae educationis et explicitius declaratur educationem christianam tendere ad incrementum fidei vere personalis (in nr. 2);

c) clarius urgetur munus primarium familiae in educatione (in nr. 3, paragr. 1) et melius enucleatur missio educativa *christianae* familiae eiusque momentum pro fide personali a prima aetate evolvenda atque pro participatione progressiva in societate humana et in populo Dei;

d) perfectius determinantur officia et munera tum parentum, tum societatis civilis, tum Ecclesiae in campo educationis. In hac delicata quaestione tractanda non omnium eadem est sententia. Non desunt qui

[6] putent in nostra Declaratione nimium tribui potestati civili, cum alii, diversarum condicionum adiunctis aliquando moti, munera societatis civilis (imprimis in nr. 3) maiore amplitudine describenda esse censeant. Ad aequum in re iudicium ferendum omnino prae oculis habendum est, Declarationem nostram in numero 3 de educatione generatim sumpta tractare, in numero 5 autem explicite respicere ad munera Status in campo *scholae*. Proinde una cum principiis in numero 3 perstrictis, legenda sunt etiam ea quae de specifica competentia societatis civilis dicuntur in paragrapho secunda numeri 5 (a pag. 10, lin. 40, ad pag. 11, lin. 15). Dum iura personae humanae, familiae et ceterarum societatum humanarum etiam a scientiis sociologicis et in declarationibus Consiliorum Internationalium in dies perfectius agnoscuntur, Declaratio iure merito cavet, ne educationis vel scholarum monopolium Statui tribuatur, — considerato quoque pluralismo in societate hodierna vigente. Principium subsidiaritatis, iuxta multorum optata in textu recognito commemoratum, non impedit quominus societati civili conveniant certa officia et iura primaria, « quatenus eius est ea ordinare quae ad bonum commune temporale requiruntur » (nr. 3, par. 2); dicendo « quatenus » agnoscitur munera ad societatem civilem spectantia posse, immo debere exerceri varia amplitudine, pro ratione evolutionis oeconomicae, socialis et culturalis in singulis nationibus obtentae;

e) missio scholae et imprimis missio scholae catholicae magis enucleantur (nr. 4); particulari ratione habita officii et dignitatis magistrorum spiritus missionarii et intimae operae consortionis inter omnes qui opus educationis participant; considerata quoque diversitate condicionum, imprimis ad territoria missionum quod attinet (nr. 8);

f) urgetur officium catholicorum adlaborandi ut congruae educationis et instructionis beneficia ad omnes ubique terrarum citius extendi possint (in Prooemio et Conclusione);

g) interim 623 Patres votum miserunt ut schema ita perficeretur « ut doctrina S. Thomae saltem in suis principiis, nedum in S. Theologia sed et in Philosophia tradenda in omnibus scholis catholicis sancte servaretur ». Commissio censuit in n. 9 specialem mentionem inserendam esse S. Thomae Aquinatis, cuius magisterium excellit in illustranda conspiratione inter rationem et fidem. Conscia Ecclesiae et societatis sortem cum profectu iuventutis universitariae quam intime connecti, S. Synodus in textu recognito urget momentum peculiaris sollicitudinis gerendae erga iuvenes quascumque Universitates frequentantes.

4. Textus recognitus hanc veritatem fundamentalem imprimis perspicuam reddere intendit, quam Vos, Venerabiles Patres, orationibus in

hac Aula prolatis et in Modis urgere voluistis: Educatio pro universa [6]
hominum communitate constituit munus eminenti sensu humanum, immo sacrum; educatio enim pueros et adolescentes ad eam maturitatem
personalem et socialem conducere debet, qua respondere valeant obli- [7]
gationibus erga semetipsos, erga societates quarum sunt membra, erga Deum, ipsorum principium et finem. Pro communitate christiana iuniorum educatio est sacrum ministerium, quod actioni Spiritus Christi in historia salutis adiutricem praestat operam. Parentes enim christiani, gratia sacramenti Matrimonii ditati, filios suos baptismo Christi regeneratos adiuvare debent ut crescant in Christo. Educatio christiana non exhauritur in formatione personali et communitaria baptizatorum, nec in sola culturae humanae participatione, sed exigit incrementum in Spiritu Christi.

5. Etsi Declaratio secundum Vestra optata evoluta est, tamen textus recognitus intra certos limites omnino continendus erat:

a) In universo educationis munere, imprimis ad scholarum regimen quod attinet, tam diversus est rerum status in variis mundi partibus, ut plures determinationes, etsi pro quibusdam regionibus utiles vel necessariae, documento conciliari pro tota Ecclesia valido inserendae visae non sint.

b) Attente deinde perpendendus est *scopus* praesentis Declarationis. Ea enim in fine Prooemii expresse monet non omnes educationis quaestiones aequali mensura in ea considerari, sed quaedam principia fundamentalia proponi de educatione christiana *praesertim in scholis.*

c) Prae oculis habendus est etiam genus litterarium huius Documenti: non agitur de Constitutione quadam, sed de concinna Declaratione quae summis lineamentis Patrum mentem aperit circa gravissimum educationis problema, quod Concilium silentio praeterire non potuit. Consulto in Declarationis Prooemio praevidetur labor continuandus a Commissione post-conciliari, cuius erit argumentum tam momentosum ita tractare ut imprimis quaestiones a progrediente aetate propositae singillatim et accurate enucleentur, auxilio adhibito peritorum, etiam laicorum e variis mundi partibus.

d) Insuper Vosmetipsi, Venerabiles Patres, certo iam notastis in variis aliis huius Sanctae Synodi documentis quaestiones de educatione tangi, immo quosdam educationis christianae aspectus ibidem data opera describi. Praeter Constitutiones De Ecclesia et De Sacra Liturgia plura inveniuntur in Decretis « De instrumentis communicationis socialis », « De Oecumenismo », « De Apostolatu laicorum », « De activitate missionali Ecclesiae » necnon in Declaratione « De Libertate religiosa »

[7] atque in Constitutione pastorali « De Ecclesia in mundo huius temporis ». Nostra brevis Declaratio non repetit quae cetera Documenta iam praebent, sed data occasione ad eadem in notis remittit. Commissionis post-conciliaris quoque erit in fusiore tractatione ea integrare quae ex aliis huius Synodi documentis educationem respiciunt.

e) Denique ad *Episcoporum Conferentias* spectat, in educationis
[8] opere promovendo vel perficiendo, rationem habere condicionum tam variarum in singulis regionibus vigentium. Quod munus Conferentiarum episcopalium clare commemoratur in fine ipsius Prooemii ...[3]

Venerabiles Patres,

In fasciculo Vobis iam tradito responsiones ad singulos Modos percurrentes videre potuistis Commissionem Vestra optata magni aestimasse eisdemque pro viribus et pro limitibus in brevi Declaratione impositis satisfacere quaesivisse. Mihi ergo non restat nisi ut Vobis nomine Commissionis, et mihi liceat, nomine quoque parentum et educatorum, puerorum et adolescentium iteratas maximasque gratias rependam, quod Vestram in promovenda educatione christiana sollicitudinem tam studiose significare voluistis in Vestris animadversionibus et Modis. His Vestris auxiliis magna ex parte accidit, ut textus Declarationis Vestro suffragio nunc submittendus redditus sit ditior et magnitudini operae ab educatoribus catholicis in hodierno mundo praestandae congruentior. *Unde Vos rogo, Venerabiles Patres, ut Vestro suffragio favorabili praesentem Declarationem fulcientes, animum addatis iis Ecclesiae filiis qui in arduo educationis campo vires impendunt, atque viam aperire velitis pro labore a Commissione post-conciliari et a Conferentiis Episcoporum complendo.*[4]

In oratione: [1] deest. A et B. [2] deest totus n. 2. [3] Aliqua verba, venerabiles Patres, de gratitudine erga eos qui tantopere opus educationis promovent non possum quin in fine huius Relationis declarare audeam sicut feci in Relatione anni praeteriti: nos omnes memores esse immensarum necessitatum in campo educationis praesertim apud nationes nuper ad independentiam politicam provectas; atque opere coniunctionem inter Ecclesiam et societates civiles hac in re magis ac magis urgeri. Ecclesia dilaudat illas auctoritates civiles locales, nationales et internationales, quae urgentiorum necessitatum conscii, ingentes conatus praestant ut quam plurimi homines, immo populi ad plenam educationem et cultum humanum adduci possint, utinam dialogus inter educationis auctores in mutua aestimatione foveatur et uberrimos fructus omnibus populis afferat. [4] Venerabiles Patres, his diebus ibam forte non via sacra Fori Romani, sed via Quattro Fontane atque obvios habui duos peregrinantes nuper matrimonio iunctos quos antea non noveram. Haec verba mihi protulerunt: « Videris esse episcopus; dicere velis nobis quaedam verba quae per totam vitam memoria retinebimus ». Revera fuit mira quaestio. Peregrinantibus hoc responsum dedi: « In memoria habeatis

haec tria verba: Amor, Labor, Fides ». Gavisi sunt peregrinantes de hoc brevissimo responso atque declaraverunt se hoc numquam esse oblituros. Haec eadem verba in mente habeo dum laborem nostrae Commissionis recolo; Commissio nostra educationis amore, laborem adiit et fidei virtute praestitit.

Si Vos nunc, vestris suffragiis laborem nostrum honoretis, etiam nos gaudebimus.

Moderator: Gratias agimus exc.mo relatori necnon universae commissioni de labore facto.

Nunc loquitur exc.mus D. secretarius, proponens primam suffragationem super eodem schemate declarationis *de educatione christiana.*

Secretarius generalis: Suffragatio 382. Pag. 5: videatis Prooemium [*cf. pag. 231-232*]. *Placet* an *non placet?*

PATRUM ORATIONES
(*De activitate missionali Ecclesiae*)

1
EXC.MUS P. D. CAROLUS HEEREY
Archiepiscopus Onitshaënsis

Venerabiles Patres,

Nomine multorum Patrum e missionibus loquor. Quamvis schema *de activitate missionali Ecclesiae* in genere nobis placeat, quaedam in cap. I corrigenda videntur, et imprimis definitio missionis Ecclesiae quae in n. 5 pag. 7 invenitur. In hoc loco dicitur missionem Ecclesiae adimpleri ea operatione qua Populus Dei hominibus vel gentibus in Christum non credentibus, pleno actu praesens fit. Revera missio Ecclesiae alia elementa continet, quae in tali definitione non inveniuntur; hominibus et gentibus in Christum non credentibus restringi non debet. Utique Evangelium praedicandum est omnibus ethnicis, sed etiam observatio eorum mandatorum quae Christus exemplo et verbis docuit, discipulis inculcanda est. Mandatum Christi intelligi debet non solum modo extensivo sed etiam modo intensivo. Cura pastoralis erga fideles pars est mandati Christi et qua talis est pars tantum missionis Ecclesiae. Christus pastor est, non solum gregis sui, sed etiam ovium quae nondum gregis sunt; proinde activitas pastoralis Ecclesiae sensu hoc universalissimo ad omnes homines extenditur. In exsequendo munere suo pastorali, unicuique episcopo officium est ad fidem trahendi aut singulos aut coetus in dioecesi degentes qui Christum non agnoscunt. Activitas

pastoralis Ecclesiae ergo ambitum habet latissimum et ad impletionem totius missionis Ecclesiae tenditur. Rogo ergo ut loco « hominibus vel gentibus in Christum non credentibus pleno actu praesens fit », inseratur « hominibus vel gentibus iis praesertim in Christum non credentibus pleno actu praesens est ».

In prima paragrapho n. 6 mutatio similis requiritur. Quoniam semper in contextu missionis Ecclesiae loquimur, rectius sit loqui de missione Ecclesiae quam de activitate missionali Ecclesiae. Alinea debet legi: « Distinctiones proinde quae in missione Ecclesiae agnoscendae sunt, non sumuntur ex intima natura missionis sed ex conditionibus in quibus missio exercetur ». Narratio quae sequitur de diversis conditionibus in quibus missio exercetur oportet amplificari, ut exempla includantur de diversis conditionibus pastoralibus et missionalibus quae in munere pastorali episcoporum inveniuntur. Sed quamvis officium sit uniuscuiusque episcopi Evangelium praedicare et opus missionale in sua dioecesi suscitare et fovere, non ea causa potest appellari episcopus missionarius, sicut sacerdos qui in sua pastorali activitate homines ad obsequium Christi adducat necessario dicitur missionarius.

Activitas missionalis pars specialis est missionis Ecclesiae et ab activitate pastorali Ecclesiae, quae potest secumferre aliqua elementa activitatis missionalis, clare distinguenda est. Proprium obiectum activitatis missionalis est Ecclesiam aedificare apud populos in quibus nondum radicata est. Haec erat officium specificum apostolorum, ut apud ethnicos Ecclesiam Dei instituatur ac stabiliatur. Missionarius ut sapiens architectus fundamentum ponit, sacerdos localis superaedificat ...[1]. Ubicumque igitur adsit quantum sat indigenae cleri eiusque bene instituti et vocatione sua digni, ibi missionarii opus feliciter expletum, Ecclesiaque fundata est ...[2]

Propheta Isaias nos docet quae sit vocatio specifica missionalis: «Mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam et Lydiam tendentes sagittam ... ad eos qui non audierunt de me et non viderunt gloriam meam, et annuntiabunt gloriam meam gentibus. Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus ... ad montem sanctum meum Ierusalem. Et adsumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus » ...[3]

Gratia apostolatus accipitur ad oboediendum fidei in omnibus gentibus ...[4]. S. Paulus non praedicavit Evangelium ubi iam nominatus erat Christus ne super alienum fundamentum aedificaret ...[5]. Transivit e civitate in civitatem ut per eum praedicatio impleretur et audirent omnes gentes ...[6]. In singulis Ecclesiis constituit presbyteros et commendavit eos Domino ...[7]. Episcopus qui dioecesim suam in Europa regit non est

missionarius, quia novam Ecclesiam non fundat, attamen opera in favore missionum omni modo adiuvabit uti gerens responsabilitatem totius missionis Ecclesiae in communi cum omnibus episcopis.

Nunc in eodem n. 6 attentionem vestram volo dirigere ad paragraphum ultimam. « Incepta peculiaria quibus Ecclesia munus penetrationinis christianae erga populos vel coetus nondum credentes *exsequitur*,[8] communiter « missiones » nuncupantur, per activitatem proprie missionalem perficiuntur... » etc. Cum activitas missionalis sit pars tantum missionis Ecclesiae, vocabulum « proprie » confusionem causat. Melius et proprius esset eam appellare « activitatem quae communiter dicitur missionalem », quia haec est sensus quod habet in encyclicis missionalibus necnon in mentibus fidelium. Activitas missionalis bene dicitur in lin. 39 esse intime cum ipsa natura Ecclesiae connexa, quamvis in sensu latiori idem significat ac impletio totius missionis Ecclesiae.

Venerabiles Patres, si necessitates Ecclesiae inter populos traditionis christianae sunt necessitates missionales, qua causa iuvenes deberent patriam suam relinquere ut Evangelium praedicassent apud gentes? Missionarius est ille qui suum populum relinquit ut Ecclesiam novam apud ethnicos fundet. Confusio quae eruitur ex multis libris tractantibus de theologia missionali causa aliqua est quare vocationes missionales hodie tam paucae sint. Nonnullae Ecclesiae novellae adsunt qui iam missionarios in alias regiones mittunt. Nonne videndum hic, exemplum viduae pauperrimae quae in spiritu fidei dat omnia quae habet?

Utinam haec verba mea pauca adiuvent commissionem nostram ut inveniat verba felicissima ad exprimenda clare et distincte quae christifideles sentiunt et encyclicae papales docent de missionibus et de missionariis. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *1 Cor.* 3, 10). [2] (cf. *A.A.S.*, 1919, p. 445). [3] (cf. *Is.* 66, 18-21). [4] (*Rom.* 1, 5). [5] (*Rom.* 15, 20). [6] (cf. *2 Tim.* 4, 17). [7] (*Act.* 14). [8] deest.

[*Subscripserunt etiam*] J. de Reeper; A. Kozlowiecki; J. Fady, ep. Lilongwe; G. Okoye, ep. Port Harcourt; J. Ekandem, ep. Ikot Ekpena; L. Nwaezeapu, ep. Warri; N. Otunga; R. Butibubaga, aux. Mwanza; E. Mchonde, ep. Mahenge; O. McCoy, ep. Oyo; J. Jobidon, ep. Mzuzu; M. Mihayo; E. Lawton; R. Pailloux, ep. Fort Rosebery; J. McCarthy, arch. Nairobi; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; D. Durning, ep. Arusha; Fr. Arinze, ep. tit. Fissiana; S. Mazzoldi, adm. ap. Moroto; W. Dunne, ep. Kitui; A. Tarentino, ep. Arua; Ch. Msakila, ep. Karema; C. Davies, praef. ap. Ngong; E. Butler, ep. Mombasa; H. Spiess, abb. Peramiho; G. card. Conway, arch. Armagh; J. McQuaid, arch. Dublin; J. Walsh, arch. Tuam; Th. Morris, arch. Cashel; N. Farren, ep. Derry; P. Birch, ep. Ossory; L. Graziano, coad.

San Miguel; J. Fergus, arch. Achonry; A. Quinn, ep. Kilmore; D. Moynihan, ep. Kerry; P. Dunne, ep. tit. Nara; H. Murphy, ep. Limerick; D. Herlihy, ep. Ferns; J. Rodgers, ep. Killahoe; E. O'Doherty, ep. Dromore; V. Hanly, ep. Elphin; A. McFeely, ep. Raphoe; W. Field, ep. Ondo; S. Gaumain, ep. Moundou; P. Dalton, ep. Yola; P. Kelleter; J. Adam, arch. Libreville; G. Guibert, ep. Réunion; M. Lefebvre, C. S. Sp.; A. Lopes de Moura, ep. Portelegre-Castelo B.; G. Bouve, ep. Kongolo; L. van Heygen; J. Bernard, art. tit. Are; D. Stuyvenberg; J. Gay, ep. Guadalupe; J. Cucherousset, arch. Bangui; R. de Lamoureyre, ep. Mouila; A. Marie, ep. Cayenne; J. Wolff, arch. Diego Suarez; A. Loucheur, praef. ap. Bafia; T. McGettrick, ep. Ogoya; U. Murphy, praef. ap. Bechuanaland; H. Cotter, praef. ap. Maiduguri; M. Arattukulam, ep. Alleppey; J. Aggey, arch. Lagos; E. Fitzgibbon, praef. ap. Minna; J. Whelan, ep. Owerri; W. Mahony, praef. ap. Ilorin; A. Labaca Ugarte; R. Hillerich, praef. ap. Solwezi; A. van den Bronk, ep. Parakou; D. Lamont, ep. Umtali.

Moderator: Nunc exc.mus D. secretarius generalis alteram proponit suffragationem de schemate *de educatione christiana.*

Secretarius generalis: Suffragatio 383. Pag. 6, n. 1 [*cf. pag. 232-233*]. *Placet* an *non placet?*

2

REV.MUS P. OMER DEGRIJSE
Superior Generalis C.I.C.M.

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 90 Patrum ex Africa, America Septemtrionali et Meridionali, Asia et Oceania, atque Europa.

De re oecumenica in schemate *de activitate missionali Ecclesiae* verbum facere intendo. Schema in nonnullis locis tantum, rem oecumenicam tangit, nempe, modo valde generali et brevi in n. 12, fusius in n. 15, denuo in n. 16 ubi agitur de institutione sacerdotum, et tandem, per modum generalis exhortationis, in conclusione, n. 59. Haec certe sunt indicationes pretiosae. Attamen, nec plene aequantur dictis in decreto *de Oecumenismo,* nec rationem reddunt tam profundi nexus inter activitatem missionalem et activitatem oecumenicam. In n. 15 dicitur: « Spiritus oecumenicus nutriatur inter neophytos, qui probe aestiment fratres separatos esse Christi discipulos, baptismate regeneratos, perplurium bonorum Populi Dei consortes. Quantum sinunt condiciones religiosae, actio oecumenica ita promoveatur ut, seclusa omni tam indifferentismi quam insanae aemulationis specie, communi professione fidei in Deum et in Iesum Christum coram Gentibus atque cooperatione in re tam so-

ciali et technica quam culturali et religiosa, catholici fraterne collaborent cum fratribus seiunctis ad normas decreti *de Oecumenismo* » ...[1]. Haec sane verba fere omnia continent. Res tamen posset pressius explanari. Et ideo, ut commissioni auxilium afferam ad hoc perficiendum, sequentia fraterno animo propono.

Prosequi possumus necessariam cooperationem discipulorum Christi in campo missionali, sub diversis rationibus et quasi gradibus: *Primus modus vel gradus* consistit in accurata notitia alii de alio cuius gratia cessamus invicem mala, forsan ficta, imputare, et mutua haec aestimatio gignatur, de qua decretum *de Oecumenismo* loquitur ...[2]. Necesse ergo est ut missionales ephemerides, tractatus necnon congressus, accuratam notitiam tradant de aliis christifidelibus, Ecclesiis vel ecclesialibus communitatibus, ac tandem de missionali activitate eorumdem. Non minus tamen necesse est ut in diversis particularibus locis ingrediamur directam et personalem conversationem, qua sola possumus motiva obiurgationis vel suspicionis, si quae adsint, removere. Experientia enim nos docet saepe quid habere adversus alios, quod ad lucem numquam adduximus, et quod nos impedit ne amicaliter cum aliis agamus...

Secundus modus vel gradus est communis usus aliquorum externorum mediorum, sicut sunt Radio, Televisio, ephemerides quotidianae, aulae, forsan nosocomia vel valetudinaria, et scholae.

Tertius modus vel gradus respicit actionem christiano-socialem. Cogitate ...[3] de motionibus agendis, e. g., contra Racismum, pro Pace, pro honestate in publicis moribus, etc. ...[4]. Fortiores essemus si insimul una voce clamaremus! Sic etiam experiendo disceremus vias unitatis, praesertim si fortuitae coniunctiones ad peculiares actiones peragendas, praeparantur in diuturno fraterno commercio.

Quartus modus vel gradus respicere intendit ipsam evangelizationem seu ipsum salutis praeconium. Plene mihi conscius sum ingentium difficultatum cuiusvis communis evangelizationis. Praeconium enim, mediante catechetica institutione, ad baptismum ducit, quo Christo incorporamur et Ecclesiae membra evadimus. Certum est fidelitatem catholicam nullum detrimentum pati debere. Omnia pendere videntur e qualitate et maturitate spiritualibus eorum qui ad incumbendum alicui operae communi vocantur. Si tales homines vere spirituales, prudentes, humiles, conveniunt, possunt, saltem in certis adiunctis, ante non-credentes ponere signum concretum et quasi parabolam unitatis ad quam tendimus. Talia signa non essent tantum signa spei pro hominibus, quos desunio christianorum scandalizat, sed et viam aperirent oecumenico progressui. Motus enim oecumenicus progreditur, non tantum per viam theologici dialogi,

etsi sit necessarius, sed etiam, immo praesertim, per viam factorum concretorum, sicut vidimus per exemplum Ioannis XXIII et Ss.mi Patris Pauli VI, ut sunt v. g. peregrinatio ad Loca Sancta, restitutio insignium reliquiarum Ecclesiis orientalibus Orthodoxis, litterae ad Orthodoxos Patriarchas missae.

Talia signa vel acta locum optimum et innocuum habent in campo prae-evangelizationis, de qua bene in schemate nostro disseritur. Si christiani nunc ab invicem disiuncti de unitate fovenda solliciti sunt, diversissimas occasiones invenient insimul servitia christiana instituendi pro utilitate omnium hominum, et ita caritatem Christi coram eisdem testificandi. Scio rem difficilem esse. Oportet enim omnem confusionem, etiam a longe, vitare. Experientia tamen illa praesertim cum fratribus de Taizé in diversis mundi plagis acta, duo sequentia docet: 1. Tales actiones communes, talia signa, quam maxime homines tangunt et movent, praesertim iuvenes. 2. Talis prudens cooperatio, quae, sicut dictum est, a solis spiritualibus christifidelibus perfici potest, magnam virtutem excitat in testificatione christiana prosequenda. Talis enim cooperatio, si requisitis conditionibus perficitur, nedum vires minuat, eas auget atque velut aliqua veritatis radiatione locupletat. Illo etiam modo verificari possunt verba haec decreti *de Oecumenismo*: « Catholici in missionalia opera in iisdem terris ac alii christiani incumbentes, hodie praesertim cognoscant oportet quaestiones et fructus, quae ex oecumenismo in eorum apostolatu oriuntur » ...[5]; et rursus: « Coram omnibus gentibus christiani universi fidem in Deum unum et trinum, in Filium Dei incarnatum, Redemptorem et Dominum nostrum profiteantur et communi conatu in mutua aestimatione testimonium reddant spei nostrae, quae non confundit » ...[6].

Schema de missionali activitate Ecclesiae non satis manifestat quanti ponderis sint, pro ipsa causa Missionum, divisio christianorum et redintegratio eorum in unitate. Divisio enim christianorum, testimonium apostolicum debilitat et obscurat. Perficiatur ergo textus noster, ita ut melius adaequetur cum decreto *de Oecumenismo* et cum ingenti spe a motione oecumenica excitata. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 14, linn. 17-24). [2] (in n. 12). [3] fratres. [4] (« Funiculus triplex difficile rumpitur »: *Eccl.* 4, 12). [5] (n. 10). [6] (n. 12).

[*Subsignaverunt etiam*] N. Verhoeven, ep. Manado; N. Schneiders, arch. Makassar; R. Staverman, vic. ap. Sukarnapura; A. Sol, ep. Amboina; Ch. Helmsing, ep. Kansas City; M. Forst, ep. Dodge City; St. Leven, aux. San Antonio; V. Reed, ep. Oklahoma City; J. Durick, coad. Nashville; J. Schütte SVD; J. Van Kerckhoven MSC; D. Lamont, ep. Umtali; Th. Holland, ep. Salford; A. Prinetto, ep. tit. Adriana;

L. Raymond, arch. Nagpur; C. Blanchet m.s.; Petrus, arch. Zaragoza; W. Hart, ep. Dunkeld; J. Gran, ep. Oslo; B. Mels, arch. Luluabourg; J. Van Cauwelaert, ep. Inongo; J. Nkongolo, adm. ap. Bakwanga; Fr. Van den Berg, ep. Budjala; G. Kettel, ep. Kabinda; P. Lehaen, ep. Sakania; A. Jacques, ep. Boma; U. Morlion, ep. Baudouinville; G. Bouve, ep. Kongolo; J. card. Ritter, arch. S. Louis; J. card. Heenan; L. Nganga, ep. Lisala; J. Malula, arch. Leopoldville; G. Ukec, ep. Bunia; Th. Kuba; E. Primeau, ep. Manchester; A. Lorscheider, ep. Santo Angelo; Em. De Smedt, ep. Brugge; M. De Keyzer, aux. Brugge; Ch. Himmer, ep. Tournai; J. Heuschen, aux. Liège; J. Van Zuylen, ep. Liège; J. Daem, ep. Antwerpen; L. Van Peteghem, ep. Gent; A. Caillot, ep. Evreux; J. Guilhem, ep. Laval; A. Pioger, ep. Sées; P. Gouyon, arch. Rennes; J. Urtasun, arch. Avignon; H. Audrain, arch. Auch; J. Tavora, arch. Aracajù; A. Zattera, ep. Pelotas; J. Costa Campos, ep. Valença; J. Lopes de Castro Pinto, aux. Rio de Janeiro; A. Fragoso, ep. Cratéus; Ioannes Iosephus, arch. Sâo Luis do Maranhao; D. Picâo, coad. Santos; Cl. Isnard, ep. Nova Friburgo; M. Noronha, ep. el. Itabita; E. Kunz, ep. tit. Tolemaide di Fenicia; J. Bezerra Coutinho, ep. Estância; R. Serra, ep. Sâo Carlos; Iosephus, arch. Fortaleza; Manuel, ep. Campina Grande; G. Ferreira Reis, ep. Leopoldina; M. Corrêa Pereira, aux. Belem; Vicente, ep. Crato; Caetano, ep. Ilhéus; Fernando, arch. Goiânia; Augusto, ep. Caruarù; A. Petrò, ep. Uruguaiana; C. Minali, ep. Carolina; J. Thurler, ep. tit. Capitoliade; C. Padin, ep. tit. Tremitonte; J. Gazza, prael. Abaeté de T.; M. Darmancier, vic. ap. Wallis et Futuna; J. Musty, aux. Namur; S. Mendez Arceo, ep. Cuernavaca; L. Nagae, ep. Urawa; A. Elchinger, ep. tit. Antandro; B. Alix, coad. Le Mans; P. Rougé, ep. Nîmes; P. Vignancour, ep. Valence; M. Maziers, aux. Lyon; H. Donze, ep. Tulle; A. Cazaux, ep. Luçon.

Aliae animadversiones additae:

Schema in genere valde placet et redactoribus eius maximae gratiae agendae sunt. Aliquas tamen animadversiones facere velim ad sublineanda aliqua particularia, quae forsan aliquomodo complere possent textum.

1. Quoad n. 10, pag. 11, lin. 3, post verba « milia hominum » addatur « quorum numerus in dies celerrime crescit » *Ratio*: Concilium debet considerare hoc factum gravissimum progressus demographici humanitatis et debet promovere actionem missionalem non tantum pro nostris diebus, sed etiam et maxime pro futuro. Schema de hoc clare loquatur ut fundamentum tollatur sic dictae theologiae de Ecclesia ut « pusillo grege » secundum quam iam non creditur possibilitati conversionis gentium.

Ibidem n. 10, pag. 11, lin. 6, post verbum « nondum » addatur « nondum vel *vix* audierunt ». *Ratio*: videtur plus conforme veritati.

2. Quoad n. 13: nimis breviter loquitur de munere praedicationis evangelii, quod tantum momentum occupat in activitate missionali et est officium primarium missionarii.

Plurimi textus S. Scripturae hic citari deberent: *Mt.* 28, 19: « Docete omnes gentes »; *Mc.* 15, 15: « Praedicate evangelium omni creaturae »; *Rom.* 10, 14: « Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo audient sine praedicante? »; *1 Cor.* 9, 15: « Vae mihi si non evangelizavero ». S. Paulus praedicationem considerat ut officium suum principale (*1 Cor.* 1, 17).

3. Quoad n. 20: hic, uti habitualiter in litteratura missionaria hodierna nimis insistitur in character completivum nuntii christiani relate ad aspirationes in anima populorum. Dici deberet quod nuntium christianum saepe est aliquid omnino novum et inexpectatum, immo in oppositione ad multa elementa culturae. Istud nuntium saepe scandalum, « stultitia » pro intelligentia humana est (cf. *1 Cor.* 1, 23) et ergo normaliter magnum sacrificium et magnam fidem quaerit.

4. Quoad n. 21: de vocatione missionaria. Mordicus tenendum est vocationem missionariam esse vocationem specialem in Ecclesia, et hoc ob varias rationes:

1) Clare in S. Paulo et Act. Ap. elucet aliquos ex operariis apostolicis segregari pro opere evangelizationis gentium. Primis saeculis et per totam Ecclesiae historiam ita mansit, et hoc nostro tempore non minus, sed aliquo sensu magis valere debet, quia « gentes numerice continuo crescunt ».

2) Evangelizatio et plantatio Ecclesiae specialem functionem in missione universali Ecclesiae efformant.

3) Haec evangelizatio supponit circumstantias speciales et proprias methodos, et sic eget formatione et spiritualitate adaptata. Absentia missionariorum qui specialiter ad hoc formati sunt, valde nociva pro missionibus evaderet.

5. Quoad n. 22: de spiritualitate missionaria. Quidquid dicitur in relatione pag. 6 mihi videtur hic non satis clare et ample sermonem esse de spiritu adaptationis; quae dicuntur in pag. 19, lin. 14 non videntur sufficere.

Spiritus adaptationis est elementum maximi momenti in spiritualitate missionaria: sese ex populo et cultura propria debet eradicare et novam culturam et mentalitatem necnon modum vivendi alii populi induere; in quantum possibile alio populo conformis fieri debet in suo modo loquendi, cogitandi, laborandi necnon nuntium christianum praedicandi. Haec omnia supponunt formationem solidam, virtutes profundas, studium linguarum et culturae, mansionem diuturnam apud alium populum necnon desiderium sese totaliter consecrandi isti populo. Regula aurea adaptationis apud S. Paulum in *1 Cor.* 9, 20-22 invenitur. Haec adaptationis necessitas aliud elementum probativum est pro specificitate vocationis missionariae.

6. Quoad n. 25:

1) Necessitas Institutorum Missionalium fortiter sublineanda est. Nostris diebus de valore istorum institutorum aliquando dubitatur, quia: primo: quasi modo exclusivo sermo est de formis novis et supplementariis, quamvis valde desiderandis, operis missionalis; secundo: quia ipsa necessitas evangelizationis in dubium vocatur. Diminutio vocationum missionalium in his opinionibus unam ex suis causis habere videtur. Opus missionale maxime modo organisatorio et institutionali fiat ab apostolis qui sese ad vitam isti operi missionali dant:

a) quia opus missionale exigit formationem specialem et protractam, hoc est, cognitio linguarum exterarum, culturae, initiatio in methodis apostolatus adaptatis, efformatio spiritualitatis propriae;

b) opus evangelizationis tantas difficultates et pericula praebet et tanto adiutorio spirituali et materiali eget, ut in missionibus maxime necessaria est auctoritas propria missionaria sustentans;

c) opus evangelizationis tantummodo inceptum est! Factum praesentiae quasi ubique terrarum hierarchiae autochtonae et ecclesiarum novellarum, potest illusionem creare quod opus missionale quasi finitum esset. Nullo modo! Omni die numerus paganorum relative et absolute crescit. In tantis ecclesiis novellis existit

parvus numerus christianorum et massa paganorum! Africa et praesertim Asia maxima pro parte adhuc non-christiana est.

Factum nimis loquendi de formis supplementariis evangelizationis, hoc est de actione pastorali inter christianos in Africa et praesertim in America Latina, posset nos ducere in oblivionem evangelizationis paganorum Africae et praesertim Asiae. Haec evangelizatio est opus specificum institutorum missionalium. Mihi videtur quod propaganda missionaria hodie nimis insistit in adiutorio praestando Americae Latinae, cum quodam detrimento praesertim pro Asia. Adiutorium datum Americae Latinae valde necessarium est, sed agitur de iusto aequilibrio servando in activitate missionali Ecclesiae;

d) opus missionale in quibusdam regionibus, praesertim in Asia, supponit formationem diuturnam et adaptationem protractam, ita ut practice tantummodo accessibile sit membris Institutorum missionalium. His in regionibus maxime opus evangelizationis Ecclesiae stat!

2) Pag. 21, lin. 14, post verba « fraterna cooperatione » addatur « vel opus evangelizationis continuando, vel curam animarum... ». *Ratio*: habitualiter in Novellis Ecclesiis adhuc multi, aliquando valde numerosi, non-christiani remanent. Primum opus cooperationis institutorum missionariorum erit continuatio operis evangelizationis.

7. Quoad n. 25, post lin. 21, addi posset: « Dici possunt organa principalia et specializata activitatis missionariae, in servitio Summi Pontificis et totius corporis episcoporum ei collegialiter unitorum, et proinde uniuscuiusque episcopi quatenus membri huius corporis. Populus Dei, communitates christianae et sacerdotes, illorum membra sustentando et vocationes missionarias fovendo suum officium missionale maxime adimplent.

Haec poni possent etiam in n. 38, pag. 27, lin. 5, vel in n. 36. *Ratio*: videtur mihi quod nec in schemate nostro, nec alibi, habitudo Institutorum missionariorum relate ad hierarchiam Ecclesiae collegialiter organizatam, sicut exponitur in constitutione *Lumen Gentium,* clare indicatur. Quae hic dicuntur sunt applicatio ideae collegialitatis et indicant quid sint instituta pro episcopis cum suis officiis missionariis, et quid sint episcopi pro institutis. Sic clare indicatur situatio Institutorum Missionalium in Ecclesia Missionaria.

8. In schemate certe mentio facienda est de B. M. Virgine, quam missionarii speciali modo colunt et cuius cultum neo-christiani tam bene intelligunt. Mentio eius fieri posset in n. 4, ubi agitur de exordio Ecclesiae, vel in conclusione. Quae in constitutione *Lumen Gentium* dicuntur de B. M. Virgine (n. 65) et eius influxu in apostolatu Ecclesiae maxime valent de activitate missionali, quae est officium primordiale Ecclesiae et ergo sollicitudo prima B. M. Virginis.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis ulteriorem suffragationem proponit.

Secretarius generalis: Suffragatio 384. Pag. 7, n. 2 [*cf. pag. 234*]. *Placet* an *non placet?*

3

EXC.MUS P. D. IOANNES GAZZA

Episcopus tit. Circesiensis, prael. null. Abaetiensis ad Tocantinsum

Venerabiles Patres,

Ut Concilii tempori ac studiis faveamus, loco illorum novem Patrum qui super schema *de activitate missionali Ecclesiae* loquendi facultatem obtinuerunt et nunc audiendi essent, nomine etiam plus quam septuaginta Patrum, unus tantum *minimus* [1] loquar.

Post brevem quaestionis statum, nonnisi aliquas concisas propositiones maioris momenti proferam.[2]

Status quaestionis. Adsunt in nationibus Americae Latinae fere centum et triginta Ecclesiae territoria (vicariatus, praelaturae, praefecturae, etc.) in quibus omnibus exercetur illa veri nominis activitas missionalis uti in schemate describitur. Huiusmodi territoria enim, sive ob essentalia Ecclesiae implantandae incepta, sive ob necessariam ac primariam evangelizationem, sive etiam ob graves difficultates morales et physicas quibus activitas missionalis obstringitur, esse verissime missiones stricto sensu nemo sane dubitare poterit. Sed non semper uti tales ipsae a iuridica ordinatione considerantur, *etiamsi institutis pro missionibus concreditae,*[3] quia inter « non credentes » non connumerantur. En igitur ...[4] vota quae unanimiter cordi sunt *130* [5] Ordinariis harum regionum Sacrae Congregationi sive Consistoriali sive de Propaganda Fide subiectis:

Votum primum: De missionis descriptione (n. 6, pag. 8 *etc.*[6]). Missionis conceptus talis sit qui nullam realem Missionem excludat. *Ratio*: ne gravia consectaria, ordinis sive iuris sive ipsius activitatis missionalis, officere pergant Ecclesiae iter, in his territoriis iam de se perdifficile.

Quoniam autem multi Patres locuturi sunt, peto veniam Patribus qui mihi loquendi commiserunt, si vota huius primi consequentia scripto tradam et tantum conclusionem legam.[7]

Nostra [8] vota sollertiae generosae commissionis tradimus ita ut schema vere magna charta evadat, pro *omni* activitate missionali et pro *omnibus* missionariis et non aliquibus tantum. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Verba quae igitur nunc proferam, post brevem quaestionis statum, nonnisi aliquae concisae propositiones maioris momenti ex iis quae Patres enucleaturi erant, quorum rationes tantum scripto se-

cretariae traduntur. [3] deest. [4] quaedam. [5] deest. [6] linn. 30-33. [7] *Votum secundum*: *De praeambulis evangelizationis* (cap. II, art. 1). Quae hic praeambula dicuntur potius generalia evangelizationis criteria dicenda sunt. *Ratio*: forma aequivocis favet et materia fere integrum missionale opus respicit, non praeliminaria tantum.

Votum tertium: *De catechumenatu* (cap. II, art. 2, n. 14). In asserenda catechumenatus necessitate aut convenientia, relinquantur eius duratio et alia adiuncta determinationi coetus Ordinariorum ipsorum regionum. *Ratio*: ob motiva sive theologica, sive historica, sive pastoralia, in scriptis allatis.

Votum quartum: *De ordinatione activitatis missionalis* (cap. IV). In ambitu Episcopalium Conferentiarum et constanti relatione cum S. Dicasterio omnium Missionum, ubi iam non sit, instituatur peculiaris Secretariatus pro efficacius promovenda et ordinanda activitate missionali aut cooperationis in tota natione.

Conclusio: haec vota solertiae generosae Commissionis tradimus ita ut schema vere Magna Charta evadat, pro *omni* activitate missionali et pro *omnibus* missionariis et non aliquibus tantum. [8] Haec.

Animadversiones additae:

Aliquantulum nova proponitur redactio nn. 5 et 6.

« 5. (Ecclesia a Christo missa). Dominus enim Iesus, cum semel morte et resurrectione sua complevisset in seipso mysteria salutis nostrae et renovationis universorum, omnem potestatem adeptus in caelo et in terra (*Mt.* 28, 18), priusquam assumeretur in caelestem gloriam (*Act.* 1, 11), Ecclesiam suam uti sacramentum salutis fundavit, apostolosque in universum mundum misit sicut et Ipse missus fuerat a Patre (*Io.* 20, 21) ».

Haec verba proveniunt ex schemate n. 3 (pag. 6, linn. 34-39) et hic transponuntur quia optima introductio sunt ad generalem missionem Ecclesiae: talis transpositio iam proposita fuit a coetu Superiorum Generalium, Prot. 54/65.

« Cum hoc munus Ecclesiae continuet et propaget ipsius Christi missionem, eadem via, instigante Spiritu Christi, procedere debet ac ipse Christus processit, via nempe paupertatis, servitii et sui ipsius immolationis usque ad mortem. Nam sic in spe ambulaverunt omnes Apostoli qui in tribulationibus multis et passionibus adimpleverunt ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia (*Col.* 1, 24). Saepe etiam semen fuit sanguinis christianorum ».

Ex schemate, pag. 7, linn. 31-37. Loco vocabuli « missio » usi sumus vocabulo « munus »: ad vitandas confusiones melius videtur loqui de « munere » quando agitur de missione generaliori Ecclesiae et adhibere vocabulum « missio » quando sermo est de activitate missionali peculiari Missionum Exterarum (uti fit in Encyclicis Missionalibus).

« Varia navitatis genera, operi salutifero Christi congruentia, ex illo generali Ecclesiae munere a Christo sibi commisso derivantur, ut scilicet de his qui iam in Christi ovile vivunt *pastoralis cura* habeatur, ceteri qui foris sunt per apostolatum, intra Ecclesiae caulas adducantur. Summopere enim Ecclesiae nitendum est, ut per ipsam continenter fiat voluntas Patris qui misit Filium suum ut omne quod dedit ipsi non perdat ex eo (*Io.* 6, 39; 10, 28, 29; 17, 12) et ut filios Dei dispersos in unum congreget (*Io.* 11, 52) ».

Hic textus novus est. Necessarium etenim videtur exponere repartitionem

generalem ministerii ecclesiastici, scilicet munus pastorale pro fidelibus intus viventibus, et munus apostolatus pro conversione ad Ecclesiam; postea melius poni potest in ipso apostolatu, quasi species peculiaris, activitas missionalis; ita transitus quasi naturalis erit ad nostras missiones.

Hic textus substantialiter mutuatus est e textu a Superioribus Generalibus proposito (Prot. 54/65) paulisper emendato.

« Apostoli etenim a Christo hoc mandatum acceperunt: "Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes servare quaecumque mandavi vobis" (*Mt.* 28, 19-20; *Mc.* 16, 15). Quod munus post eos haereditavit Ordo episcoporum, una cum successore Petri Ecclesiae visibili capite. In exsequendo vero hoc mandato Ecclesia tota cooperatur, unusquisque secundum locum, officium et gratiam in Corpore ».

Ex schemate, pag. 7, linn. 17-23. Agitur adhuc de munere generali Ecclesiae et respicit transmissionem et executionem muneris in Ecclesia. Idem repetitur in n. 6 schematis (pag. 7, linn. 38-41), sed vitanda est huiusmodi repetitio.

« 6. (Activitas missionalis). Incoepta peculiaria quibus Ecclesia catholica munus penetrationis evangelicae praesertim in populis vel coetibus non adhuc credentibus exsequitur, communiter « missiones » nuncupantur, per activitatem proprie missionalem perficiuntur, ac exercentur in territoriis inconsistenti Ecclesiae praesentia laborantibus, quae normaliter uti talia a S. Sede agnita sunt ».

Ex schemate: pag. 8, linn. 30-33. Cum sequentibus mutationibus:

a) Per vocabulum « praesertim » admittitur quod activitas proprie missionalis aliquando exerceri potest etiam in populis vel coetibus christianis, v. g., apud protestantes aut orthodoxos, quando Ecclesia catholica in illorum partibus non sufficienter implantata est, sicut in tota Scandinavia, ubi verae et propriae Missiones (tum vicariatus apostolici, tum dioeceses) novissimis decenniis a S. Congr. de Propaganda Fide creata sunt.

b) Additum est post « in territoriis »: *inconsistenti Ecclesiae praesentia laborantibus,* ne desit criterium obiectivum in quo fulciatur determinatio Sanctae Sedis in agnoscendo territorio missionali.

« Finis etenim proprius activitatis missionalis est dilatatio Ecclesiae apud gentes in quibus nondum radicata est, ita ut Ecclesiae autochthones particulares ubique in mundo sufficienter condantur viribus quidem propriis ac maturitate praeditae, cum hierarchia propria et instrumentis christianae vitae plene ducendae quasi affinibus et sufficientibus ».

E schemate, pag. 8, linn. 33-38. Quod requiritur novum est, sed — ut nobis videtur — valde utile.

« Per actionem suam missionalem, Ecclesia catholica, ubi non sufficienti modo constituta est, impletari debet.

Plerumque agitur de populationibus in quibus Christus nondum agnitus est ut divinus mediator Dei et hominum ac unicus salvator eorum. In istis actio missionalis incipere debet cum annuntiatione Christi, si tamen possibile evadit praeconium evangelicum statim proponere, sin autem, magna prudentia utentur missionarii ad praeparandas Christi vias in corda populationum, expectantes tempus opportunum cum magna fiducia, providentes removere obstacula, quaerendoque collectivitatis regionalis benevolentiam.

Adsunt etiam regiones ubi Ecclesia catholica, ob tam lugendas divisiones in

Christi Corpore, efficaci praesentia destituta est. In istis locis ubi nullam aut illam qua par est vim nec retinet, iterum implantari debet, uti signum efficax oecumenicae unitatis ».

Iam de Scandinavia locuti sumus: habentur in illa regione 4 dioeceses et 2 vicariatus apostolici sub iurisdictione S. Congr. de Propaganda Fide.

Etiam in regionibus ab orthodoxis incolatis habentur circumscriptiones ecclesiasticae sub ditione S. Congr. de Prop. Fide.

« In illis regionibus denique, licet a populatione magna forsan ex parte catholica incolatis, ubi tamen Ecclesiae particulares non adhuc aut non amplius, ob magnum defectum cleri nativi aut ob immaturitatem christianae vitae, aut etiam ob materialismi atheistici contagia, vitalitatem consentaneam ex seipsis, propriis viribus, manifestare valent, si talis lugenda situatio non tantum exceptionaliter vel momentanea sit, ita quod nonnisi per opem missionalem Ecclesiae Universae sanari potest, istae quoque regiones missionales censeri debent.

Multae habentur hodie sub ditione S. Congregationis de Propaganda Fide circumscriptiones missionales in regionibus a catholicis incolatis quae tamen assistentia missionali omnino egent: v. g. *in Oceania*: insula Guam; *in Africa*: Port Victoria, Reunion, etc.; in America Latina: 66 dioeceses, vicariatus et praefecturae apostolicae plerumque in hoc saeculo constitutae.

« Ex quo patet activitatem missionalem intime cum ipsa natura connexam esse Ecclesiae, cuius catholicam unitatem dilatando perficit, cuius apostolicitate sustentatur, cuius collegialem affectum exercet, cuius sanctitatem testificatur, diffundit ac promovet ».

Ex schemate: pag. 8, linn. 38-42. Lineae sequentes usque ad finem paragraphi (pag. 8, lin. 42 - pag. 9, lin. 2) delendae sunt, quia licet activitas missionalis formaliter ab omnibus aliis activitatibus ecclesiasticis differat, tamen materialiter complectitur aliquam activitatem pastoralem erga neo-conversos et etiam aliquos conatus oecumenicos in regionibus christianis non-catholicis quae in statu missionali versantur. De cetero nullius utilitatis est dicere quod « differt » et tamen « arctissime coniunguntur »: sine ulla explicatione tam differentiae quam coniunctionis!

Si tamen Patribus placet aliqua enuntiare de variis conditionibus terreni missionalis, hoc loco ista sic enuntiari breviter possunt:

« In hac missionali activitate diversae condiciones, aliquando permixtae occurrunt: incoeptionis seu primae plantationis, deinde novitatis ac iuventutis. Quibus tamen superatis, postquam ergo per activitatem missionalem Ecclesia particularis inibi sufficienter constituta erit, apostolatus Ecclesiae non desinit, sed ad singulos qui foris adhuc sunt, ad eorum conversionem dirigitur ».

* * *

Mihi loquendum est *de Missionis descriptione* quae in schemate prostat n. 6, pag. 8, linn. 30-33, relate ad territoria missionaria in America Latina. Novimus adesse in nationibus Americae Latinae, quasi centum et triginta Ecclesiae territoria in quibus omnibus exercetur illa veri nominis activitas missionalis uti in schemate describitur. In talibus vicariatibus, sive praelaturis, sive praefecturis, generatim novissimae erectionis et variis religiosorum familiis concreditis, clero nativo absente, apostolica activitas tota intendit ad eam quae « dilatatio seu plantatio Ecclesiae » dicitur in ipso schemate, quia ibi Ecclesia « nondum radicata est, ita ut ec-

clesiae autochtonae sufficienter condantur, viribus propriis ac maturitate praeditae cum hierarchia propria etc. ».

Licet in eisdem regionibus passim inveniantur nuclei indiorum non christiani, maxima tamen populi pars non potest simpliciter nominari « non credentes ». Ob complexas rationes ethnicas et historicas, populi illi generatim ac fundamentaliter christiani considerantur. At ipsorum « christianismus » ob sacerdotalis assistentiae defectum, iam per saecula latum, reducitur fere semper in solo Baptismate, quin fere ulla evangelizatio aut praecedere aut sequi potuerit. De « christianismo » agitur, qui veluti christianizandus est, cum plerumque non sit nisi fructus, proh dolor, solius involutae atque inertis traditionis generationum multarum. In huiusmodi « christianismo » qui dicitur, discrimen inter sacrum ac profanum parum evidens habetur, cum religionis germana ratio plerumque superstitionibus obruatur et intime vitietur. Nunc clare patet huiusmodi territoria, sive ob essentialia Ecclesiae implantandae incepta, sive ob necessariam ac primariam evangelizationem, sive etiam ob graves difficultates morales et physicas quibus activitas missionalis obstringitur, esse verissime *Missiones*, stricto sensu, etiamsi inter « gentes » non inveniantur. Evidentia huius propositionis ex eo provenit, quod Sancta Sedes ipsa, de facto, haec territoria commendat Institutis etiam exclusive pro Missionibus stricto sensu fundatis: contra factum ergo non valet illatio. Attamen Missionis descriptio a schemate prolata (n. 6, pag. 8, linn. 30-33) hanc patentem clamantemque realitatem ignorare voluit; sic enim sonat: « Incepta peculiaria quibus Ecclesia munus penetrationis christianae erga populos vel coetus nondum credentes exequitur, communiter Missiones nuncupantur ». In qua veluti definitione, quasi categorice et exclusive obiectum missionis, soli « populi vel coetus nondum credentes » indicantur, quod factis contradicit. Super hanc obiecti Missionis limitationem velint Patres provide attentionem vertere. Ordinarii missionum extantium in America Latina (sunt 130, seu octava pars omnium ordinariorum missionalium) unanimes declarant expressionem « non credentes » non apte describere aspectum anthropologicum earum regionum et insufficientem esse. Problema hoc revera, quod multa territoria missionalia tangit, non contingens considerandum est. In dynamica evangelizationis semper et forsitan maiores in futuro analogae situationes dabuntur.

In Missione ergo describenda, ratio anthropologica habeatur actualis et dynamica, subordinata aspectui obiectivo qui definit missionalitatem alicuius territorii, quia ut causa materialis se habet.

Necessarium ideo est, aliquod principium generale proferre, scilicet: activitas missionalis stricte dicta dari praesertim quidem « erga non credentes », non exclusive tamen, sed ubique Ecclesia implantanda est et populi evangelizandi sunt. Ordinarii Missionum Americae Latinae hoc principium clare in textu explicitandum esse censent, ita ut aspectus socio-anthropologicus Missionis integretur et descriptio fiat completa, uti convenit complexae realitati missionariae Ecclesiae hodiernae eidemque futurae evolutioni. Patres venerabiles ad gravia consectaria attendere velitis, quae tot regionum numerum attingere ac offendere poterunt in praesenti et in futuro, si talis emendatio omitteretur et realitas singularis multarum missionum in hoc schemate negligeretur. In praesenti quidem, eo quod propter conceptum unilateralem Missionis territoria praedicta — exempli gratia — statum iuridicum sat indeterminatum necnon valde angustiantem patiuntur. In futuro autem, quia procul dubio praevideri potest non solummodo secutura esse notabilis carentia auspicati incrementi, sed immo imminutio activitatis et orientationis missionalis

erga areas Evangelii praeconum valde necessitantes. Si praedictae incertitudini non obvietur, nil mirum quod instituta missionalia malint in posterum declinare nova et maiora onera quae quidem urgentiora fiunt in his territoriis, eo quod condicio iuridica, etiam post hoc pastorale concilium, facta non sit clarior et forsan magis incerta permanserit. Si, uti auspicatum est a clarissimo relatore, velimus ut hoc schema « magna charta » pro *omni* activitate missionali Ecclesiae evadat, et *omnibus* missionariis novum animum, novam spem, novasque vires promoveat, enixe rogamus ut emendationes quae ab hac interventione postulantur et quas scripto Secretariae tradimus, solertia generosa iam pluries experta, a commissione considerentur.

Emendationes additae:

N. 6, pag. 8, linn. 30-33: loco « munus penetrationis christianae erga populos vel coetus nondum credentes exsequitur » dicatur « munus penetrationis christianae exsequitur erga populos vel coetus qui nondum evangelizati sunt » vel « munus penetrationis christianae praesertim erga populos vel coetus nondum credentes » aut alio modo ita ut in omni casu clare appareat quod de facto activitas missionalis stricto sensu non exclusive exercetur erga solos *populos* non credentes.

[*Subscripserunt*] M. Pereira, ep. tit. Coronea; A. Marzi, prael. Alto Solimôes; A. Cerqua, prael. Parintins; A. Ungarelli, prael. Pinheiro; J. Hascher, prael. Jurua; A. Ramos, arch. Belém; T. Ryan, prael. Santarém; H. de Angelis, ep. Viana; Th. Murphy, ep. Juazeiro; J. Grotti, ep. tit. Tunigaba; M. Anglim, prael. Coari; F. McHugh; S. Conti, prael. Roráima; C. Minali; D. Parodi, prael. Santo Antonio de Balsas; G. Casullo, ep. tit. Utica; A. Bossi, ep. tit. Parnasso; J. de Lange, ep. tit. Fotice; A. Silveiro de Mello, prael. Diamantino; A. González Ferreiros, prael. Sâo Raimundo Nonato; G. Faresin, prael. Registro de Araguaia; F. Loewenau, prael. Obidos; B. Cazzaro, vic. ap. Aysèn; R. de Roo, ep. Victoria Ins. Vancouver; C. Chizzini, ep. tit. Ege; B. Coscia, ep. Jatai; J. Bezerra Coutinho, ep. Estância; G. Niehues, ep. tit. Aptuca; J. Sauvage, ep. Annecy; C. Trapani, ep. Nicosìa; E. Gonçalves da Costa, ep. Inhambane; X. Ariz, ep. tit. Bapara; M. Legarra, prael. Bocas del Toro; V. Arroyo, vic. ap. Requena; J. Velasco, ep. Hsiamen; J. Burke, prael. Chimbote; C. Anasagasti, vic. ap. Beni; A. Previtali, praef. ap. Misurata; L. Yañez Ruiz Tagle, ep. Los Angelos; J. Pastorino, vic. ap. Benghazi; B. Bertoli, vic. ap. Tripoli; P. Lacchio, arch. Changsha; P. Moretti, praef. ap. Tungchow; H. Eccher, prael. Aiquile; J. Rosenhammer, vic. ap. Chiquitos; J. Nicolai, ep. Tarija; J. Senner, ep. tit. Equizeto; C. Benedetti, vic. ap. Cuevo; R. Kowalski, ep. Wuchang; F. Leonardo, ep. Telese; M. Sperandeo, ep. Calvi e Teano; J. Gabro, ep. Saint Nicolas of Chicago; R. Finn, ep. Hadan; G. Flavin, aux. S. Louis; J. Coelho, ep. Maringá; W. Gaudreau, rect. maj. Redemptoristi; S. Secondo T.O.R;. D. Cunningham, ep. tit. Lampsaco; A. Pietrulla, ep. Tuberâo; V. Kennally, vic. ap. Caroline and Marshall Islands; Ch. Buswell, ep. Pueblo.

Secretarius generalis: Suffragatio 385. Pag. 8, n. 3 [*cf. pag. 234-236*]. *Placet* an *non placet?*

4
Exc.mus P. D. IOANNES VAN CAUWELAERT
Episcopus Inongoënsis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 90 Patrum ex Africa et aliis partibus catholicitatis.

Iam plures Patres rogaverunt ut in n. 7 necessitas activitatis missionalis clarius et firmius exponatur. Unde propono ut in n. 7 ratio missionalis activitatis Ecclesiae totaliter sumatur ex voluntate Ecclesiae adimplendi Dei propositum omnes homines in unum populum, in unum Christi Corpus congregandi; in qua unitate, et gloria Dei et salus totius mundi uniuscuiusque hominis consistunt.[1]

Sane de hoc textus agit et loquitur, sed hanc rationem inter alias et post alias aliquas numerat dicens, lin. 17: « ratio missionalis activitatis Ecclesiae maxime deducitur ex proposito Dei ... » etc. Insufficiens mihi videtur dicere « maxime deducitur » quia haec ratio revera est ratio determinans et perfecte sufficiens, unde proprie a proposito Dei *simpliciter* deduci dicenda est ratio missionalis activitatis Ecclesiae.

Item, in principio n. 7, invenitur quaedam enucleatio de possibilitate salutis pro hominibus qui Evangelium non audierint. Et hic textus mihi videtur aliquem timorem patefacere: timetur, ni fallor, ne illa salutis possibilitas praeter evangelizationem fervorem missionalem extinguat.

At satius est, secundum meam opinionem, talem considerationem in principio huius numeri non profiteri nec ei tantum pondus agnosci.

E contra, ante omnia clare ostendatur et firme *affirmetur*[2] oportet, finem proprium activitatis missionalis Ecclesiae (et puto: finem operis ac similiter finem operantis) esse proposito divino omnes homines unum efficiendi in Christo inservire. Ex hoc proposito enim sequitur quod generi humano ius est omnibus fruendi mediis a Christo institutis ut finem suum et beatitudinem attingat, ac simul officium *urgens*[3] est Ecclesiae illa media incessabiliter generi humano *proponere*.[4] Ad hoc vero perficiendum Ecclesia, sicut optime dicit textus, suapte natura urgetur: necessitas ei incumbit. Tunc ille timor circa fervoris missionalis debilitationem ex sese evanescit.

Ex aliunde, in mundo huius temporis, ubi viget et urget desiderium unitatis, solidarietatis et fraternitatis, haec ratio activitatis missionalis inter omnes alias efficacissima est ad vocationes missionales excitandas.

Et tandem simpliciter in calce numeri adnotetur: « Tamen homines qui Evangelium non audierint, ne de ipsorum salute desperent, quia Deus potens est ad hominem salvum facere viis sibi notis ».[5]

Insuper rogo ut *hoc loco,*[6] ubi agitur de principiis *activitatis missionalis in lumine huius propositi Dei omnes homines unum efficiendi,*[7] inseratur sequens doctrina:

Activitas missionalis necessario implicat collaborationem omnium baptizatorum, cuiuscumque communionis, ut conatu communi testimonium reddant Evangelii, secundum illud S. Ioannis ...[8]: Ut omnes unum sint ... ut credat mundus quia tu me misisti.

Proh dolor! experientia nobis docet activitatem missionalem christianorum, quae ex proposito Dei testimonium unitatis ac fraternitatis esse debet, e contra nimis saepe infaustam aemulationem manifestare, non-christianis scandalum esse et operi Evangelium praedicandi detrimentum magnum afferre.

Ex necessitate ipsius missionis omnes quippe baptizati, cuiuscumque communionis, gratia Spiritus Sancti impellentur ut communi conatu, sicut dicitur in decreto *de Oecumenismo,* et in mutua aestimatione coram gentibus Evangelii testimonium reddant nostraeque spei quae non confundit. *Tunc in sequentibus capitibus deberet adhuc pressius explicari quomodo illam necessariam cooperationem omnium christianorum in campo missionali progressive prosequi possit, ut a Rev.mo Patre Degrijse optime exponebatur.*[9]

Talis cooperatio in spiritu oecumenico, si prudenter moderatur a *legitima*[10] auctoritate, nullo modo indifferentismum fovebit. Sed *timemus, venerabiles Fratres, ne nimis prudentia sit pro salute mundi maxima imprudentia. E contra, nunc tempus acceptabile est ut totis viribus, non obstante nostris divisionibus, praesertim in activitate missionali, tendamus ad illam perfectam unitatem sequentes mandatum Christi, ut quam citius adveniat Regnum Dei, Regnum unitatis.*[11] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Ad n. 7 cap. I pertinent hae animadversiones scil. de rationibus et de necessitate missionalis activitatis. In numeris praecedentibus optime schema nostrum ostendit missionem Ecclesiae a missione ipsius Christi et a missione Spiritus Sancti directe declinari ad adimplendum Dei Patris propositum. Talis connexio est de essentia missionis Ecclesiae et hic oportet ut clare affirmetur. Unde humiliter postulo ut in n. 7 ratio missionalis activitatis Ecclesiae totaliter sumatur ex voluntate Ecclesiae adimplendi Dei propositum, a Christo Iesu efficaciter assumptum et ab illo suae Ecclesiae ultime traditum, omnes homines in unum populum, in unum Christi Corpus congregandi. [2] affirmari. [3] deest. [4] proponendi. [5] deest. [6] Cap. I. [7] deest. [8] (17, 21). [9] (decr. de Oecumenismo n. 12). [10] deest. [11] e con-

tra necessitas unitatis secundum voluntatem Christi omnium oculis magis manifesta fiet. Concludo, concrete proponendo ut textus n. 7 aliqualiter emendetur ita ut 1. ratio propria et sufficiens activitatis missionalis clare et firme affirmetur esse voluntas Ecclesiae propositum Dei adimplendi; 2. deleatur prima propositio alineae primae et simpliciter in calce numeri adnotetur: « Tamen homines qui Evangelium non audierint ne de ipsorum salute desperent, quia Deus potens est ad hominem salvum facere viis sibi notis ». 3. Inseratur ubi agitur de necessitate activitatis missionalis principium necessitatis collaborationis omnium baptizatorum ut communi conatu testimonium reddant Evangelii ». Et textum emendatum huius n. 7 secretariatui generali trado.

[*Subscripserunt etiam*] G. Dayez, abb. Maredsous; B. Mels, arch. Luluabourg; R. Cáceres, ep. Melo; A. Maricevich, coad. Villaricca; J. Laschi González, adm. ap. Concepción; A. Corso, adm. ap. Montevideo; O. Nuti, ep. Canelones; X. Geeraerts, ep. tit. Lagania; M. Quéguiner MEP; E. Zoghby, arch. tit. Nubie; Ch. Msakila, ep. Karema; E. D'Souza, arch. Bhopal; O. Haas, abb.; J. Tawil, arch. tit. Mira; L. Beitia; P. Han, ep. Jeonju; C. van Melckebeke, ep. Ningsia; L. Volker, P. B.; G. Mahon MHM; J. Schütte SVD; J. Blomjous, ep. Mwanza; H. van Waeyenbergh; Fr. Lehaen, ep. Sakania; G. Biard, ep. Mopti; H. Berlier, ep. Niamey; D. De Montclos, ep. Sikasso; V. Sartre; R. de Roo, ep. Victoria Vanc.; M. De Keyzer, aux. Brugge; J. Daem, ep. Antwerpen; L. Van Peteghem, ep. Gent; J. Van Zuylen, ep. Liège; S. Himmer, ep. Tournai; Em. De Smedt, ep. Brugge; P. Schoenmaeckers, aux. Mechelen; J. De Kesel, aux. Gent; G. Van Velsen, ep. Kroonstad; H. de Cocq, ep. tit. Acque di Bizacena; H. Martensen, ep. Köbenhavn; J. Van Dodewaard, ep. Haarlem; G. Van Hees, O. S. Cr.; J. Romeijn, ep. Samarinda; G. Demarteau, ep. Bandjarmasin; J. Zimmermann, ep. Morombe; F. Scalais, ep. tit. Acque di Numidia; Fr. Van den Bergh, ep. Budjala; G. Kettel, ep. Kabinda; A. Jacques, ep. Boma; L. Nganga, ep. Lisala; Th. Kuba, ep. Mahagi; G. Ukec, ep. Bunia; S. Nzita; J. Nkungolo, adm. ap. Bakwanga; J. Malula; arch. Leopoldville; R. Ndudi, aux. Boma; J. Kimbondo; C. Sipovic, ep. tit. Mariamme; A. van den Bronk, ep. Parakou; J. Hagendorens, ep. Tshumbé; E. Verhille, ep. Fort-Rousset; J. de Reeper, ep. Kisama; R. Staverman; Mar Athanasios; J. Gutierrez, ep. Cochabamba; M. Daubechies, ep. tit. Buffada; A. Baud, ep. Barbérati; J. Rodgers, ep. tit. Sbida; D. Stuyvenberg, vic. ap. Southern Solomon; M. Darmancier, vic. ap. Wallis et Futuna; P. Martin, vic. ap. N. Calédonie; G. Pearce, vic. ap. Samoa and Tokelau Islands; L. Lemay, vic. ap. Northern Solomon Islands; J. Mangers, ep. tit. Afufenia; J. Julliard, ep. tit. Vulturia.

Animadversiones additae:

Linn. 3-5: haec propositio delenda est, quia non pertinet, et alia ratio ex proposito Dei deducta, valde sufficiens et maioris momenti est, sicut ipso in textu dicitur.

Linn. 17-23: ratio autem missionalis activitatis Ecclesiae deducitur ex proposito Dei, cui Christus oboedienter et amanter inservit ad gloriam Patris qui misit eum (12) ut universi ex quibus genus humanum constat, unum Populum efformant Dei, in unum corpus coalescant Christi, in unum coaedificentur templum Spiritus Sancti: quod sane, cum fraternam concordiam referat intimo universorum hominum voto sublimiter respondet.

Exinde sequitur quod generi humano ius est omnibus fruendi mediis a Christo

institutis ut finem suum beatitudinemque attingat, — ac simul officium est Ecclesiae illa media incessabiliter generi humano proponendi, ita ut...

Linn. 8-16: cognitione Christi et eius Evangelii, homines incomparabiliter illuminentur donisque Spiritus ditentur. Ad hunc finem prosequendum, impelluntur membra Ecclesiae caritate, qua Deum diligunt, gloriamque eius satagunt, et qua cum omnibus hominibus cupiunt communicare in spiritualibus bonis, tam praesentis quam futurae vitae.

Linn. 24-34: ad hoc perficiendum Ecclesia suapte natura urgetur: necessitas ei incumbit (*1 Cor.* 9, 16). Corpus enim Christi mysticum ad suum proprium incrementum vires indesinenter colligit et ordinet (cf. *Eph.* 4, 11-16), et Spiritus Sanctus Christi discipulos, cuiuscumque sint communionis, impellit ut, communi conatu, omnes quippe baptizati, coram gentibus in mutua aestimatione, Evangelii testimonium reddant, eiusque spei quae non confundit (cf. decretum *de Oecumen.* n. 12). Sic tandem consilium Creatoris, hominem ad imaginem et similitudinem suam condentis, revera adimpletur, cum omnes qui humanam participant naturam, in Christo per Spiritum Sanctum regenerati, unanimiter gloriam Dei speculantes, dicere poterunt: « Pater noster » (13).

Ex hoc Dei proposito ad effectum adducendo, sequitur ut activitas missionalis Ecclesiae absolute necessaria dicenda sit. Nonnisi enim per eam propositum Dei fideliter manifestatur et oboedienter ad effectum deducitur, ad gloriam eiusdem Dei. Attamen, homines qui Evangelii nuntium non audierint ne de ipsorum salute desperent: potens enim Deus est hominem salvum facere viis sibi notis.

Rationes textus emendati:

1. *Textus*: *exinde sequitur...* Ita melius apparet necessitas activitatis missionalis quae deducitur ex proposito Dei implicare considerationem de salute mundi et uniuscuiusque hominis, et nullo modo salutem procurandum hominum esse aliquam rationem distinctam. Deinde melius sequitur id quod dicebatur linn. 8-16.

2. *Textus*: *et Spiritus Sanctus Christi discipulos...* fere textualiter sumitur ex decreto de oecumenismo n. 12.

Iam ubi agitur de principiis de activitate missionali oportet ut bene fundetur necessitas spiritus oecumenicus in operibus missionalibus de quo ulterius in schemate agitur. Etenim ipsum testimonium Evangelii inefficax redditur si non est testimonium unitatis secundum illud S. Ioannis (17, 21: Ut omnes unum sint... ut credat mundus quia tu me misisti).

3. *Textus*: *Attamen, homines qui Evangelii nuntium non audierint...* Illa consideratio quae invenitur in initio textus n. 7 schematis melius non ibi profiteatur, sed simpliciter in calce numeri adnotetur. Et illa consideratio nullo modo minuit necessitatem absolutam activitatis missionalis.

Secretarius generalis: Suffragatio 386. Pag. 9, n. 3bis [*cf. pag. 236*]. *Placet* an *non placet?*

5

Exc.mus P. D. IOANNES GAY
Episcopus Imae Telluris et Pointapitrensis

Venerabiles Patres,

Nolite timere ne velim vobis imponere iterationem quorum iam toties in aula dicta sunt. Mihi liceat tantum breves notationes addere. Reliqua secretariatui Concilii tradam.[1]

1. Placet novum schema ...[2]. Numerus tertius *tamen*[3] quadam prolixitate laborat, et plura continet quae iam in constitutione « Lumen Gentium » *scripta*[4] sunt.

Passim, in schemate, significationes diversarum missionum Ecclesiae miscentur. Nostris temporibus, multis scopulis obnoxia est vocatio missionaria; idcirco necesse est ut, inter diversas formas missionis, locus peculiaris quem tenet missio Ecclesiae apud gentes nondum christianas semper *praeclare*[5] in claro lumine ponatur.

2. Multi missionarii, iuvenes praesertim, quamdam anxietatem experiuntur, propter rumores qui ...[6], paulatim, diffunduntur, *insinuando v. g.*[7] quod munus principale missionarii non esset tam praedicandi et baptizandi quam potius promovendi conditiones quibus homines adiuventur ad inveniendum valores christianos in religionibus non christianis diffusos ...[8]

Schema clare debet exponere quanti momenti sit veritatem revelatam explicite praedicare. Secus, dubii perniciosi animas fidelium perturbare possint et damnum grave vocationibus missionalibus ferre.

3. In diversis locis cap. I, missio Ecclesiae refertur ad Missionem Sancti Spiritus. Et hoc est optimum.

Nonne opportunum esset meminisse quod Ipse Christus, in sua humanitate, Spiritum Sanctum recepit, praedicationis missionem incipiens, sicut refert S. Lucas in cap. 3-4 (*in diversis versiculis*[9]). Et clarius ostendere quomodo Ecclesia, in primis suis exordiis, ut ex Actibus Apostolorum apparet, *specialiter*[10] a Spiritu Sancto ducta est.

Tota theologia missionis resumi potest sub titulo Caritatis Dei. Missio est emanatio et testimonium caritatis divinae. Est exigentia caritatis.

Ex influxu caritatis dimanant: sincerus amor pauperum, adaptatio missionalis, patiens comprehensio, reverentia erga quidquid est authentice humanum et quod a gratia assumi potest ...[11]

4.[12] In n. 11, ubi agitur « de dialogo cum non-christianis » opportune citarentur verba S. Petri in prima sua Epistola, 2, 12: « Conversa-

tionem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis ». Nec minus opportune citarentur primi versus cap. 3 qui, etsi directe tractent de habitudine mulierum erga coniuges, perfecte possunt extendi ad quamcumque formam dialogi.

Quoad dialogum cum fratribus separatis, expresse commendatum missionariis, sperare audemus in regionibus missionum fratres seiunctos ad eumdem dialogum paratos esse, ita ut, ex utraque parte, inveniantur bona fides, mutua reverentia et fraternalis caritas.

5.[13] In n. 38, ubi agitur « de missionali officio Institutorum Perfectionis », utile esset indicare quod etiam Fratres laici necnon Religiosae aggregari possunt Unioni Missionali Cleri.

6 [14] et ultimo. Nonnulli Patres ex imo corde optant ut in schemate saltem fiat mentio de maioribus Operibus Pontificalibus, ut sunt: Propagatio Fidei, Sancta Infantia, Opus Sancti Petri Apostoli.

Si Missiones, a saeculo praeterito, vivere potuerunt et florere, his praedictis Operibus tribuendum est. Bene merita sunt de Ecclesia, et cum honore citari deberent, quia in omnibus mundi paroeciis zelum et amorem pro Missionibus optime servaverunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Mihi tamen liceat aliquas notationes exponere, praecipue super cap. I. [3] deest. [4] dicta. [5] deest. [6] ut iam dictum est in aula. [7] Exempli gratia, occasione Congressus Eucharistici Mombayensis insinuatum est: quod opus missionale non esset hodie tam urgens quam antea; quod praedicatio Evangelii non esset necessaria ad salutem. [8] Nullo modo dubitandum est homines posse salvos fieri si in bona fide vivunt, dictamini conscientiae attenti, quin Christum et Ecclesiam explicite noscere possent: hoc in casu, gratia Christi ignorantiam supplet. In n. 7, lin. 7, dicitur quod « Deus homines ad fidem adducere (potest)... etiamsi Evangelium non audierint ». Locutio haec non plane satisfacit. Nonne melius esset ita loqui: « Deus, viis a se notis, Verbum suum annuntiare potest ». Nam non valet de fide loqui nisi aliquo modo Verbum Dei audiatur: Fides ex auditu. Via consentanea quae ad salutem ducit est Fides, scil. adhaesio revelationi et Baptismum. Praedicare Evangelium, iuxta verba Pauli VI, remanet munus principale Ecclesiae. Et maxime interest ut omnibus hominibus talis fiat praedicatio, in qua praecise consistit essentialis activitas missionalis. In mentem revocemus verba Evangelii (praecipue Evangelii sec. Marcum) necnon epistolarum S. Pauli, v. g. quando ad Romanos scribit: « Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? ». [9] (3, 22; 4, 1. 14. 18. 21). [10] deest. [11] 4. In pluribus locis, ut iam observatum est in aula, schema sic sonat quasi munus praedicandi Evangelium ad solos episcopos pertineret. Pag. 21, lin. 33, dicitur: « Cura Evangelium annuntiandi ad corpus episcoporum pertinet ». Melius esset dicere « specialiter per-

tinet ». Pag. 7, n. 5, lin. 21, dicitur quod in exsequendum mandatum Christi, tota Ecclesia cooperat muneri Ordinis episcoporum una cum successore Petri. Melius esset dicere: totam Ecclesiam, nullo membrorum eius excepto, ad missionem deputatum esse. Tota Ecclesia missa est. Tota Ecclesia missionaria est. Ad episcopos pertinet ducere, pascere, regere populum Dei. Sed totus populus Dei missionarius est; omnia membra eius partem habent in evangelizando mundo. Eius vocatio, ut n. 34 memoratur, ex baptismo et confirmatione dimanat. [12] 5. [13] 6. [14] 7.

[*Subscripserunt etiam*] P. card. Richaud; J. card. Lefebvre; H. Vion; C. Angeleri; L. Arkfeld; P. Severi; G. Mercier; P. Puech; P. de la Chanonie; A. Cazaux, ep. Luçon; F. Kervéadou; H. Donze; ep. Tulle; St. Desmazières; J. Hermil; M. Maziers, aux. Lyon; J. Guilhem, ep. Laval; M. Bernard, arch. tit. Are; H. Jenny, arch. coad. Cambrai; A. Pailler, arch. coad. Rouen; J. Urtasun, arch. Avignon; P. Gouyon, arch. Rennes; M. Riopel; A. Caillot, ep. Evreux; B. Alix, aux. Le Mans; R. Piérard, ep. Châlons; C. Chilouet; St. Courbe, aux. Paris; Raphael, ep. Mallorca; C. Zinato, ep. Vicenza; Sebastianus, ep. Beira; M. Rigaud, ep. Pamiers; P. Martin, vic. ap. Nouv. Calédonie; R. Hoffmann, ep. Djibouti; J. Julliard, vic. ap. Nouv. Hebrides; G. McCarty, ep. Rapid City; Ch. de Provenchères, arch. Aix; R. Kérautret, ep. Angoulème; A. Atton, ep. Langres; G. de Milleville, arch. tit. Gabala; A. Malbois, aux. Versailles; J. Baud, ep. Visakhapatnam; G. Guibert, ep. Réunion; H. Varin de la Brunelière, ep. Fort de France; A. Marie, ep. Cayenne; A. Fresnel, ep. Fort Dauphin; P. Nkou, ep. Sangmélima; P. Etoga, ep. Mbalmayo; A. Tsiahoana, aux. Diego Suarez; Th. Mongo, ep. Douala; A. Messmer, ep. Ambanja; S. Gaumain, ep. Moundou; V. Sartre, arch. tit. Beroe; J. Zoa, arch. Yaoundé; A. Baud, ep. Berbérati; H. Veniat, ep. Fort Archambault; F. Cléret de Langavant, ep. tit. Mactarin; J. David, ep. Majunga; T. Chambon, ep. Bossangoa; P. Dalmais, arch. Fort Lamy.

Secretarius generalis: Suffragatio 387. Pag. 10, n. 4 [*cf. pag. 236-237*]. *Placet* an *non placet?*

6

Exc.mus P. D. LAURENTIUS SATOSHI NAGAE

Episcopus Urawaënsis

Venerabiles Patres,

Schema nostrum continet principia sana elementaque optima circa problemata missionaria. Attamen, ut dici possit « magna charta pro activitate missionali Ecclesiae » sicut exoptat relator, schema nostrum, secundum meam humilem opinionem, adhuc *perfici* [1] potest et debet.

I. Schema nostrum tractat de problematibus missionariis sub aspectu restricto et unilaterali in eo sensu quod considerat haec problemata fere

exclusive sub aspectu Ecclesiarum quae suos missionarios ad exteras regiones mittunt et sub aspectu missionariorum exterorum qui in terris missionum laborant. Consequenter modus eadem problemata tractandi sub aspectu cleri autochtoni populique localis nimis negligitur. Sic e. g.:

a) in cap. II in quo tractatur de ipso opere missionali, dum multa dentur principia directiva normaeque laboris pro missionariis exteris, tamen pauca dicuntur de Ecclesiis localibus *et quidem in fine capitis tantum.*[2] *Insuper inter illa*[3] pauca, etsi ea quae habentur in n. 20 (De diversitate in unitate) optima sint, quando autem directe sermo est de incremento Ecclesiarum localium in n. 19, activitas missionalis non sufficienter praesentatur tamquam elementum essentiale maturationis harum Ecclesiarum *localium*[4];

b) in cap. III « De Missionariis » sermo fit tantummodo de missionariis exteris ita ut datur impressio quod clerus autochtonus non habeat *quasi*[5] responsabilitatem missionalem.

II. Talis autem modus concipiendi et praesentandi activitatem missionalem non correspondet neque statui actuali missionum, neque fini huius Concilii, neque *tandem*[6] exspectationi cleri et fidelium localium:

a) non correspondet statui actuali missionum. Etenim, hodie, ut mirabilis fructus ardui laboris missionariorum exterorum, fere ubique in terris missionum exsistunt Ecclesiae locales autochtonae, etsi adhuc iuvenes et in periodo incrementi sint. *Hae quidem*[7] Ecclesiae locales *praeprimis*[8] habent officium et responsabilitatem missionalem in quantum signum praesentiae Dei in medio socio-culturali societatis localis; *unde ante omnia de ipsis loquendum esse videtur*[9];

b) non correspondet fini huius Concilii. Etenim, Concilium intendit proponere principia directiva pastoralia quae praesentia et futura respiciunt, et sub hoc respectu ...[10], problemata missionaria tractanda sunt *praecipue*[11] intuitu Ecclesiae localis, *quae in dies magis augentur, potius quam*[12] intuitu primi gradus plantationis Ecclesiae;

c) non correspondet exspectationi cleri et fidelium localium. Etenim, ipsi inquantum autochtoni, merito exspectant a Concilio principia directiva pro eorum activitate missionali.

III. Ecclesiae novellae indigent et exspectant ab Ecclesiis antiquae fundationis fraternam assistentiam in prosequendo opere missionali. Hae Ecclesiae antiquae traditionis, non tantum ob rationem thesauri spiritualis, culturalis et mediorum *quae possident*[13] possunt subministrare Ecclesiis novellis, sed etiam *quandoque*[14] ob rationem similium condi-

tionum missionalium, *e. g. in casu apostolatus in coetu operariorum, aut de problemate atheismi, etc.,*[15] inter Ecclesias novellas et antiquas utilissime haberi possunt mutua commercia idearum, personarum et mediorum. Capp. IV et V nostri schematis sub hac visione compleri debent.

Itaque, ad modum conclusionis, sequentia propono:

1. *Ut cap. II, in quo sermo est de ipso opere missionali, revideatur sub aspectu Ecclesiarum particularium vel localium. Opus enim missionale, quod inde ab initio evangelizationis peragitur intuitu Ecclesiarum particularium localium, et ab his Ecclesiis prosequitur, clare apparere et affirmari debet, ut primarium officium Ecclesiarum localium. Ita etiam dialogus cum non christianis* (*in art.* 1), *et de praesentia christianorum* (*in eodem articulo*), *praesentari non debet — dialogus et praesentia — primarie sub aspectu restricto ut dialogi inter missionarios exteros et gentes, sed sub aspectu magis ecclesiali, scil. ante omnia et principaliter ut dialogi inter totam communitatem localem et mundum instituendi. Huiusmodi revisio forsitan*[16] sine magna difficultate fieri poterit, si *primus articulus cap. II*[17] conficiatur ex nn. 10, 20, 11, 12, cum quadam modificatione, insertisque utique inserendis *quidem de gravi officio missionali Ecclesiarum localium et*[18] de modo quo Ecclesia *localis*[19] praesens esse possit in contextu socio-culturali locali. Si de *hac*[20] praesentia Ecclesiae *in locis*[21] ex professo non loquitur, scil. si tractatio de adaptatione et indigenisatione in vero sensu omittitur, in schemate nostro deficit elementum *essentiale.*[22]

2. Ut in cap. I, n. 6, clarius exponantur conditiones missionales actuales in quibus tota Ecclesia versatur, sive antiquae sive novae fundationis.

3. Ut titulus cap. III, loco « De missionariis », mutetur in « De missionariis exteris » et ut textus n. 21 eiusdem capitis ita modificetur ut evitetur falsa interpretatio quod charisma missionale exclusive pertineret ad Instituta missionaria ...[23]

Et, ultimo, ut in textu auferantur verba et sententiae[24] quae aliquando nimis institutionalismo sapere videntur, ut *in toto textu*[25] clare appareat opus missionale non pertinere ad aliquem coetum, *vel ad quaedam Instituta*[26]; sed esse totius *communitatis, totius*[27] populi Dei. Etiam sub hoc aspectu, n. 17 « De catechistarum institutione » ita emendetur ut catechistae...

Moderator: Exc.me Domine, velis concludere, quia tempus exactum est!

Orator: ... non erigantur in institutionem permanentem cum fundatione « Operis pro catechistis ». *Sed textus in hoc sensu mutetur.*[28] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ameliorari. [2] deest. [3] Et quidem inter haec. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] Nemo dubitat quod praesertim hae. [8] deest. [9] deest. [10] (« perspective »). [11] deest. [12] et non principaliter. [13] deest. [14] deest. [15] (« analogue »). [16] ut inseratur novum cap. II sub titulo « de ecclesiis particularibus ». Et hoc quidem. [17] hoc novum caput. [18] praesertim. [19] deest. [20] deest. [21] deest. [22] substantiale quod constitui debet centrum totius activitatis missionalis. [23] 4. ut cap. IV et V « de ordinatione » et « de cooperatione » ita emendentur secundum ea quae superius dicta sunt circa mutua commercia Ecclesiarum particularium. [24] 5. ut totus textus ita expurgetur a verbis et sententiis. [25] deest. [26] deest. [27] deest. [28] utpote sint elementa tantum transitoria et localia.

[*Subscripserunt etiam*] P. Vignancour, ep. Valence; L. Elchinger, coad. Strasbourg; St. Lokuang; P. Han; A. Fragoso, ep. Crateùs; J. Angerhausen, aux. Essen; M. Moleney, ep. Bathurst in Gambia; E. Pironio, ep. tit. Ceciri; H. Gad; V. Reed; A. Barbosa, ep. Campo Grande; R. Moralejo, aux. Valencia; R. Boudon, ep. Mende; A. Hacault, aux. S. Boniface; M. Maziers, aux. Lyon; D. Stuyvenberg, vic. ap. Southern Solomon Islands; J. Comber, ep. tit. Foraziana; J. Cullinane, ep. tit. Flumenzer; R. D'Mello, ep. Allahabad; H. Principe, ep. tit. Abila di Lisania; J. Dammert Bellido, ep. Cajamarca; H. Jenny, arch. coad. Cambrai; P. Koboyashi, ep. Sendai; D. Noguchi, ep. Hiroshima; B. Tomizawa, ep. Sapporo; Fr. Tanaka, ep. Takamatsu; J. Satowaki, ep. Kagoshima; P. Hirate, ep. Oita; J. Ito, ep. Niigata.

Animadversiones additae:

Ad cap. I, n. 6, pag. 8, lin. 14: loco « In hac missionali activitate Ecclesiae, diversae conditiones aliquando permixtae occurrunt », legatur: « In orbe terrarum diversae conditiones ecclesiarum particularium permixte occurrunt ». *Ratio*: ita conditiones actuales missionales in quibus Ecclesia versatur, clarius ostenduntur.

Pag. 8, lin. 42: loco « Itaque differt... », legatur: « Etiamsi differat... ».

Pag. 9, lin. 1: loco: « ... relinquendam. Attamen », legatur: « ... relinquendam, attamen... ». *Ratio*: 1. ita coniunctio cum praecedenti propositione melius servatur; 2. ita coniunctio harum trium activitatum in sua finalitate melius patet.

Ad cap. II, n. 10, pag. 11, lin. 8: loco « Ecclesia », legatur: « Ecclesiae particulares » et deinceps omnia in plurali. *Ratio*: 1. ita magis cohaeret cum descriptione praecedenti conditionibus concretis mundi; 2. cum fit sermo de insertione in coetibus de quibus supra, immediate sermo fieri debet de ecclesiis particularibus; 3. hoc modo affirmatur in toto capite II agi non tantum de missionariis exteris, sed etiam de autochtonis.

Pag. 11, titulus Art. 1: loco « De praeambulis Evangelizationis », legatur: « De praesentia christianorum inter gentes ». *Ratio*: 1. Novus titulus melius expri-

mit obiecta in hoc articulo tractata; 2. ita evitari possunt difficultates a Patribus expositae circa titulum.

Pag. 11, lin. 1: loco « Ecclesia » legatur: « Ecclesia, populus Dei lumenque gentium ». *Ratio*: 1. nexus cum const. *de Ecclesia* clarius affirmatur; 2. ita evitatur interpretatio restrictiva i. e. in sensu hierarchiae.

Pag. 11, lin. 13: loco « Ecclesia » legatur: « Ecclesiae ». *Ratio*: cf. superius dicta.

Pag. 11, lin. 21: omittatur « agnoscant, et ». *Ratio*: quia haec verba de solis missionariis dici possunt.

N. 12, pag. 12, lin. 11: loco « nationibus inter quas degunt » legatur: « omnibus ». *Ratio*: cf. supra.

Pag. 12, lin. 24: deleantur verba « eis vera praeambula evangelizationis se oblaturos, et ». *Ratio*: ita evitari potest difficultas a Patribus proposita de terminologia Praeambuli.

Pag. 12, post n. 12 inseratur immediate n. 20 (De diversitate in unitate). *Ratio*: 1. Ab initio evangelizationis evitanda est plantatio ecclesiarum particularium sub forma transplantationis; diversitas in unitate non solum legitima est sed etiam necessaria ex catholicitate Ecclesiae; 2. insertio n. 20 in hoc loco apta est cum hic numerus tractet de modo praesentiae Ecclesiae.

N. 14, pag. 13, lin. 29: loco « se esse membra populi Dei » proponitur « pertinere ad populum Dei ». *Ratio*: quia catechumeni non possunt dici membra populi Dei in stricto sensu.

N. 15, pag. 14, lin. 37: loco « et catechistarum » legatur: « et alia ut e. g. catechistarum ». *Ratio*: ut munus catechistarum clare distinguatur a muneribus sacramentalibus.

N. 16, pag. 15, linn. 4-15: omnia deleantur. *Ratio*: quia habentur in decreto *de institutione sacerdotali.*

Pag. 15, lin. 16: supposita omissione de qua supra, primum verbum « Quae » omittendum est.

N. 17, pag. 16, lin. 4: deleantur « et omnino necessarium ». *Ratio*: quia non est verum pro ubique terrarum, sufficit ut dicatur « singulare ».

Pag. 16, linn. 21-23: haec alinea deleatur. *Ratio*: quia favoritismo sapit pro quodam coetu temporali et locali.

Pag. 17, art. 4: ut articulus supprimatur. *Ratio*: quia iam ab initio totum cap. II de ecclesiis particularibus loqui debet.

De cetero n. 19, prima alinea, scil. linn. 10-17, est mera descriptio missiologica, inutilis pro decreto conciliari; supprimenda est; secunda alinea, linn. 18-27, est mera enumeratio titulorum decretorum conciliarium iam approbatorum; unde delenda est.

Pag. 17, lin. 28 - pag. 18, lin. 4: remaneat ut n. 19 sub novo titulo (De communione inter ecclesias).

Secretarius generalis: Suffragatio 388. Pag. 10, n. 5 [*cf. pag. 237-238*]. *Placet* an *non placet?*

7

Exc.mus P. D. IOANNES BAPTISTA VELASCO
Episcopus Sciiamenensis

Venerabiles Patres,

...[1] Schema, quod decretum *de activitate missionali Ecclesiae*[2] inscribitur ...[3] nimis onustum esse videtur considerationibus generalibus, *novae cuiusdam theologiae*[4]: nec ...[5] illa praecisione et claritate *principia doctrinalia traduntur*[6] quae doctrinae theologicae certae *et traditionalis*[7] propriae esse debent. De praecedente schemate dictum est quod « ossa arida » offerret; timeo ne de isto dicatur illud nobis offerre « carnes molles absque nervis et ossibus ».

Multa alia praetermissa, quae secretariatui tradam, transeo ad aliqua puncta particularia.[8]

Sub n. 3: Nimis ...[9] videtur praesens schema ideam communitariam extollere, et singulorum hominum salutem posthabere. « Placuit autem Deo (dicitur in n. 2 ...[10]) homines non singillatim, quavis mutua connexione seclusa, ad vitae Suae participationem vocare, sed eos in populum constituere, in quo filii sui, qui erant dispersi, in unum congregarentur ». « Ratio huius missionalis activitatis non unice ex aeterna salute uniuscuiusque hominum evangelizandorum sumitur ... », *etc., etc.*[11]

Miror sane quod dum in hac aula tot sint eulogia prolata dignitatis personae humanae, cum quaestio est de hominis salute per regenerationem in Christo (quae illius dignitatis culmen et corona est), adeo levis ratio habeatur individuae personae, ut collectivitatis praestantia extollatur. At Deus ad Salutem vocat cunctos homines eosque *singulos,* et apostolis Dominus mandatum dedit ut Evangelium *omni creaturae* praedicarent, ut qui *singuli* crediderit et baptizatus fuerit salvaretur, qui vero non crediderit damnationi subeat ...[12]

4. Quaedam in schemate habentur *in*[13] intelligibilia, ut cum dicitur in n. 6 ...[14] quod Ecclesia populos gradatim tangit ac penetrat et sic in eis radices agit « quibus *substantia eorum* in catholicam plenitudinem assumitur ».

Quaedam etiam sunt quae vaga *nimis habentur vel etiam*[15] naturalismum redolent, ut cum dicitur quod « Etiam cum ipsa natura humana eiusque adspirationibus missio — *nempe missio missionaria*[16] — intimam habet connexionem » ...[17]; vel etiam quod « Evangelium in historia hominum, etiam temporali, fermentum libertatis ac progressus fecit ... » (sub n. 8 ...[18]).

Potius quam « de connexione missionis cum ipsa natura humana », sermo deberet esse de valore et efficacitate missionalis activitatis Ecclesiae ...[19] ad restauranda et promovenda ipsa bona ordinis naturalis; potiusquam de connexione cum historia mundi dicere, de influxu dicendum esset quem missio Ecclesiae in evolvenda mundi historia exercuit *atque exercet.*[20]

5. Tandem prudenti examini et castigationi submitti debent quae in n. 20 ...[21] dicuntur de theologica investigatione, *admisso quodam pluralismo theologico,*[22] et de componendis ideis philosophicis populorum ...[23], cum moribus revelatione divina significatis, ut pateant « viae ad profundiorem aptationem in toto ambitu vitae christianae ». Quid cui aptandum est? Veritates revelatae ideis et moribus populorum, an vero e contra? *Nempe ideae et mores populorum veritatibus revelatis? Non*[24] varia, eiusque rationabilis explicatio diversa esse nequit, cum eadem sint doctrinalia principia generalia, *Ecclesiae semper et ubique et mores populorum multum variari.*[25]

Venerabiles Patres, cavere[26] debemus ne, ob inaccuratas expressiones adhibitas — *passim habentur*[27] —, ansam praebeamus « novis et insustentabilibus theologiis », utendo verbis Ss.mi Patris Pauli VI, in audientia diei 1 aprilis istius anni; sed potius adhibeantur conceptus et formulae quae valorem habent permanentem ad intelligendum Ecclesiae mysterium ac missionem; quae securam ac tutam theologiam exprimant, qua imbuti et roborati fuerunt tot millia missionariorum qui innumeras gentes ad salutem perduxerunt in Ecclesia, ad incrementum Populi Dei.

Et concludo. Principia doctrinalia huius schematis sunt vaga, sunt obscura, meo iudicio, falso irenismo laborant, nimia ac non recto spiritu oecumenico sunt onusta, et novae cuiusdam theologiae forsan sensum exprimunt. Ergo castiganda sunt atque emendanda.[28] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Commissioni gratulandum est quod hoc amplum ac novum plerumque schema paraverit, sufficienter dignum argumenti adeo gravis in Ecclesia: illud sine dubio substantialiter placebit et a defectibus purgatum, approbationem obtinebit. [2] deest. [3] ideoque indolis practicae atque pastoralis. [4] seu theologicae expositionis. [5] semper. [6] traditis. [7] deest. [8] Placet quidem optimum consilium repetendi principia doctrinalia activitatis missionalis ab altissimo principio missionis Filii a Patre atque Spiritus a Patre procedente et Filio. Non tamen videtur opus fuisse ab integro, etsi summatim, repetere totam historiam salutis. Hac ratione oporteret magnam partem theologiae proponere quae principia et doctrinam de missionibus explicant. Nimium etiam videtur studium absque necessitate repetendi plura quae in constitutionibus *de Ecclesia, de sacra Liturgia, de Oecumenismo,* immo et in

schematibus nondum a Concilio approbatis, continentur. 2. Nec ipsa missio Ecclesiae debita claritate proponitur. Schema praevium ab argumento incipiebat quod « Ecclesia est medium universale salutis a Christo institutum ». In nostro schemate Ecclesia dicitur « universale salutis sacramentum » (n. 1, linn. 1-2), « ut sacramentum salutis » fundata (n. 3, pag. 6, linn. 37-38); eius activitatis missionalis finis maxime est ut in Christo « homines unam familiam unumque populum Dei constituant » (n. 1, lin. 11), « ut universi, ex quibus genus humanum constat, unum populum Dei efforment » (n. 7, pag. 9, linn. 19-20). Simul autem dicitur « activitatem missionalem intime cum ipsa natura connexam esse Ecclesiae » (n. 6, pag. 8, lin. 39), et in ipso prooemio vocatio Ecclesiae « ad omnem creaturam renovandam, ut omnia in Christo instauretur » petitur a « praesenti novo rerum ordine, ex quo nova exsurgit humanitatis conditio » (n. 1, linn. 8-10). Sacramentum quidem salutis est Ecclesia, i. e. salutis signum et causa; Ecclesia certe semper tenuit Dei potentiam ad salvandos homines non fuisse institutioni Ecclesiae alligatam. Verumtamen et certissimum est Ecclesiam ad hoc Christum instituisse ut per illam cunctis hominibus salus afferatur, et illam in mundum ad hunc finem misisse, ex quo consequitur ut qui per illam salutem recipiunt unam familiam, unum populum Dei constituant. Ulterius inde consequitur ut activitas missionalis minus accurate dicatur esse « intime cum ipsa natura connexam Ecclesiae », cum proprius dicendum sit ex ipsa natura Ecclesiae profluere, procedere, atque ideo non ex « novo ordine rerum » nec ex « nova exsurgente humanitatis conditione », qualiacumque illa sint, sed ex mandato Christi et suaipsius natura Ecclesiam vocari ad omnem creaturam renovandam. Praesentes conditiones ratio fortassis sunt quae pressius urgeant activitatem missionalem Ecclesiae, sed activitatem hanc, Ecclesia omni tempore usque ad fines saeculorum ex sua natura exercere debet. [9] quoque. [10] pag. 5, linn. 26-29. [11] (n. 7, pag. 9, linn. 3-5), sed « maxime deducitur ex proposito Dei... ut universi ex quibus genus humanum constat, unum populum efforment Dei... ». [12] Ipsi vero credentes utique familiam et populum Dei constituunt, ut iam, in novo secus ac in antiquo foedere quando hebraei, quibus repromissio et bona data fuerunt, soli populus Dei erant, omnes quaecumque gentes vocentur ut Christo incorporentur per fidem et gratiam, et absque discrimine ad populum Dei pertineant. [13] vix. [14] (pag. 8, linn. 12-13). [15] sunt vel. [16] deest. [17] (n. 8, pag. 9, linn. 35-37). [18] pag. 10, linn. 12-13. [19] etiam ubi eius praedicatio non acceptatur. [20] etiam persecuta. [21] (pag. 18). [22] deest. [23] consuetudinibus, vitae sensu et sociali ordine. [24] Investigatio theologica utique promovenda est, et progressus illius exoptandus, in eodem sensu, eademque sententia. Veritas namque revelata una est, non. [25] unus specie intellectus hominum. Modi vero externae manifestationis vitae christianae varii esse possunt pro diversis indole, moribus et cultura populorum. [26] Cavere igitur. [27] deest. [28] deest.

[*Subscripserunt etiam*] F. card. Quiroga; B. card. de Arriba y Castro; M. Menéndez, ep. San Martin; E. Pechuàn Marin, ep. Cruz del Eje; J. Rosenthal, ep. Queenstown; Th. Quinlan; F. Ceol, ep. Kichow; S. Cassulo, ep. Macerata; P. Tobar González; B. Alvarez, ep. Pereira; A. D'Souza, ep. Poona; X. Ariz, ep. tit. Bapara; A. Hornedo, praef. ap. San Javier; Fl. Armas, prael. Chota; A. Bettmann, ep. Ica; V. Arroyo, vic. ap. Requena; E. Olazar, ep. tit. Prusa; R. Massimiliani, ep. Civita Castellana; Secundus, arch. Burgensis; Eduardus, ep. Zamora; Innocentius, ep. Cuenca; G. Modrego, arch. Barcelona; Ramón, ep. Urgel; G. Alonso,

ep. tit. Pogla; A. Alvarez, prael. Marajó; V. Garaygordobil, prael. Los Rios; L. de la Vega; J. Lecuona, ep. tit. Vagada; Saturninus, ep. Osma-Soria; Aurelius, ep. Lerìda; T. Domingo, ep. Tuguegarao; A. Casas; D. Romoli; A. Fernandes O.P.; J. Grotti, prael. Acre et Purús; Dorotheus, ep. tit. Castabala; Raphael, arch. Granada; M. Romero, ep. tit. Orta; J. Flores, ep. Barbastro; Angelus, ep. Orense; Demetrius, ep. Ciudad Rodrigo; Ioannes Petrus, ep. Plasencia; Laurentius, ep. San Sebastián; Raphael, aux. Valencia; E. Legarra, prael. Bocas del Toro; A. Quintamilla, ep. Kweiteh; Fr. Peralta, ep. Vitoria; Arturus, ep. Albacete; J. Lahiguera, ep. Huelva; Vincentius, ep. Ovideo; Manuel, ep. Ciudad Juarez; J. Sison, arch. tit. Nicopsi; M. Gaviola, ep. Cabanatuan; A. Arcilla, ep. Sorsogón; V. Reyes, ep. Borongán; Ludovicus, arch. tit. Sion; J. Lopez Ortiz, ep. Tuy-Vigo; Petrus, arch. Zaragoza; Angelus, ep. Jaca; Alfonsus, ep. Almeria; Teopisto, coad. Cáceres; M. del Rosario, ep. Malolos; E. Cinense, ep. San Fernando; A. Frondosa, ep. Capiz; A. de Castro Mayer, ep. Campos; Vicente, ep. Santander; Hyacinthus, ep. Mondoñedo; R. Addazi, arch. Trani e Barletta; C. Pollio, arch. Otranto; G. Ruotolo, ep. Ugento; G. Franciolini, ep. Cortona; A. Mennonna, ep. Nardò; R. Campelli, ep. Cagli; B. Musto, ep. Aquino; R. Barbieri, ep. Cassano all'Ionio.

Secretarius generalis: Suffragatio 389. Pag. 11, n. 6 [*cf. pag. 238*]. *Placet* an *non placet?* Manet tantum una suffragatio facienda.

8

Exc.mus P. D. ARISTIDES PIROVANO
Episcopus tit. Hadrianiensis

Venerabiles Patres,

Observationes in cap. III schematis *de activitate missionali Ecclesiae. Loquor nomine plus quam septuaginta Patrum.*[1]

Schema in cap. III, n. 25, momentum agnoscit activitatis praestitae usque nunc ab Institutis Missionalibus; quae Instituta — ibi additur — apprime necessaria manent. Hac tamen necessitate posita, schema nihil addit de mediis aptis ad vitam horum Institutorum tuendam atque augendam in bonum Ecclesiae missionalis. De his mediis expressa mentio facienda esse mihi videtur.

Instituta enim missionalia, praesertim Instituta cleri saecularis, his nostris temporibus haud leves difficultates experiuntur ex hoc capite ...[2]

1. Tempore anteacto episcopi quarumdam nationum christianarum fundaverunt Instituta missionalia cleri saecularis. Haec Instituta media erant quo antiquae Ecclesiae facilius ac promptius officium suum missionale explere possent. Hac ratione ortum habuit illud vere beneme-

ritum Institutum Parisiense pro Missionibus, ac deinde alia quindecim circiter Instituta, *in variis nationibus.*[3]

Recentius, legislatio canonica disiunxit Instituta ab episcopis qui ea fundaverant; missionarii non amplius incardinati sunt dioecesibus originis, sed solummodo Institutis suis nunc adhaerent.

Nunc iterum hoc accidit: multis locis successores illorum episcoporum nova seminaria missionalia cleri dioecesani instituere aggrediuntur.

Quaero ergo: priora illa Instituta qua ratione se habent nunc ad dioeceses ex quibus ortum habuerunt? Nonne nata erant earum personam gerere in opere missionali Ecclesiae?

2. Ad vocationes comparandas quod attinet. Semper in Ecclesia fuerunt sacerdotes et clerici dioecesani, qui ad missiones proficisci sibi constituerant, quin tamen vellent aliquam religionem ingredi. Hi sacerdotes et clerici tempore praeterito pacifice ad supradicta Instituta missionalia cleri saecularis veniebant. Nunc autem, etiam ubi exstant huiusmodi Instituta, nova surgunt seminaria vel collegia. Et quomodo differunt nova haec seminaria ab illis Institutis? In nullo alio videntur differre, ni fallor, nisi forte in hoc: quod ista nova ab episcopis ut propria habentur, reguntur et foventur, illa autem tamquam ab eorum cura exempta, uti aiunt, et quasi extranea sunt ...[4]

Praeterea recolendum est haec Instituta missionalia cleri saecularis non esse religiones; ipsis in patria non exstant paroeciae, scholae et alia huiusmodi ex quibus vocationes haurire possint ...[5]. Uno verbo, ipsis deficit apparatus et organizatio quibus omnes egemus hodie, nolentes volentes, si vocationes comparare volumus.

His positis, quidnam facient haec Instituta? Vel inedia mori debebunt, vel ...[6] maiorem numerum sodalium in patria tenere cogentur, ad vocationes aliquo modo sibi comparandas.

3. Quoad rem etiam oeconomicam idem valet. *Sed scripto tradam considerationes meas.*[7]

Concludendo, ut consectaria ducamus ex dictis, vellem proponere ut n. 25, in cap. III, haec adiungantur:

1. Dioeceses et nationes, in quibus iam exstant Instituta missionalia, ea habeant uti ex se promanantia et ut medium ordinarium — quasi instrumentum naturale — ad explendum suum debitum missionale.

Vellem quoque ut novus Codex Iuris Canonici provideat ut etiam iuridice Institutis missionalibus cleri saecularis facultas detur se arctius coniungendi dioecesibus et regionibus christianis quae ea fundarunt. Hoc modo episcopi ea denuo habere poterunt uti propria et non ut institutiones alienas a sua sollicitudine pastorali.

2. Antequam fundentur nova seminaria cleri saecularis pro missionibus, videatur utrum iam exstent in eadem regione vel natione Instituta missionalia sine votis. Ubi iam exstant prius ratio quaeratur quomodo haec Instituta iam existentia magis efficientia reddantur, ita ut reapse absolvere possint fines ad quos ab episcopis fundata fuerunt.

3 et ultimum. Sacerdotibus cupientibus etiam aliquot annos tantum missionibus donare, opportunitas servetur id faciendi independenter ab Institutis et seminariis pro missionibus. Generatim tamen et melius providebitur eorum praeparationi et tutelae in territorio missionis, si conventio fiat cum aliquo Instituto, quod eorum curam sibi sumat, *saltem temporaliter*.[8] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Ante hos sex menses, adhuc praelatus nullius cum essem in amplissima regione Amazoniae Brasilianae, putabam me operam dare in perdifficili Ecclesiae parte; nunc autem superior generalis factus Pontificii Instituti pro Missionibus Exteris, video me in negotia adhuc graviora incidisse. Ad sequentia, quaeso, animadvertatis. [3] deest. [4] Consequenter in Institutis missionalibus deficere coeperunt adspirantes ex clero et seminariis dioecesanis, quae fuerant illis praecipuus, ne dicam unicum, fons vocationum. [5] Eorum sodales in regionibus missionum plerumque adlaborant — quod quidem naturae horum Institutorum exclusive missionalium consentaneum est —. [6] — quamquam contra suam voluntatem —. [7] Haec Instituta nullum fontem regularem habent unde haurire possint necessaria ad sua seminaria sustentanda et ad alia opera promovenda. Praeterea nonnullae dioeceses regionum christianarum nunc directe malunt missionibus auxilium afferre: proinde minus curant de Institutis. Etiam S. Congregatio de Propaganda Fide, quae ordinatim, pro suo posse, missionibus omnibus auxilium praestat, nulla subsidia Institutis missionalibus praebere potest. Oblationes enim a totius mundi fidelibus collectae, mediantibus Pontificiis Operibus Missionariis, ne urgentioribus petitionibus missionum quidem satisfacere valent. Sed hoc audeo dicere: sunt quaedam Instituta missionalia, quae minore disponibilitate pecuniaria gaudent quam aliqua ex missionibus ab ipsis fundatis. Notum mihi est quoddam Institutum Missionale compulsum esse ad interrumpendam aedificationem seminarii quo valde indigebat, solummodo quia non invenit necessariam pecuniam, cum iam intolerabilibus oneribus gravaretur. [8] deest.

[*Subscripserunt etiam*] G. Obert, ep. Dinajpur; L. Bianchi, ep. Hongkong; P. Schweiger, CMF; A. Cerqua, ep. tit. Olbia; M. Guéguiner, MEP; J. Lecuona, ep. tit. Vagada; P. Massa, ep. Nanyang; M. Civelli, ep. Weihwei; A. Larribeau, ep. tit. Tinis; J. Urrutia, arch. tit. Carpato; G. Raballand, ep. tit. Eguga; A. Derouineau, arch. Kunming; R. Boisguerin, ep. Suifu; C. Miniali; F. Loewenau, prael. Obidos; A. Galbiati, ep. Jalpaiguri; J. Dalvit, ep. São Mateus; S. Silvestri, ep. Foligno; A. Escalante, ep. tit. Sora; J. Comber; G. Mahon MHM; Th. Quinlan, ep. Chun Cheon; H. Henry, arch. Kwangju; P. Cleary, ep. Nancheng; H. Byrne, ep. tit. Lamia; P. Cronin, ep. tit. Ubaza; J. Kielt, Soc. S. Columbano; E. Fitzgibbon, praef. ap. Minna; J. Houlihan, ep. Eldoret; W. Dunne, ep. Kitui; D. Ekan-

dem, ep. Ikot Ekpine; J. Moynagh, ep. Calabar; Th. McGettrick, ep. Ogoja; A. Beretta, ep. Warangal; T. Ryan, ep. tit. Margo; J. Parodi, ep. Savona e Noli; A. Ramos, arch. Belém; W. Bouter, ep. Nellore; V. Billington, ep. tit. Fallaba; J. Ireland, praef. ap. Falkland Islands; J. Greif, ep. Tororo; F. Hall, ep. tit. Castra Nova; H. Te Reele, praef. ap. Malakai; J. Boerkamp, praef. ap. Kashmir; C. De Wit; A. Padiyara, ep. Ootacamund; A. Carvajal, ep. tit. Copto; O. Chaves, arch. Cuiabá; M. Corrêa Pereira, aux. Belém; A. de Castro Mayer, ep. Campos; G. Casullo, ep. tit. Utica; A. Ungarelli, ep. tit. Azura; V. Marchetti Zioni, ep. Bauru; A. Marzi, prael. Alto Solimôes; E. Kunz, ep. tit. Tolemaide in Fenicia; J. Batista Pereira, ep. Guaxupé; J. Berenguer, ep. Feira de Santana; A. González Ferreiro, prael. Sâo Raimundo Nonato; J. Gomes, ep. Bagá; C. Bampi, aux. Caxias; V. Calheiros, ep. tit. Mulia; J. Pires, ep. Arassuai; Cl. Colling, ep. Passo Fundo; Gaetano, ep. Ilheus; Belchior, adm. ap. Luz; J. Gonçalves da Costa, ep. tit. Rodopoli; A. Brandâo Vilela, arch. Teresina; D. Parodi, ep. tit. Centenaria; Fr. Austregesilo de Mesquita, ep. Afagados da Ingáz.; Cl. de Andrada, ep. Vitória da Conquista; J. de Castro Pinto, aux. Sâo Seb. do Rio de Janeiro.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis proponit novam suffragationem.

Secretarius generalis: 390, pag. 12, n. 7 et est ultima pro hac die [*cf. pag. 238-240*]. *Placet* an *non placet?*

9

EXC.MUS P. D. PETRUS HAN KONG-RYEL
Episcopus Ieoniuensis

Venerabiles Patres,

« Vocatio missionaria est specialis, totum hominem et quidem totam vitam devinciens », uti egregie enuntiatur in relatione circa rationem qua elaboratum est schema praesens. Iuvabit autem nos notare sequentes reflexiones experientia fundatas circa idealem typum sacerdotis missionarii.

Nostris diebus pro iuvenibus (sacerdotibus) in Europa et in America, qui desiderant operam navare in terra Missionum, praesto sunt quatuor possibilitates seu quadruplex categoria viae:

Prima categoria est *Titulus Individui.* Si quis iuvenis (sacerdos) quaerit et invenit aliquam dioecesim in Missionibus, quae acceptat eum titulo individuali, et operam navat pro hac dioecesi, ita ut hic presbyter maneat totaliter sub unica auctoritate Ordinarii loci, qui eum libere disponit secundum exigentias dioecesis et *secundum* [1] capacitatem canditati.

Verumtamen difficultates oriri possunt: pro apostolatu enim in terra Missionum in Asia et in Africa, necessaria est formatio specialis seu praeparatio pro adaptatione vel potius pro integratione ad mores, ad traditiones, ad culturam, ad philosophiam, speciatim ad mentalitatem populi, ad quem mittitur. Item requiritur praeparatio *methodorum* [2] apostolatus, quae supponit cognitionem methodorum antiquarum et novarum, atque cognitionem rerum agendarum vitandarumque. Atqui candidatus ad servitium individuale seu titulo individuali acceptus, undenam acceperit huiusmodi formationem adaequatam, vel in futuro a quonam facile possit eam accipere?

Praeterea, si propter aliqua motiva, v. g. propter infirmam valetudinem, propter difficilem characterem, etc., non amplius valeat remanere, quo vadat hic infelix sacerdos? Haec difficultas etsi videatur non tam frequens, non est tamen negligenda.

Secunda categoria est *Titulus Instituti*. Candidatus nomen dat alicui societati missionariae sive religiosae sive saeculari. Candidatus ibidem accipit formationem adaequatam a superioribus competentibus, qui postea eum mittunt in aliquam Missionem.

Sane haec formula est multo melior et securior quam praecedens, sed notanda est duplex difficultas: scil.

Prima difficultas est *difficultas assimilationis*. Tendentia enim naturalis membrorum eiusdem societatis *missionariae* [3] ad massam sectariam efformandam, impedire potest assimilationem et collaborationem missionarii cum clero autochtono. Insuper missionarii religiosi magis inclinantur ad sollicitudinem propriae congregationis quam missionis.

Secunda difficultas est *collisio inter auctoritates*. Si oriatur oppositio inter auctoritatem Ordinarii loci et auctoritatem superioris societatis missionariae, iste candidatus fieri potest victima huius conflictionis. Difficile erit servire duobus dominis contradicentibus.

Ad praecavendas igitur huiusmodi difficultates, contractus inter dioecesim et societatem missionariam initus debebit praevidere cautiones pro solvendis difficultatibus possibilibus, et quidem concedens ampliores potestates auctoritati episcopali. Vel potius novum ius constituendum est in Ecclesia hac de re.

Tertia categoria est ...[4] *Fidei donum*. Sub hac formula, presbyter alicuius dioecesis exercet ministerium in altera dioecesi *sed* [5] pro *tempore limitato*. Experientia teste, haec formula non producit bonum effectum nisi in casibus bene praecisis, scil.:

1. Quando candidatus iam calleat lingua loci ubi mittitur, vel habeat facilitatem in discenda ea.

2. Quando non habeatur problema linguae, v. g. professores alicuius instituti scholaris directe mittuntur ad munus eiusdem typi. Utroque tamen casu, supponitur formatio adaequata.

Haec formula secum fert, experientia teste, periculum perdendi pro aliquibus vocationem missionariam definitivam, totalem, et tributariam. Dico:

1) *definitivam*: quia forsan aliquis eorum haberet vocationem tempore non limitatam seu totius vitae;

2) dico *totalem*: quia haec sola esset fructuosa, dum si quis tantum pro tempore limitato operam daret, fortasse sese totum non applicaret pro apostolatu;

3) dico *tributariam*: quia non sufficit tantum bona voluntas aut zelus affectuosus; requiritur enim solida et adaequata praeparatio ad amplectendam vitam missionarii.

IV. *Quarta* et ultima *categoria* est *Titulus Individuo-Instituti.* Iam in aliquibus societatibus missionariis adaequata formatio datur iuvenibus, qui post initum sacerdotium, donantur dioecesibus quae indigent sacerdotibus. Episcopi possunt disponere eos ad libitum iuxta exigentias respectivae dioecesis. Insuper societas ista se obligat ad iterum recipiendos suos missionarios, qui pro diversis motivis non valeant manere in dioecesi cui donati erant. Haec ultima formula nobis videtur quasi-idealis, propter vocationem definitivam, propter formationem adaequatam, propter libertatem plenariam episcopi.

Dico quasi-idealem: quia ceterae formulae etiam valde utiles, et aliquando sunt necessariae secundum circumstantias loci et temporis. Sic titulus individualis, positis ponendis, maiorem fructum producere potest a candidato qualificato ...[6]

Moderator: Festina, Pater rev.me, ad conclusionem. Tempus tuum actum est.

Orator: *Reliqua in scriptis tradam.*[7] Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ad methodum. [3] deest. [4] titulus. [5] deest. [6] 2. titulus Instituti qui dividitur *a*) titulus Instituti saecularis: qui magis aptus videtur pro Ecclesiis in statu plantationis; *b*) titulus Instituti religiosi: hic magis aptus videtur pro Ecclesiis in statu maturationis. Quia missionarii religiosi possunt et debent contribuere pro eis non solum in campis religiosis, sed etiam in campis culturalibus. 3. Titulus Fidei Donum: qui est utilissimus relate ad Ecclesias, v. g. pro Ecclesiis in America Latina. Conclusio: Quaecumque sit formula, vocatio missionaria semper et ubique debebit esse

fundata principiis a quodam missionario nostri saeculi xx ad mentem Evangelii enuntiatis: fundata in abnegatione totali, in caritate sincera, in gaudio constanti. Tandem formatio missionarii perfici deberet in ipsis missionum locis cooperantibus fratribus autochtonis, praesertim episcopis, qui depositis cuiuscumque generis praeiudiciis, sepositoque qualicumque complexu, acceptent et tractent suos missionarios... in dignitate humana... in caritate divina... in unitate christiana. Aliquot proposita et animadversiones super totum schema in scriptis tradam.

Animadversiones additae:

Pag. 8, lin. 17: vox *saltem* deleatur. *Ratio*: quia videtur quasi diceret activitatem missionalem Ecclesiae esse nimis insufficientem.

Pag. 13, lin. 19: deleantur verba « liberantur a daemone et ». *Ratio*: etsi sit biblica, in praesens tamen haec expressio non est tam patens, et non bene concordat cum eo quod dictum est pag. 11 « de dialogo cum non-christianis ». Haec expressio non applicatur magis speciali modo conversis in terra missionum quam conversis in aliis regionibus vel omnibus baptisatis.

Pag. 15, lin. 3: loco: « in ordine diaconorum ac presbyterorum fratribus suis inservientes, immo episcopali munere fungentes », proponitur: « in ordine episcoporum, presbyterorum ac diaconorum fratribus suis inservientes ». *Ratio*: in hoc ordine, enumeratio magis biblica notat quod episcopus etiam est in servitium pro fratribus. Istud vocabulum « immo » malo sensu interpretari potest.

N. 16, pag. 15, linn. 4-15 deleantur. *Ratio*: quare hic verbose repetatur quod valet pro clero totius Ecclesiae; et in Concilio decretum est pro clero tam ecclesiarum antiquarum quam novellarum. Sufficit supprimere vocabulum « Quae » quod aperit lin. 16, et incipere per verba « Exigentiae communes... etc. » ut hic textus sit ad rem.

Pag. 22, lin. 11: loco « ministrorum et missionariorum » quod reintroducit distinctionem inadaequatam, proponitur: « missionariorum sive advenarum sive autochtonorum ».

Pag. 22: ordo rerum magis appareret, si n. 28 et n. 29 mutarentur.

Pag. 24, linn. 29, 30: deleantur verba « et vocem audiant multitudinum clamantium: "Adiuva nos"... ». *Ratio*: haec expressio non tam correspondet realitati praesenti.

De schemate in genere.

Constitutio dogmatica *Lumen Gentium* (n. 17), necnon huius schematis cap. I « de principiis doctrinalibus » (cf. n. 5) totam Ecclesiam, natura sua, *missionariam* esse clare affirmant.

Simili modo, secundum constitutionem *Lumen Gentium* (n. 23) una et unica Ecclesia catholica ex Ecclesiis *particularibus* exsistit.

Miranda est ergo descriptio « de ipso opere missionali » (cap. II) et de « missionariis » (cap. III) ab hoc schemate proposita. In ea etenim, Ecclesiae particulares *tantum ut finis* operis missionalis describuntur.

Textus huius schematis approbari non poterit ab eadem maioritate Patrum qui constitutionem dogmaticam *Lumen Gentium* de natura Ecclesiae approbaverunt, nisi uterque textus inter se cohaereant.

Haec cohaesio postulat ut opus evangelizationis ad Ecclesias autochtonas *etiam* pertinere eisque *melius* convenire clare ac firmiter affirmetur.

Hodie Ecclesiae particulares iam *existunt,* sicut patet ex praesentia in hac aula multorum horum episcoporum. Harum existentia, elementum novum, gratiae Dei et laboris Institutorum missionalium fructus mirabilis, pro vita Ecclesiae universalis maximi momenti est. Unde et existentes et suum ministerium exercentes in decreto describendae sunt.

Ad normam ultimi voti relationis (pag. 10), ad novos horizontes aperiendos et sapientes normas statuendas, non pauca sub luce officii missionalis Ecclesiarum particularium in decreto reelaboranda essent. Haec est via ad missionis Ecclesiae aggiornamento.

Hoc facile obtineri potest, si post cap. I de principiis doctrinalibus, cap. II de Ecclesiis particularibus poneretur. A paragraphis 19 et 20, cap. II huius schematis, hoc novum caput confici potest.

Capp. II, III, IV et V textus propositi, post aliquas emendationes ad mentem novi cap. II, servari possunt.

Titulus cap. III, pag. 18, loco: « de Missionariis », proponitur « de Missionariis *exteris* ». *Rationes*: 1. Patet enim *intentio huius capitis* de solis missionariis ex aliena regione ortis tractari cum v. g. de lingua populi evangelizandi discenda agitur. 2. Ne vocatio missionalis cleri localis, in novellis ecclesiis, omissa videatur, hoc, modo claro, dici debet. Etenim, si titulus corrigitur, patet in hoc capite de missionariis *in quantum* ex aliena regione ortis agi.

Cap. III, n. 21, pag. 18, linn. 36-38, loco: « simulque in Ecclesia suscitat *Instituta* quae munus evangelizationis ad totam Ecclesiam pertinens *quasi proprium officium suscipiant* », proponitur: « simulque in Ecclesia suscitat *institutiones* quae munus evangelizationis ad totam Ecclesiam pertinens *peculiari modo in se suscipiunt* ». *Rationes*:

Ad primum: loco « Instituta », proponitur « Institutiones ». In historia Ecclesiae, Spiritus Sanctus suscitavit et suscitat diversas formas institutionum quae non omnes sub titulo « instituta » traditionalia nuncupantur, v. g. « seminarii cleri dioecesani pro missionibus » de quibus pag. 26 lin. 11 vel variae institutiones nuper inceptae et ab Ecclesia approbatae. Quae omnes facile sub verbo « Institutio » sed non « Instituta » simul cum Institutis traditionalibus comprehendi possunt.

Ad secundum: loco « quasi proprium officium suscipiant » proponitur « peculiari modo in se suscipiunt ».

1. Verba « quasi proprium officium » non valde clara sed ambigua videntur. Officium est proprium vel non. Sed munus evangelizationis proprium officium totius Ecclesiae esse patet, sicut optime textus immediate antea proclamat. Si munus illud non est munus proprium Institutorum, cum sit Ecclesiae, dici debet *participatum.* Quam participationem, peculiari modo, Instituta in se suscipiunt.

2. Munus evangelizationis tamquam « quasi proprium officium » Institutorum Missionalium affirmare, sub respectu finis principalis seu pastoralis huius concilii, valde periculosum videtur, immo erroneum. Etenim, ex una parte, haec affirmatio novellas ecclesias proprii populi evangelizationis responsabilitate privare videtur. Quae responsabilitas, extra has Institutiones, a clero locali, populoque christiano, assumi debet et potest. Ex altera parte textus schematis cum constitutione dogmatica *Lumen Gentium* sub n. 17 et 23 non concordat.

De officio laicorum in genere. Secundum mentem tam constitutionis dogmaticae *Lumen Gentium* quam in schemate *de apostolatu laicorum* sub nomine « Ecclesiae » hic intelligi debet « populus Dei messianicus » (cf. n. 5, pag. 7, lin. 24).

Cum, maxime hodie, urget actio laicorum, praesertim in Ecclesiis novellis, haec sequentia proponuntur ut omnia quae valde bona sed passim de laicis dicuntur:

1. Ad vitandum, peculiari modo in cap. II de ipso opere missionali, interpretationem restrictivam, post primum verbum introductionis (n. 10, pag. 11) sc. « Ecclesia » verba sequentia addere utilissime videtur « seu totus populus christianus, tam laicalis quam sacerdotalis » ita ut introductio sic incipiat: « Ecclesia, seu totus populus christianus, tam laicalis quam sacerdotalis, a Christo missa... etc. ».

2. Sub n. 19, pag. 17, linn. 23-24, post verba: « familiae per vitam vere christianam seminaria evadunt vocationum sacerdotalium et religiosorum » additur « et apostolorum laicorum ».

3. Sub n. 21, pag. 18, lin. 35, post verba « peculiarem vocationem missionariam » addantur verba: « tam laicalem quam sacerdotalem et religiosam ».

[*Subscripserunt etiam*] St. Kuijpers, ep. Paramaribo; G. Gaudreau CSSR; A. Antezana, arch. La Paz; J. Manrique, ep. Oruru; G. McCarty, ep. Rapid City; A. Demets, ep. tit. Cadossia; P. Yüpin, arch. Nanking; L. Picachy; A. Mbuka, aux. Kikwit; A. Ndongmo, ep. Nkongsamba; R. Pailloux, ep. Fort Rosebery; A. Katkoff; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; J. Cesana, ep. Gulu; M. Otunga, ep. Kisii; E. Mchonde, ep. Mahenge; R. Butibubage, aux. Mwanza; Ch. Msakila, ep. Karema; A. Ddungu, ep. Masaka; Cl. Chabukasansha, ep. Kasama; J. Gahamanyi, ep. Butaré; N. Bihonda. aux. Gitega; A. Makarakiza, ep. Ngozi; J. Martin, ep. Bururu; J. Sibomana, ep. Ruhengeri; P. Grimm, ep. Tsinchow; Q. Schmitz, ep. Teofilo Otoni; E. Cabrera Urdangarin, ep. Mercedes; M. Vial, ep. Nevers; A. Marzi, prael. Alto Solimôes; J. Tielbeek, ep. tit. Tipasa di Numidia; Fr. Kervéadou, ep. Saint Brieuc; St. Lokuang; E. Quintero Arce, ep. Ciudad Valles; A. Arcilla, ep. Sorsogón; M. Ntuyahaga, ep. Bujumbura; V. McCauley, ep. Fort Portal; P. Kobayashi, ep. Sendai; R. Bézac, ep. Aire; W. McNaughton, ep. Inchon; W. Kupfer, ep. Taichung; J. Rudin, ep. Musoma; J. Regan, ep. tit. Isinda; E. Fedders; F. Donaghy, ep. Wuchow; J. Pardy, ep. Cheong Ju; J. de Reeper, ep. Kisumu; A. Kozlowiecki, arch. Lusaka; M. Mihayo, arch. Tabora; C. Davies, praef. ap. Ngong; N. Agnozzi; W. Dunne, ep. Kitui; P. Binh, arch. Saigon; D. Doan, ep. Quinhon; Th. Le Huu Tu, ep. tit. Dafnusia; J. Dai, ep. tit. Sila; Ph. Dien, arch. tit. Pario; S. Hien, ep. Dalat; M. Ngu, ep. Long Xuyen; A. Thien, ep. Vinhlong; J. Quang, ep. Cantho; J. Kuo, arch. tit. Salamina; Th. Niu, ep. Yangku; P. Tou; P. Cheng, aux. Taipei; Ph. Côté, ep. Süchow; J. Cheng, ep. Kaohsiung; P. Ro, arch. Seoul; J. Sye, arch. Taegu; J. Choi, ep. Pusan; V. Youn, ep. Suwon; Peter Hoang, ep. Tae Jeon; D. Tji, ep. Won Yu; St. Bäuerlein, ep. Djakovo; C. Bezmalinovic, aux. Hvat; M. Zvekanovic.

10

Exc.mus P. D. IOANNES DE REEPER

Episcopus Kisumuensis

Em.mi ac rev.mi Patres Conciliares,

Loquor in nomine 100 episcoporum.

1. Spero vos me excusatum habere si in interventione mea loquar candide de necessitate materiali in operibus missionalibus de qua schema nostrum nimis timide mentionem facit ac si esset aliquid sordidum. Certe, S. Paulus vocat illud lucrum sordidum, sed scimus opera missionalia impossibilia esse sine illo lucro sordido. Etiam in missionibus adagium valet: oportet primum vivere deinde philosophare, vel potius pro missionibus: oportet primum colligere deinde praedicare. Missionarii sunt viri practici et scio quod, quando redibimus in missiones nostras, non nos rogabunt: quomodo Concilium definivit ideam missionis, sed rogabunt: qualem maiorem cooperationem et auxilium possumus exspectare a dioecesibus in terris christianis pro operibus nostris? Ideoque rogo ut me audiatis si loquar de illo aspectu cooperationis de qua sermo est in cap. V schematis decreti *de activitate missionali Ecclesiae*.

In n. 36 nostrae schematis, pag. 25, dicitur: « Episcopi omnes, sive singuli sive ut membra corporis episcoporum collegio apostolorum succedentis, non solum pro aliqua dioecesi, sed pro totius mundi salute consecrati sunt. Mandatum Christi praedicandi Evangelium omni creaturae eos, cum Petro et sub Petro, primo et immediate afficit. Inde oritur illa communio et cooperatio Ecclesiarum quae hodie tam necessaria est ad opus evangelizationis prosequendum ».

Relator, rev.mus D. Schütte, bene adiungit: « Episcopi missionarii cum suis missionariis in difficili prima acie munus suum obeunt nomine Ecclesiae universalis; ibi sunt, non ex missione propria, sed missi ab Ecclesia et nomine Ecclesiae. Universa Ecclesia de eis, de eorum labore et de eorum sustentatione respondere debet. In hoc sensu non sunt mendici quaestuantes, sed tamquam muneris missionalis Ecclesiae exsecutores, ius habent ad auxilium et sustentationem universae Ecclesiae ». Et sicut nos, episcopi missionarii, non amamus et non desideramus semper et ubique peregrinare uti mendici, ita et vos aegre fertis constanter et instanter eleemosynas rogari pro missionibus. Etiam epi-

scopus missionarius obligationem residendi in sua dioecesi habet. De facto vero haec praesentia et residentia in sua dioecesi impossibilis redditur eo quod episcopus, qui totalem ruinam oeconomicam suae missionis evadere cupit, frequenter itinerare tenetur, ad fines usque mundi stipes colligens. Equidem, dum in sua dioecesi commorare contingit, ipse maiorem partem sui temporis in litteris conscribendis impendere debet ut eleemosynas a benefactoribus petat.

Sed et episcopi non-missionarii perdunt multum tempus aut recipiendo numerosos episcopos missionarios ad se currentes mendicantes, aut respondendo innumeris epistolis ab iisdem receptis. Totum hoc dispendium temporis et activitatis episcoporum omnium, etsi necessarium, certe episcopis missionariis humilians et nimis mortificans est. Attamen in conditionibus praesentibus sine hoc conatu opus missionarium impossibile evadet. Unde omnino oportet ut alia solutio huius problematis inveniatur qua episcopi missionarii adiuventur quin necesse sit eos semper et ubique mendicare. Quare gaudeo audire et spero verificari id quod in relatione proponitur de stipe annua, quam dioeceses in terris christianis, propriis redditibus proportionatam, pro opere missionum quotannis dare tenerentur. Speramus et rogamus vehementer omnes Patres propositum istud amplexuros et in exsecutionem posituros esse.

Secundo [1]: Deinde iam pro alio problemate benignam vestram attentionem rogare audeo. Usque ad recens tempus Sorores missionales sustentabantur salariis a guberniis locorum missionum receptis pro servitio sive educationis puerorum, sive curae infirmorum. Nunc vero haec servitia personis indigenis reservantur. Quamobrem Sorores missionales mediis sustentationibus carent. Haec est crisis vere gravis. Remedium ab aliquibus propositum, scil. ut Congregationes pure missionales assumant in Europa et America munera educationis vel curam infirmorum, ut salariis inde perceptis missionibus suis succurrant, mihi quidem parum arridet. Erit enim pessima solutio. Fortasse commissio missionalis postconciliaris potest speciali modo istis Sororibus subvenire ut in opere suo, missionibus tam utili, possint perseverare sine periculo ruinae oeconomicae Congregationis suae.

Concludo: Iam multa audivimus, Patres rev.mi, de collegialitate episcoporum. Prospicimus magna cum exspectatione ad implicationem practicam illius collegialitatis, qua necessitates missionum considerantur sicuti necessitates omnium dioecesium Ecclesiae universae. Grati sumus pro omnibus quae iam missionibus fecistis et speramus quod hoc

Concilium novum impulsum dabit cooperationi omnium episcoporum erga missiones. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 2. Problema Congregationum Sororum Missionalium.

[*Subscripserunt etiam*] P. Koop, ep. Lins; J. Romeijn, ep. Samarinda; A. Sol, ep. Amboina; G. van. Hees, Ord. S. Cruc.; F. Broers, ep. Caravelas; Q. Pessers, praef. ap. Kiangchow; G. Van Engelen, abb. Cist. S. M. Med.; J. de Lange, ep. tit. Fotice; Fr. Janssen, vic. ap. Gimma; J. Tielbeek, ep. tit. Tipasa di Numidia; H. Systermans SSCC; H. de Cocq, ep. tit. Acque di Bizacena; W. Cobben, ep. Helsinki; D. Stuyvenberg, vic. ap. South. Solomon Islands; J. De Kesel, aux. Gent; J. Musty, aux. Namur; H. Mekkelholt, ep. tit. Dausara; A. Baroni; V. Haelg; A. Cuniberti; A. Pirotto; A. Coty; M. Choquet, ep. tit. Diospoli Inf.; G. Lalande CSC; M. McGrath, ep. Santiago Veraguas; G. Breen, praef. ap. Haflong; R. Larose, ep. Chittagong; Th. Ganguly, ep. tit. Drizipara; Cl. Chabukasansha, ep. Kasama; E. Lawton; J. Jobidon, ep. Mzuzu; J. Blomjous, ep. Mwanza; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; V. McCauley, ep. Fort Portal; E. Fitzgibbon, praef. ap. Minna; G. Nkalanga, aux. Bukoba; R. Butibubaga, aux. Mwanza; J. Kilasara, ep. Moshi; J. Ciona, ep. tit. Bacanaria; J. Moynagh, ep. Calabar; J. Corboy, ep. Monze; Th. McGettrick, ep. Ogoja; J. Whelan, ep. Owerri; L. Olu Nwaezeapu, ep. Warri; J. Hagan, ep. Makurdi; R. Pailloux, ep. Fort Rosebery; D. Ekandem, ep. Ikot; F. Arinze, ep. tit. Fissiana; J. Greif, ep. Tororo; J. Ireland, praef. ap. Falkland Islands; C. de Wit, prael. San José de Antique; V. Billington, ep. tit. Fallaba; A. Kozlowiecki, arch. Lusaka; E. Butler, ep. Mombasa; C. Davies, praef. ap. Ngong; M. Mihayo, arch. Tabora; H. Winkelmolen, praef. ap. Same; S. Mazzoldi, adm. ap. Moroto; J. Odongo, ep. tit. Baanna; O. McCoy, ep. Oyo; J. Fady, ep. Lilongwe; M. Otunga, ep. Kisii; J. Komba, ep. tit. Tignica; D. Durning, ep. Arusha; N. Agnozzi; G. Okoye, ep. Port Harcourt; A. Tarantino, ep. Arua; J. Houlihan, ep. Eldoret; A. Lanctot, ep. Rulenge; M. Maradan, ep. Port Victoria; Ch. Msakila, ep. Karema; E. Mchonde, ep. Mahenga; H. van Elswijk, ep. Morogoro; P. Winters, ep. Mbulu; Ch. Cavallera, ep. Masrabit; E. Maranta, arch. Dar-es-Saleem; E. D'Souza, arch. Bhopal; L. D'Souza, ep. tit. Capocilla; J. Rosario, ep. Amravati; F. da Veiga Coutinho; L. Pereira; A. Galvin, vic. ap. Miri; J. Boerkamp; W. Bouten, ep. Nellore; N. Hettinga, ep. Rawalpindi; D. Ferrara, praef. ap. Mopoi; A. Cousineau, ep. Cap Haïtien.

Moderator: Loquatur nunc pro laicis Ecclesiarum missionalium clarissimus D. Eusebius Adjakpley, ex Togo. [*Plausus*].

EGREGIUS D. EUSEBIUS ADJAKPLEY
Secretarius regionalis Africanus
Foederationis Internationalis Iuventutis Catholicae
nomine Auditorum laicorum

Vénérables Pères,

Qu'il me soit permis d'abord de dire toute ma joie de pouvoir, moi, laïc africain, prendre la parole, au nom des Auditeurs, devant cette Assemblée, qui compte des Cardinaux africains et tant d'Evêques de l'Afrique. Cette présence africaine est en elle-même une indication de ce qu'a fait l'effort missionnaire pour l'implantation universelle de l'Eglise. Et je veux rendre hommage aux missionnaires et à tous ceux qui ont donné leur vie et leur sang pour cette mission, qu'ils soient d'Afrique, d'Asie ou d'ailleurs.

Notre groupe d'Auditeurs tient d'abord à exprimer sa reconnaissance aux Cardinaux Modérateurs qui veulent bien lui redonner ainsi la parole aujourd'hui, à l'occasion de ce schéma qui nous tient particulièrement à cœur. Après la doctrine si riche du *De Ecclesia,* après les perspectives nouvelles du Décret *De Oecumenismo,* après les grands débats sur l'Apostolat des laïcs et le schéma sur « l'Eglise dans le monde de ce temps », le schéma actuel ajoute un enseignement indispensable et un appel nouveau, que nous recevons avec joie et que nous souhaitons voir accueillir avec empressement par tous les membres laïcs du Peuple de Dieu.

Nous remercions les Pères qui ont souligné dans le débat le rapport essentiel entre ce schéma et les autres textes conciliaires qui concernent plus directement les laïcs; ceux qui ont même demandé que notre rôle dans l'activité missionnaire soit encore plus clairement esquissé.

Nous savons que le monde d'aujourd'hui est bien différent de celui où a commencé l'effort missionnaire, tant pour les pays « de chrétienté » que pour les pays « de mission », ici il s'agit du monde dans le sens du schéma XIII. C'est un monde qui s'unifie, un monde où tout homme, de toute race et de toute nation, prend davantage conscience de sa dignité, où il supporte moins qu'autrefois les inégalités et les injustices dont il souffre; un monde où le processus d'unification rend plus vif le sentiment qu'a chaque peuple de sa personnalité propre, son besoin, non seulement de recevoir, mais aussi de s'affirmer et de donner; c'est un monde où des centaines de millions d'hommes vivent dans des régions où l'Eglise est à peine présente; mais un monde aussi où des pays traditionnellement chrétiens connaissent une déchristianisation profonde, et

où sur tous les continents, des secteurs importants de l'effort humain se développent sans aucun rapport apparent avec la pensée et l'expérience religieuses. Dans ce monde, nous avons conscience que la mission est partout.

Si la mission est partout, nous savons aussi que les missionnaires sont appelés de tous les pays et de tous les groupes dont se compose l'Eglise. Et nous sommes sûrs de pouvoir nous faire ici les porte-paroles de tant de laïcs hommes et femmes, jeunes et adultes, foyers aussi, qui souhaitent, chacun selon sa vocation, mettre leur témoignage et leurs compétences au service de la mission évangélisatrice de l'Eglise. Tous peuvent et doivent y coopérer: le schéma le montre bien. Mais aujourd'hui plus nombreux sont ceux qui se sentent appelés d'une manière spéciale à ce service: laïcs autochtones, des pays dits de mission, travaillant dans leur propre pays, comme catéchistes ou dans les divers groupements d'apostolat qui partout se développent; laïcs des pays dits de vieille chrétienté qui, soit au titre de laïcs missionnaires, soit plus indirectement au titre de la coopération internationale, se mettent au service des « jeunes Eglises »; laïcs aussi enfin des pays dits « de mission » qui peuvent devenir missionnaires à leur tour, non seulement chez eux, mais dans des pays qui leur sont proches, physiquement et spirituellement, et même partout où l'Eglise a besoin d'eux. Nous souhaitons que le débat actuel puisse aider des laïcs de plus en plus nombreux à entendre cet appel de la mission, et à comprendre le rôle qu'ils ont à y jouer, spécialement en portant à leurs semblables le témoignage d'un christianisme vécu, et en cherchant à rendre, dans tous les domaines, l'Eglise présente comme un levain dans la société.

Nous voudrions adresser un appel tout spécial aux *jeunes,* soit des pays « de mission » soit des pays dits « de chrétienté ». Ils sont nés dans un monde déjà en voie d'unification, avec une conscience de destinées nouvelles. Ils s'enthousiasment pour des tâches de développement, de la construction de la cité. Il faut qu'ils puissent se sentir, en même temps, au moins aussi engagés dans la tâche essentielle du chrétien; porter le Christ au monde, et le monde au Christ.

Pour nous laïcs, l'aspect œcuménique revêt une importance spéciale, ainsi que le rappelle clairement le décret de ce Concile sur l'œcuménisme. C'est avec tous les hommes de bonne volonté que nous devons bâtir la cité. C'est avec tous les croyants que nous devons essayer d'y faire exprimer les valeurs spirituelles. C'est avec tous nos frères dans le Christ que nous sommes appelés à y faire pénétrer le levain évangélique, à faire connaître à *tous les hommes* nos frères un même Christ, Seigneur et Sauveur.

Nous vous remercions, Vénérables Pères, de nous avoir fait entendre cet appel. Nous vous demandons, et nous demandons à nos prêtres, de nous aider à mieux y répondre. Aux laïcs de tous les pays, hommes et femmes, jeunes et adultes, à ceux surtout qui ont plus reçu, nous demandons, nous aussi, de prendre conscience de leur responsabilité, et, « sous le souffle de l'Esprit-Saint », de « communiquer à leurs frères le don de la foi ». Merci. [*Plausus*].

Moderator: Rev.mus P. Ioannes Schütte, relator, velit concludere disceptationem *de activitate missionali Ecclesiae.*

REV.MUS P. D. IOANNES SCHÜTTE
Superior Generalis Societatis Verbi Divini

Venerabiles Patres,

Magno cum gaudio et solatio animadvertimus, his ultimis diebus quam intime cordi sit Patribus conciliaribus opus missionale Ecclesiae. Cuius sollicitudinis signum videtur frequens numerus eorum Patrum qui interventiones de praesenti schemate sive oretenus sive in scriptis protulerunt. Quibus omnibus, maximas hic ago gratias, non solum in nomine totius commissionis, sed et omnium missionariorum ubique terrarum.

Nec minori satisfactione percepimus quasi omnes intervenientes accepisse schema ut tale et in genere; factum quod etiam votatione quasi unanimi approbatum est, etiamsi emendationes quaedam adhuc desiderari videntur. In quantum ad dictas emendationes magna cum diligentia et responsabilitate consideratum iri, ne dubitetis.

Longum quidem esset atque inutile retexere hoc loco omnia quae tam clare sunt exposita a rev.mis Patribus in hac ipsa aula. Ideoque liceat mihi mentionem facere tantum quorumdam principaliorum: quamvis in revisione definitiva huius decreti omnem debitam curam praebebimus ut omnibus et singulis opinionibus suae partes reddantur.

Inter alias animadversiones factas:

1. Suadetur nova ordinatio materiae, vel capitum. De hac re, sine dubio, multae possunt esse opiniones aeque validae: sicut in ipsis sessionibus nostrae Commissionis experti sumus. Post longam vero et completissimam disceptationem statuimus hunc propositum ordinem esse aliis, etiam bonis, praeferendum. Cum tamen nihilominus desideretur, ponderabimus iterum rationes cur mutetur.

2. Sunt qui maluerunt structuram ipsius missionis considerare non tam ut rem hierarchicam ipsius Ecclesiae sed potius ut sit functio totius populi Dei; alius vero Pater, ut magis insistatur in ipsa structura hierarchica missionis. Etiam hic, fatetur possibilitas exstare considerandi argumentum sive hoc sive alio modo: et revera in primo textu a subcommissione exarato, activitas missionalis Ecclesiae uti officium et obligatio totius populi Dei clarius elucebat. Fortasse adhuc possibile erit, hos aspectus ita coniungere ut inter eas quaedam aequilibritas melius stabiliatur.

3. Orientationem oecumenicam quod attinet, elementa necessaria de hac re in schemate ut proposito iam inveniuntur; sed forsan in revisione ultima fortius adhuc proponere licebit aliqua: et modo magis explicito. Indicari debet scandalum separationis cum suis consequentiis minus felicibus pro ministerio, et applicatio decreti *de Oecumenismo* ad situationem concretam missionalem.

4. Desideratur etiam, ut activitas laicorum speciatim in ipsis terris missionum, considerari liceat non solum ut cooperatio cum missionariis sed etiam ut quoddam opus missionale ipsis laicis proprium: proprio iure et propria responsabilitate faciendum.

5. Tandem, ut alias observationes modo summarii breviter repetam, melius in luce ponenda sint, iuxta placita quorumdam Patrum conciliarium:

a) finis, necessitas et urgentia ipsarum missionum;

b) necnon ipse conceptus missionis qua talis, et necessitas perfectioris informationis missionalis;

c) formatio missionariorum pro labore apostolico, *etiam practico,*[1] et media ab ipsis in hoc labore adhibenda;

d) varii aspectus ipsius processus evangelizationis, necnon maior insistentia in variis formis dialogi cum non-christianis, in ipsa praedicatione et evangelizatione, in spiritu vere missionario Ecclesiarum crescentium, et in obligatione accipiendi verbum praedicatum;

e) deinde, partes Spiritus Sancti in conversione gentium, sicut etiam ea quae facienda sunt a diversis conferentiis episcopalibus, necnon positio et iuria ipsi episcopo competentia, et momentum Operum Pontificalium. Citationes ex Sacra Scriptura novo scrutinio subiiciantur.

Haec et alia commendantur ut schema propositum magis eluceat tamquam pharus, illuminans activitatem missionalem Ecclesiae. Certiores autem reddere velim omnes qui vel in scriptis opiniones proferre voluerunt, nos omni qua par est studio ac diligentia tales opiniones

propositas esse consideraturos: etiam eas quae ad nos absque nomine pervenerunt, et illas quae a carissimo Auditore africano hic in Aula prolatae necnon fraterne a quodam Observatore oblatae sunt.

...[2] Sic liceat sperare ut ipsum schema missionale definitivum magis ac magis perfectum evaderit, quod « vobis et Spiritui Sancto » revera placeat! Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Incipit ergo novus nostrae commissionis labor arduus, sed.

Moderator: Gratias agimus rev.mo relatori. Et nunc transitus tandem fit ad disceptationem super schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum,* quam disceptationem introducit, per suam relationem, relator, exc.mus D. Franciscus Marty, arch. Remensis, praelatus Missionis Galliae.

SCHEMA DECRETI DE MINISTERIO ET VITA PRESBYTERORUM *

TEXTUS RECOGNITUS ET RELATIONES

[7]

1 – RELATIO GENERALIS

Venerabiles Patres,

Pergratum mihi est, nomine Commissionis « De disciplina cleri et populi christiani », vobis proponere textum schematis « De ministerio et vita Presbyterorum ». Qui textus, iam emendatus et valde adauctus post disceptationem praecedentis schematis propositionum in Aula Con-

---

* *In initio fasciculi legitur*:

Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVIII mensis maii, anno MCMLXV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

ciliari, denuo recognitus est, mense aprili huius anni 1965, iuxta animadversiones a Vobis in scriptis factas. [7]

Animadversiones autem fuerunt quingentae viginti tres, transmissae a plus quam ducentis Patribus ex triginta Nationibus. His quoque accedunt suggestiones propositae a multis Peritis, e diversis scholis ac Nationibus, quorum sententiam rogavimus pro hoc nostro textu perficiendo, necnon Parochorum vota. Haec autem omnia, quae sedulo quidem perpendimus, per laborem imprimis Subcommissionum, deinde vero Commissionis plenariae, magnae utilitati nobis fuerunt. Par est igitur ut Vobis, Venerabiles Patres, illisque omnibus qui, per suas animadversiones, nos benigne adiuverunt, ex animo gratias agam, sperans fore ut hic textus plene Vestris nostrisque desideriis satis faciat.

In priore parte schematis, cui titulus « De Presbyterorum ministerio », exponitur imprimis natura Presbyteratus, necnon missio praestantissima quae in Ecclesia Presbyteris committitur, quippe qui sint providi cooperatores Ordinis Episcopalis; in hac expositione semper prae oculis habuimus illa quae iam in Constitutione « De Ecclesia » praeclare docentur. Concinnius quidem, ac modo magis positivo quam in praecedenti textu, distinguere curavimus inter sacerdotium commune fidelium et sacerdotium ministeriale, quod per sacramentum Ordinis confertur. Quaedam deinde adduntur circa condicionem Presbyterorum in media communitate hominum, ex quibus segregati sunt, sed pro quibus constituuntur. Postea enumerantur — suppressa interruptione quam secum ferebat numerus tertius prioris redactionis — tria munera per quae Presbyteri suum ministerium exercent: sunt enim Presbyteri, cum Episcopis et sub eorum ductu, verbi Dei praecones, sacramentorum ministri et Populi Dei rectores. De Presbyteris in genere tractamus, cum de Parochis aliisque sacerdotibus peculiare munus exercentibus directe agatur in schemate decreti « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ». Hoc fundamento doctrinali innixi, describimus arctas relationes ac necessariam unitatem quae Episcopos inter et Presbyterium intercedunt, necnon confraternitatem qua Presbyteri invicem devinciuntur;
itemque exponitur cooperatio quae, in omnibus quidem, sed praesertim [8]
in actione pastorali, propter communem participationem in sacerdotio Christi et in communitate missionis ac responsabilitatis, inter omnes Presbyteros vigere debet, ac specialiter inter eos qui in eadem dioecesi sub uno Episcopo unum Presbyterium constituunt.

Ad vitam vero communem quod attinet, prae oculis habuimus eam plures formas induere posse, prout pastorales necessitates suadeant. Opportunum quoque nobis visum est, iuxta id quod aliis in schematibus statuitur circa vocationem et missionem apostolicam laicorum, expresse

[8] agere de relationibus Presbyterorum cum aliis hominibus, praesertim autem cum laicis fidelibus.

Consideratur praeterea studium scientiae sacrae atque artis pastoralis tamquam officium pertinens ad ipsum statum sacerdotalem; etenim non solum efficax exercitium ministerii verbi, sed etiam labor pastoralis ac missionarius, ut peculiaribus locorum personarumque adiunctis in mundo huius temporis accommodentur, hoc studium prorsus requirunt. Sub hoc eodem aspectu consideratur etiam necessitas promovendi aptiorem cleri distributionem in mundo, necnon faciliorem reddendi exercitium operum apostolatus specifici apud diversos coetus sociales. Opportunum demum visum est quaedam dicere, in fine huius prioris partis, de speciali responsabilitate quam Presbyteri habent in cura gerenda de vocationibus sacerdotalibus (textus tamen brevior est quam in priore redactione, cum ea quae dicebantur de signis vocationis atque de operibus dioecesanis ac supradioecesanis ad vocationes fovendas reliquerimus Commissioni « De Seminariis »).

Quae vero ita de Presbyterorum ministerio in prima parte schematis dicuntur, expostulant ut in altera parte agatur de quibusdam praecipuis aspectibus vitae sacerdotum. Sacerdos enim imprimis peculiari ratione ad sanctitatem prosequendam tenetur, eo quod per sacramentum Ordinis et characterem sacerdotalem, Christi Aeterni Sacerdotis instrumentum efficiatur et ipsius Christi personam gerat. Haec vero sanctitas, quae exigitur ab ipsamet praestantia missionis iisdem adimplendae, alitur atque augetur per ipsum exercitium munerum quae Presbyteris committuntur. Ipsa igitur missio, quam sacerdos a Christo recipit, specificam spiritualitatem in vita Presbyterorum determinat ac roborat. Nulla proinde datur oppositio inter exercitium ministerii et studium sanctitatis persequendae, sed inter utrumque mirabilis concordia viget, immo vero, perfecta unitas exsistit. Praeclara est haec veritas, quam quisque sacerdos in seipso experiri debet, quin obstent difficultates quae, propter adiuncta nostri temporis, huic practicae unitati vitae adversantur.

Omnia autem haec, quae in sacerdote requirunt exercitium ardentis caritatis erga Deum et erga homines, pro quibus ipse, sicut Bonus Pastor, totam suam vitam impendit (cf. *Io.* 10, 15). Presbyterorum vitam ad Evangelium conformant. Opportune tamen mentio quoque fit con-
[9] siliorum quae evangelica appellantur, quaeque a Presbyteris magno semper in honore habenda sunt. In hoc vero schematis numero de perfecta propter Regnum caelorum continentia amplius agitur quam de paupertate et oboedientia, idque profecto duplici de causa: imprimis, quia hodie voces confusae resonant sacrum coelibatum impugnantes; deinde

vero, quia de oboedientia et paupertate quaestio iam est in numeris 6 et 17 nostri schematis. [9]

Necessarium demum visum est et alios aspectus vitae Presbyterorum, magna quidem utilitate pastorali pollentes, hoc nostro in textu considerare, cuiusmodi sunt aequa Presbyterorum remuneratio, necnon cura gerenda de iis qui infirmitate, vel invaliditate, vel senectute laborant; quae omnia in hoc intendunt, ut sacerdotes, sensu evangelico plene imbuti, animarum saluti penitus se tradere atque etiam paupertatem colere valeant sine nimia sollicitudine de sorte futura.

Demum, in recognoscendo hoc schemate expungere quoque vel emendare curavimus tum sententias quasdam prioris textus minus necessarias vel subobscuras, tum etiam subsanare defectum praecisionis relate ad sensum aliquorum citationum e Sacra Scriptura.

Venerabiles Patres,

En exposita habetis, per summa quidem capita, quae nostra Commissio, iuxta Vestra desideria, hactenus peregit: in hoc vero nostra conamina praesertim tetenderunt, ut, in spiritu laeti servitii, bene interpretaremur attentam et amore plene imbutam sollicitudinem huius Sacrosanctae Synodi erga universos Catholicae Ecclesiae Presbyteros, quos, ad sempiternam animarum salutem, tam arctis vinculis Christus Dominus nobiscum consociavit.

Compertum est omnibus praestantissimum ministerium Presbyterum eorumque vitae condiciones peculiaribus difficultatibus in praesenti onerari, cum nostra hac aetate hominum convictus summas experiatur mutationes. At vero, in ardua hac missione adimplenda, Presbyteri, vi sacramenti Ordinis, Eius personam gerunt, qui missus est « ut salvetur mundus » (*Io.* 3, 17): qua certitudine eorum spes, fortitudo et animi pax firmiter innituntur. Etenim *plena adimpletio voluntatis Dei necessario secum fert gaudium et pacem: nempe felicitatem in Cruce. Tunc enim comperitur iugum Christi esse suave et eius onus leve* (cf. *Mt.* 11, 30).

† FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Remensis

[11]

SCHEMA DECRETI
DE MINISTERIO ET VITA PRESBYTERORUM *

Textus emendatus

[*Prooemium*]. Quamvis in Constitutione « De Ecclesia », in Decretis « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » et « De institutione sacerdotali », necnon in Constitutione « De Sacra Liturgia », Sacrosancta haec Synodus iam pluries de Ordine presbyteratus egerit, cum tamen, ex indole sua, huic Ordini in Ecclesiae Christi renovatione partes maximae et quidem in dies difficiliores assignentur, necessarium visum est fusius et profundius de presbyteratu tractare, ut huius Ordinis inaestimabilis excellentia, tam pastoralis quam spiritualis, in memoriam omnium revocaretur. Presbyteri enim, sacra ordinatione atque missione quas ab Episcopis recipiunt, promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium, quo Ecclesia in populum Dei, Corpus Christi et templum spirituale, hic in terris, indesinenter aedificatur. Quapropter haec Sacrosancta Synodus,
[12] ad presbyteratus Ordinem in meliorem lucem ponendum necnon ad ministerium Presbyterorum in his hodiernis adiunctis efficacius sustinendum, atque ad curam melius gerendam de eorum vita, quae sequuntur statuit:

Textus recognitus

[*Prooemium*]. *Presbyteratus Ordinis in Ecclesia excellentiam tam pastoralem quam spiritualem* (A) iam pluries haec Sacrosancta Synodus in memoriam omnium revocavit [1] (B). Presbyteri enim, sacra Ordinatione atque missione, quam ab Episcopis recipiunt, promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium, quo Ecclesia in populum Dei, Corpus Christi et templum spirituale, hic in terris, indesinenter aedificatur. Cum tamen, ex indole sua, huic Ordini in Ecclesia Christi renovatione partes *maximi momenti* (C) et in dies quidem difficiliores assignentur, *perutile* (D) visum est fusius et profundius de presbyteratu tractare. Quapropter, ut Presbyterorum ministerium efficacius sustineatur utque eorundem vita aptius ordinetur, Sacrosancta haec Synodus quae sequuntur statuit:

---

* *Notanda*: Verba, initio numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur. In Schemate habentur duo textus: *textus emendatus* (redactus mense novembri 1964 post disceptationem praecedentis schematis propositionum in Aula conciliari) et *textus recognitus* (seu apparatus mense aprili 1965, iuxta animadversiones a Patribus conciliaribus scripto transmissas).

Emendationes introductae a Commissione litteris *inclinatis* seu *italicis* significantur.

Litterae (A), (B), etc. spectant ad litteras correspondentes in Relatione de singulis numeris, ubi innotescunt rationes cur textus ab antiquo recedat, iuxta Patrum animadversiones.

I. De Presbyterorum Ministerio [12]

Textus emendatus

1. [*De natura presbyteratus*]. Ecclesia, quae, innuente Sacra Scriptura (cf. *1 Pt.* 3, 18-21), a Patribus arca salutis nuncupatur, dicenda est mitti a Christo sicut Christus mittitur a Patre (cf. *Io.* 20-21), atque a Spiritu divino ducitur et regitur, quem Christus in eam infudit (cf. *Io.* 20, 22; *Act.* 2, 1-4); cuius omnes fideles sanctum et regale sacerdotium efficiuntur, ut offerant spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum, et ut virtutes Eius, qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum, annuntient (cf. *1 Pt.* 2, 5 et 9). Nullum ergo datur in ea membrum quod in missione totius Corporis partem non habeat, sed unumquodque sanctificare debet Iesum in corde suo (cf. *1 Pt.* 3, 15), et spiritu prophetiae testimonium de Iesu reddere (cf. *Apoc.* 19, 10). In hac tamen missione adimplenda, fideles nullam potestatem proprie dictam ipsius Christi Capitis in Corpus suum quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24) exercere valent, eaque tantum consecratione signantur qua in initiationis christianae sacramentis « regio et sacerdotali propheticoque honore perfusi » sunt.

Christus itaque inauguravit in semetipso, id est in « templo corporis sui » (*Io.* 2, 21), sacerdotium novum novumque cultum verorum adoratorum qui adorant Patrem in spiritu et veritate (cf. *Io.* 4, 23). Cum autem per ascensionem susceptus sit ab oculis nostris (cf. *Act.* 1, 9), voluit tamen Pontifex noster, invisibiliter sedens ad dexteram Patris, suum perpetuum sacerdotium in Ecclesia terrestri visibiliter exercere, suamque propriam actionem

Textus recognitus

1. [*De natura et condicione presbyteratus*]. *Christus Dominus, ad populum Dei pascendum semperque augendum, in Ecclesia sua ministros instituit sacra potestate pollentes qui, virtutem perennis sui sacerdotii exercendo propriamque suam actionem salvificam manifestam reddendo, fratribus suis inservirent.*[2] *Missis ergo Apostolis sicut Ipse missus erat a Patre* (cf. *Io.* 20, 21),[3] *per ipsos Apostolos, eorum successores, videlicet Episcopos, consecrationis missionisque suae participes effecit.*[4] *Rursus Episcopi munus ministerii sui, subordinato tamen gradu, Presbyteris legitime tradiderunt,*[5] *ut sint, ad rite explendam missionem apostolicam sibi a Christo concreditam, providi cooperatores Ordinis episcopalis.*[6] *Presbyteri ergo, « quamvis pontificatus apicem non habeant, et in exercenda sua missione ab Episcopis pendeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt, et, vi Sacramenti Ordinis, ad imaginem Christi, summi atque aeterni Sacerdotis* (cf. *Hebr.* 5, 1-10; 7, 24; 9, 11-28), *ad Evangelium praedicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur, ut veri sacerdotes Novi Testamenti ».*[7]

Officium ergo non tantum episcopatus, verum etiam presbyteratus in Ordine suo, participat (A) auctoritatem qua Christus Ipse Corpus suum exstruit, sanctificat et regit, *ideoque ad sacerdotium commune* (B) *fidelium ordinatur, quo omnes sacrificium integrae suae vitae, cum sacrificio unici Mediatoris coniunctum, Deo spiritualiter offerunt,* sed ad illud, quantumvis sublime, reduci non potest. Sacerdo- [13]
tium enim Presbyteri *non tantum in initiatio-*

[13] *Textus emendatus*

manifestam reddere. Et ideo quosdam inter fideles, quos quidem ex hominibus assumit (cf. *Hebr.* 5, 1), unctione Spiritus speciali modo sibi consecrat sacerdotes, ut ipsi, in Corpore suo, ipsius Capitis sacerdotium ministerio episcopatus et presbyteratus repraesentent et in Eius persona agant. In Ecclesia ergo cultus christianus exercetur, non tantum in eo quod unusquisque singulariter offerat se hostiam viventem (cf. *Rom.* 12, 1), sed in eo quod Ecclesia per sacerdotes suos, ipsum visibile Sacrificium offert quo, incruente et sacramentaliter, cruentum illud semel in cruce peractum Sacrificium ipsius Christi praesens redditur eiusque memoria in finem usque saeculi permanet.

Officium ergo, non tantum Episcopatus, verum etiam Presbyterii in ordine suo, participat auctoritatem qua Christus ipse Corpus suum exstruit, sanctificat et regit, atque ad sacerdotium spirituale fidelium, quantumvis sublime, reduci non potest. Itaque peculiari initiatione sacramentali sacerdotium Presbyterii indiget. Quae initiatio ut quaedam incorporatio missioni episcopali, ope specialis participationis sacerdotii Christi, describi potest. Sicut enim, vi consecrationis suae, Episcopi personae Christi Capitis sacramentaliter configurantur, eodem quamvis subordinato modo, Presbyteri, inquantum providi cooperatores Ordinis episcopalis, eidem Christo Capiti consecrantur. Quapropter, sicut in Episcopis plenitudo sacerdotali missioni Apostolorum continuandae referri debet, ita in Presbyteris sacerdotium a missione apostolica Episcoporum rite explenda non est seiungendum.

Huiusmodi ministerium Presbyterorum, sicut tota actio salvifica qua missio universalis Ecclesiae hic in terris perficitur, a Sacrificio Christi, quod in Eucharistia per manus eorum

Textus recognitus

nis christianae sacramentis fundatur, sed etiam peculiari initiatione sacramentali indiget, qua Presbyter speciali modo Christo sacerdoti configuratur, ita ut, *missionis episcopalis particeps factus* (C), *in persona Christi Capitis, Magistri, Pontificis et Rectoris, agere valeat.* Huiusmodi ministerium Presbyterorum, sicut tota actio salvifica qua missio universalis Ecclesiae hic in terris perficitur, a Sacrificio Christi quod in Eucharistia per manus eorum celebratur, quasi ab inexhausto fonte, suam vim et virtutem iugiter haurit, atque eo tendit ut, in Novi et Aeterni Testamenti sacrificii sollemniis « tota redempta civitas, *hoc est congregatio* societasque sanctorum universale sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem Magnum qui etiam se ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus »[8] (D).

Presbyteri vero, ex hominibus assumpti et pro hominibus constituti in iis quae sunt ad Deum (cf. *Hebr.* 5, 1), *cum ceteris hominibus in terris conversantur. Imitentur oportet Dominum Iesum, quem Pater sanctificavit et misit in mundum* (cf. *Io.* 10, 36): *Verbum enim Dei, caro factum, habitavit in nobis, sicut « Emmanuel » celebratur, id est nobiscum Deus* (cf. *Io.* 1, 14; *Mt.* 1, 23) *voluitque per omnia fratribus similari, absque tamen peccato* (cf. *Hebr.* 2, 17; 4, 15). *Ipsum iam imitati sunt Apostoli, et testatur Paulus, Doctor gentium, omnia omnibus se factum esse ut omnes faceret salvos* (cf. *1 Cor.* 9, 19-23 Vg). *Hoc exemplum sequentes, etiam Presbyteri debent cum hominibus conversari, in quorum utilitatem et servitium missi sunt. Vocatione quidem sua quodammodo in sinu populi Dei segregantur, non ut separentur ab eo nec etiam a quovis homine, sed ut totaliter consecrentur operi ad quod assumpti sunt* (cf. *Act.* 13, 2): *ita et Apostoli*

Textus emendatus

celebratur, quasi ab inexhausto fonte suam vim et virtutem iugiter haurit, atque in eo tendit ut in Novi et Aeterni Testamenti sacrificii sollemnis « tota redempta civitas societasque sanctorum universale sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem Magnum qui etiam se ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus ».

2. [*Presbyteri, verbi Dei ministri*]. Populus Dei primum constituitur verbo Dei vivi, quod ex ore sacerdotum omne fas est requirere (cf. *Mal.* 2, 7; cf. 1-9; *Deut.* 2, 9). Verbo enim salutari suscitatur fides qua congregatio fidelium coalescit et Christo incorporari incipimus. Presbyteri ergo ab Ecclesia in ministerium sacrum idcirco assumuntur ut partem cum Episcopis habeant in praedicatione Evangelii, omnibus ad quos vox eorum pertingere potest, facienda. Omnibus enim, exemplo Apostoli, debitores sunt (cf. *Rom.* 1, 14), etiam incredulis, ut cum eis communicent fiduciam et plenitudinem quas in Domino habent. Sive ergo mysterium Christi annuntient, sive catechesim christianam tradant vel Ecclesiae doctrinam explanent sive, ut modernis quaestionibus responsum praebeatur, laborent, eorum est semper utiliter docere omnesque ad conversionem et ad perfectionem instanter invitare, sua facien-

Textus recognitus [14]

reliquerunt omnia ut sequi possent Christum (cf. *Mt.* 19, 27; *Lc.* 5, 11) *piscatoresque fieri hominum* (cf. *Mc.* 1, 17). *Ministri enim Christi esse non possent nisi alius vitae quam terrenae testes essent et dispensatores, sed neque hominibus inservire valerent si eorum vitae condicionique extranei remanerent. Quare tenentur Presbyteri, sicut omnes Christi discipuli, titulo tamen peculiari, ne se conforment huic saeculo* (cf. *Rom.* 12, 2): *nam, si sal evanuerit, ad nihilum valet ultra* (cf. *Mt.* 5, 13); *sed simul tenentur, sicut boni pastores, oves suas cognoscere, persentientes mentem hominum eorumque vitam non solum individualem et familiarem, sed etiam oeconomicam, culturalem et socialem. Ita enim solummodo possunt apto modo eis loqui eosque adiuvare ut Evangelio totam suam imbuant vitam* [9] (E).

2. [*Presbyteri, verbi Dei ministri*]. Populus Dei primum constituitur verbo Dei vivi,[10] quod ex ore sacerdotum *omnino* fas est requirere (cf. *Mal.* 2, 7; *1 Tim.* 4, 15-16; *2 Tim.* 4, 5; *Tit.* 1, 9) (A). Verbo enim salutari suscitatur fides, qua congregatio fidelium coalescit et Christo incorporari incipimus, *secundum illud Apostoli*: « *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* » (*Rom.* 10, 17) (B). *Cum ergo praedicatio Evangelii sit praecipuum Episcoporum munus,*[11] *primum quoque munus Presbyterorum est, una cum Episcopis eisque moderantibus* (C), praeconium salutis omnibus annuntiare, *generali mandato Domini respondentes*: « *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae* » (*Mc.* 16, 15) [12] (D). Omnibus ergo debitores sunt Presbyteri, ut cum eis communicent *fidem, gratiam* (E) et plenitudinem, quas in Domino habent. Sive igitur mysterium Chri-

[14]

Textus emendatus

tes illa Magistri verba: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » (*Lc.* 12, 49).

[15]

Hoc ministerium verbi peculiariter requiritur vel exigitur ab ipso ministerio sacramentorum, praesertim pro illis qui parum intelligere videntur quae frequentant, et ab ipso Sacrificio Missae, in quo annuntiatio mortis Domini donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26) et responsum populi audientis uniuntur inseparabiliter cum ipsa oblatione Christi Novum Testamentum disponentis in Sanguine suo, cui fideles, et votis et sacramenti perceptione, communicant.

4. [*Presbyteri, Sacramentorum et Eucharistiae ministri*]. Etsi solus Deus Sanctus et Sanctificator sit, non dedignatur tamen homines quasi in socios et adiutores assumere ut operi suo sanctificationis humiliter inserviant. Ad hoc ergo specialiter Presbyteri a Deo, ministrante Episcopo, consecrantur et mittuntur, ut sint ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei (cf. *1 Cor.* 4, 1; *2 Cor.* 6, 4) in sanctificationem fidelium, quam peculiari modo procurant fidei sacramenta quae Presbyteri conficiunt. In quibus conficiendis ab auctoritate Episcopi diversis rationibus pendent, sicut iam ab antiquo testificatur beatus Ignatius Martyr. Omnia ergo ordinate fiant, iuxta normas iam ab hac Sacrosancta Synodo statutas vel a competenti auctoritate edictas vel edicendas.

Textus recognitus

sti annuntiant, sive catechesim christianam tradunt vel Ecclesiae doctrinam explanant, sive *sui temporis quaestiones sub luce Christi tractare student* (F), eorum est semper utiliter docere omnesque ad conversionem et ad *vitae christianae* perfectionem (G) instanter invitare.[13]

Hoc ministerium verbi *multiformiter exercetur* (H). Peculiariter tamen requiritur vel exigitur ab ipso ministerio Sacramentorum, praesertim pro illis qui parum intellegere videntur quae frequentant. Requiritur praecipue in Missarum celebratione, in qua annuntiatio mortis Domini donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26) et responsum populi audientis uniuntur inseparabiliter cum ipsa oblatione Christi Novum Testamentum disponentis in Sanguine suo, cui fideles, et votis et Sacramenti perceptione, communicant [14] (I).

3. (Olim n. 4) [*Presbyteri Sacramentorum et Eucharistiae ministri*]. Etsi solus Deus Sanctus et Sanctificator sit, non dedignatur tamen homines quasi socios et adiutores assumere ut operi suo sanctificationis humiliter inserviant. Ad hoc ergo specialiter Presbyteri a Deo, ministrante Episcopo, consecrantur et mittuntur, ut sint ministri Christi, *qui in Liturgia sacerdotale munus suum iugiter exercet* [15] (A), ad sanctificationem fidelium, quam peculiari modo procurant fidei sacramenta quae Presbyteri conficiunt *et in quae virtus salutifera a Divinitate Christi per Eius Humanitatem derivatur* (B). In *sacramentis autem* conficiendis, ut iam *primaevae Ecclesiae temporibus testatus est* beatus Ignatius Martyr,[16] *Presbyteri* ab auctoritate Episcopi diversis rationibus pendent, *eumque in singulis localibus fidelium*

Textus emendatus

Omnia tamen ecclesiastica ministeria, immo et cetera sacramenta, cum Sacra Eucharistia cohaerent, nam ab ea derivantur vel ad eam ducunt. Communicando enim Corpori et Sanguini Christi, populus Dei seu congregatio fidelium plenius fit Corpus Christi Mysticum aedificaturque in templum spirituale sanctum. In Sanctissima Eucharistia totum bonum spirituale Ecclesiae continetur, ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus vitam praestans hominibus per Carnem suam Spiritu Sancto vivificatam ac vivificantem. Est ergo Eucharistica Synaxis centrum et fons vitae congregationis fidelium cui Presbyter praeest. Edoceant igitur Presbyteri fideles vitam suam cum Sacrificio ipsorum Capitis coniungere et Deo offerre; erudiant eos psalmis et hymnis et canticis spiritualibus in cordibus suis cantare Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo et Patri (cf. *Eph.* 5, 19-20). Fidelibus ostendant Presbyteri, in ipsis liturgicis ritibus medullam sincerae orationis inveniri, profectioresque alliciant ad praxim orationis mentalis necnon consiliorum evangelicorum, modo cuique congruo exercendorum.

Textus recognitus [15]

congregationibus quodammodo praesentem reddunt [17] (C).

Omnia tamen ecclesiastica ministeria, immo et cetera sacramenta, cum Sacra Eucharistia cohaerent *et ad eam ordinantur* [18] (D). Communicando enim Corpori et Sanguini Christi, *credentes qui per sacrum baptisma in populum Dei seu congregationem fidelium signantur, plene* [16] (E) fiunt Corpus Christi mysticum aedificanturque in templum spirituale sanctum. In Sanctissima Eucharistia totum bonum spirituale Ecclesiae continetur,[19] ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus vitam praestans hominibus per Carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem. Est ergo Eucharistica Synaxis centrum et fons vitae congregationis fidelium cui Presbyter praeest. Edoceant igitur Presbyteri fideles vitam suam cum Sacrificio Capitis ipsorum coniungere et Deo offerre; *instituant eos peccata sua corde poenitenti clavibus Ecclesiae submittere, ita ut, magis magisque in dies ad Dominum conversi, cum Ipso super omnia dilecto intimius uniantur eique fidelius serviant* (F); erudiant fideles *ut possint* psalmis et hymnis et canticis spiritualibus in cordibus suis cantare Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo et Patri (cf. *Eph.* 5, 19-20). Fidelibus ostendant Presbyteri in ipsis liturgicis ritibus medullam sincerae orationis inveniri, *et eos, qui magis in virtute profecerint,* alliciant ad praxim orationis mentalis necnon consiliorum evangelicorum, modo cuique congruo exercendorum. *Nec praetermittant ipsi Presbyteri actiones sacras orando perficere, Officiumque Divinum, quod ut homines ecclesiastici persolvere debent, sicut veram Dei laudem dicere, memores se obligatione teneri orandi et poenitentiam agendi non*

[16] *Textus emendatus*

Textus recognitus

tantum pro seipsis, sed etiam pro animabus sibi concreditis (G).

Textus emendatus:

Domus orationis in qua Sanctissima Eucharistia servatur et fideles congregantur, quae praesentiam Dei hominibus manifestare debet, sit nitida, orationi et sacris sollemniis apta. Curent Presbyteri scientias et maxime artes liturgicas recte colere, ut, suo ministerio liturgico, a christianis communitatibus sibi com-
[17] missis perfectius in dies laudetur in mundo Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

Textus recognitus:

Domus orationis in qua Sanctissima Eucharistia *celebratur et* (H) servatur, fidelesque congregantur, quae praesentiam Dei hominibus manifestare debet, sit nitida, orationi et sacris sollemnibus apta.[20] Curent Presbyteri scientias et maxime artes liturgicas recte colere, ut, suo ministerio liturgico, a christianis communitatibus sibi commissis perfectius in dies laudetur *Deus,* Pater et Filius et Spiritus Sanctus (I).

Textus emendatus:

5. [*Presbyteri, populi Dei rectores*]. Mandato ministerioque docendi connexum est ministerium sacramentorum, quod consequitur cuique arcte iungitur ministerium docendi Domini mandata (cf. *Mt.* 28, 18-20), quorum maior caritas est. Sicut ergo primi discipuli erant « perseverantes in doctrina Apostolorum et communione, in fractione panis et orationibus » (*Act.* 2, 42 gr.), sicut etiam eorum multitudini erat cor unum et anima una (cf. *Act.* 4, 32), ita et nunc fideles in communitatem fidei primum colliguntur, quae in communitatem sacramentorum crescit ac simul in communitatem caritatis et subministrationis augetur. Ad hoc autem ministerium exercendum requiritur potestas, quae quidem ad aedificationem datur (cf. *2 Cor.* 10, 8; 13, 10). Etsi enim expediat actionem pastoralem etiam per modum dialogi exercere, Presbyteri tamen non iuxta placita hominum (cf. *Gal.* 1, 10), sed iuxta exigentias doctrinae et vitae christianae agere debent, monente Apostolo: « insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2).

Textus recognitus:

4. (Olim n. 5) [*Presbyteri, populi Dei rectores*]. *Munus Christi Pastoris et Capitis pro sua parte auctoritatis exercentes, Presbyteri, ducentibus Episcopis, familiam Dei, ut fraternitatem in unum animatam, colligunt, et per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducunt* [21] (A). Ad hoc autem ministerium exercendum requiritur potestas, quae quidem ad aedificationem datur (cf. *2 Cor.* 10, 8; 13, 10). Etsi enim expediat actionem pastoralem etiam per modum dialogi exercere, Presbyteri tamen non iuxta placita hominum (cf. *Gal.* 1, 10), sed iuxta exigentias doctrinae et vitae christianae *docere et* (B) agere debent, monente Apostolo: « insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2).[22]

Textus emendatus:

Presbyteri ergo singulos fideles ad personalitatem secundum evangelicam fidem forman-

Textus recognitus:

Presbyteri ergo, *ut fidei educatores* (C), singulos fideles ad *suam ipsorum* personalitatem

Textus emendatus

dam atque universos ad genuinam communitatem christianam creandam adducant. Parum inserviret caeremonias, etsi pulchras, vel organizationes, etsi numerosas, curare, si de educandis hominibus christianis, id est, ad fidem vivam, ad sinceram operosamque caritatem et ad libertatem qua Christus nos liberavit (cf. *Gal.* 4, 31) adducendis, paulum studium haberetur. Tale vero studium ad hoc tendat oportet, non ut sibi solis vivant animae christianae, sed ut, vocatione unicuique propria servata, homines officia sua in societate hominum utiliter et secundum Dei voluntatem christiane consumment. Quibus adesse nituntur Presbyteri, in id studentes, ut in ipsis eventibus magnis vel parvis, quid res exigat, quae sit Dei voluntas, una cum fidelibus laicis perspiciant. Signa desiderii sanctitatis sectandae in fidelibus semper circumspectent, nec ullam omittant occasionem sive in praedicatione, sive in confessionali vel directione spirituali, sive etiam in cotidiana conversatione, omnes ad perfectionem christianam perseveranter instituendi. Quamvis vero omnibus debitores sint, peculiarem curam habeant pauperum et debiliorum, cum quibus Dominus ipse sese sociatum ostendit (cf. *Mt.* 25, 34-45), et quos evangelizare signum messianici operis datur (cf. *Lc.* 4, 18). Sed et iuniorum peculiaris urget cura (cf. *Io.* 2, 13-14), in quibus futurum iam adesse videtur, et insuper coniugum et parentum, qui ut in amicalibus coetibus coeant optandum est, ad sese mutuo adiuvandos ut christiane in vita saepe ardua facilius pleniusque agant.

Religio christiana indolem communitatis natura sua praebet, quin indoles eius personalis detrimentum patiatur. Presbyteri ergo fovere satagant in fidelibus hunc spiritum communitatis sicut et spiritum authentice catholicum et

Textus recognitus [17]

secundum evangelicam fidem excolendam, ad sinceram operosamque caritatem et ad libertatem, qua Christus nos liberavit (cf. *Gal.* 4, 31; 5, 1; 5, 13), *adducere debent.* Parum *proderit* caeremonias, etsi pulchras, vel *consociationes,* etsi numerosas, curare, si de educandis hominibus *usque ad maturitatem christianam insufficiens* studium habeatur.[23] Tale vero studium ad hoc tendat oportet, ut non sibi solum vivant *christiani, sed, secundum exigentias novae legis caritatis, unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administret* (cf. *1 Pt.* 4, 10 ss.) (D), *et ita* [18]
omnes officia sua in *communitate* hominum christiane *absolvant.* Quibus *adsunt* Presbyteri in id *nitentes* (E), ut in ipsis eventibus magnis vel parvis, quid res exigat, quae sit Dei voluntas, una cum fidelibus laicis perspiciant, *eosque in* perfectionem christianam perseveranter *instituant.* Quamvis vero omnibus debitores sint, *tamen commendatos imprimis sibi habeant pauperes et debiliores* (F), cum quibus Dominus ipse sese sociatum ostendit (cf. *Mt.* 25, 34-45; *Mc.* 2, 16-17), et quorum evangelizatio signum messianici operis datur (cf. *Lc.* 4, 18). Sed et iuniorum peculiaris urget cura (G), in quibus futurum *tempus* iam adesse videtur, et insuper coniugum ac parentum, qui ut in amicales coetus coeant optandum est, ad sese mutuo adiuvandos ut christiane in vita saepe ardua facilius pleniusque agant. *Maxime tandem solliciti sint* aegrotantium et morientium[24] (H).

Presbyteri ad genuinam communitatem christianam *efformandam fideles adducant.* Fovere ergo satagant in fidelibus hunc spiritum communitatis, *et in ipsa communitate* spiritum *vere* catholicum et missionarium *infundant.* Impossibile tamen esset genuinam communita-

[18] *Textus emendatus*

missionarium. Impossibile tamen esset genuinam communitatem aedificare quae Sanctissimae Eucharistiae celebrationem radicem cardinemque non haberet. Quae celebratio, ut sincera et plena sit, tam in varia caritatis opera omnimodamque subministrationem ad invicem, quam in missionalem actionem necnon in varias christiani testimonii formas, prodire debet. Nullum est tam efficax signum approximationis Regni Dei, quam signum mutui amoris ac operosae fraternae unitatis. Insuper autem ecclesialis congregatio veram maternitatem spiritualem exercet erga animas ad Christum adducendas, caritate sua, oratione, exemplo, poenitentiaeque operibus. Medium efficax constituit quo excitantur, aluntur roboranturque de-
[19] biliores ad pugnam spiritualem pro Christo, quo denique forsan nondum credentes ad Christum allicientur et limites Ecclesiae extendentur.

3. [*Scientia Presbyterorum sacra*]. Ab Episcopo, in sacro ritu Ordinationis, Presbyteri admonentur ut « sint maturi in scientia » et sit doctrina eorum « spiritualis medicina populo Dei », ita ut omnes gentes docere possint (cf. *Mt.* 28, 19) « in omni patientia et doctrina » (2 *Tim.* 4, 2), verbis ad mentem audientium convenienter accommodatis. Id tamen quod aliis est tradendum prius recte possideatur oportet, unde necessarium omnino est ut Presbyteri profunda scientiae theologicae cognitione continuo polleant, quae ipsorum vitam supernaturalem alat quamque cum populo ipsis commisso indesinenter communicent.

Presbyteri ergo, ut fideles operarii in vinea

Textus recognitus

tem aedificare, quae Sanctissimae Eucharistiae celebrationem radicem cardinemque non habeat.[25] Quae celebratio, ut sincera et plena sit, tam *ad* varia caritatis opera omnimodamque subministrationem ad invicem quam *ad* missionalem actionem necnon ad varias christiani testimonii formas, *ducere* debet. Insuper, erga animas ad Christum adducendas, caritate sua, oratione, exemplo, poenitentiaeque operibus, veram maternitatem exercet ecclesialis *communitas* (I).

Ipsa simul instrumentum efficax constituit quo excitantur, aluntur roboranturque debiliores ad pugnam spiritualem pro Christo, quo denique (J) nondum credentes ad Christum alliciuntur, et fines Ecclesiae extenduntur.

Presbyteri denique, in exstruenda christianorum communitate numquam obliviscantur se non ministros esse alicuius ideologiae vel factionis humanae, sed Evangelii, neque nomine suo agere, sed ut missos ab Episcopo, quocum coniuncti profitentur se Eucharisticam Synaxim celebrare (K).

5. (Olim nn. 3 et 6). [*Studium ad praecipua officia status sacerdotalis pertinet*]. *Presbyteri* ab Episcopo in sacro ritu Ordinationis admonentur ut « sint maturi in scientia » et sit doctrina eorum « spiritualis medicina populo Dei »,[26] *ita ut suo ministerio pastorali thesauros verbi divini luculenter explanare valeant* (A), verbis ad mentem audientium convenienter accommodatis. *Quapropter Presbyteri profunda divinae revelationis atque solida* scientiae theologicae cognitione polleant, *ut magis in die cognoscant Iesum Christum,* cuius vita et doctrina revelatio sunt Veritatis (cf. *Io.* 18, 37; 14, 6) (B).

Scientia vero ministri sacri sacra esse debet,

Textus emendatus

Domini inveniantur, praesertim in condicionibus socialibus et psychologicis nostri temporis, studia per totam vitam ne intermittant, nam studium ad praecipua officia status sacerdotalis pertinet. Scientia vero ministri sacri sacra esse debet, nempe, e sacro fonte desumpta et ad sacrum finem directa. Praeprimis igitur Presbyteri magis magisque in dies cognoscere satagant Iesum Christum, unicum Salvatorem nostrum, qui est manifestatio Patris, et cuius vita et doctrina revelatio sunt Veritatis (cf. *Io.* 18, 37). Haec scientia haurienda primo est ex lectione et meditatione Sacrae Scripturae, iuxta illud Sancti Hieronymi: « Divinas Scripturas saepius lege: immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur ... Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit ». Nutriatur quoque haec scientia studio Patrum aliorumque Traditionis documentorum, sed etiam, ad aptas responsiones reddendas quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis, Presbyteri bene noscant oportet Magisterii ac praecipue Romanorum Pontificum documenta atque consulant optimos et probatos scientiae theologicae et exegeticae hodiernos scriptores. Acquirere tandem ne omittant opportunam cognitionem scientiarum humanarum, earum praesertim quae ad apostolatum efficacius exercendum peculiari modo pertineant.

6. [*Scientia et ars pastoralis pro diversis adiunctis*]. Quo facilius Presbyteri, plurimis quidem occupationibus implicati, in studia sacra incumbant et methodos evangelizationis et apostolatus efficacius addiscant, omni cura ipsis opportuna subsidia comparentur, cuiusmodi sunt creatio studiorum moderatoris necnon institutio, iuxta cuiusque territorii condi-

Textus recognitus [19]

nempe, e sacro fonte desumpta et ad sacrum finem directa. Praeprimis igitur haurienda est ex lectione et meditatione Sacrae Scripturae, iuxta illud Sancti Hieronymi: « Divinas Scripturas saepius lege: immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur ... Sermo Presbyteri Scripturarum lectione conditus sit ».[27] Nutriatur quoque haec scientia studio Patrum *diversorumque* (C) Traditionis documentorum, sed etiam, ad aptas responsiones reddendas quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis, Presbyteri bene noscant oportet Magisterii ac praecipue Romanorum Pontificum documenta, atque consulant optimos et probatos scientiae theologicae et exegeticae (D) scriptores. Haec studia, quae etiam ipsorum vitam spiritualem alere debent, per totam vitam *protrahant*: studium *enim* ad praecipua officia status sacerdotalis pertinet. Acquirere tandem *curent* (E) opportunam cognitionem scientiarum humanarum, earum praesertim quae ad *proprium ministerium* (F) efficacius exercendum peculiari modo pertineant. [20]

Quo facilius Presbyteri, plurimis quidem occupationibus implicati, in studia incumbant et methodos evangelizationis et apostolatus efficacius addiscant, omni cura ipsis opportuna subsidia comparentur, cuiusmodi sunt creatio studiorum moderatoris necnon institutio, iuxta cuiusque territorii condiciones, cursuum, vel congressuum, vel centrorum, ut aiunt, pastora-

[20]

Textus emendatus

ciones, cursuum, vel congressuum, vel centrorum, ut aiunt, pastoralium, ad pervestigandum theorice et practice de re catechetica, homiletica, liturgica, ascetica, sociologica, etc. Iis aliisque aptis mediis peculiari cura adiuventur sacerdotes iuniores, neoparochi et illi qui in aliam nationem, dioecesim aut operam pastoralem transferantur.

Pariter utilissima erit constitutio bibliothecarum, etiam itinerantium, quarum libris ac ephemeridibus facile utentes, possint Presbyteri scientiam sacram et condiciones populorum ac regionum ubi ministerium suum pastorale exercent plenius accuratiusque cognoscere, ut maiore semper vi atque efficacitate dispensatores divitiarum Christi effici valeant.

Considerent demum singulae Conferentiae Episcopales modum opportuniorem efficiendi ut in proprio cuiusque territorio omnes Presbyteri, statis temporibus, frequentare possint cursum completum renovationis doctrinalis, spiritualis et pastoralis, qui sit simul occasio cum
[21] ad pleniorem scientiae theologicae ac methodorum pastoralium cognitionem acquirendam, tum ad vitam spiritualem personalem roborandam et ad mutuo communicandas experientias apostolicas in gaudio fratrum qui eandem missionem et responsabilitatem participant (cf. *Lc.* 10, 17).

7. [*De habitudine inter Episcopos et Presbyterium*]. Presbyteri omnes, unum sacerdotium et ministerium Christi cum Episcopis et sub eorum ductu ita repraesentant, ut ipsa unitas missionis omnino requirat omnimodam eorum unitatem cum Collegio Episcoporum, cuius providi cooperatores facti sunt, secundum gratiam quae ipsis in sacramento Ordinis

Textus recognitus

lium, ad pervestigandum theorice et practice de re catechetica, homiletica, liturgica, ascetica, sociologica *aliisque id genus* (G). Iis aliisque aptis *subsidiis vigilanti* (H) cura adiuventur sacerdotes iuniores,[28] neoparochi et illi qui *ad* aliam nationem *vel* diocesim *transferantur* aut *alii operi pastorali in dioecesi addicantur* (I). Pariter utilissima erit constitutio bibliothecarum, etiam itinerantium, quarum libris atque ephemeridibus facile utentes, possint Presbyteri scientiam sacram et condiciones populorum ac regionum, ubi ministerium suum pastorale exercent, plenius accuratiusque cognoscere.

Cum hisce temporibus humanae disciplinae cito progrediantur et evolvantur, convenit ut Christi ministri pari gressu scientias sacras colant atque methodum actionis pastoralis novis adiunctis accommodent (J). Considerent *ergo Episcopi singuli aut inter se uniti* (K) modum opportuniorem efficiendi ut omnes *sui* Presbyteri, statis temporibus, *maxime autem paucos post annos ab eorum ordinatione* (L), frequentare possint cursum, *quo ipsis praebeatur* occasio cum ad pleniorem methodorum pastoralium et scientiae theologicae cognitionem acquirendam, tum ad vitam spiritualem roborandam et ad mutuo communicandas experientias apostolicas in *commodum* fratrum qui eandem missionem et responsabilitatem participant.

6. (Olim n. 7) [*De habitudine inter Episcopos et Presbyterium*]. Presbyteri omnes *unum idemque* Christi sacerdotium et ministerium *per* Episcopos (A) et sub eorum *auctoritate* (B) ita *participant,* ut ipsa unitas missionis requirat omnimodam eorum unitatem cum Episcoporum *Ordine,* cuius cooperatores facti sunt (C). In memoriam igitur revocantes do-

Textus emendatus

collata est. In memoriam igitur revocantes donum Spiritus Sancti quod Presbyteris in ordinatione datum est, Episcopi illos habeant ut veros adiutores in ministerio et ut consiliarios in munere docendi, sanctificandi et regendi populum Dei. Quod enixe, iam ab antiquis Ecclesiae temporibus, liturgica documenta proclamant, dum solemniter postulant a Deo, super Presbyterum ordinandum, infusionem « spiritus gratiae et consilii, ut adiuvet ac gubernet populum in corde puro », quemadmodum in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysis spiritus propagatus est, « quibus ille adiutoribus usus in populo innumerabiles multitudines facile gubernavit ». Propter hanc ergo in sacerdotio Christi participationem Episcopi sacerdotes suos ut amicos considerent, « sicut Christus discipulos suos iam non servos sed amicos vocat (cf. *Io.* 15, 15) »; ipsi enim, iisdem initiati mysteriis, idem bonum certamen fidei certantes (cf. *1 Tim.* 6, 12), pretiosam constituunt spiritualem coronam Episcoporum, ac habendi sunt veluti consilium et curia seu senatus Ecclesiae, quos Episcopi libenter audiunt et compresbyteros appellant, et sine quorum adiutorio missionem Apostolis eorumque Successoribus concreditam nullo modo adimplere possunt. Ut hoc vero aptiore quam nunc viget modo ad praxim reducatur, instituendus est, forma a iure determinanda, coetus dioecesanus, constans selectis Presbyteris totum Presbyterium repraesentantibus, quem Episcopus semper audiat in rebus maioris momenti pro regimine dioeceseos.

Presbyteri autem, ante oculos habentes plenitudinem sacramenti Ordinis quae in Episcopis residet, in ipsis revereantur auctoritatem Christi Supremi Pontificis, in cuius persona

Textus recognitus [21]

num Spiritus Sancti, quod Presbyteris in ordinatione datum est, Episcopi illos habeant ut veros adiutores et consiliarios in ministerio et munere docendi, sanctificandi et regendi populum Dei [29] (D). Quod enixe, iam ab antiquis Ecclesiae temporibus, liturgica documenta proclamant, dum sollemniter postulant a Deo, super Presbyterum ordinandum, infusionem « spiritus gratiae et consilii, ut adiuvet ac gubernet populum in corde puro »,[30] quemadmodum in eremo Moysis spiritus *in mentes* septuaginta virorum prudentium propagatus est (cf. *Num.* 11, 16-25), « quibus ille adiutoribus usus in populo innumeras multitudines facile gubernavit » [31] (E). Propter hanc ergo in sacerdotio Christi participationem Episcopi Presbyteros suos ut amicos considerent, eorumque bonum spirituale, immo et materiale, ipsis pro viribus cordi sit (F). Ipsi enim, *eadem mysteria celebrantes,* idem bonum certamen fidei certantes (cf. *1 Tim.* 6, 12),[32] pretiosam constituunt spiritualem coronam Episcoporum [33] (G). Ut vero id *ad effectum* deducatur, *habeatur,* aptiore quam nunc viget modo,[34] forma *ac normis* iure determinandis, coetus *sacerdotum,* Presbyte- [22] rium repraesentantium, *qui Episcopum* in regimine dioeceseos *efficaciter* adiuvare possit (H).

Presbyteri autem, ante oculos habentes plenitudinem sacramenti Ordinis qua Episcopi gaudent, in ipsis revereantur auctoritatem Christi supremi *Pastoris* (I). *Suo igitur Episcopo*

[22] *Textus emendatus*

agunt; eisdem igitur sincera caritate et oboedientia adhaereant, nec tantum quae praecipiuntur, sed etiam quae commendantur, generoso animo adimpleant. Quae sacerdotalis oboedientia speciali ratione fundatur in ipsa participatione missionis episcopalis, quae Presbyteris per sacramentum Ordinis confertur, atque ideo spiritu pastorali imbuta sit oportet, necnon dilucidam et promptam cum Episcopo communionem requirit. Sic igitur se gerant Presbyteri ut omnibus fidelibus exemplo sint verae et christianae oboedientiae, iuxta praeclara monita Sacrae Scripturae: « Oboedite praepositis vestris et subiacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes; hoc enim non expedit vobis » (*Hebr.* 13, 17).

Quam oboedientiam Presbyteri proprio Antistiti, qui inter eos totum Episcopale Collegium veluti praesens ac efficax reddit, praeprimis praestare debent, iuxta verba S. Ignatii Martyris: « Subiicimini episcopo et ad invicem, ut Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Christo et Patri, et Spiritui, ut unio sit carnalis simul ac spiritualis ».

Quae unio nostris diebus eo magis requiritur quod in mundo huius temporis, diversis
[23] ex causis, incepta apostolica non tantum multiplices formas induere, verum etiam saepe limites unius paroeciae vel dioecesis praetergredi necesse est. Nullus ergo sacerdos seorsum ac veluti singillatim suam missionem sufficienter adimplere valet, sed ita in unione cum aliis suas vires impendat ut omnia « honeste, et secundum ordinem fiant » (*1 Cor.* 14, 40), « ut Ecclesia aedificationem accipiat » (*1 Cor.* 14, 5). Huiusmodi vero unitas in labore pastorali obtineri non potest nisi divisiones gratiarum, divisiones ministrationum et divisiones opera-

Textus recognitus

(J) sincera caritate et oboedientia adhaereant, nec tantum quae praecipiuntur, sed etiam quae commendantur, generoso animo adimpleant.[35] Quae sacerdotalis oboedientia speciali ratione fundatur in ipsa participatione *ministerii* episcopalis, quae Presbyteris per sacramentum Ordinis *et missionem canonicam* confertur [36] (K).

Unio *Presbyterorum cum Episcopis* eo magis nostris diebus requiritur quod *aetate hac nostra,* diversis ex causis, incepta apostolica non tantum multiplices formas induere, verum etiam saepe limites unius paroeciae vel dioecesis praetergredi necesse est. Nullus ergo Presbyter seorsum ac veluti singillatim suam missionem *satis* adimplere valet, *sed tantum viribus unitis cum aliis Presbyteris* sub ductu eorum, qui Ecclesiae praesunt (L).

Textus emendatus

tionum quae unicuique per eundem Spiritum dantur ad utilitatem (cf. *1 Cor.* 12, 4-7), ordinato exercitio tendant ad optatum finem, sub ductu eorum qui Ecclesiae praesunt, ita ut Presbyteri omnes, etiam religiosi, cum Episcopo et cum Collegio Episcoporum eiusque Capite, universali Pastore, indesinenter collaborent.

8. [*Confraternitas et cooperatio inter Presbyteros*]. Sicut Episcopi per consecrationem in Ordine seu Collegio Episcopali et proprie apostolico, ita Presbyteri per Ordinationem in Ordine Presbyteratus, qui ab Ordine Episcoporum essentialiter dependet, constituuntur. Cum aliis ergo membris huiusce presbyteratus specialibus ministerii et fraternitatis nexibus coniunguntur; quod iam ab antiquis temporibus in liturgia significatur, cum Presbyteri adstantes super novum electum, simul cum Episcopo ordinante, manus imponere possunt. Propterea oportet ut non tantum Episcopis bonum corporale et spirituale cooperatorum suorum pro viribus cordi sit, sed etiam ut singuli Presbyteri confratribus suis uniantur vinculo caritatis, orationis et omnimodae cooperationis, atque ita fidelibus dent exemplum illius unitatis qua Christus suos voluit in unum esse consummatos, ut cognoscat mundus Filium missum esse a Patre (cf. *Io.* 17, 23), illa nempe missione quae nunc in omnibus sacerdotibus per sacramentum Ordinis specialiter continuatur.

Quapropter magni momenti est ut omnes Presbyteri sese invicem adiuvent ut semper cooperatores sint veritatis (cf. *3 Io.* 8). Quae cooperatio inter omnes omnino Presbyteros se extendat oportet, tum si in eadem forma ministerii, v. g. paroecialis vel apostolatus laicorum

Textus recognitus [23]

7. (Olim n. 8). [*Fraterna coniunctio et cooperatio inter Presbyteros*]. *Presbyteri, per Ordinationem in Ordine presbyteratus constituti, specialiter in unaquaque dioecesi sub Episcopo proprio unum Presbyterium efformant* (A). Cum aliis ergo membris huiusce Presbyterii specialibus ministerii et fraternitatis nexibus coniunguntur; quod iam ab antiquis temporibus in liturgia significatur, cum Presbyteri adstantes super novum electum, simul cum Episcopo ordinante, manus imponere *invitentur* (B). Singuli *ergo* Presbyteri cum confratribus suis uniantur vinculo caritatis, orationis et omnimodae cooperationis, atque ita fidelibus dent exemplum illius unitatis qua Christus voluit suos in unum esse consummatos, ut cognoscat mundus Filium missum esse a Patre (cf. *Io.* 17, 23), illa nempe missione quae nunc per sacerdotes specialiter continuatur (C).

[24]

Quapropter magni momenti est ut omnes Presbyteri, *sive dioecesani sive religiosi,* sese invicem adiuvent, ut semper cooperatores sint veritatis (cf. *3 Io.* 8) (D). Quae cooperatio inter omnes Presbyteros *vigeat* oportet, *sive ministerium exercent in paroecia sive illud im-*

[24] *Textus emendatus*

laborent, tum si in ministerio magis indirecto vel extraordinario, ut in scholis, in institutionibus pervestigationis scientificae, in officinis, in operibus caritativis aliisve sane multis id genus actuositatis speciebus, de consensu auctoritatis competentis exercendis, sese impendere debeant. Qui vero iam a multis annis portaverunt pondus diei et aestus sciant iuniores cum amore fraterno suscipere eosque adiuvare in primis difficultatibus et responsabilitatibus ministerii sacerdotalis; iuvenes pariter sciant magni facere experientiam et virtutem eorum qui ante ipsos in agro patrisfamilias per annos laboraverunt, libenter eos audiant, ac cum ipsis collaborent.

Caritas ergo fraternitatis maneat in omnibus Presbyteris; hospitalitatem ne obliviscantur (cf. *Hebr.* 13, 1-2), neque beneficentiam et communionem bonorum: « talibus enim hostiis promeretur Deus » (*Hebr.* 13, 16). Ita fraterno spiritu uniti maneant, ut etiam ad relaxandum animum libenter conveniant, memores verborum quibus ipse Dominus apostolos defatigatos misericorditer invitabat: « Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum » (*Mc.* 6, 31). Quapropter aliqua vita communis inter sacerdotes foveatur, quae tamen plures formas, iuxta diversas necessitates personales vel pastorales, induere potest, nempe cohabitationem, ubi possibilis est, vel commensalitatem, vel saltem frequentes ac periodicos conventus, ita ut Presbyteri aptius in ministerio cooperentur et a periculis solitudine
[25] forte orientibus eripiantur. Pariter, eorum coniunctio in associationibus piis, quae sacerdotum sanctitatem fovendam intendunt, magni semper habeatur.

Textus recognitus

plent in ceteris inceptis, uti in operibus laicorum apostolatus, in scholis, in *institutis* pervestigationis scientificae, in officinis, in operibus caritatis aliisque id genus (E). *Qui sunt provectioris aetatis, iuniores vere ut fratres suscipiant eosque in primis oneribus ministerii adiuvent, itemque mentem eorum, etsi a propria diversam, intellegere satagant atque incepta eorum cum benevolentia prosequantur.* Iuvenes pariter *revereantur aetatem atque* experientiam *seniorum cumque illis de omnibus rebus curam animarum spectantibus consilia conferant et* libenter collaborent (F).

Spiritu fraterno ducti, Presbyteri hospitalitatem ne obliviscantur (cf. *Hebr.* 13, 1-2), *colant beneficentiam et communionem bonorum* (cf. *Hebr.* 13, 16), *praesertim solliciti eorum qui sunt aegroti, afflicti, laboribus nimis onerati, solitarii, e patria exsules, necnon eorum qui persecutionem patiuntur* (cf. *Mt.* 5, 10). Etiam ad relaxandum animum libenter conveniant, memores verborum quibus ipse Dominus Apostolos defatigatos misericorditer invitabat: « Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum » (*Mc.* 6, 31) (G). *Insuper, ut Presbyteri in vita spirituali et intellectuali colenda mutuum iuvamen inveniant,* ut aptius in ministerio *cooperari valeant utque* a periculis solitudinis forte orientibus eripiantur, *necesse est* aliquam vitam communem inter sacerdotes foveri, quae tamen plures formas, iuxta diversas necessitates personales vel pastorales, induere potest, nempe cohabitationem, ubi possibilis est, vel communem mensam, vel saltem frequentes ac periodicos conventus. *Magni quoque habendae sunt et diligenter promovendae associationes quae, per aptam et convenienter approbatam ordinationem vitae et per iuvamen fraternum, sancti-*

Textus emendatus

Demum, eiusdem fraternitatis et communionis in sacerdotio ratione, se sciant Presbyteri obligatos erga eos quoque qui in quibusdam defecerunt, quos igitur misericordia atque magna caritate semper prosequantur.

9. [*Presbyterorum cum laicis conversatio*]. Novi Testamenti sacerdotes, sacramenti Ordinis ratione specialiter Deo consecrati atque praestantissimum ac necessarium in populo et pro populo Dei, ex quo assumpti sunt (cf. *Hebr.* 5, 1), munus patrum et magistrorum exercentes, simul cum omnibus Christifidelibus sunt discipuli Domini, Dei vocantis gratia Eius Regni participes facti (cf. *1 Thess.* 2, 12; *Col.* 1, 13). Presbyteri ergo semper memores sint se cum Christifidelibus esse fratres inter fratres (cf. *Mt.* 23, 8), « caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes » (*Rom.* 12, 10), utpote cum iisdem membra unius Christi Corporis, cuius aedificatio omnibus in fonte baptismi regeneratis et sacro chrismate signatis, secundum mensuram gratiae et donum quod singulis datur (cf. *Rom.* 12, 6; *Eph.* 4, 7) demandata est.

Presbyteros igitur sic oportet praeesse, ut, non quae sua sunt quaerentes, sed quae Iesu Christi (cf. *Phil.* 2, 21), cum fidelibus laicis operam coniungant et in medio eorum se gerant ad exemplum Magistri, qui inter homines « non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis » (*Mt.* 20, 28). In conversatione cum fidelibus, Presbyteri, semper memores propriae condicionis sacerdotalis, atque « forma facti gregis ex ani-

Textus recognitus [25]

tatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent, et sic toti Ordini Presbyterorum servire intendunt (H).

Demum, ratione eiusdem fraternitatis et communionis in sacerdotio, se sciant Presbyteri obligatos erga eos quoque, qui in quibusdam defecerint, eosdem igitur misericordia atque magna caritate semper prosequantur.

8. (Olim n. 9). [*Presbyterorum cum laicis conversatio*]. Novi Testamenti sacerdotes, *licet* sacramenti Ordinis ratione praestantissimum ac necessarium in populo et pro populo Dei munus *exerceant, tamen* simul cum omnibus christifidelibus sunt discipuli Domini, Dei vocantis gratia Eius Regni participes facti (cf. *1 Thess.* 2, 12; *Col.* 1, 13) (A). Presbyteri ergo semper memores sint se cum christifidelibus esse fratres inter fratres (cf. *Mt.* 23, 8),[37] « caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes » (*Rom.* 12, 10), utpote membra unius eiusdemque Christi Corporis, cuius aedificatio omnibus demandata est (cf. *Eph.* 4, 7-16)[38] (B).

Presbyteros igitur sic oportet praeesse, ut non quae sua sunt quaerentes, sed quae Iesu Christi (cf. *Phil.* 2, 21), cum fidelibus laicis operam coniungant et in medio eorum se gerant ad exemplum Magistri, qui inter homines « non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis » (*Mt.* 20, 28). In conversatione cum fidelibus, Presbyteri, semper memores propriae condicionis [26] sacerdotalis, atque « forma facti gregis ex ani-

[26]

Textus emendatus

mo » (*1 Pt.* 5, 3) sectentur « iustitiam, fidem, spem, caritatem et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro » (*2 Tim.* 2, 22), sed etiam illas virtutes colant quibus, ad imitationem Christi Domini, qui est « perfectus Deus, perfectus Homo », omnes ornati sint oportet, quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur, videlicet cordis bonitas, sinceritas, robur animi et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque quas Sanctus Paulus commendat dicens: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate » (*Phil.* 4, 8).

Ius quod fideles laici habent recipiendi a clero spiritualia bona ad eorum salutem necessaria obtinere non possent si, petentibus illis panem verbi Dei et Corporis Christi, Presbyter non esset qui frangeret eis (cf. *Thren.* 4, 4). Sed praeter hanc sollicitudinem in sacramentis eis ministrandis et in Romani Pontificis ac Episcoporum normis tradendis, Presbyteri sincere honorent peculiarem missionem apostolicam, quam et laici a Deo acceperunt; omnia iura propria condicionis eorum aestiment atque foveant; munera et officia ipsis concredita in sinu Ecclesiae ac civilis societatis agnoscant. Libenter igitur Presbyteri audiant laicos, eorum desideria fraterne accipiant, eorumque experientiam in diversis campis activitatis humanae agnoscant, ut simul cum ipsis signa temporum (cf. *Mt.* 16, 4) recognoscere queant. Probantes spiritus si ex Deo sint (cf. *1 Io.* 4, 1) charismata laicorum magni aestiment. Inter illa vero dona Dei quae in fidelibus abundanter inveniuntur, particulari cura dignae sunt gratiae quibus non

Textus recognitus

mo » (*1 Pt.* 5, 3), sectentur « iustitiam, fidem, spem, caritatem et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro » (*2 Tim.* 2, 22), sed etiam illas virtutes *ne neglegant* (C) quibus, ad imitationem Christi Domini, qui est « perfectus Deus, perfectus Homo »,[39] omnes ornati sint oportet, quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur, videlicet cordis bonitas, sinceritas, robur animi et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque, quas Sanctus Paulus commendat dicens: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate » (*Phil.* 4, 8).[40]

Ius quod fideles habent recipiendi a clero spiritualia bona [41] ad suam salutem necessaria, iidem obtinere non possent si, petentibus illis panem verbi Dei et Corporis Christi, Presbyter non esset qui frangeret eis (cf. *Thren.* 4, 4). Sed praeter hanc sollicitudinem *in verbo Dei annuntiando,* in sacramentis ministrandis [42] et in Romani Pontificis atque Episcoporum normis tradendis, Presbyteri sincere *laicorum dignitatem atque peculiarem, quam in missione Ecclesiae habent partem, agnoscant et promoveant. Iustam etiam libertatem quae omnibus in civitate terrestri competit sedulo in honore habeant* [43] (D). Libenter igitur Presbyteri audiant laicos, eorum desideria fraterne *considerent,* eorumque experientiam in diversis campis activitatis humanae agnoscant, ut simul cum ipsis signa temporum (cf. *Mt.* 16, 4) recognoscere queant. Probantes spiritus si ex Deo sint (cf. *1 Io.* 4, 1) charismata laicorum magni aestiment. Inter illa vero dona Dei quae in fidelibus abundanter inveniuntur, peculiari cura di-

Textus emendatus

pauci ad altiores gradus vitae spiritualis destinantur.

Meminerint demum Presbyteri se in medio laicorum positos esse ut illos ad caritatis unitatem ducant; sciant igitur diversas mentes ita componere, ut nullus eorum extraneum in fidelium communitate se sentiat; boni communis, cuius nomine Episcopi curam habent, sint defensores atque simul veritatis strenui assertores, ne fideles omni vento doctrinae circumferantur (cf. *Eph.* 4, 14).

7. [*De habitudine inter Episcopos et Presbyterium*]. (...) Neque enim donum spirituale, quod in Ordinatione accepit, ad limitatam et coarctatam tantum missionem praeparat Presbyterum, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis « usque ad ultimum terrae » (*Act.* 1, 8), ita ut quodlibet sacerdotale ministerium, quantumvis humile et limitatum externa facie appareat, participet de ipsa universali amplitudine missionis a Christo Apostolis concreditae. Sacerdotium enim Christi, de cuius plenitudine Presbyteri participes facti sunt, ad omnes populos et ad omnia tempora necessario dirigitur, neque ullis limitibus sanguinis, nationis vel aetatis coarctatur, ut iam in figura Melchisedech, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitae habentis, arcano modo praefiguratur (cf. *Hebr.* 7, 3). Sic igitur merito omnes sacerdotes profi-

Textus recognitus [27]

gnae sunt gratiae, quibus non pauci ad *altiorem vitam spiritualem attrahuntur.*

Exemplum Boni Pastoris secuti, Presbyteri solliciti sint illorum qui a praxi sacramentorum, immo forsan a fide defecerunt, et etiam illorum qui Christum Salvatorem suum non agnoscunt; simul ne obliviscantur fratres seiunctos, memores desiderii et orationis dominicae: « *Ut omnes unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti* » (*Io.* 17, 21) (E).

Meminerint demum Presbyteri se in medio laicorum positos esse ut illos ad caritatis unitatem ducant; sciant igitur diversas mentes ita componere, ut nemo eorum extraneum in fidelium communitate se sentiat; boni communis, cuius nomine Episcopi curam habent, sint defensores, atque simul veritatis strenui assertores, ne fideles omni vento doctrinae circumferantur (cf. *Eph.* 4, 14).

9. (Olim pars n. 7 et n. 10). [*Apta Presbyterorum distributio*]. Donum spirituale, quod Presbyteri in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam et coarctatam tantum missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis « usque ad ultimum terrae » (*Act.* 1, 8), ita ut quodlibet sacerdotale ministerium participet ipsam universalem amplitudinem missionis a Christo Apostolis concreditae. Sacerdotium enim Christi, de cuius plenitudine Presbyteri participes facti sunt, ad omnes populos et ad omnia tempora necessario dirigitur, neque ullis limitibus sanguinis, nationis vel aetatis coarctatur, ut iam in figura Melchisedech arcano modo praefiguratur (cf. *Hebr.* 7, 3) (A). Recolant *igitur Presbyteri* omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere. Quapropter Presbyteri illarum dioecesium, quae maiore vocationum copia ditantur,

[27] *Textus emendatus*

tentur orare et laborare una cum Papa et Antistite suo, ac cum omnibus orthodoxis catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

[28] 10. [*Apta Presbyterorum distributio*]. Presbyteri qui cum et sub Episcopis sunt Apostolorum in sacerdotio successores et Ordinis episcopalis missionem in omnes gentes suo gradu participant, recolant omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere. Quapropter Presbyteri illarum dioecesium quae maiore vocationum copia ditantur libenter se paratos praebeant, permittente vel exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in regionibus, missionibus vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum. Normae praeterea de incardinatione et excardinatione ita recognoscantur ut, firmo manente pervetere hoc instituto, hodiernis pastoralibus necessitatibus melius respondeant, et, ubi ratio apostolatus postulaverit, faciliora reddantur non solum apta Presbyterorum distributio, sed etiam peculiaria opera pastoralia pro quibusdam coetibus socialibus, v. g. pro opificibus vel intellectualibus, quae in aliqua regione, vel natione aut in quacumque terrarum orbis parte perficienda sunt; ad hoc ergo seminaria internationalia, peculiares dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi utiliter constitui possunt, quibus, modis pro singulis inceptis statuendis et salvis semper iuribus Ordinariorum locorum, Presbyteri addici vel incardinari queant in bonum commune totius Ecclesiae.

Ad exemplum tamen Christi Domini (cf. *Lc.* 10, 1), Presbyteri singuli ne mittantur, si possibile sit, sed saltem bini vel terni. Si in solitudine enim manent, damna haud parva ipsis oriri possunt, praesertim primis temporibus, si forte linguam et mores novae regionis nondum bene cognoverint. Pariter expedit

Textus recognitus

libenter se paratos praebeant, permittente vel exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in regionibus, missionibus vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum. Normae praeterea de incardinatione et excardinatione ita recognoscantur ut, firmo manente pervetere hoc instituto, hodiernis pastoralibus necessitatibus melius respondeant, et, ubi ratio apostolatus postulaverit, faciliora reddantur non solum apta Presbyterorum distributio, sed etiam peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus (B), quae in aliqua regione, vel natione aut in quacumque terrarum orbis parte perficienda sunt; ad hoc ergo *quaedam* (C) seminaria internationalia, peculiares dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi utiliter constitui possunt, quibus, modis pro singulis inceptis statuendis et salvis semper iuribus Ordinariorum locorum, Presbyteri addici vel incardinari queant in bonum commune totius Ecclesiae.

Ad novam tamen regionem, praesertim *si illius* linguam et mores nondum bene cognoverint, *in quantum fieri potest* (D), Presbyteri ne mittantur singuli, sed, ad exemplum Christi *discipulorum* (cf. *Lc.* 10, 1), saltem bini vel terni, *ut ita mutuo sibi sint adiutorio.* Pariter expedit sollicitam curam adhibere de eorum

Textus emendatus

sollicitam curam adhibere de eorum vita supernaturali necnon de eorum valetudine mentis et corporis; et, quatenus id fieri possit, loca et condiciones laboris pro ipsis praeparentur iuxta uniuscuiusque adiuncta personalia.

Magnopere expedit simul ut, qui ad novam nationem pergunt ut ibidem ministerium exerceant, apte cognoscere curent non solum linguam illius loci, sed etiam peculiares characteres psychologicos et sociales illius populi cui servire volunt, ita ut, ardenti caritate pastorali moti, superent quodlibet vel remotissimum indicium spiritus nationalistici vel segregationis inter diversos populos, et exemplum Pauli Apostoli fideliter sequantur, qui de se ipso dicere potuit: « Nam, cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer ... » (*1 Cor.* 9, 19-20).

11. [*De vocationibus sacerdotalibus*]. Pastor et Episcopus animarum nostrarum (cf. *1 Pt.* 2, 25), ita suam Ecclesiam constituit, ut populus quem elegit semper et usque in finem saeculi suos habere debeat sacerdotes, ne umquam Christiani sint « sicut oves non habentes pastorem » (*Mt.* 9, 36). Quam voluntatem Christi agnoscentes, Apostoli, suggerente Spiritu Sancto (cf. *Act.* 13, 2), suum esse officium ducunt ministros eligendi « qui idonei erunt et alios docere » (*2 Tim.* 2, 2). Quoniam tamen rectori navis et navigio deferendis causa communis exsistit, ideo universus populus christianus sciat necesse est suum esse officium diversimode cooperari ut semper Ecclesia illos habeat sacerdotes qui necessarii sint ad missionem suam divinam explendam. Primum igitur Presbyteris summopere cordi sit sacerdotii excel-

Textus recognitus [28]

vita *spirituali* (E), necnon de eorum valetudine mentis et corporis; et, quatenus id fieri possit, loca et condiciones laboris pro ipsis praeparentur iuxta uniuscuiusque adiuncta personalia. Magnopere expedit simul ut, qui ad novam nationem pergunt, apte cognoscere curent non solum linguam illius loci, sed etiam [29] peculiares characteres psychologicos et sociales illius populi cui servire volunt, ita ut (F) exemplum sequantur Pauli Apostoli, qui de se ipso dicere potuit: « Nam, cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer ... » (*1 Cor.* 9, 19-20) (G).

10. (Olim n. 11). [*Presbyterorum cura de vocationibus sacerdotalibus*]. Pastor et Episcopus animarum nostrarum (cf. *1 Pt.* 2, 25), ita suam Ecclesiam constituit, ut populus quem elegit semper et usque in finem saeculi suos habere debeat sacerdotes, ne umquam christiani sint « sicut oves non habentes pastorem » (*Mt.* 9, 36). Quam voluntatem Christi agnoscentes, Apostoli, suggerente Spiritu Sancto, suum esse officium ducunt ministros eligendi « qui idonei erunt et alios docere » (*2 Tim.* 2, 2). *Quod officium sane pertinet ad ipsam naturam missionis sacerdotalis, quae ducit ad sollicitudinem totius Ecclesiae, et ad procurandum ne in populo Dei hic in terris operarii umquam desint* (A). Quoniam tamen « rectori navis et navigio deferendis ... causa communis exsistit »,[44] ideo universus populus

[29]

Textus emendatus

lentiam et necessitatem fidelibus ante oculos ponere, omnes ut sociam navent operam commonere, ac quos ipsi prudenter ad tantum ministerium idoneos iudicaverint, nullis parcentes sacrificiis adiuvare ut aliquando ab Episcopis vocari possint. Parentes et magistri, atque omnes ad quos spectat quocumque modo institutio puerorum ac iuvenum, eos sic erudiant, ut voluntatem Christi cognoscentes et
[30] necessitates Ecclesiae considerantes, parati sint generose Domino vocanti respondere: « Ecce ego, mitte me » (*Is.* 6, 8).

Haec tamen vox Domini vocantis nequaquam exspectanda est modo quodam extraordinario ad aures futuri Presbyteri habitualiter pervenire, sed potius per illa signa quibus cotidie voluntas Dei prudentibus christianis innotescit; quae signa, tam externa (prout sunt necessitas Ecclesiae, circumstantiae variae, educatorum sententia, Hierarchiae iudicium), quam interna (scilicet gratiae receptae, dotes, recta intentio, voluntas sincera Deo quam perfectissime inserviendi, aliaque huiusmodi), attente consideranda sunt, iuxta illud S. Ioannis Chrysostomi: « Oportet eum qui ordinaturus est multa prius perquisitione uti; sed multo maiore eum qui ordinandus est ».

In praedicationibus ergo, in catechesi, in periodicis, aperte declarentur necessitates Ecclesiae tam localis quam universalis; ac Presbyteri omnes fideles instruant suppliciter rogare « Dominum messis ut mittat operarios in messem suam » (*Lc.* 10, 2). Parati sint etiam ad cooperandum, sub ductu Episcopi, ad sacerdotes praeparandos, sive saeculares sive religiosos, non tantum in bonum propriae dioecesis, sed etiam in bonum Ecclesiae universalis, cum

Textus recognitus

christianus sciat necesse est suum esse officium diversimode cooperandi, ut semper Ecclesia illos habeat sacerdotes, qui necessarii sint ad missionem suam divinam explendam. Primum igitur Presbyteris summopere cordi sit sacerdotii excellentiam et necessitatem fidelibus ante oculos ponere, omnes ut sociam navent operam commonere, ac quos, *sive iuvenes sive adultiores* (B), prudenter ad tantum ministerium idoneos iudicaverint, nullis parcentes curis atque incommodis adiuvare ut aliquando, *plena eorum libertate externa et interna servata* (C), ab Episcopis vocari possint. *Ad hunc finem prosequendum, maximae utilitatis est diligens ac prudens directio spiritualis.* Parentes et magistri, atque omnes ad quos spectat quocumque modo institutio puerorum ac iuvenum, eos sic erudiant, ut voluntatem Christi cognoscentes et necessitates Ecclesiae considerantes, parati sint generose Domino vocanti respondere: « Ecce ego, mitte me » (*Is.* 6, 8). Haec tamen vox Domini vocantis nequaquam ita exspectanda est, ut modo quodam extraordinario ad aures futuri Presbyteri habitualiter perveniat, sed potius per illa signa quibus cotidie voluntas Dei prudentibus christianis innotescit; quae signa attente a Presbyteris consideranda sunt.[45]

In praedicationibus ergo, in catechesi, in scriptis periodicis, aperte declarentur necessitates Ecclesiae tam localis quam universalis, *sensus et praestantia ministerii sacerdotalis in vivida luce ponantur, in quo cum tribulationibus tanta gaudia componuntur, et in quo praesertim, ut docent Patres, potest dari Christo maximum testimonium amoris*[46] (E).

Textus emendatus

singulae dioeceses, immo et singulae Conferentiae Episcopales mutuo auxilio se adiuvare in tanti momenti opere necesse sit.

II. De Presbyterorum vita

12. [*Peculiaris exigentia sanctitatis in vita sacerdotali*]. Sicut haec Sacrosancta Synodus sollemniter declaravit in Constitutione « De Ecclesia », omnibus fidelibus dictum est: « Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48), atque ideo omnes ad sanctitatem vocantur. Ad illam tamen perfectionem assequendam peculiari titulo adstringuntur sacerdotes, quos in ordinatione sacra Episcopus monuit « fide et opere debere esse perfectos, seu geminae dilectionis, Dei scilicet et proximi, virtute fundatos ». Sanctitas enim in sacerdote peculiari ratione exigitur, eo quod per sacramentum Ordinis et characterem sacerdotalem, Christi Aeterni Sacerdotis instrumentum efficitur, ut mirabilem Eius operam, quae superna efficacitate universum hominum convictum redintegravit, per tempora consequi valeat. Cum ergo omnis sacerdos ipsius Christi personam gerat, secundum illud: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (*Io.* 20, 21), ad Eius perfectionem propius accedere debet cuius partes sustinet, atque, peculiariter « homo Dei » (*1 Tim.* 6, 11) factus, ita inter homines se gerere debet, ut in ipso quodammodo effulgeat sanctitas Illius qui nobis factus est « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus » (*Hebr.* 7, 26).

Quamobrem, iam in Vetere Testamento, de sacerdotibus legis Deus praeceperat: « Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos » (*Lev.* 21, 8), atque pro

Textus recognitus [30]

11. (Olim n. 12). [*Peculiaris exigentia sanctitatis in vita sacerdotali*]. Omnibus fidelibus dictum est: « Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48), atque ideo omnes ad sanctitatem vocantur. Quoniam vero Presbyteri ratione Ordinis sacramentalis arctiore modo cum Christo Sacer- [31] dote *coniunguntur*, qui est « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus » (*Hebr.* 7, 26), ad sanctitatem assequendam peculiari titulo adstringuntur (A). Quapropter iam in Vetere Testamento de sacerdotibus legis Deus praeceperat: « Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos » (*Lev.* 21, 8) (B).

Presbyter pro populo Dei se sanctificandi officio tenetur, neque ita sese externis sui muneris devoveat inceptis, ut propriam sanctimoniam neglegat, memor verborum Sancti Pauli: « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar » (*1 Cor.* 9, 27). *Quinimmo per ipsas cotidianas sacras actiones, quas exercet, sicut et per integrum suum ministerium, ipse ad vitae perfectionem ordinatur* (C). Praeterea, quamquam « servi inutiles sumus » (*Lc.* 17, 10), et quamquam gratia Dei etiam per indignos ministros opus salutis explere potest, tamen, sicut *praeclare omnibus semper innotuit ex doctrina Domini nostri* (cf. *Io.* 15, 4 ss.), *Sanctorum Patrum, constanti abundantique Magisterio Summorum Pontificum atque* vita

[31] *Textus emendatus*

iisdem, in dedicatione Templi, populus a Deo postulabat: « Sacerdotes tui induantur iustitiam » (*Ps. 132,* 9 Vg 131).

Unctionis igitur Christi, quem Pater sanctificavit seu consecravit et misit in mundum (cf. *Io.* 10, 36), quique « dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum » (*Tit.* 2, 14), specialiter factus particeps, Presbyter pro populo Dei se sanctificare tenetur, neque umquam, immoderato sese externis sui muneris inceptis devovendi studio, propriam sanctimoniam praetermittat, memor verborum Sancti Pauli: « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse

[32] reprobus efficiar » (*1 Cor.* 9, 27). Praeterea, quamvis « servi inutiles sumus » (*Lc.* 17, 10), et quamvis gratia Dei etiam per indignos ministros opus salutis explere potest, tamen, sicut e vita Sanctorum novimus, per illos praediligit Deus sua mirabilia ostendere qui, dociliores ductui et impulsui Spiritus Sancti facti, cum Apostolo dicere possunt: « Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20).

Quapropter, haec Sacrosancta Synodus, ad fines suos pastorales renovationis internae, diffusionis in universo mundo, necnon colloquii cum mundo hodierno attingendos, vehementer hortatur omnes Presbyteros ut ad illam semper maiorem sanctitatem tendant qua possint esse in dies validiora instrumenta in servitium totius populi Dei.

13. [*Triplicis muneris sacerdotalis exercitium sanctitatem requirit simul ac fovet*]. Ipsum exercitium munerum, quae Presbytero committuntur, requirit et pariter stimulat

Textus recognitus

Sanctorum *iugiter roboratur,* per illos *ordinaria lege* praeoptat Deus sua mirabilia ostendere, qui, dociliores impulsui et ductui Spiritus Sancti facti, *ob suam intimam cum Christo unionem et vitae sanctimoniam,* cum Apostolo dicere possunt: « Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20) (D).

Quapropter haec Sacrosancta Synodus, ad suos fines pastorales renovationis internae, diffusionis in universo mundo, necnon colloquii cum mundo hodierno attingendos, vehementer hortatur omnes Presbyteros ut ad illam semper maiorem sanctitatem tendant, qua possint esse in dies validiora instrumenta in servitium totius populi Dei.

12. (Olim n. 13). [*Triplicis muneris sacerdotalis exercitium sanctitatem requirit simul ac fovet*]. Ipsum exercitium munerum, quae Presbyteris committuntur, requirit et pariter

Textus emendatus

sanctitatem vitae, et in Presbyterorum animabus roborat specificam spiritualitatem sacerdotalem. Cum a Presbyteris veritates fidei sint docendae, in seipsos prius recipere satagant id quod aliis est tradendum, iuxta verba Pauli Apostoli ad Timotheum: « Haec meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt » (*1 Tim.* 4, 15-16). Nihil quidem aptius et validius, gratia divina adspirante, in auditorum mentes et corda vocem penetrare facit, quam ipsa dicentis vita. Sic et Magister Christus « coepit facere et docere » (*Act.* 1, 1), atque severissimis verbis increpavit illos qui dicunt et non faciunt (cf. *Mt.* 23, 3). Cum in ministerio sacramentorum et praesertim in Sacrificio Missae Presbyteri Christi personam specialiter gerant, qui semetipsum ad sanctificandos homines victimam dedit, merito ipsi recordantur verba Episcopi ordinantis: « Imitamini quod tractatis, quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis ». Conscie ergo ac piissime, ferventi quidem praeparatione ac gratiarum postea actione, Presbyteri Eucharistiam cotidie celebrant, ceteraque sacramenta prompte et libenter administrant, in seipsis fovendo vividum spiritum fidei, admirationis et laudis propter Dei mirabilia quae per suas transeunt manus. Hunc autem sensum admirationis et laudis in Divino Officio recitando excitantes, simul a Deo sine quo nihil possunt facere (cf. *Io.* 15, 5) impetrabunt efficacitatem et incrementum operis in quo laborant. Demum, populum Dei regentes ac pascentes, exemplum Boni Pastoris imitentur, qui « cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves

Textus recognitus [32]

stimulat sanctitatem vitae, *ideoque potens est Presbyteros efformare ad* sanctitatem sacerdotum propriam (A). Cum a Presbyteris veritates fidei sint docendae, in seipsos prius recipere satagant id quod aliis est tradendum,[47] iuxta verba Pauli Apostoli ad Timotheum: « Haec meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt » (*1 Tim.* 4, 15-16). Nihil enim aptius et validius efficit, ut, gratia divina adspirante, vox in auditorum mentes et corda penetret, quam ipsa dicentis vita.[48] Sic et Magister Christus (B) severissimis verbis increpavit illos, qui dicunt et non faciunt (cf. *Mt.* 23, 3).

Cum in ministerio sacramentorum ac praesertim in Sacrificio Missae Presbyteri Christi personam specialiter gerant, qui semetipsum ad sanctificandos homines victimam dedit, me- [33]
rito ipsi *recordentur* (C) verba Episcopi ordinantis: « Imitamini quod tractatis, quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis ».[49] *In Mysterio Sanctae Missae, in qua munus suum praecipuum sacerdotes exercent, cuius igitur celebratio cotidiana, etiam non praesente populo, enixe eis commendatur,* et in sacramentorum administratione, cum Dei mirabilia per suas transeunt manus, *necnon* in Officio Divino recitando, vividum spiritum fidei et laudis *excitent* (D). Simul a Deo, sine quo nihil possunt facere (cf. *Io.* 15, 5), impetrent efficacitatem et incrementum operis in quo laborant.

Demum, populum Dei regentes ac pascentes, exemplum Boni Pastoris imitentur, qui « cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur » (*Io.* 10, 4); qua-

[33] *Textus emendatus*

illum sequuntur » (*Io.* 10, 4); quapropter rectam intentionem peculiaremque ascesim pastoralem ita colant, ut in ardenti caritate erga Deum et proximum continuo crescant, cum nullum miseriae locum arbitrentur impervium, nullum non leniant dolorem, nullam tristitiae vel angustiae umbram non dissipent.

14. [*De unitate et harmonia vitae Presbyterorum*]. Hodierno in mundo, multitudo officiorum quibus obvenire debent homines, diversitas problematum quibus anguntur, varietas quam quidem magna oblectamentorum quibus alliciuntur, progressus scientifici quibus captivantur, efficiunt ut cum exterioris vitae
[34] ratione interiorem vitam haud facile componere valeant. Presbyteri et ipsi his omnibus permoti, periculo exponuntur ne eorundem vitae unitas in discrimen vocetur. Quod ut vitent, meminerint semper officium suum talis esse naturae ut, si agnoscant quod agunt, integra vita Presbyterorum continuus labor sit ad maiorem perfectionem obtinendam, secundum commendationem Sancti Pauli ad discipulum: « Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum » (*2 Tim.* 1, 6). Cum enim Presbyteri per sacramentum Ordinis novo titulo Christo configurentur et coniungantur, atque omnis sacerdos sit instrumentum Christi pro incremento Corporis Eius, quod est Ecclesia, Presbyteri, ad exemplum

Textus recognitus

propter rectam intentionem peculiaremque ascesim pastoralem ita colant, ut (E), *magno animo ad semper ulterius progrediendum, ad opus pastorale perfectius complendum et, ubi opus sit, ad novas vias pastorales pro temporum locorumque adiunctis ingrediendas parati sint; spes igitur eorum firma consistat pro fidelibus suis* (cf. *2 Cor.* 1, 7), *ut possint consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua et ipsos Deus exhortatur* (cf. *2 Cor.* 1, 4), *memores verborum Domini: « Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum »* (*Lc.* 12, 32) (F).

13. (Olim n. 14). [*De unitate et harmonia vitae Presbyterorum*]. Hodierno in mundo, multitudo officiorum quae obire debent homines, diversitas problematum quibus ipsi anguntur, varietas quam maxima oblectamentorum quibus alliciuntur, progressus scientifici quorum quasi captivi fiunt, efficiunt ut cum exterioris vitae ratione interior vita haud facile componi valeat. Presbyteri et ipsi his omnibus permoti, periculo exponuntur, ne eorundem *vita spiritualis* (A) in discrimen vocetur. Quod ut vitent, *visionem rerum semper habeant supernaturalem, et* meminerint semper officium suum talis esse naturae ut, si agnoscant quod agant,[50] integra *eorum vita ducat ad maiorem semper unionem cum Christo, quocum ut in opere Redemptionis cooperentur vocati sunt* (B). Presbyteri ergo, ad exemplum Christi Domini, qui voluntatem Patris semper adimplevit (cf. *Io.* 4, 34; 6, 38; *Hebr.* 10, 9) *et vitam suam pro ovibus dedit* (cf. *Io.* 10, 11), suae vitae unitatem quaerant in agnitione voluntatis Eius (cf. *Col.* 1, 9) *et in dono sui ipsius pro grege sibi commisso* (cf. *1 Io.* 3, 16); *sic*

Textus emendatus

Christi Domini, qui voluntatem Patris semper adimplevit (cf. *Io.* 4, 34; 6, 38; *Hebr.* 10, 9), suae vitae unitatem quaerant in agnitione voluntatis Eius (cf. *Col.* 1, 9). Consciam igitur sacerdotalis vitae unitatem Christus constanter parit Spiritu suo in populum novum effuso; quapropter vita spiritualis sacerdotis alitur continua unione cum Christo, qui per eum suum Corpus augere vult. Itaque Presbyteri vitam suam agere cupientes per Christum, cum Christo et in Christo, Sacrosanctum Altaris Sacrificium habeant tamquam centrum ac radicem totius eorum vitae, ita ut quod in sacrificali ara agitur sacerdotalis animus in se referre studeat, et, cum Christo Mediatore inter Deum et homines, seipsos efficiant hostiam quae Deo Patri offertur in remissionem peccatorum (cf. *Mt.* 26, 28), hostiam etiam quae, pro mundi vita (cf. *Io.* 6, 51), hominibus in cibum traditur propter amorem Dei.

Quamobrem Presbyteri vita non seiungitur veluti in duas partes, alteram cultui, alteram vero populo fideli et apostolatui deditam. Actio enim liturgica et actio apostolica non sunt nisi duplex aspectus unius operis Christi pro Ecclesia et pro mundi salute: etenim populus Dei in Eucharistico mysterio non coadunaretur nisi prius vocatus esset, itemque verbum salutis in Christo annuntiari non posset, nisi Ipse, morte sua, se pro mundo tradidisset.

Dum autem Presbyter homines evangelizat, principium et vim suae actionis in ipso dono Filii Dei amore traditi invenit; dum vero mysteria celebrat, vivum testimonium dat de eodem amore, renovans « sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel » (*Hebr.* 12, 24). Cum demum opus sacerdotale mysterium sit, sacerdos eius particeps fieri nequit, nisi in eius arcana ingrediatur. Itaque con-

Textus recognitus [34]

igitur, Boni Pastoris partes agendo, quaerant in ipso caritatis pastoralis exercitio et vinculum perfectionis sacerdotalis et simul principium quod in unitatem redigit ipsorum vitam et actionem (C). *Haec autem pastoralis caritas* [51] *profluit a Sacramento Altaris, quod ideo* tamquam centrum et radicem totius suae vitae *Presbyteri habeant oportet,* ita ut quod in sacrificali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre studeat (D). *Hoc autem obtineri nequit, neque operatio ministri Christi actionem ipsius Domini in mundo continuare quodammodo potest, nisi ipse Presbyter in fide semper crescat et in caritate magis magisque radicetur* (cf. *Eph.* 3, 17), *in mysterium Christi semper intimius penetret oratione, adoratione et gratiarum actione, sicque cum Domino suo, et per Eum cum Patre, in Spiritu Sancto, uniatur, ut, in tribulatione, possit consolatione repleri et superabundare gaudio* (cf. *2 Cor.* 7, 4) (E).

[35]

[35] *Textus emendatus*

templando intimam vim invenit actionis, agendo autem ad actum contemplationem adducit, in servitium Ecclesiae et in cooperatione cum Christo dicente: « Qui me misit verax est; et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo » (*Io.* 8, 26).

15. [*De castitate perfecta ceterisque consiliis evangelicis*]. « Ecclesiae sanctitas ... peculiariter apparet in praxi consiliorum, quae evangelica appellari consueverunt », et quae Christus omnibus discipulis suis observanda proponit, unicuique secundum propriam vocationem et statum. Cum vero sacerdos peculiari ratione ad sanctitatem vocetur, peculiari quoque in honore huiusmodi consilia habeat oportet.

Primo loco nominanda est castitas perfecta, quam Ecclesia semper magno in honore habuit (cf. *1 Cor.* 7, 1-39), tamquam signum et stimulum caritatis atque peculiarem fontem spiritualis foecunditatis in mundo. Castitas enim perfecta, etsi non absolute exigatur a sacerdotio, sicut patet ex eo quod inter Presbyteros, sicut inter ipsos primos Apostolos, semper adfuerunt nonnulli, et quidem optime meriti, legitime coniugati, tamen multimodam convenientiam cum sacerdotio habet.

[36] Omnibus enim christianis praeclarum illud donum commendatur, quod a Patre quibusdam datur (cf. *Mt.* 19, 11), ut in virginitate vel coelibatu propter Regnum caelorum servato facilius indiviso corde (cf. *1 Cor.* 7, 32-33) soli Deo eiusque Regno se dedicent. Presbyteris ergo convenit ut, consilium Pauli Apostoli in mentem fidelium revocantes, viam subditis vivendo denuntient, ita ut Dei familiae liberius ministrent, paternitatem in Christo plenius

Textus recognitus

14. (Olim n. 15). [*De consiliis evangelicis in vita Presbyteri*]. Ecclesiae sanctitas « *proprio quodam modo* (A) apparet in praxi consiliorum, quae evangelica appellari consueverunt »,[52] et quae Christus discipulis suis observanda proponit, unicuique secundum propriam vocationem et statum. Cum vero sacerdos peculiari ratione ad sanctitatem vocetur, peculiari quoque in honore huiusmodi consilia habeat oportet.

Perfecta *propter Regnum caelorum continentia,* quam Ecclesia semper *magni fecit* (cf. *1 Cor.* 7, 1-39), signum *est* et stimulus caritatis atque peculiaris fons spiritualis foecunditatis in mundo.[53] Etsi non exigatur a sacerdotio *suapte natura* (B), *uti apparet ex praxi Ecclesiarum Orientalium, ubi sunt* optime meriti *Presbyteri coniugati* (C), multimodam tamen convenientiam cum sacerdotio habet.

Christi enim *discipulis* commendatur ut in virginitate vel coelibatu, propter Regnum caelorum servato, facilius indiviso corde (cf. *Mt.* 19, 11; *1 Cor.* 7, 32-33) soli Deo Eiusque Regno se dedicent. *Convenit ergo ut sacerdotes tali perfecta continentia totalem significent personae suae donationem, cordis nempe et corporis, soli Christo, respondentes apostolicae eius vocationi: « Relictis omnibus secuti sunt eum »* (*Lc.* 5, 2) (D); convenit *etiam ut,* consilium Pauli Apostoli in mentem fidelium revocantes, viam subditis vivendo denuntient,[54]

Textus emendatus

acquirant et expeditiores in dies fiant ad servitium Regni Dei.

Praeterea missio sacerdotalis integra dicatur servitio novae humanitatis quam Christus, Victor mortis, per Spiritum suum in mundo suscitat, quaeque non secundum leges naturae propagatur, testante Domino: « Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam » (*Io.* 6, 63); ideoque potestas quae Episcopis et Presbyteris datur ut Ecclesiae ministrare possint nihil commune habet cum naturalibus viribus quibus vita propagatur vel augetur. Renuntiando ergo matrimonio, Presbyteri coram mundo aperte testificantur suam missionem supra omnes vires carnis et sanguinis sitam esse, atque signum vivum efficiuntur illius mundi cuius participes, cum sint filii resurrectionis, « neque nubent, neque ducent uxores » (*Lc.* 20, 36). In servitium Ecclesiae, Sponsae Christi, atque omnium illorum quos volunt despondere « uni viro, virginem castam exhibere Christo » (*2 Cor.* 11, 2), suum faciunt gaudium Praecursoris qui, ut amicus Sponsi, « gaudio gaudet propter vocem sponsi » (*Io.* 3, 29).

His omnibus rationibus ducta, Ecclesia, quae a primordiis coelibatum sacerdotibus commendavit, gradatim postea illum imposuit: legem itaque coelibatus, prout in usu est, Sacrosancta haec Synodus iterum comprobat. Omnes ergo Presbyteri, qui sacrum coelibatum gratia Dei confisi accipiunt, toto corde eidem inhaereant, atque in hoc statu recte ac fortiter perseverent. Haec quidem perfecta castitas, cum sit Dei donum, supra modum humanum est, et in mundo huius temporis, in quo omnes valores vitae sexualis tam alte et publice extolluntur, fere impossibilis a non paucis consideratur. Quae autem « impossibilia sunt apud homines possibilia sunt apud Deum » (*Lc.* 18, 27); ideoque donum il-

Textus recognitus [36]

exemplum Domini Eiusque Matris sequentes (E); ita ut Dei familiam liberius ministrent, paternitatem in Christo plenius acquirant et expeditiores fiant ad servitium Regni Dei. *Missio enim sacerdotis* integra dedicatur servitio *novae* humanitatis, quam Christus, victor mortis, per Spiritum suum in mundo suscitat, quaeque *originem suam « non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo »* (*Io.* 1, 13) *habet. Presbyteri ergo per coelibatum missionem Christi qui in Ecclesia genus humanum arcano connubio sibi coniunxit,* coram mundo aperte testificantur, *sicque* signum vivum efficiuntur illius mundi *futuri, per gratiam et fidem iam praesentis, in quo* filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores (cf. *Lc.* 20, 36). *Quapropter per coelibatum aptiores fiunt muneri sibi commisso despondendi fideles uni viro illosque exhibendi virginem castam Christo* (cf. *2 Cor.* 11, 2) (F).

His omnibus rationibus, *coelibatus, qui prius* sacerdotibus *commendabatur,* postea gradatim *in Ecclesia Occidentali lege impositus est* (G): *vigentem* (H) itaque legem coelibatus Sacrosancta haec Synodus iterum comprobat. Omnes ergo Presbyteri, qui sacrum coelibatum gratia Dei confisi accipiunt, toto corde eidem inhaereant, atque in hoc statu recte et fortiter perseverent. *Quae quidem perfecta continentia, quam libera voluntate Presbyteri amplectuntur* (I), in mundo huius temporis fere impossibilis a non paucis consideratur. Quae autem « impossibilia sunt apud homines possibilia sunt apud Deum » (*Lc.* 18, 27) (J); ideoque donum illud, *a Patre datum* (cf. *Mt.* 9, 2), a Presbyteris perseveranter [37]

37]

Textus emendatus

lud a Presbyteris perseveranter postulandum est et in humilitate custodiendum, adhibitis illis congruis mediis quae a traditione Ecclesiae, necnon a scientia psychologica, commendantur. Inter illa vero reponi debent: cordis cogitationumque custodia, vitae disciplina, passionum moderatio, christiana mortificatio, ardens vita spiritualis, devotio erga SS.mam Eucharistiam et Beatam Virginem Mariam, denique omnia illa quae casti hominis affectivo aequilibrio favent, sicut sunt fiducia cum spirituali consiliario, paternus affectus erga fideles donec formetur Christus in ipsis (cf. *Gal.* 4, 19), conversatio cum confratribus. Quae omnia multum adiuvare possunt Presbyteros ad optimam hominis formam assequendam qua, Christo mortificato quidem carne, vivificato autem spiritu (cf. *1 Pt.* 3, 18), associamur et conformamur, nolentes, iam libertate qua Christus nos liberavit ditati, iterum iugo servitutis contineri.

Presbyteri quoque magni faciant paupertatem, qua Christo intimius conformantur et ad sacrum ministerium promptiores fiunt. Christus enim propter nos «egenus factus est, cum esset dives» (*2 Cor.* 8, 9). Sint ergo pauperes spiritu, sciant et necessaria habere et penuriam pati (cf. *Phil.* 4, 12). Prae ceteris fidelibus ministri Christi animo ab immodico amore rerum temporalium soluto eluceant atque ab omni specie vanitatis fugiant. Habitationem suam ita disponant, ut sit omnibus pervia utque omnes, tam tenuiores quam locupletiores, in ea libere facileque se habeant.

38]

Textus recognitus

postulandum est et in humilitate custodiendum, adhibitis congruis subsidiis, quae a traditione Ecclesiae necnon a scientia psychologica commendantur. Inter illa vero reponi debent: cordis cogitationumque custodia, vitae disciplina, passionum moderatio, christiana mortificatio, ardens vita spiritualis, devotio erga Sanctissimam Eucharistiam et Beatam Virginem Mariam, ac denique illa omnia quae casti hominis interno affectuum aequilibrio favent, cuiusmodi sunt fiducia in spirituali consiliario posita, paternus affectus erga fideles donec formetur Christus in ipsis (cf. *Gal.* 4, 19), conversatio cum confratribus (K). Quae omnia multum adiuvare possunt Presbyteros ad optimam hominis formam assequendam, qua cum Christo mortificato quidem carne, vivificato autem spiritu (cf. *1 Pt.* 3, 18), consociamur et conformamur.

Presbyteri paupertatem quoque magni faciant, qua Christo intimius conformantur et ad sacrum ministerium promptiores fiunt. Christus enim propter nos « egenus factus est, cum esset dives » (*2 Cor.* 8, 9). *Apostoli autem testimonium gratuiti doni Dei reddiderunt, scientes, eadem cum apostolica libertate,* et necessaria habere et penuriam pati (cf. *Phil.* 4, 12). *Sciant etiam Presbyteri exercitium « vitae apostolicae »* [55] *per proventuum communionem instar bonorum communionis quae apud primaevos discipulos in usu fuit* (cf. *Act.* 2, 42-47), *non esse perfectionem solis religiosis reservatam, sed per eam vivendi formam se optime ad praxim reducere posse spiritum paupertatis qui a Christo extollitur.* Prae ceteris fidelibus ministri Christi animo ab immodico amore rerum temporalium soluto eluceant atque ab omni specie vanitatis fugiant. Habita-

Textus emendatus

Denique, per praxim consiliorum magis magisque liberi effecti, instanter invitantur ad sentiendum in se quod et in Christo Iesu, qui « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens ... factus oboediens usque ad mortem » (*Phil.* 2, 7-9). Itaque, ad sese Christo oboedienti conformandos, propriae voluntati generose abrenuntient in assidua oboedientia, iuxta uniuscuiusque condicionem et officium, et in gaudio ac spe considerent magnum valorem in Ecclesiae aedificationem illius oboedientiae quam imitantur, nam sicut « per inoboedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius oboedientiam, iusti constituentur multi » (*Rom.* 5, 19).

16. [*Media ad vitam interiorem fovendam*]. Ante omnia Presbyteri tendant ad arctiorem cum Christo unionem oratione continua, quae e fide viva procedit sub inspiratione Spiritus Sancti, et qua magis magisque intelligere valent omnia opera proprii ministerii a se, tamquam Christi instrumentis, esse perficienda « in spiritu humilitatis ». Ita etiam, necessitatem iugiter persentiant propriae ad Deum per Christum intercessionis, immo et mortificationis, pro animabus sibi concreditis (cf. *Mt.* 17, 21); et, si afflictiones vel forte persecutiones sustinendas habeant, crucem peramanter agnoscant, eamque in spe luminis Paschatis tollentes, sequantur Dominum (cf. *Mt.* 10, 38; 16, 24; *Mc.* 8, 34; *Lc.* 9, 23) in gaudio (cf. *Act.* 5, 41), ut adimpleantur in eis quae desunt passionum

Textus recognitus [38]

tionem suam ita disponant, ut sit omnibus pervia utque omnes, tam tenuiores quam locupletiores, in ea libere facileque se habeant (L).

Denique, per praxim *castitatis et evangelicae paupertatis* (M) magis magisque liberi effecti, instanter invitantur ad sentiendum in se quod et in Christo Iesu, qui « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens ... factus oboediens usque ad mortem » (*Phil.* 2, 7-9). Itaque, ad sese Christo oboedienti conformandos, propriae voluntati generose abrenuntient in assidua oboedientia, iuxta uniuscuiusque condicionem et officium, *prout iam supra dictum est* (N), et in gaudio ac spe considerent magnum momentum in Ecclesiae aedificationem huius oboedientiae quam imitantur: nam *oboediendo Patri Salvator noster inoboedientiam Adami devicit redemitque* (O), *dicente Apostolo*: « Per inoboedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita per unius oboedientiam, iusti constituentur multi » (*Rom.* 5, 19).

15. (Olim n. 16). [*Subsidia ad vitam interiorem fovendam*]. Ante omnia Presbyteri contendant ad arctiorem cum Christo unionem oratione, quae e fide viva procedit sub inspiratione Spiritus Sancti (A), et qua magis magisque intellegere valent omnia opera proprii ministerii a se, tamquam Christi instrumentis, esse perficienda « in spiritu humilitatis ».[56] Ita etiam, necessitatem iugiter persentiant propriae ad Deum per Christum intercessionis, immo et mortificationis, pro animabus sibi concreditis (cf. *2 Cor.* 4, 12); et, si afflictiones vel forte persecutiones sustinendas habeant, crucem peramanter agnoscant, eamque in spe luminis Paschatis tollentes, sequantur Dominum (cf. *Mt.* 10, 38; 16, 24; *Mc.* 8, 34; *Lc.* 9, 23) in gaudio (cf. *Act.* 5, 41), ut adimpleantur in [39]

[39]

Textus emendatus

Christi (cf. *Col.* 1, 24). Memores quoque sint omnem missionem apostolicam vivificari a Spiritu Sancto, quem ideo instanter invocare ne omittant. Sed etiam alia media ad vitam interiorem fovendam, qualia sunt exercitium orationis mentalis, conscientiae discussio, dies recessus spiritualis aliaque huiusmodi, quae quidem ab Ecclesia commendantur, vel iubentur, Presbyteri ne parvi faciant. Haec enim media, quorum valor longa experientia sanctorumque Presbyterorum exemplo demonstratur, ad fructuosum ministerium pastorale multum conferunt. Magni tandem faciant devotionem erga Beatam Virginem; ipsa enim est Mater Summi et Aeterni Sacerdotis, ideoque et Regina Apostolorum, atque praeclara Ecclesiae imago in ordine fidei, caritatis perfectaeque cum Christo unionis.

Textus recognitus

se quae desunt passionum Christi (cf. *Col.* 1, 24). Memores quoque sint omnem missionem apostolicam vivificari a Spiritu Sancto, quem ideo instanter invocare ne omittant.

Sed etiam alia subsidia ad vitam interiorem fovendam, qualia sunt *lectio divina, qua per consolationem scripturarum spem habere possint* (cf. *Rom.* 15, 4) (B), exercitium orationis mentalis, conscientiae discussio, recessus spiritualis (C) aliaque huiusmodi, quae quidem ab Ecclesia commendantur vel iubentur, Presbyteri ne parvi faciant. *Horum* enim *subsidiorum momentum* longa experientia sanctorumque Presbyterorum exemplo demonstratur. Magni tandem faciant *cultum Sanctissimae Eucharistiae* (D), et devotionem erga Beatam Virginem: ipsa enim est Mater Summi et Aeterni Sacerdotis, ideoque et Regina Apostolorum.

Plurima quidem sunt alia media ad vitam interiorem fovendam, quae Ecclesia, decursu temporum, approbatione sua sancivit; inter quae Presbyteri, iuxta inspirationem Spiritus Sancti et lumen gratiarum eius, illa libere eligere possunt, quae magis sibi congruere exsistiment, dummodo cum legibus et normis Ecclesiae conformia sint. Haec tamen in vita sacerdotis componi debent cum cultu publico Ecclesiae, utpote qui natura sua iisdem longe antecellat [57] (E).

Textus emendatus

17. [*Aequa remuneratio Presbyteris providenda*]. Servitio Dei dediti in implendo officio sibi commisso, digni sunt Presbyteri ut aequam recipiant mercedem, quia « dignus est operarius mercede sua » (*Lc.* 10, 7; cf. *Mt.* 10, 10; *1 Cor.* 9, 7; *1 Tim.* 5, 18), atque « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 14). Quapropter Episcopi curent, sive singuli pro sua

Textus recognitus

16. (Olim n. 17). [*Aequa remuneratio Presbyteris providenda*]. Servitio Dei dediti in implendo officio sibi commisso, digni sunt Presbyteri qui aequam recipiant mercedem, quia « dignus est operarius mercede sua » (*Lc.* 10, 7; cf. *Mt.* 10, 10; *1 Cor.* 9, 7; *1 Tim.* 5, 18), atque « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 14). Quapropter Episcopi

Textus emendatus

cuiusque dioecesi, sive aptius plures simul pro communi territorio, ut normae instituantur quibus debite consulatur honestae sustentationi atque congruae pensioni eorum qui in populi Dei servitium aliquo munere funguntur, ita quidem ut, ratione habita locorum temporumque condicionum, summa pecuniae ab unoquoque percipienda fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, eorum condicioni sit congrua et eis praeterea tribuat facultatem per seipsos indigentibus aliqua ratione subveniendi; quod erga pauperes ministerium, teste diaconatus institutione, magno semper in honore Ecclesia habuit (cf. *Act.* 6, 1-6).

Officio vero quod sacri ministri adimplent praecipuum momentum tribuere oportet. Quare suppresso systemate sic dicto beneficiali, vi cuius olim quandoque primario erant loco beneficia, quibus officia subordinabantur, atque hodie adhuc haud raro officia cum beneficiis nimis arcte coniunguntur, princeps in iure tribuatur locus ipsis officiis ecclesiasticis, quae quidem deinceps ut munera quaelibet stabiliter collata in finem spiritualem exercenda intelligi debent.

18. [*De recto usu bonorum*]. Sacerdotes, quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas » (*Num.* 18, 20), bonis temporalibus utantur tantummodo eos in fines, ad quos iuxta Christi Domini doctrinam Ecclesiaeque ordinationem destinari valent.

Bona ecclesiastica proprie dicta, secundum rei naturam, ad normam legum ecclesiasticarum sacerdotes moderentur atque destinent semper eos in fines, ad quos prosequendos Ecclesia bona temporalia possidere valet, videlicet ad cultum divinum ordinandum, ad hone-

Textus recognitus [39]

curent, sive singuli pro sua quisque dioecesi, sive aptius plures simul pro communi territorio, ut normae instituantur, quibus debite [40] consulatur honestae sustentationi (A) eorum, qui in populi Dei servitium aliquo munere funguntur *vel functi sunt,* ita quidem ut, ratione habita locorum temporumque condicionum, *remuneratio* ab unoquoque percipienda fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, eorum condicioni sit congrua et eis praeterea tribuat facultatem per se ipsos indigentibus aliqua ratione subveniendi; quod ministerium erga pauperes, *iam a primis suis exordiis* (B), magno semper in honore Ecclesia habuit (cf. *Act.* 6, 1-6).

Officio vero, quod sacri ministri adimplent, praecipuum momentum tribuere oportet. Quare *reformato* systemate sic dicto beneficiali, vi cuius quandoque primario erant loco beneficia, quibus officia subordinabantur, atque hodie adhuc haud raro officia cum beneficiis nimis arcte coniunguntur, princeps in iure locus tribuatur ipsis officiis ecclesiasticis, quae quidem deinceps ut munera quaelibet stabiliter collata in finem spiritualem exercenda intellegi debent (C).

17. (Olim n. 18). [*De recto usu bonorum*]. Sacerdotes, quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas » (*Num.* 18, 20), bonis temporalibus *uti debent* tantummodo eos in fines, ad quos iuxta Christi Domini doctrinam Ecclesiaeque ordinationem eadem destinari *licet.*

Bona ecclesiastica proprie dicta, secundum rei naturam, ad normam legum ecclesiasticarum sacerdotes moderentur atque destinent semper eos in fines, ad quos prosequendos Ecclesiae *licet* bona temporalia possidere, videlicet ad cultum divinum ordinandum (A),

[40] *Textus emendatus*

stam cleri sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda.

Bona autem quae occasione exercitii alicuius ecclesiastici officii sibi comparant, salvo
[41] iure particulari, Presbyteri, non secus ac Episcopi, adhibeant imprimis ad suam honestam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem; quae vero supersint, in bonum Ecclesiae vel in opera caritatis destinare velint. Itaque numquam officium ecclesiasticum quaestui habeant vel redditus ab eo provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendant. Quare sacerdotes, nequaquam divitiis cor apponentes (cf. *Ps.* 62, 11 Vg 61), omnem cupiditatem semper vitent et ab omni specie mercaturae sedulo abstineant.

19. [*Praevidentia socialis in favorem Presbyterorum*]. Presbyteri prae oculis semper habeant exemplum credentium temporis apostolici, in quo « erant illis omnia communia » (*Act.* 4, 32) et « dividebatur autem singulis prout cuique opus erat » (*Act.* 4, 35). Itaque, quantum fieri poterit, in votis est ut in singulis dioecesibus vel regionibus constituatur massa bonorum communis, qua valeant Episcopi obligationi suae erga Presbyteros satisfacere aliisque dioecesis necessitatibus subvenire, quaque etiam valeant dioeceses divitiores adiuvare pauperiores, ut illarum abundantia earum inopiam conferat (cf. *2 Cor.* 8, 14). Massa haec communis imprimis constituatur oportet ex bonis a fidelium oblationibus provenientibus, sed ex aliis quoque fontibus, iure determinandis, derivantibus.

In nationibus praeterea ubi praevidentia so-

Textus recognitus

ad honestam cleri sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda.[58]

Bona autem quae occasione exercitii alicuius ecclesiastici officii sibi comparant, salvo iure particulari (B),[59] Presbyteri, non secus ac Episcopi, adhibeant imprimis ad suam honestam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem; quae vero supersint, in bonum Ecclesiae vel in opera caritatis destinare velint. Itaque officium ecclesiasticum *ne* quaestui habeant *neve* redditus ab eo provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendant.[60] Quare sacerdotes, nequaquam divitiis cor apponentes (cf. *Ps.* 62, 11 Vg 61), omnem cupiditatem semper vitent et ab omni specie mercaturae sedulo abstineant (C).

18. (Olim n. 19). [*Praevidentia socialis in favorem Presbyterorum*]. Prae oculis semper *habeatur* exemplum credentium *in primaeva ecclesia hierosolymitana, in qua* « erant illis omnia communia » (*Act.* 4, 32) (A) et « dividebatur autem singulis prout cuique opus erat » (*Act.* 4, 35). Itaque, in votis est ut, quantum fieri potest, in singulis dioecesibus vel regionibus constituatur massa bonorum communis, qua valeant Episcopi obligationi *suis Presbyteris subveniendi* satisfacere aliisque *suae* dioecesis necessitatibus *occurrere,* quaque etiam valeant dioeceses divitiores adiuvare pauperiores, ut illarum abundantia *harum* inopiam suppleat (cf. *2 Cor.* 8, 14) (B). Massa haec communis imprimis constituatur oportet ex bonis a fidelium oblationibus provenientibus, sed ex aliis quoque fontibus, iure determinandis, derivantibus (C).

In nationibus praeterea ubi praevidentia

Textus emendatus

cialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curent Conferentiae Episcopales ut condatur aliquod institutum aut associatio quae, sub vigilantia Hierarchiae, satis provideat tum congruenti praecaventiae et assistentiae sanitariae tum sufficienti sustentationi Presbyterorum qui infirmitate, invaliditate aut senectute laborant. Sacerdotes vero huic instituto opem ferant, moti spiritu solidarietatis erga fratres suos, communicantes tribulationibus eorum (cf. *Phil.* 4, 14), simul considerantes se ita, sine sollicitudine de sorte futura, alacriori sensu evangelico paupertatem colere atque animarum saluti penitus se tradere posse. Satagant autem ii ad quos spectat, ut eadem diversarum nationum instituta inter se colligantur, ut firmius robur maioremque extensionem consequantur.

20. [*Exhortatio*]. Sacrosancta haec Synodus, postquam de ministerio et vita Presbyterorum ita declaraverit, omnes denique Presbyteros hortatur, ut suae missioni in dies fideliores sint, nec umquam, licet quandoque ipsorum labor sterilis videri possit, deprimantur. Meminerint numquam in opere exercendo solos se esse, sed cooperatores innumeros habere, praesertimque ipsam omnipotentem Dei virtutem. Cooperantur enim Presbyteri in exsequendo Dei salutari Proposito, mysterio scilicet Christi seu sacramento abscondito a saeculis in Deo (cf. *Eph.* 3, 9), quod nonnisi paulatim ad effectum deducitur, diversis conspirantibus ministeriis in aedificationem Corporis Christi, donec compleatur mensura aetatis Eiusdem. Quae omnia, cum abscondita sint cum Christo in Deo (cf. *Col.* 3, 3), fide maxime percipi possunt. Fide enim necesse est ambulare duces populi Dei, exemplo fidelis

Textus recognitus [41]

socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curent Conferentiae Episcopales ut condatur aliquod institutum aut associatio quae, sub vigilantia Hierarchiae, satis provideat tum congruenti praecaventiae et assistentiae sanitariae, *quam vocant,* tum sufficienti sustentationi Presbyterorum qui infirmitate, invaliditate aut senectute laborant. Sacerdotes vero huic instituto opem ferant, moti spiritu soli- [42] darietatis erga fratres suos, communicantes tribulationibus eorum (cf. *Phil.* 4, 14), simul considerantes se ita, sine *anxietate* de sorte futura, alacriore sensu evangelico paupertatem colere atque animarum saluti penitus se tradere posse. Satagant autem ii, ad quos spectat, ut eadem diversarum nationum instituta inter se colligantur, ut firmius robur consequantur *latiusque propagentur* (D).

19. (Olim n. 20). [*Exhortatio*]. Sacrosancta haec Synodus omnes denique Presbyteros hortatur, ut suae missioni in dies fideliores sint, ac numquam, licet quandoque ipsorum labor sterilis videri possit, *animo* deprimantur. Meminerint *se in opere exercendo numquam solos esse, sed inniti omnipotenti Dei virtute, et sacerdotes, immo et fideles totius mundi sibi socios habere* (A). Cooperantur *enim omnes* Presbyteri in exsequendum Dei salutare Propositum, mysterium scilicet Christi seu sacramentum absconditum a saeculis in Deo (cf. *Eph.* 3, 9), quod nonnisi paulatim ad effectum deducitur, diversis conspirantibus ministeriis in aedificationem Corporis Christi, donec compleatur mensura aetatis Eiusdem. Quae omnia, cum abscondita sint cum Christo in Deo (cf. *Col.* 3, 3), fide maxime percipi possunt. Fide enim necesse est ambulare duces populi Dei, exemplum sequentes fidelis Abrahae, qui fide

[42] *Textus emendatus*

Abrahae, qui fide oboedivit et exiit nesciens quo iret (cf. *Hebr.* 11, 8). Mysteriorum quidem Dei dispensator assimilari valet homini in agro seminanti, de quo Dominus dixit: « Et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat dum nescit ille » (*Mc.* 4, 27). Ceterum Ecclesiae perfectam et visibilem victoriam numquam promisit Dominus Iesus, licet dixerit: « Confidite, ego vici mundum » (*Io.* 16, 33). Gaudet vero Sacrosancta Synodus terram Evangelii semine inseminatam
[43] nunc multis in locis fructificare sub ductu Spiritus Domini, qui replet orbem terrarum, quique in multorum cordibus sacerdotum atque fidelium spiritum genuine missionarium excitavit, et iam fructus uberes multiplicavit. De quibus omnibus Sacrosancta Synodus universi orbis Presbyteris, cooperatoribus Ordinis episcopalis, grates agit: « Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: Ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Iesu in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen » (*Eph.* 4, 20-21).

Textus recognitus

oboedivit et exiit nesciens quo iret (cf. *Hebr.* 11, 8). Revera mysteriorum Dei dispensator assimilari valet homini in agro seminanti, de quo Dominus dixit: « Et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat dum nescit ille » (*Mc.* 4, 27). Ceterum *Dominus Iesus, qui dixit*: « Confidite, ego vici mundum » (*Io.* 16, 33), *his verbis Ecclesiae suae non promisit perfectam in hoc saeculo victoriam* (B). Gaudet vero Sacrosancta Synodus quod terra Evangelii semine inseminata nunc multis in locis fructificat sub ductu Spiritus Domini, qui replet orbem terrarum, quique in multorum cordibus sacerdotum atque fidelium spiritum vere missionarium excitavit, et iam fructus uberes multiplicavit. De quibus omnibus Sacrosancta Synodus universi orbis Presbyteris, cooperatoribus Ordinis episcopalis, *peramanter* (C) grates agit. « Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: Ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Iesu in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen » (*Eph.* 4, 20-21).

[44] NOTAE

[1] Const. dogm. *De Sacra Liturgia,* nn. 18, 33, 42, 83, 86, 90; Const. dogm. *De Ecclesia,* nn. 28, 41.

[2] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 18.

[3] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 18.

[4] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 28.

[5] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 28.

[6] Cf. *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri », Praefatio. Haec verba iam inveniuntur in *Sacramentario Veronensi* (ed. L. C. Möhlberg, Romae 1956, p. 122); item in *Missali Francorum* (ed. L. C. Möhlberg, Romae 1957, p. 9); item in *Libro Sacramentorum Romanae Ecclesiae* (ed. L. C. Möhlberg, Romae 1960, p. 25); item in *Pontificali Romano-Germanico* (ed. Vogel-Elze, Città del Vaticano 1963, vol. I, p. 34).

[7] Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 28.

[8] S. AUGUSTINUS, *De civitate Dei,* 10, 6: *PL* 41, 284. [44]

[9] « Huiusmodi vero religiosae ac moralis perfectionis studium magis magisque excitatur externis etiam condicionibus, quibus Ecclesia vitam agit; nequit enim ea immobilis manere atque incuriosa vicissitudinis humanarum rerum, quae circa sunt et multiplicem vim habent ad eius agendi rationem, eique modum et condiciones imponunt. Pro comperto sane est, Ecclesiam ab humana consortione non seiungi, sed in ea versari, ideoque ipsius filios ab eadem moveri ac duci, eiusque cultum civilem imbibere, legibus obtemperare, mores induere. Haec vero Ecclesiae consuetudo cum humana societate continenter difficiles parit quaestiones, quae nunc potissimum praegraves sunt... (...) Gentium Apostolus ita suae aetatis christianos hortabatur: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras?... aut quae pars fideli cum infideli?* (*2 Cor.* 6, 14-15). Hanc ob causam qui in praesenti educatores praeceptoresque in Ecclesia agunt, eos necesse est catholicam iuventutem commonefacere praestantissimae condicionis suae, atque officii, quod inde nascitur, vivendi in hoc mundo, non autem ad huius mundi sensum, convenienter ad hanc precationem, a Christo Iesu pro discipulis suis factam: *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo: de mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo* (*Io.* 17, 15-16). Quam precationem asciscit sibi Ecclesia.

Nihilominus tamen huiuscemodi discrimen non idem significat atque disiunctionem; neque neglegentiam declarat, neque metum neque contemptionem. Etenim cum Ecclesia se ab hominum genere discernit, adeo huic non obsistit, ut potius cum eo coniugatur » (PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 [1964], p. 627 et 638).

[10] Cf. *1 Pt.* 1, 23; *Act.* 6, 7; 12, 24. « Praedicaverunt (Apostoli) Verbum veritatis et genuerunt ecclesias » (S. AUGUSTINUS, *In Ps.,* 44, 23: *PL* 36, 508).

[11] Cf. *Statuta Ecclesiae Antiqua,* c. 3: ed. Ch. Munier, Paris 1960, p. 79; *Decretum Gratiani,* C. 6, D. 88: ed. Friedberg, I, 307; Conc. Tridentinum, Decr. *De reform.,* Sess. V, c. 2, n. 9: *Conc. Oec. Decreta,* ed. Herder, Romae 1963, p. 645; Sess. XXIV, c. 4 (p. 739); Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 25.

[12] Cf. *Constitutiones Apostolorum,* II, 26, 7: « (Presbyteri) sint doctores scientiae divinae, cum et ipse Dominus nos mandaverit dicens: Euntes docete etc. » (ed. F. X. Funk, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum,* I, Paderborn 1905, p. 105). - *Sacramentarium Leonianum* et cetera sacramentaria usque ad *Pontificale Romanum,* Praefatio in Ordinatione Presbyteri: « Hac providentia, Domine, apo- [45] stolis filii tui doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis praedicatoribus (vel: praedicationibus) impleverunt ». - *Liber Ordinum Liturgiae Mozarabicae,* Praefatio ad ordinandum Presbyterum: « Doctor plebium et rector subiectorum, teneat ordinate catholicam fidem, et cunctis annuntiet veram salutem » (ed. M. Férotin, Paris 1904, col. 55).

[13] Cf. Ritum Ordinationis Presbyteri in Ecclesia Alexandrina Iacobitarum: « ... Congrega populum tuum ad verbum doctrinae, quemadmodum nutrix quae fovet filios suos » (H. DENZINGER, *Ritus Orientalium,* Tom. II. Würzburg 1863, p. 14).

[14] Cf. Const. dogm. *De Sacra Liturgia,* n. 33, 35, 48, 52.

[15] Cf. Const. dogm. *De Sacra Liturgia,* n. 7.

[16] S. IGNATIUS M., *Smyrn.,* 8, 1-2: ed. Funk, p. 282, 6-15; *Constitutiones Apostolorum,* VIII, 12, 3 (ed. F. X. Funk, p. 496); VIII, 29, 2 (p. 532).

[45] [17] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 28.

[18] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 65, a. 3; q. 73, a. 3.

[19] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 66, a. 3, ad 1; q. 79, a. 1, c, et ad 1.

[20] Cf. S. HIERONYMUS, *Epist.,* 114, 2: « ... sacrosque calices, et sancta velamina, et cetera quae ad cultum dominicae pertinent passionis... ex consortio corporis et sanguinis Domini eadem qua corpus eius et sanguis maiestate veneranda » (*PL* 22, 934). Vid. Const. dogm. *De Sacra Liturgia,* nn. 122-127.

[21] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 28.

[22] Cf. *Didascalia,* II, 34, 2-3; II, 46, 6; II, 47, 1; *Constitutiones Apostolorum* II, 47, 1 (ed. F. X. Funk, *Didascalia et Constitutiones,* I, p. 116, 142 et 143).

[23] Cf. S. HIERONYMUS, *Epist.,* 58, 7: « Quae utilitas est parietes fulgere gemmis, et Christum in paupere mori? » (*PL* 22, 584).

[24] Aliae categoriae nominari possunt, v. g. migrantes, nomades, etc. De quibus agitur in schemate « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ».

[25] Cf. *Didascalia,* II, 59, 1-3: « Docens autem iube et hortare populum in ecclesia frequentare et penitus numquam deesse, sed convenire semper et ecclesiam non angustare, cum se subtrahunt, et minus membrum facere corpus Christi... Nolite ergo vosmetipsos, cum sitis membra Christi, spargere ab ecclesia, cum non coadunamini; Christum enim caput habentes secundum promissionem ipsius praesentem et communicantem vobis, nolite ipsi vos neglegere nec alienare salvatorem a membris suis nec scindere nec spargere corpus eius... » (ed. F. X. Funk, I, p. 170); PAULUS VI, *Allocutio* iis qui ex italico clero interfuerunt Coetui XIII per hebdomadam habito Urbiveti v. « di aggiornamento pastorale », 6 sept. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 750 ss.

[26] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».

[27] *Epistulae,* 52, 7-8: ed. Hilberg, CSEL, 54, 426 et 428.

[28] Particularis annus formationis pastoralis, quadriennio theologico absoluto, pro Religiosis praescribitur in Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956, et adnexis Statutis Generalibus: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 354 ss. Sed etiam pro clero dioecesano plura constituta sunt Instituta in quibus promovetur formatio neosacerdotum. Insuper creati sunt Convictus vel Collegia, sicut desiderantur in Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 692.

Quamplurima S. Sedis documenta particularem curam de novis sacerdotibus habendam inculcant, et in genere pastoralem praeparationem sacerdotum commendant. Memoranda sunt imprimis:

S. PIUS X, Exhortatio ad clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* vol. IV (1908), p. 237 ss.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 5 ss.

[46] PIUS XII, Motu proprio *Quandoquidem,* 2 apr. 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), p. 665 ss.

PIUS XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* cit.

PIUS XII, Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* cit.

IOANNES XXIII, *Allocutio* in Pontificio Collegio Urbaniano de Propaganda Fide, 30 nov. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 1012 ss.

IOANNES XXIII, Allocutio in Magno Auditorio Pontificiae Universitatis Gregorianae, 18 ian. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 74 ss.

Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 545 ss. [46]

Ioannes XXIII, *Allocutio* in Pontificio Collegio Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum, 11 oct. 1959: *A.A.S.* 51 (1959), p. 770 ss.

Ioannes XXIII, *Allocutio* ad Seminariorum Rectores, 29 iul. 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 559 ss.

Paulus VI, Epist. Ap. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 979 ss.

Paulus VI, *Allocutio* in Patriarchali Basilica Vaticana habita, in festo S. Caroli Borromaei, cum sollemnia celebrarentur, quarto exacto saeculo post constituta ab Oecumenica Tridentina Synodo sacra Seminaria, die 4 nov. 1963: *A.A.S., 55* (1963), p. 1030 ss.

[29] Cf. *Didascalia,* II, 28, 4 (ed. F. X. Funk, p. 108); *Constitutiones Apostolorum,* II, 28, 4; II, 34, 3 (*ibid.,* p. 109 et 117).

[30] *Const. Apost.,* VIII, 16, 4 (ed. Funk, I, p. 522, 13); cf. *Epitome Const. Apost.,* VI (*ibid.,* II, p. 80, 3-4); *Testamentum Domini*: « ... da ei Spiritum gratiae, consilii, et magnanimitatis, spiritum presbyteratus... ad coadiuvandum et gubernandum populum tuum in opere, in metu, in corde puro » (trad. I. E. Rahmani, Moguntiae 1899, p. 69). Item in *Trad. Apost.* (ed. B. Botte, *La Tradition Apostolique,* Münster i. W. 1963, p. 20).

[31] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri », Praefatio; quae verba iam habentur in *Sacramentario Leoniano, Sacramentario Gelasiano* et *Sacramentario Gregoriano.* Similia inveniuntur in Liturgiis Orientalibus: cf. *Trad. Apost.*: « ... respice super servum tuum istum et impartire spiritum gratiae et consilii, presbyteris ut adiuvet et gubernet plebem tuam in corde mundo sicuti respexisti super populum electionis tuae et praecepisti Moisi ut elegeret presbyteros quos replesti de spiritu tuo quod tu donasti famulo tuo » (ex antiqua versione latina Veronensi, ed. B. Botte, *La Tradition Apostolique de S. Hippolyte. Essai de reconstruction,* Münster i. W. 1963, p. 20); *Const. Apost.,* VIII, 16, 4 (ed. Funk, I, p. 522, 16-17); *Epit. Const. Apost.* 6 (ed. Funk, II, p. 20, 5-7); *Testamentum Domini* (trad. I. E. Rahmani, Moguntiae 1899, p. 69); *Euchologium Serapionis,* XXVII (ed. Funk, *Didascalia et Constitutiones,* II, p. 190, linn. 1-7); *Ritus Ordinationis in ritu Maronitarum* (trad. H. Denzinger, *Ritus Orientalium,* II, Würzburg 1863, p. 161). Inter Patres citari possunt: Theodorus Mopsuestenus, *In 1 Tim.* 3, 8 (ed. Swete, II, pp. 119-121); Theodoretus, *Quaestiones in Numeros,* XVIII (*PG* 80, 372 b).

[32] Cf. sic dictam *Constitutionem Ecclesiasticam Apostolorum,* XVIII: Presbyteri sunt sýmmystai et synepímachoi Episcoporum (ed. Th. Schermann, *Die allgemeine Kirchenordnung,* I, Paderborn 1914, p. 26; A. Harnack, T. u. U., II, 4, p. 13, n. 18 et 19); Pseudo-Hieronymus, *De Septem Ordinibus Ecclesiae*: « ... in benedictione cum episcopis consortes mysteriorum sunt » (ed. A. W. Kalff, Würzburg 1937, p. 45); S. Isidorus Hispalensis, *De Ecclesiasticis Officiis,* c. VII: « Praesunt enim Ecclesiae Christi et in confectione Corporis et Sanguinis consortes cum episcopis sunt, similiter et in doctrina populorum et in officio prae- [47]
dicandi »: *PL* 83, 787.

[33] S. Ignatius M., *Magn.,* 6, 1: « Hortor, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Iesu Christi, qui

[47] ante saecula apud Patrem erat et in fine apparuit » (ed. Funk, p. 234, 10-13); S. IGNATIUS M., *Trall.,* 3, 1: « Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum: sine his ecclesia non vocatur » (*ibid.,* p. 244, 10-12).

[34] In iure condito iam habetur Capitulum Cathedrale, tamquam Episcopi « senatus et consilium » (cf. praecedentem notam 33 et *C.I.C.,* c. 391), vel, eo deficiente, Coetus consultorum dioecesanorum (cf. *C.I.C.,* cc. 423-428). In votis tamen est talia instituta ita recognoscere, ut hodiernis adiunctis atque necessitatibus melius provideatur. Uti patet, huiusmodi Coetus Presbyterorum differt a Consilio Pastorali de quo in schemate « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia », n. 27, cui pertinent etiam laici, et cuius est tantummodo pervestigare quae ad pastoralia opera spectant. De Presbyteris ut consiliariis Episcoporum videri possunt *Didascalia,* II, 28, 4 (ed. Funk, p. 108); it. *Const. Apost.,* II, 28, 4 (ed. Funk, I, p. 109); S. IGNATIUS M., *Magn.,* 6, 1 (ed. Funk, p. 234, 10-16); *Trall.,* 3, 1 (ed. Funk, p. 244, 10-12); ORIGENES, *Adv. Celsum,* 3, 30: Presbyteri sunt consiliarii seu boúleytai (*PG* 11, 957 d - 960 a).

[35] Cf. PAULUS VI, *Allocutio* ad Urbis curiones et quadragenarii temporis oratores in Aede Sixtina habita, die 1 martii 1965: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 326.

[36] Cf. *Const. Apost.,* VIII, 47, 39: « Presbyteri... absque sententia episcopi nihil peragant; ipse enim est, cui commissus est populus Domini et a quo de animabus eorum ratio poscetur » (ed. Funk, p. 577).

[37] « Opus est deinde, ut ea de re quod hominum pastores, patres et magistri esse cupimus, idcirco eorum fratres agamus » (PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 59 [1964], p. 647).

[38] Cf. *Const. Apost.,* VIII, 1, 20: « Quin etiam neque episcopus in diaconos vel presbyteros se extollat, neque presbyteri in plebem; ex utrisque enim coetus compositio exstat » (ed. F. X. Funk, I, p. 467).

[39] *Symbolum Athanasianum.*

[40] Cf. S. POLYCARPUS, *Ep. ad Philippenses,* VI, 1: « Et presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga cunctos, aberrantia reducentes, visitantes infirmos omnes, non neglegentes viduam aut pupillum aut pauperem; sed solliciti semper de bono coram Deo et hominibus, abstinentes ab omni ira, acceptione personarum, iudicio iniusto, longe recedentes ab omni avaritia, non cito credentes adversus aliquem, non severi nimium in iudicio, scientes nos omnes debitores esse peccati » (ed. F. X. Funk, *Patres Apostolici,* I, p. 303).

[41] Cf. *C.I.C.,* can. 682.

[42] « Quacumque diei ac noctis hora ad sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo praestando (praesertim si necessitas urgeat) moram interponat. Ac propterea populum saepe, prout sese offeret occasio, praemonebit, ut, cum sacro ministerio opus erit, se quamprimum advocet, nulla temporis, aut cuiuscumque incommodi habita ratione » (*Rituale Romanum,* tit. I, 5).

[43] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 37.

[44] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».

[45] « La voce di Dio che chiama si esprime in due modi diversi, meravigliosi e convergenti: uno interiore, quello della grazia, quello dello Spirito Santo, quello ineffabile del fascino interiore che la "voce silenziosa" e potente del Signore esercita nelle insondabili profondità dell'anima umana; e uno esteriore, umano,
[48] sensibile, sociale, giuridico, concreto, quello del ministro qualificato della Parola

di Dio, quello dell'Apostolo, quello della Gerarchia, strumento indispensabile, istituito e voluto da Cristo, come veicolo incaricato di tradurre in linguaggio sperimentabile il messaggio del Verbo e del precetto divino. Così insegna con San Paolo la dottrina cattolica: *Quomodo audient sine praedicante?... Fides ex auditu* (*Rom.* 10, 14 et 17) » (PAULUS VI, *Exhortatio,* habita die 5 maii 1965: *L'Osservatore Romano,* 6-V-65, pag. 1). [48]

[46] Hoc docent Patres, dum explicant verba Christi Petro: « Amas me? ... Pasce oves meas » (*Io.* 21, 17): sic S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *De sacerdotio,* II, 1-2 (*PG* 47-48, 633); S. GREGORIUS MAGNUS, *Reg. Past. Liber,* P. I, c. 5: *PL* 77, 19 a.

[47] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II, q. 188, a. 7.

[48] Cf. S. GREGORIUS MAGNUS, *Reg. Past. Liber,* 2, 3: *PL* 77, 28 B.

[49] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».

[50] Cf. *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».

[51] « Officium amoris pascere dominicum gregem » (S. AUGUSTINUS, *Tract. in Io.,* 123, 5: *PL* 35, 1967).

[52] Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 39.

[53] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 42.

[54] Cf. S. GREGORIUS MAGNUS, *Reg. Past. Liber,* 2, 3: *PL* 77, 28 B.

[55] Per multa saecula, nomine « vitae apostolicae » designatur vivendi forma similis illi quae in *Act.* 2, 42-47 et 4, 32-35 describitur; cf. J. LECLERQ, *La Vie Parfaite,* Turnhout-Paris 1948, p. 82 ss.

[56] *Missale Romanum,* « Offertorium ».

[57] Cf. Const. dogm. *De Sacra Liturgia,* n. 13.

[58] *Conc. Antioch.,* can. 25: MANSI 2, 1328; *Decretum Gratiani,* c. 23, C. 12, q. 1.

[59] Hoc intelligitur praesertim de iuribus et consuetudinibus in Ecclesiis Orientalibus vigentibus.

[60] *Conc. Paris.,* a. 829, can. 15: M.G.H., Sect. III, *Concilia,* t. 2, pars 6, 622; *Conc. Trid.,* Sess. XXV, *de reform.,* cap. 1.

[49] ## RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

De prooemio

Ordo aliquantulum mutatur et textus concinnius exaratur, ad vitandas repetitiones inutiles, secundum votum expressum a duobus Patribus (A/39, A/411). *

(A) Prima verba mutantur, ut textus incipiat verbis sollemnioribus, uti petierunt duo Patres (A/38, A/40).

(B) Decreta iam promulgata citantur in nota, secundum desiderium unius Patris (A/38).

(C) Loco verbi *maxime,* ad mentem unius Patris (A/42).

(D) Loco verbi *necessarium,* ut postulat idem Pater (A/43).

De numero 1

Initium sumitur a doctrina expressa in Constitutione « De Ecclesia » quoad missionem Episcoporum, cuius missionis Presbyteri sunt cooperatores, iuxta votum 48 Patrum (A/12, A/13, A/64, A/407). Hoc modo etiam perfectior unitas in toto numero habetur, uti petierunt tres Patres (A/47, A/48, A/414), et minuitur indoles nimis cultualis huius numeri, ad mentem unius Patris (A/46). Deletur ergo prima paragraphus textus emendati, et sic providetur aliis animadversionibus a decem Patribus propositis (A/49-A/60). Praecipuae ideae secundae paragraphi textus prioris concinnius et dilucidius perstringuntur in nova paragrapho 2, ad mentem duorum Patrum (A/61, A/414). Tertia demum additur paragraphus, iuxta desiderata in animadversionibus plurium Patrum, circa condicionem Presbyterorum in mundo, scilicet in media communitate hominum, ex quibus segregati sunt, sed pro quibus constituuntur.

(A) Agitur de participatione auctoritatis Christi, haud vero de participatione muneris Episcoporum, ut intellexerat unus Pater (A/45).

[50] (B) Loco verbi *spirituali,* ut in textu priore, dicitur *commune,* ut in Const. *De Ecclesia,* n. 10, iuxta animadversionem unius Patris (A/71).

* A/1, etc. significant animadversiones seu emendationes a Patribus scripto transmissas circa textum traditum mense novembri 1964, quae collectae sunt in fasciculo, Commissionis Patribus tradito, cui titulus « Animadversiones in schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum* a Patribus conciliaribus factae ».

(C) In praecedenti textu dicebatur: *incorporatio missioni episcopali.* [50]
Nunc vero, ad mentem duorum Patrum (A/74, A/75), adhibetur formula: *missionis episcopalis particeps factus,* quia missio perinde sonat ac munus, et minus recte quis loqui potest de incorporatione muneri.

(D) Corrigitur citatio Sancti Augustini, iuxta animadversionem unius Patris (A/82).

(E) Hac in nova paragrapho condicio Presbyterorum in mundo aliqua dialectica signatur: *in* mundo, non *de* mundo; *cum* hominibus atque *pro* eisdem, et tamen nomine alius principii ac terrenorum principiorum. Non enim vere *mitteretur* Presbyter nisi cum hominibus viveret, neque si totaliter secundum cursum mundi huius se haberet. Plene concordant haec omnia cum doctrina exposita in Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* quae citantur in nota.

De numero 2

Hoc in numero incipit expositio munerum Presbyterorum. Sunt enim Presbyteri verbi Dei praecones, Sacramentorum ministri, Populi Dei rectores. Primum sermo fit de munere praedicationis, deinde vero de munere sanctificandi, etenim etsi sanctificatio sit finis totius navitatis Presbyterorum, tamen in ordine exsecutionis primum venit praedicatio. Ita etiam servatur ordo adhibitus in Const. *De Ecclesia* in exponendis muneribus Episcoporum (nn. 25, 26, 27).

(A) Referentia ad *Deut.* 17, 9 deletur, petentibus duobus Patribus (A/92, A/480), quia agitur de munere iudiciali sacerdotum Veteris Legis. Ipsi Patres proponunt insuper ut addantur alii loci ex N. T., quod fecimus.

(B) Addita est citatio ex Epistola ad *Rom.* 10, 17, petente A/415, qui desiderat ut insistatur super valore et momento verbi Dei in Ecclesia aedificanda.

(C) Plures Patres (v. g. A/34) volunt ut munus Presbyterorum praedicandi monstretur inniti in munere Episcoporum. Alii vero (A/93, A/94) putant non accurate dici Presbyteros *idcirco* assumi, ut partem habeant cum Episcopis in praedicatione. Redactio ergo mutata est, ad hoc ut omnibus simul satisfiat, citando locum classicum de *praecipuo* Episcoporum munere praedicandi.

(D) Additur citatio loci classici de missione docendi, petente uno Patre (A/415).

(E) Loco verbi *fiduciam,* ex animadversione unius Patris (A/95).

(F) Redactio paululum mutatur ex propositione unius Patris (A/453). Pariter, verbo *laborent* substituitur *studeant,* ut respondeatur quaesito unius Patris (A/97), ne quis intelligere possit hunc textum in sensu

[51] cooperationis directae vel directi laboris institutionalis in ordine temporali.

(G) Claritatis causa, dicitur *ad vitae christianae perfectionem,* loco *ad perfectionem,* ex animadversione unius Patris (A/98). Expungitur citatio e S. Luca, petentibus duobus Patribus (A/90, A/480), quia incertus est sensus huius pericopae.

(H) Haec sententia addita est ut respondeatur desiderio unius Patris (A/467), petentis ut, antequam de munere verbi in habitudine cum celebratione sacramentorum ageretur, quid diceretur de momento dialogi. Sed de dialogo agitur, saltem implicite, in novo textu tertiae paragraphi numeri 1, et explicite in numeris 4 et 8.

(I) Addita est referentia ad Const. *De Sacra Liturgia,* ubi res longius tractatur, postulante uno Patre (A/83), qui insistendum esse putat in hoc quod homilia pars integralis missae exstat.

De numero 3

(A) Omittuntur verba: *et dispensatores mysteriorum Dei,* nam, ut unus Pater notavit (A/417) vox *mysteria* aliter ibi sumeretur ac apud S. Paulum, apud quem magis significat sapientiam et salvificum consilium Dei.

(B) Quae hoc loco addita sunt desumuntur e Summa Theologica Sancti Thomae (III, q. 62, a. 5). Posita sunt ut respondeatur desiderio unius Patris (A/127) aestimantis textum priorem de *Deo* agere tamquam de fonte sanctitatis, haud vero de Sanctissima Humanitate Christi.

(C) Adduntur haec verba, et in nota citatur Const. *De Ecclesia,* ad mentem unius Patris (A/454).

(D) Claritatis causa dicitur *ordinantur,* loco prioris redactionis: *ab ea derivantur et ad eam ducunt,* ex animadversione unius Patris (A/132).

(E) Primo introducitur mentio baptismi, ut respondeatur desiderio Patrum qui notaverant de aliis sacramentis, praeter SS. Eucharistiam, tantum globatim et insufficienter mentionem fieri, quique petierant ut habitudo eorum ad Eucharistiam indicaretur (A/125, A/126). Secundo, dicitur *plene,* loco verbi *plenius,* prius adhibiti, iuxta animadversionem unius Patris (A/133).

(F) Haec additio facta est ad respondendum desiderio unius Patris (A/126), petentis ut peculiaris mentio fiat de sacramento Poenitentiae, et ut habitudo huius sacramenti ad Eucharistiam pressius ostendatur sub aspectu conversionis cordis. Revera ministerium poenitentiae maximi momenti est pro Presbyteris, et debet expresse indicari.

(G) Haec addita sunt iuxta animadversiones 16 Patrum (A/23, A/24,

A/141), qui petierant ut amplius ageretur de momento orationis liturgicae et intercessionis in vita Presbyterorum. [51]

(H) Haec additio proposita est ab uno Patre (A/142), quia praesentia Eucharistica est ad Sacrificium Christi, non Sacrificium ad praesentiam Eucharisticam. [52]

(I) In hac paragrapho, praeter citationem S. Hieronymi, addita est etiam referentia ad Const. *De Sacra Liturgia,* iuxta desideria duorum Patrum (A/144, A/145). Revera cura loci sacri, sicut et cura sacrorum vasorum aliarumque rerum ad cultum pertinentium, est grave officium pietatis Presbyterorum, immo et momentosum subsidium ad spiritum fidei in hominibus alendum. Praeterea aedificia atque res cultui dicatae per se ipsa pertinent ad visibilitatem Ecclesiae, et signum dant mundo praesentiae Dei; sunt per se ipsa aliqua affirmatio supernarum rerum.

De numero 4

(A) Datur notio generalis muneris regendi vel pascendi iuxta doctrinam expressam in Const. *De Ecclesia.* Sic etiam aliquantulum perstringitur textus, ut desiderant duo Patres (A/149, A/418).

(B) Verba addita ad petitionem unius Patris (A/158), quia revera agitur de ministerio docendi mandata Domini.

(C) Iuxta animadversionem unius Patris (A/161), qui desiderat ut explicita mentio fiat Presbyteri, inquantum ipse est « educator fidei ».

(D) Haec adduntur ad suggestionem unius Patris (A/418).

(E) Petit unus Pater (A/169) ut, ratione uniformitatis, ubique adhibeatur modus subiunctivus. Ne autem stylus fiat nimis exhortatorius, modus indicativus retinetur.

(F) Mutatio mere stylistica, iuxta petitionem unius Patris (A/418).

(G) Referentia ad *1 Io.* 2, 13-14 tollitur, quia non est ad rem (/175, A/176). Suggeritur *Eph.* 6, 1-2, sed textus nulla indiget referentia biblica. Antea, post *Mt.* 25, 34-45 additur *Mc.* 2, 16-17, suggerente uno Patre (A/174).

(H) Haec adduntur ad petitionem unius Patris (A/418). Nota quoque additur de aliis categoriis hominum sollicita cura prosequendis, ut aliquo modo satisfiat petitioni unius Patris (A/150).

(I) Mutatur ordo verborum, quo clarius appareat *communitatem ecclesialem* esse subiectum sequentis sententiae, prout ab uno Patre postulatum est (A/183).

(J) Expungitur vox *forsan,* et verba indicativo modo ponuntur, quia, ut unus Pater animadvertit (A/457), communitas *semper* ad fidem allicit.

(K) Haec adduntur ut satisfiat momentoso postulato unius Patris

[52] (A/185), cui alius accedit (A/203), de fugiendo quovis spiritu humanae factionis deque indole mere evangelica et religiosa ministerii Presbyterorum.

[53] *De numero 5*

(A) Petentibus duobus Patribus (A/111, A/416), tolluntur referentiae ad *Mt.* 28, 19, quia hic non perfecte redditur sensus textus graeci, et ad *2 Tim.* 4, 2, quae citatio iam invenitur in praecedenti numero 4.

(B) Integra paragraphus novo ordine disponitur, iuxta animadversiones quinque Patrum (A/102, A/108, A/109, A/113, A/416). Textus ab uno Patre propositus (A/416) in nova redactione partim recipitur. Dicitur praeterea « *solida* scientiae theologicae cognitione », iuxta animadversionem unius Patris (A/112), quia nimium esset, ut ab omnibus Presbyteris exigeretur cognitio *profunda* Sacrae Theologiae.

(C) Dicitur *diversorumque,* loco *aliorumque,* claritatis causa, uti postulavit unus Pater (A/117). Sed non additur explicita mentio *Doctorum,* sicut idem Pater desiderabat, ad vitandam nimiam prolixitatem textus.

(D) Expungitur verbum *hodiernis,* iuxta petitionem unius Patris (A/119), ne explicita mentio hodiernorum scriptorum videatur esse implicita reprobatio veterum.

(E) Loco verbi *ne omittant* adhibetur verbum *curent,* ut statuatur obligatio positiva, iuxta animadversionem unius Patris (A/120), ita etiam quodammodo satisfit petitioni factae in animadversionibus trium Patrum (A/102, A/121, A/122), qui desiderant ut fortius commendetur studium scientiarum profanarum.

(F) Dicitur *ministerium,* loco praecedentis verbi *apostolatum,* quo melius appareat scientiam sacram necessariam esse ad omnes ministerii functiones rite perfungendas, iuxta animadversionem unius Patris (A/107).

(G) Duo Patres (A/188, A/416) desiderant ut aliae materiae recenseantur, sed hoc videtur textum reddere nimis prolixum, cum iam sex diversae materiae enumerentur.

(H) Dicitur *vigilanti,* loco verbi *peculiari,* iuxta petitionem unius Patris (A/416).

(I) Hic recipiuntur emendationes mere stylisticae, ab uno Patre propositae (A/189).

(J) Brevis paragraphus additur, iuxta desiderium 14 Patrum (A/190), quo evidentius demonstretur necessitas horum cursuum renovationis pro Presbyteris.

(K) Recipitur emendatio ab uno Patre proposita (A/191), quia haec

quaestio non videtur demandanda Conferentiis Episcopalibus, nisi quatenus singuli Episcopi ad id faciendum sint impares. [53]

(L) Partim recipitur animadversio (A/192) circa peculiarem opportunitatem instituendi hos cursus paucis annis post Ordinationem; contra, nihil determinandum videtur quoad durationem horum cursuum renovationis.

De numero 6 [54]

(A) Dicitur *per* Episcopos, ad indicandam causam instrumentalem, iuxta animadversionem unius Patris (A/204).

(B) Ad mentem unius Patris (A/204), dicitur *auctoritate,* loco *ductu,* iuxta Constitutionem *De Ecclesia,* n. 28.

(C) Textus corrigitur secundum suggestionem unius Patris (A/204). Loco *cum Collegio Episcoporum* dicitur: *cum Episcoporum Ordine,* secundum verba liturgica adhibita in Ordinatione Presbyteri in ritu romano. Haec formula generalis conservatur: non potest enim negari unitas omnium Presbyterorum cum toto Ordine Episcoporum, neque potest dici Presbyterum *per ordinationem* fieri cooperatorem tantum sui Episcopi, uti voluerunt aliqui Patres (A/195, A/204, A/421); secus non potest explicari neque ordinatio Presbyterorum religiosorum, neque transitus Presbyteri ad aliam dioecesim quin reordinetur. Postea agitur in textu de relationibus Presbyteri cum Episcopo proprio.

(D) Textus aliquantulum corrigitur, claritatis causa, iuxta animadversionem unius Patris (A/205).

(E) Servatur mentio de septuaginta Presbyteris libri Numerorum, propter antiquissimam traditionem ubique diffusam, cuius documenta quaedam in nota citantur.

(F) Abbreviatur textus, iuxta petitionem unius Patris (A/421). Verba: *eorumque bonum spirituale ... cordi sit,* desumuntur, paucis mutatis, e numero 8 textus emendati, quia hic sunt melius in loco.

(G) Quaedam expunguntur, iuxta desideria unius Patris (A/421), ad vitandas repetitiones. Dicitur *eadem celebrantes mysteria,* loco *iisdem initiati mysteriis,* quo accuratius versio textui graeco respondeat.

(H) Novus textus desumitur ex animadversione unius Patris (A/212), paucis mutatis, quo melius appareat — ut explanatur in nota — hic non agi de novo condendo coetu dioecesano, sed de perficiendo eo qui vocatur « senatus et consilium Episcopi », quique in iure condito iam exsistit. Servantur verba: *Presbyterium repraesentantium,* quin velimus tamen determinare formam concretam cooptationis huiusmodi coetu, quae quaestio, circa quam Patres in diversas sententias abeunt, remittitur

[54] Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo, sicut et cetera particularia.

(I) Proponit unus Pater (A/28) ut dicatur: « ... *Pontificis, Doctoris et Rectoris* ». Brevitatis causa, dicitur *Pastoris,* quod verbum omnia comprehendit.

(J) Agitur explicite de oboedientia *proprio Episcopo,* uti petit unus Pater (A/218).

(K) Dicitur *ministerii,* loco *missionis,* uti suggessit unus Pater (A/219), quia *ministerium* latius patet quam *missio.* Additur: *et mis-*
[55] *sionem canonicam,* ad mentem unius Patris (A/32. Cetera quae in textu priore continebantur in hac paragrapho, necnon integra paragraphus sequens, concinnitatis causa omittuntur, iuxta animadversiones quatuor Patrum (A/222, A/223, A/224, A/421).

(L) Mutantur quaedam verba prioris textus, ad maiorem claritatem. Cetera expunguntur, brevitatis causa, uti petit unus Pater (A/422). Ultima paragraphus, petente eodem Patre, transfertur ad numerum 9.

De numero 7

(A) Primae lineae mutantur, ut ratio habeatur multarum animadversionum (A/195, A/231, A/232, A/423). Distinctio fit inter Ordinem Presbyteratus, in quo omnes Presbyteri constituuntur per ordinationem, et Presbyterium, quod efformant sub Episcopo proprio.

(B) Claritatis causa dicitur *invitentur* loco *possunt.* Verba quae in priore textu sequebantur, quoad curam ab Episcopo gerendam de bono spirituali et materiali Presbyterorum, nunc translata sunt in numerum 6, iuxta suggestionem unius Patris (A/423), quia ibi agitur de relationibus inter Episcopos et Presbyteros.

(C) Verba paulum mutantur, innuente uno Patre (A/233), quia missio continuatur *a* sacerdotibus, non proprie *in* sacerdotibus, et quidem non solum per sacramentum Ordinis.

(D) Additur: *sive dioecesani sive religiosi,* petente uno Patre (A/423); non expungitur tamen citatio *3 Io.* 8, uti idem Pater postulaverat, quippe quae videatur esse ad rem.

(E) Quaedam verba mutantur, ad maiorem claritatem, petentibus quatuor Patribus (A/234, A/235, A/236, A/423).

(F) Textus mutatus est, iuxta propositionem unius Patris (A/423), cui aliae duae animadversiones accedunt (A/238, A/239). Ita vitatur omnis species paternalismi simulque in mentem revocatur officium reverentiae, qua iuniores sacerdotes seniores prosequi debent.

(G) Prima verba mutantur iuxta animadversionem unius Patris

(A/423), et explicite nominantur aliqui sacerdotes, qui peculiari cura fraterna indigent. Servatur tamen citatio *Mc.* 6, 31, quae videtur esse ad rem. [55]

(H) Aliquae additiones fiunt in textu ubi agitur de vita communi Presbyterorum, iuxta animadversiones trium Patrum (A/229, A/242, A/243). Item, ad commendandas associationes, quae sacerdotum sanctitatem in exercitio ministerii fovendam intendunt, textus perficitur, iuxta animadversiones trium Patrum (A/244, A/245, A/246).

De numero 8 [56]

(A) Proponente uno Patre (A/424), quaedam omittuntur brevitatis causa.

(B) Ad maiorem claritatem, textus simpliciore ratione redigitur, uti voluit unus Pater (A/254). Servatur tamen citatio *Eph.* 4, 7-16, quae opportune recenseri videtur.

(C) Accipitur parva mutatio stylistica in duabus animadversionibus proposita (A/425, A/427).

(D) Dicitur: *agnoscant et promoveant,* loco verborum: *sincere honorent,* iuxta emendationem propositam ab uno Patre (A/257). Praeterea textus perficitur, claritatis causa, et additur referentia ad Const. *De Ecclesia.*

(E) Adduntur haec verba, iuxta duas animadversiones (A/27, A/259), circa spiritum missionarium erga non practicantes et non christianos.

De numero 9

(A) Modificatur initium primae paragraphi, iuxta animadversionem unius Patris (A/422), cum ad vitandas repetitiones, tum quia hic optime poni potest paragraphus prius contenta in fine numeri 7. Idem Pater postulavit ut, brevitatis causa, supprimeretur referentia ad figuram Melchisedec, cuius desiderio partim satisfit in hac nova redactione.

(B) Expunguntur verba: *v. g. pro opificibus vel intellectualibus,* quae non videntur necessaria.

(C) Additur *quaedam,* iuxta id quod postulatur in animadversione A/264, ad innuendum talia incepta non esse multiplicanda.

(D) Additur: *in quantum fieri potest,* ad obveniendum desiderio unius Patris (A/428), ne idea imitationis Christi possit intellegi ad litteram.

(E) Dicitur *spirituali,* loco *supernaturali,* uti proponit unus Pater (A/267).

[56] (F) Ad mentem unius Patris (A/429) supprimuntur verba: *ardenti caritate moti.*

(G) Aliqui Patres petierunt ut integra paragraphus expungeretur (A/266); alii, ut talis paragraphus abbreviaretur, per expunctionem citationum *Lc.* 10, 7 et *1 Cor.* 9, 19-20. Attamen Commissio necessarium duxit hanc paragraphum servare, expunctis solummodo aliquibus verbis.

[57] *De numero 10*

Uti dicitur in Relatione generali, Commissio censuit hunc numerum retinendum esse in schemate, etiamsi de vocationibus sacerdotalibus agatur quoque in schemate « De institutione sacerdotali ». Hoc in schemate « De ministerio et vita Presbyterorum » necessario agendum videtur de peculiari cura quam Presbyteri, in exercitio sui ministerii, hac de re habere debent. Attamen e priore textu expunguntur illa quae ad aliud schema immediate pertinere videntur. Praeterea, ad vitandam confusionem, mutatur titulus huius numeri.

(A) Haec adduntur iuxta animadversionem unius Patris (A/268), qui vult ut explicite dicatur curam vocationum pertinere ad ipsam naturam vocationis sacerdotalis. Retinentur prima verba huius paragraphi, contra petitionem unius Patris (A/430): non dicitur enim quod Ecclesia semper habebit numerum sufficientem sacerdotum (quod saperet nimium optimismum), sed quod semper conari debet ut habeat, iuxta voluntatem Christi.

(B) Additio petita ab uno Patre (A/269).

(C) Additio petita ab uno Patre (A/429). Retinetur vox *idoneos* (loco *vocatos,* ut petierat A/275), quia idoneitas includit omnia signa tam interna quam externa quibus prudenter voluntas Dei dignosci potest, sed quibus accedere debet vocatio canonica ab Episcopo facta. Demum, Commissio censuit aliquid dicendum esse de directione spirituali a Presbyteris impertienda.

(D) Supprimuntur verba de signis vocationis, qua de re iam agitur in schemate « De institutione sacerdotali ». Eadem ratione expuncta sunt quae in paragrapho sequenti dicebantur de cooperatione ad sacerdotes praeparandos. Hoc modo providetur etiam quinque animadversionibus (A/268, A/269, A/270, A/272, A/276).

(E) Unus Pater (A/431) petit ut dicatur aliquid de praesentatione sacerdotii iuxta mentem hodiernam, quod tamen potest minus recte intellegi. Unde Commissio addendum esse censuit aliquid ad maiorem explicitationem praesentiae sacerdotii, quae ceteroquin in toto hoc schemate indicatur.

De numero 11 [57]

(A) Textus abbreviatur secundum suggestiones trium Patrum (A/274, A/275, A/433).

(B) Deletur citatio *Ps. 132,* petente uno Patre (A/433), et expungitur quoque pars paragraphi sequentis, ad concinnitatem et claritatem, iuxta duas animadversiones (A/277, A/433).

(C) Haec breviter adduntur, ad mentem unius Patris (A/270).

(D) Quaedam mutationes fiunt, suggerente uno Patre (A/278).

De numero 12 [58]

(A) Parva mutatio, iuxta animadversionem unius Patris (A/282).

(B) Petente uno Patre (A/285), deletur citatio *Act.* 1, 1, quia non est ad rem.

(C) Ad maiorem claritatem et unitatem, adhibetur modus subiunctivus, iuxta animadversionem unius Patris (A/281).

(D) Textus brevior, paucis mutatis, sumitur ex animadversione unius Patris (A/435). Quaedam adduntur ad extollendum valorem celebrationis Missae, ad mentem 14 Patrum (A/290). Redactio quoque modificatur, cum verba prius adhibita forte intellegi possent ac si obligatio statueretur Missam cotidie celebrandi, quae canonica obligatio revera non datur; sic providetur animadversionibus duorum Patrum (A/289, A/461).

(E) Deletur pars textus prioris, a verbis « *in ardenti caritate* ... » usque ad finem paragraphi, iuxta votum unius Patris (A/436).

(F) Adduntur haec verba ad mentem unius Patris (A/481).

De numero 13

(A) Iuxta animadversionem unius Patris (A/437).

(B) Claritatis causa, textus perstringitur ad mentem quatuor Patrum (A/294, A/298, A/299, A/437).

(C) Pauca corriguntur et adduntur, iuxta animadversionem propositam a 14 Patribus (A/307), ut principium unificans vitae et sanctitatis sacerdotalis — nempe caritas pastoralis, iuxta divinam voluntatem quaerenda — magis extollatur.

(D) Commissio textum mutavit, ad maiorem unitatem numeri. Eadem de causa expunguntur tum verba *et cum Christo* ..., usque ad

[58] finem paragraphi, tum duae sequentes paragraphi, et sic providetur etiam quatuor animadversionibus (A/311, A/312, A/313, A/437).

(E) Adduntur haec verba ad mentem unius Patris (A/478), quo magis insistatur super absoluta necessitate vitae interioris, scilicet orationis personalis et continui conaminis ad sese cum Deo coniungendum.

Ad numero 14

Multi Patres, tam in Aula quam in animadversionibus Commissioni nostrae transmissis, maxime insistendum esse censebant circa sacrum Presbyterorum coelibatum, quin tamen pessumdaretur disciplina vigens in Ecclesia Orientali. Haud pauci quoque petierunt ut amplior sermo
[59] fieret de sancta paupertate, at cavendum etiam censebant ne textus fieret nimis longus et onerosus. Multa igitur emendata sunt, haud quidem quoad doctrinam, sed tantum quoad redactionem, ad hoc ut textus clarior evaderet et citationes e Sacra Scriptura proprius adhiberentur.

(A) Haec mutatio fit ut exactius citetur textus recognitus Const. *De Ecclesia.*

(B) Loco verborum: *non absolute,* iuxta petitionem unius Patris (A/327).

(C) Delentur verba: *sicut inter ipsos primos Apostolos,* prout postulatum est in quinque animadversionibus (A/328, A/329, A/330, A/331, A/332). Praeterea formula mutatur, iuxta animadversiones plurium Patrum.

(D) Additio ex suggestione unius Patris (A/326).

(E) Additio ex suggestione unius Patris (A/338).

(F) Idem dicitur ac in priore textu, redactione parum mutata, iuxta animadversionem unius Patris (A/438): textus prior diversas criticas movit, et quoad dicta (A/341, A/343) et quoad textus scripturisticos citatos (A/343, A/344, A/345, A/349, A/438). Ideae tamen integrae servantur, et sic satisfit petitioni unius Patris (A/342).

(G) Recipitur emendatio stylistica, ab uno Patre proposita (A/350), et sic quoque respondetur desideriis duorum Patrum (A/351, A/352).

(H) Claritatis causa, fit haec additio, ab uno Patre proposita (A/353).

(I) Textus aliquantulum emendatur, ut ratio voluntarietatis explicite affirmetur (A/355, A/356), et quia nonnulli Patres (A/333, A/359, A/360) contra verba « *valores vitae sexualis* » criticam moverunt.

(J) Tres Patres (A/438, A/480, A/482) quaestionem moverunt circa usum huius textus, eo quod in Evangelio S. Lucae de divitiarum renuntiatione directe agitur. Sed idea exstat in tota Revelatione quasi locus

communis vel « topos », et sic etiam castitati servandae bene applicari [59]
potest.

(K) Proponit unus Pater (A/438) ut deleatur enumeratio mediorum, quae sequitur, et dicatur tantum: « Neque neglegant ea quae ex conditione humana requiruntur ad tam gravem renuntiationem personalitati plane integrandam ». Alii e contra additiones quasdam proponunt, nempe: *oratio* (A/362), sed in textu iam adhibetur verbum *postulandum; mortificatio, prudentia praesertim in frequentationibus* (A/363), et *confessio* (A/365). His omnibus perpensis, Commissio censuit textum retinendum esse prout exstabat in priore redactione.

(L) Haec addita sunt ut satisfiat desiderio aliquorum Patrum petentium ut de paupertate amplius agatur (A/244, A/316, A/367, A/368), et quidem sub aspectu independentiae apostolicae. Animadvertendum est de paupertate agi quoque aliis locis schematis, praesertim in numero 17.

(M) Parva haec mutatio facta est ut respondeatur duabus animadversionibus (A/371, A/372): ut scilicet specificetur liberationem de qua [60]
agitur iam per castitatem et paupertatem adeptam esse, quin hic copuletur oboedientia, de qua postea verbum fit. De hac oboedientia nonnulli petunt ut amplius agatur in hoc numero et ut aliquid expressius dicatur de oboedientia erga Episcopum (A/310, A/373). Sed de hoc iam agitur in aliis locis schematis, praesertim in numeris 4 et 6.

(N) Adduntur haec verba ut in mentem revocetur iam antea actum esse de diversis aspectibus oboedientiae.

(O) Haec addita sunt ut sensus citationis sequentis pressius explicetur, iuxta animadversionem unius Patris (A/374).

De numero 15

(A) Post verbum *oratione* expungitur *continua,* iuxta animadversionem unius Patris (A/479).

(B) Haec addita sunt a Commissione.

(C) Dicitur tantum *recessus spiritualis,* cum impossibile sit componere vota diversa Patrum (cf. A/372, A/373, A/374, A/377), et ne intremus in particularia, quae relinqui debent sive C.I.C. sive legibus particularibus.

(D) Additur mentio de cultu erga Sanctissimam Eucharistiam, postulantibus septuaginta Patribus (A/375, A/376). Haec verba, quae in textu propositionum inveniebantur, omissa quidem erant, sed non consulto.

(E) Haec adduntur, ad mentem duorum Patrum (A/367, A/369).

[60] *De numero 16*

(A) Expunguntur verba: *atque congruae pensioni,* iuxta animadversionem unius Patris (A/387), qui existimat congruam pensionem includi debere in congrua sustentatione. Adduntur tamen verba: *vel functi sunt,* quia utile certo est ut hoc explicite affirmetur.

(B) Duo Patres (A/388, A/389) quaestionem moverunt utrum in *Act.* 6, 1-6 agatur revera de diaconatus institutione necne. Quapropter mutantur verba.

(C) Unus Pater (A/390) aestimat definitionem officii ecclesiastici dari non debere in hoc Decreto. Attamen, cum *principia* in novo Codice Iuris Canonici assumenda ab ipso Concilio affirmari debeant, optatur ut textus servetur uti est. Votum ita exprimit Concilium ut deinceps officium ecclesiasticum non in sensu stricto generaliter accipiatur (C.I.C., can. 145, § 2), sed in sensu qui, in iure, latior dicitur.

[61] *De numero 17*

(A) Desiderat unus Pater (A/395) ut loco verborum: *ad cultum divinum ordinandum,* dicatur: *ad divina officia ordinanda,* vel *ad sacram liturgiam peragendam,* quia *cultus divinus* est expressio tempore scholasticorum adhibita pro officiis divinis aut pro liturgia; sed per se complectitur tantum partem latreuticam liturgiae, haud vero sacramentalem. Attamen textus servatur, quia expressio *cultus divinus,* secundum usualem verborum sensum, complectitur non tantum partem latreuticam liturgiae, sed etiam omnia quae sacramenta respiciunt.

(B) Quaerit unus Pater (A/392) ut expungantur verba: *salvo iure particulari,* quibus principium generale antea statutum aliquo modo evertitur. Ratio autem ob quam haec verba inseruntur sunt specialia adiuncta in quibus versantur Presbyteri coniugati in Ecclesiis Orientalibus, qui curare debent non solum de familiae honesta sustentatione, sed etiam de pietatis officio, ut quaedam relinquant filiis bona in successionem. Hac de causa additur nota, ne erroneae interpretationes oriri possint.

(C) Quaerit unus Pater (A/393) ut in hoc numero non fiat distinctio inter bona ecclesiastica proprie dicta et bona occasione alicuius officii comparata. Servatur tamen haec distinctio, cum sola bona quae sacerdos sibi comparat occasione exercitii alicuius officii sacri ad sustentationem adimpletionemque officii inservire debeant, dum bona ecclesiastica proprie dicta ad ipsos fines Ecclesiae destinantur.

De numero 18 [61]

(A) Emendantur verba, iuxta desiderium unius Patris (A/399), qui animadvertit locutionem prius adhibitam non bene respondere textui Actuum citato, quippe qui non de omnibus ecclesiis, sed de hierosolymitana tantum loquatur. Circa hanc citationem, animadvertit unus Pater (A/400) proprietatem privatam non fuisse vetitam credentibus temporis apostolici. Attamen in schemate non affirmatur proprietatem privatam fuisse vetitam.

(B) Quaedam verba emendantur, iuxta desideria duorum Patrum (A/401), ut specificentur praecipuae obligationes de quibus agitur.

(C) Quaerit unus Pater (A/402) ut addantur verba: « oblationibus, *immo etiam ex bonis paroeciarum ipsarum* provenientibus ». Additio tamen non videtur in textum inserenda, quia inter varios fontes ex quibus constitui possunt bona quae massam communem efformant tantummodo videtur citandus praecipuus fons bonorum in Ecclesia, scilicet oblationes fidelium. Dantur quidem alii fontes, sed iure determinandi sunt. [62]

(D) Mutatio mere stylistica.

De numero 19

(A) Modus loquendi paululum mutatur, iuxta duas animadversiones (A/403, A/404), ne videatur Dei virtutem connumerari cum ceteris cooperatoribus.

(B) Mutatio mere stylistica, ab uno Patre proposita (A/405).

(C) Additur *peramanter,* ad mentem unius Patris (A/406), ne modus dicendi frigidus ac siccus videatur.

2 – Exc.mus P. D. FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Remensis

RELATIO SUPER SCHEMA DECRETI DE MINISTERIO ET VITA PRESBYTERORUM *

Venerabiles Patres,

In « Relatione generali » schemati adnexa necnon in relationibus particularibus de singulis numeris, quae continentur in paginis 7-9 et 49-62 fasciculi Vobis traditi, describuntur labores nuper peracti ad tex-

* Huiusmodi folium Patribus distributum fuit in congregatione generali 146, die 11 oct. 1965.

tum recognoscendum, necnon brevis synthesis rerum quae in ipso schemate continentur. Illas relationes Vos iam perlegere et cognoscere potuistis, quam ob rem, ne Vos taedio afficiam, necessarium non duco illas Vobis iterare.

Ideo, cum nunc incipiat disceptatio nostri schematis, magis opportunum mihi visum est breviter describere tractus fundamentales quos prae oculis habuimus in redigendo hoc schemate, quod nunc in manibus habetis. Hoc modo, melius cognoscentes fundamentalem intentionem qua Commissionis Sodales ac Periti in suo labore ducti sunt, apte et efficaciter nos adiuvare poteritis, ut textum huius schematis ad optatum finem perducamus.

* * *

Ad hunc textum penitus intellegendum, enixe a Vobis postulo, Venerabiles Patres, ut paucas considerationes quae sequuntur prae oculis habere velitis.

Quod attinet ad finem nostri schematis, in ipso volumus praesentare missionem pastoralem Presbyteri, et ostendere quomodo haec missio illuminet et in unitatem redigat tum ministerium tum vitam Presbyteri. Quoad doctrinam vero quam schema nostrum praesupponit, eam recepimus, in essentialibus, e Constitutione Dogmatica « De Ecclesia ». Commissio nostra noluit ulterius prosequi in elaboratione talis doctrinae, sed, eam adhibendo tamquam solidum fundamentum eorum quae in schemate continentur, censet se partim in clariore luce posuisse eius divitias.

Missio pastoralis Presbyteri essentialiter coniungitur cum missione apostolica, quam Christus peculiariter suis Apostolis commisit. Vi ordinationis sacerdotalis, Presbyter « speciali modo Christo sacerdoti configuratur, ita ut, missionis episcopalis particeps factus, *in persona Christi Capitis,* Magistri, Pontificis et Rectoris, agere valeat » (p. 13, linn. 5-8), in aedificationem Corporis Eius, quod est Ecclesia. Presbyter totus se devovet huic missioni, sed eam exercet inter homines, quorum vitam participat.

Missio pastoralis Presbyteri habet ex se ipsa amplitudinem universalem, quia eius mensura est ipsa missio Ecclesiae, uti patet in celebratione Eucharistiae. Talis missio spectat tam non christianos quam fideles. Sacerdotium Novi Testamenti, quod est ministerium Spiritus, est essentialiter missionarium et apostolicum.

Sacerdos numquam est persona ab aliis separata. Missio pastoralis Presbyterum collocat in unitate communionis Ecclesiae. Presbyter est cooperator Ordinis Episcopalis et simul cum aliis Presbyteris efformat

Presbyterium Episcopi. Praeterea suum laborem exercet in continua relatione cum laicis.

Fundamentum sanctitatis sacerdotalis et nutrimentum vitae spiritualis etiam reponi debet in missione pastorali Presbyteri, quam exercet in persona Christi et Ecclesiae. Atque etiam momentum consiliorum evangelicorum in vita Presbyteri ponderandum est in relatione cum hac missione et cum amore universali quem ipsa secumfert.

Fidelitas Presbyteri suae vocationi exigit non solum sanctitatem personalem — quae, Dei gratia adiuvante, dependet ab ipso Presbytero —, sed etiam postulat condiciones obiectivas exercitii, quae permittant ut talis missio fructuosius adimpleatur: et hoc, Venerabiles Patres, a nobis pendet. Duo hi aspectus fidelitatis sacerdotalis, qui arcte inter se coniunguntur, maximum momentum habent pro vocationibus sacerdotalibus suscitandis.

* * *

Forte nonnulli Patres desiderent ut haec generalia lineamenta, de quibus locutus sum, magis in lucem proferantur in textu nostri schematis: qua de re clarificationem obtinebimus e disceptatione quam nunc incipimus. Attamen Commissio consulto voluit vitare quamlibet systematisationem, ita ut amplissima via pateret ad ulterius de hac re pervestigandum.

Forte etiam alii Patres desiderent ut textus schematis contineat indicationes magis concretas quoad res de quibus in ipso agitur, exempli gratia, quoad condiciones attinentes exercitium missionis vel obligationes spirituales vitae Presbyterorum. Sed Commissio non voluit nisi normas generales statuere, ut Conferentiae Episcopales possint exequi laborem qui ad ipsas pertinet, attentis peculiaribus adiunctis cuiusque nationis.

Nunc mihi concludendum est. Schema Vobis traditum, quod nunc Vestro iudicio submittitur, forte nondum habet desideratam perfectionem, et adhuc expoliri potest. At vero textum propositum rogamus Vos, Venerabiles Patres, admittere velitis et Vestris observationibus nos ad eum perficiendum adiuvare.

Venerabiles Patres,

Bene scimus nos omnes missionem nobis commissam recte explere non posse sine cotidiana collaboratione nostrorum Presbyterorum. Laborantes in agro Domini hac nostra aetate, magni quidem momenti pro Historia Ecclesiae, Presbyteri a nobis exspectant cibum vere substantialem. Ideo caveamus ne ipsi decipiantur in sua legitima exspectatione.

Eorum missio est quidem difficilis, et ab omnibus postulat magnam fidelitatem: pro Presbytero, abnegatio debet esse totalis, caritas perfecta, gaudium constans. Utinam in verbis nostris ipsi magis magisque comperire possint iugum Christi esse suave et eius onus leve (cf. *Mt.* 11, 30).

Moderator: Gratias agimus plurimas exc.mo relatori et commissioni. Nunc loquatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Communico exitus suffragationum.

Suffragatio 381:

Patres praesentes votantes ... (haec est super integro schemate *De institutione sacerdotali*).

Ex Patribus	2.212
Dixerunt *placet*	2.196
non placet	15
Suffragium nullum	1

Ergo hoc schema *de institutione sacerdotali* placuit congregationi generali, ita ut possit exhiberi Summo Pontifici pro sessione publica, si illi placuerit.

Suffragatio 382:

Patres praesentes votantes	2.202
Dixerunt *placet*	2.117
non placet	85

Suffragatio 383:

Ex Patribus praesentibus	2.194
Dixerunt *placet*	2.098
non placet	96

Suffragatio 384:

Patres praesentes votantes	2.181
Dixerunt *placet*	2.105
non placet	76

Suffragatio 385:

Ex Patribus	2.120
Dixerunt *placet*	2.007

non placet	111
placet iuxta modum (ergo sunt vota nulla, haec!)	2

Suffragatio 386:

Patres praesentes votantes	2.108
Dixerunt *placet*	2.020
non placet	85
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	2

Suffragatio 387:

Patres praesentes votantes	2.088
Dixerunt *placet*	2.000
non placet	83
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	4

Exitus ceterarum suffragationum, quae hodie factae sunt, communicabuntur crastina.

Moderator: Proxima congregatio generalis: crastina, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ACTIVITATE MISSIONALI ECCLESIAE

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ACTIVITATE MISSIONALI ECCLESIAE *

1

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

In genere videtur dicendum: schema optimum est. Praebet enim fundamenta theologica et simul principia essentialia de praxi activitatis missionalis, qualis a hodiernis condicionibus et hodierna missiologia requiritur. Quae ergo in sequentibus ad schema perpoliendum proponuntur, respiciunt maxime textus e S. Scriptura adductos vel modum quo adducuntur.

Pag. 5, lin. 20. « In vita et gloria »: nonne loco « vita » deberet esse « via »? Nam etiam gloria est vita, immo sensu excellentissimo. (Secus etiam dici posset « in vita terrestri et in gloria »).

Pag. 6, lin. 2. « Non *solummodo* quasi secreto »: agiturne de mendo typographico loco « solum modo »? Secus constructio difficilius intellegitur.

Pag. 6, linn. 3 ss. Hic et in lineis sequentibus saltem initio non statim patet agi de inceptis hominum, quatenus *mere* humana sunt. Ad textum clariorem reddendum forte dici posset: lin. 3 « quibus ipsi *per decursum* historiae multipliciter... »; et lin. 5 « haec enim incepta *mere humana* indigent, ut *a Christo* illuminentur et sanentur ».

Pag. 6, lin. 12. Omittatur inter locos citatos *Act.* 10, 38; nam non agit proprie de redemptione, sed de miraculis Christi.

Pag. 6, lin. 16. « Mediator Dei et hominum » adde: cf. *1 Tim.* 2, 5.

Pag. 6, lin. 18. « Novus Adam, novae humanitatis caput... »: addatur in nota: cf. *1 Cor.* 15, 45-49; *Rom.* 5, 14.

N. B. In sequentibus pluries adducentur loci S. Scripturae, qui in textu notandi essent. Iam vero ne textus schematis difficilior lectu evadat, fortasse hi textus *in notis* indicari possent, uti alibi in ipso schemate iam saepius factum est.

Pag. 6, lin. 21. « Divinae naturae participes »: adde Cf. *2 Pt.* 1, 4. Operae pretium est hos textus saltem in nota indicare, tum ut appareat quam profunde doctrina proposita in S. Scriptura fundetur, tum ut ii qui per gene-

---

* Huiusmodi textus lecti non fuerunt vel quia Patres, scripto exhibito loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta fuit.

tiones, decreto studebunt, assuescant ad fontes doctrinae in S. Scriptura accedere.

Pag. 7, lin. 6. « Vitam suam ... poneret »: adde Cf. *Io.* 10, 15. 17 s.

Pag. 7, linn. 21 s. Nonne aliqua probatio dari deberet pro affirmatione hic exposita de officio omnium christifidelium in opere missionali participandi? Nec hoc difficile est. Sufficit in memoriam revocare doctrinam S. Pauli *1 Cor.* 12, de cooperatione omnium membrorum ad bonum Corporis mystici Christi; addi potest *Eph.* 4, 16 ubi indicatur, quod Corpus Christi mysticum « facit aedificationem sui in caritate *secundum operationem in mensura uniuscuiusque membri* ». Si hi duo textus connectuntur cum sequentibus, quae scilicet dicuntur de activitate missionali tamquam opere *totius* Populi Dei, res omnino sufficienter probata erit. Haec probatio eo magis requiritur, quia haec veritas postea identidem occurrit et proinde fundata esse debet.

Pag. 7, lin. 27. « Ceterisque gratiae instrumentis »: nonne expressio « instrumenta gratiae » nimis materialiter sonat et non est vox ordinaria; ordinarie dicitur « media gratiae ».

« Ad finem »: ad cuius finem? Non apparet ad quid vox referatur.

Pag. 7, lin. 31. « *Propaget* ipsius Christi missionem »: per activitatem missionalem Ecclesiae *continuari* missionem Christi, bene intellegitur sed non intellegitur eamdem missionem « propagari » per illam activitatem Ecclesiae. Res clarius dicatur.

Pag. 7, lin. 35. « Tribulationibus multis »: cf. *Act.* 14, 22: « Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei ».

Pag. 7, lin. 41. « Distinctiones »: nonne melius diceretur « differentiae »?

Pag. 8, lin. 5. « *Instrumentorum* salutis »: melius « *mediorum* salutis » (cf. supra pag. 7, lin. 27).

Pag. 8, lin. 4. Corrigatur mendum typographicum « Ecclesi*a* » (loco Ecclesi*am*).

Pag. 8, lin. 12. Forte melius « radices *mittit* » (loco « agit »). Quid significat *substantiam* populorum in catholicam plenitudinem assumi?

Pag. 8, lin. 16. Loco « superatis » fortasse melius « expletis » vel « transactis ».

Pag. 8, lin. 18. Fortasse corrigi debet mendum typographicum ponendo « quosque » (loco « quoque »)?

Pag. 8, lin. 41. « Collegialem affectum exercet » melius fortasse: « collegialem activitatem exercet ».

Pag. 9, linn. 1 s. Fortasse hic aliquid brevissime dicendum esset de differentia activitatis missionalis ab activitate erga non credentes in terris christianis.

Pag. 9, lin. 6. « Fidem... sine qua impossibile est Ipsi placere »: adde citationem *Hebr.* 11, 6.

Pag. 9: ad num. 7 in genere: Nonne hucusque iam expositae fuerunt rationes activitatis missionalis eiusque necessitatis? Indicetur ergo hic eas aliquomodo resumi ad caput primum concludendum.

Pag. 9, lin. 29. « Gloriam Dei speculantes » adde: Cf. *2 Cor.* 3, 18.

Pag. 9, lin. 36. Hic schema incipit adhibere terminum « missio » loco termini hucusque adhibiti « activitatis missionalis »: hoc fortasse officit claritati; idem dic de pag. 10, lin. 18, pag. 10, lin. 20.

Pag. 9, lin. 39. « Christus perfectio... humanitatis novae »: quo sensu hoc dicitur? Fortasse clarior esset expressio « Christus est culmen et perfecta imago (vel perfectum exemplar) humanitatis novae ».

Pag. 9, lin. 41. « De ipso... dat testimonium »: melius adhibetur modus loquendi Novi Testamenti secundum quem Apostoli *non de* Christo sed Christo dant testimonium (cf. « eritis *mihi* testes »: *Act.* 1, 8).

Pag. 10, lin. 1. « Ipse Christus... atque via »: cur non ponitur totus textus S. Ioannis: Christus « via, veritas et vita » (cf. *Io.* 14, 6)?

Pag. 10, lin. 7. Loco « peccato *humano* » quod potius qualitatem denotat dicatur « hominis peccato » (e contextu clarum est « hominem » hic non ut singularem personam sed secundum « genus » considerari).

Pag. 10, lin. 10. « Nemo penitus a sua infirmitate... liberatur »: nexus horum cum praecedentibus non clare apparet.

Pag. 10, lin. 15. « Christus a fidelibus celebratur »: quia sequitur textus liturgicus, melius et sollemnius diceretur « Christus *in S. Liturgia* celebratur ».

Pag. 10, lin. 19. « Ex quattuor ventis... colligetur »: adde citationem *Mt.* 24, 31: « ...*a* quattuor ventis ».

Pag. 10, linn. 20 s. « Missio... nihil aliud est... quam... Epiphania... »: videtur expressio minus felix; « Epiphania » tum in Vetere Testamento tum in Liturgia de manifestatione *Dei ipsius* dicitur, non vero de manifestatione *propositi* Dei.

Pag. 10, lin. 22. « Deus per missionem historiam salutis... perficit »: sensus non est sufficienter clarus: agiturne de historia salutis *ad effectum* deducenda (i. e. de proposito salutis ad effectum deducendo), vel de historia salutis *ad perfectionem* adducenda?

Pag. 10, lin. 35. « *Augetur* corpus mysticum... »: secundum rem et secundum modum loquendi Novi Testamenti melius dicatur « crescit ».

Pag. 10, lin. 36. « Templumque spirituale »: melius dicatur cum *Eph.* 2, 21 s.: « templum sanctum in Domino... habitaculum Dei in spiritu »; ergo dici posset templum Dei *in spiritu,* i. e. efficitur templum Dei per inhabitationem et actionem Spiritus Sancti.

Pag. 11, lin. 16. « ... opera considerantes glorificent Patrem »: adde *Mt.* 5, 16.

Pag. 11, lin. 32. « Istas *veritates* luce evangelica »: melius repetitur vox lineae praecedentis « divitias »; nam non agitur tantum de « veritatibus », i. e. de bonis ordinis *intellectualis,* sed etiam de pluribus aliis, uti optime dicitur pag. 10, lin. 24 « quidquid veritatis et gratiae iam apud gentes... inveniebatur ».

Pag. 11, lin. 33. Corrigatur mendum typographicum et ponatur « dominium » loco « Dominum ».

Pag. 12, lin. 16. Ponatur « exoptent », ut vox respondeat stylo exhortativo totius paragraphi.

Pag. 12, lin. 19. Fortasse melius « Ecclesia *tamen* nullo modo », ut indicetur oppositio ad praecedentia.

Pag. 12, lin. 20. « Nullam aliam auctoritatem sibi *quaerit* »: melius dicatur cum originali quod citatur in nota « sibi vindicat » et in nota corrigatur mendum typographicum ponendo pag. 1013 (loco 1003).

Pag. 12, lin. 24. « Praeambula... se oblaturos »: fortasse melius « paraturos », quod melius quadrat ad « praeambula ».

Pag. 12, lin. 26. « non enim quaerunt... mere terrenam »: fortasse loco terrena*m* » dicatur « terrena », ut indicetur hoc adiectivum referri tum ad « progressum » tum ad « prosperitatem ». Christi discipuli certe quaerunt *etiam* progressum terrenum, etsi non propter seipsum, sed propter finem altiorem; non autem eum quaerunt quatenus est mere *terrenus*.

Pag. 13, lin. 19. « Liberantur a daemone »: haec expressio fortasse plures modernos offendere potest; iamvero haec offensio vitatur, adhibendo expressionem biblicam Novi Testamenti « liberantur a potestate tenebrarum », cf. *Col.* 1. 13. In nota autem num. 4 primo loco ponantur textus, qui loquuntur de intima connexione operis Christi et Regni Dei cum liberatione a daemone: *Io.* 12, 31: nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eicietur foras. *Mt.* 12, 28 (cf. *Lc.* 11, 20) si ego in digito Dei eicio daemonia, profecto venit in vos Regnum Dei; ceteri textus, qui indicantur in nota, agunt potius de miraculis liberationis a daemone vel de potestate a daemone liberandi tradita Apostolis; iamvero haec facta sunt potius indicium liberationis quam Christus affert, quam stricte dicta probatio huius veritatis.

Pag. 13, lin. 40. Loco « convocat » fortasse melius diceretur « vocat ».

Pag. 14, lin. 29. « Contemptio » vel « contemptus »?

Pag. 14, lin. 35. « *Ab* omnibus (est enim constructio passiva) diligenti cum cura... ».

Pag. 14, lin. 42. Loco « *nuper*... conversas », quod tempus nimis breve indicat, forte melius « *recens* conversas ».

Pag. 19, lin. 8. « Carni et sanguini non acquiescens »: adde cf. *Gal.* 1, 16.

Pag. 19, lin. 16. « Scandalum crucis superans » numquid fit allusio ad *1 Cor.* 1, 23? et quid tunc significat « scandalum crucis *superare* »?

Pag. 19, lin. 17. « Christi, pro quo legatione fungitur »: adde cf. *2 Cor.* 5, 20.

Pag. 19, lin. 22. « Testimonium reddat *Domini sui* »: secundum modum loquendi Novi Testamenti dicatur « Domin*o* su*o* ».

Pag. 19, lin. 25. Nonne aliqua probatio dari deberet de oboedientia qua virtute peculiari ministri Christi? Fortasse ita: « ministri Eius, qui factus est oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis (cf. *Phil.* 2, 8),

quique oboedientia reparavit inoboedientiam Adae et ita redemit genus humanum (cf. *Rom.* 5, 18 s.) ».

Pag. 20, lin. 2. Quid significat « discat in quibus sit sufficiens esse »?

Pag. 20, linn. 17 s. Non apparet cur ponantur coniunctiva « parentur », « edoceantur ».

Pag. 21, linn. 22 ss. « Christifideles... collaborare debent »: potius quam de solo officio sit sermo de vocatione fidelium ad collaborandum idque probetur breviter, uti factum est supra pag. 7, linn. 21 ss. (uti patet, non totum illud repetendum est, sed tantum principalis idea recolenda). Idem dicatur de loco pag. 24, lin. 12!

Pag. 22, lin. 3. Quid intelligitur sub vocibus « opus missionale et *cooperatio missionaria* »? Aliis verbis: Estne intentio huius textus, immo huius voti, ut etiam illa quae dicuntur nn. 11 s. de dialogo et de praesentia caritatis pendeant exclusive a S. Congregatione de Propaganda Fide? Si hoc obtinet, quaeritur, quid de competentia Secretariatus pro religionibus non-christianis? Numquid illius competentia excluditur? Si non excluditur, alicubi aliquid dicendum esset de cooperatione Congregationis de Propaganda Fide cum hoc Secretariatu. Evidenter non potest esse quaestio ut hic delineetur, id quod demum per reformationem Curiae Romanae fieri debent; sed si iam de competentia Congregationis Propagandae sermo est, etiam aliquid de cooperatione cum Secretariatu illo dici deberet, saltem principium generale talis cooperationis ponendum esset.

Pag. 24, lin. 17. « Quare omnes Ecclesiae filii... suae *erga mundum* responsabilitatis »: cum agatur de specifico opere missionali et non de universo opere Ecclesiae, forte melius dicitur « de responsabilitate erga non christianos » vel « erga familiam humanam » (si placet allusionem facere ad catholicitatem).

Pag. 25, lin. 14. « Ad manifestum effectum deducatur »: fortasse melius « visibilis fiat » (vel « reddatur »).

Pag. 26, linn. 15 ss. Citentur numeri const. *Lumen gentium* de Ecclesia n. 28.

Pag. 28, lin. 18. « Ad agnitionem veritatis... », citetur *1 Tim.* 2, 4.

2

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DÖPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

1. Schema *de activitate missionali Ecclesiae* dignum est quod laudetur. Desideria a Patribus anno elapso prolata longe expleta sunt: substantia eius aucta est, solido fundamento theologico nititur, melius concordat cum aliis documentis Concilii, principia quaedam fundamentalia de re missionaria distincte et dilucide proponit, v. g. obligationem ad fovendam acti-

vitatem missionalem omnes episcopos universumque populum Dei afficientem, necessitatem cooperationis.

2. Speciali mentione merentur ea, quae *de Institutis Missionariis* (v. g. in n. 25) dicuntur. Quorum praestantia iure merito agnoscitur. Nam ab ipsis opus missionale in praeterito praecipue peractum est. Patet necessitas eorum etiam pro tempore praesenti et futuro. Etenim sociographia teste hodie ad vicies millies centena milia hominum, anno vero 2000 ad quadragies millies centena milia hominum evangelizandi sunt, quibus singuli laici, sacerdotes saeculares et religiosi, quantocumque inspirentur affectu et idealismo, pares omnino non sunt, nisi omnibus viribus cooperentur; item diversitates operum et profunditas eruditionis qua opus est, sustineri non possunt nisi a communitatibus. Quare convenit atque decet, ut hac occasione Institutis Missionariis sive laicorum sive sacerdotum sive saecularium sive religiosorum gratias agamus quam maximas eaque omnibus viribus foveamus atque sustentemus.

3. *In aliquibus argumentis maioris momenti schema adhuc emendandum esse videtur*:

a) Recte dicitur in n. 7 schematis activitatem missionalem Ecclesiae esse absolute necessariam. Quae necessitas adhuc gravius in natura Ecclesiae fundari debet, i. e. in Incarnatione Verbi Divini in qua omnibus hominibus religio absoluta a Deo donata est.

b) Quae de Oecumenismo dicuntur (v. g. in n. 15 et n. 39), et optime quidem, non ad solos neophytos (cf. n. 15) vel solos laicos (n. 39) referenda sunt, sed activitatem missionalem Ecclesiae undique afficiunt. Inde melius esse videtur quaestionem de Oecumenismo in proprio novo numero, sub art. 1 cap. II, post n. 12 inserendo, tractare. Qua transpositione facta argumentum adhuc fusius tractare convenit. Imprimis denotanda erit gravitas scandali scissionis: Per discordias christianorum Evangelii praedicandi fulgor obscuratur, valor persuadens diminuitur atque missionale opus detrimentum capit. Quoties vero contingat christianos directe contra invicem agere, id sive non-christianis sive novellis quoque christianorum coetibus maximum gignit scandalum. Quare expressio locutio sit oportet de necessitate et de facultatibus concretis minuendi istud scandalum. Unde plane agnoscendum est: per baptismum catholici cum fratribus seiunctis fundamentaliter connexi sunt, hi in eundem Dominum et Salvatorem credunt, missionarii communitatum seiunctarum ipsimet huic Domino fideliter servire atque efficax testimonium pro eo reddere sincere intendunt. Monstretur in schemate haec facta fundamentum sat amplum praebere, ut arcta collaboratio institui possit vel in ipsa testificatione Evangelii, secluso tamen periculo confusionis vel indifferentismi.

c) Munus evangelisationis hic ordini episcoporum una cum Successore Petri (v. g. n. 5), illic toti Ecclesiae (« quasi proprium officium », n. 21; « officium populi Dei fundamentale », n. 33) adscribitur. Licet variis hisce

in locis verae relationes enuntientur, melius res ita exprimitur: Munus evangelisationis toti Ecclesiae incumbit; atque in eo exsequendo Ecclesia agit secundum suam structuram hierarchicam; i. e. sub ductu Summi Pontificis Successoris Petri atque ordinis episcoporum, qui collegio apostolorum succedit.

d) Quae in n. 36 competentiae conferentiarum episcopalium demandantur, sedula recognitione indigeri videntur. V. g. in pag. 26, linn. 7-8, verba « numerum indicare sacerdotum quos singulae dioeceses ad missiones destinare deberent » delenda esse videntur. Nam *a*) hac de re nec conferentia episcopalis nec episcopus dioecesanus decernere potest; *b*) verbum « deberent » insinuat quandam irrealitatem.

4. *Praeterea emendandi esse* censentur loci sequentes:

N. 6, pag. 9, lin. 19: Loco « coetus » dicatur « populus » vel « coetus hominum ». *Ratio*: linguistica.

N. 6, pag. 8, lin. 33: Loco « agnitis » dicatur « assignatis ». *Ratio*: non agitur de agnitione.

N. 8, pag. 10, lin. 15: Loco « celebratur » dicatur « colitur ». *Ratio*: linguistica.

N. 9, pag. 10, lin. 23: Loco « celebrationem » dicatur « dispensationem ». *Ratio*: linguistica.

N. 14, pag. 13, lin. 29: Melius scribatur: « Catechumeni inde ab initio sentiant se cum populo Dei coniunctos esse ». *Ratio*: catechumeni simpliciter membra Dei nominari non possunt.

N. 15, pag. 14, lin. 29: Verbum « exacerbatum » deleatur. *Ratio*: nationalismus simpliciter vitari debet.

N. 16, pag. 15, linn. 2 s.: Loco phraseos « in ordine diaconorum ac presbyterorum fratribus suis inservientes, immo episcopali munere fungentes » dicatur: « in ordine episcoporum, presbyterorum ac diaconorum fratribus suis inservientes ». *Ratio*: etiam ordo episcoporum est ad inserviendum fratribus.

N. 19, pag. 17, lin. 11: Loco « humano coetu » dicatur « coetu hominum ». *Ratio*: linguistica.

Ad n. 19, pag. 17, linn. 25-27: Sententia « Fides denique... consuetudines locales » tota deleatur. *Ratio*: hac in periodo terminus « fides » variis adhibetur sensibus atque minus convenit, ut simul dicatur fides edoceri, celebrari et induci. Hoc est allusio quidem ad illa tria munera, sed infelix.

N. 22, pag. 19, lin. 9: Verba: « et quidem per totam vitam » deleantur. *Ratio*: haec postulatio ne quidem pro missionariis religiosis valet.

N. 22, pag. 19, linn. 13-14: Verba « renuntiare omnibus quae hucusque sua habuit » deleantur et periodus forsan sic scribatur: « Ideo debet similem sese reddere eis ad quos missus est ». *Ratio*: clerici saeculares necnon laici, qui religiosi non sint, non debent renuntiare omnibus quae hucusque sua habuerunt.

N. 36, pag. 25, linn. 16-17: Verba « sive singuli sive ut membra corporis episcoporum collegio apostolorum succedentis » deleantur. *Ratio*: *a*) non videtur quomodo distingui possit episcopos singulos inter et episcopos ut membra corporis episcoporum, quia unusquisque episcopus communionem hierarchicam servans est incessanter membrum corporis episcoporum; *b*) nec iustificatur distinctio ex eo quod consecratio episcopi fit non solum pro aliqua dioecesi, sed pro totius mundi salute.

N. 37, pag. 26, linn. 16-17: Loco verborum « in sacerdotio et in missione » dicatur: « in triplice sacro munere quod natura sua ad missionem Ecclesiae spectat ». *Ratio*: sacerdotium et missio disiunctive iuxtaponi nequeunt, quia primum includit alterum.

3

EM.MUS P. D. LAURENTIUS IOSEPH CARD. SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Number 36 on page 25 of our schema treats of the missionary duty of Bishops. It states that Bishops are consecrated not merely for a diocese but for the salvation of the whole world. The dogmatic constitution, *Lumen Gentium* (n. 25) and the mission encyclicals frequently refer to Bishops as the « fidei praecones ». After the Pope, and together with him, the Bishops are the first missionaries of the Church. As members of the episcopal college and legitimate successors of the Apostles they have the obligation to supply to the missions both workers for the harvest and also spiritual and material aid, both directly and *by arousing the ardent cooperation of the faithful* (*Lumen Gentium,* nn. 23, 24).

We have heard many appeals, both in the aula conciliaris and outside, for the Bishops to send priests and financial help to the mission territories. Both are urgently necessary. But there is another very great need in the mission Church, that is, for *trained lay helpers* in the various fields of sociology, economics, technology and the like.

The Church's mission is primarily a spiritual mission, but she cannot ignore the fact that the men whom she sets out to evangelize live in a specific cultural environment, which *must first be prepared to receive the good news of salvation.*

The end of missionary activity is to establish the local Church, which must be a particularization of the universal Church. The establishment of the local, visible Church demands a *relative social* and *economic strength* in order to survive, to carry on and to expand her apostolic ministry. Every missionary knows the difficulty of establishing the Church in an undeveloped or defective social system.

New emphases in the mission of the Church are evoked by the immediate needs and crises which arise in the society in which she is working. The

Church grows up together with society, not outside it. (The « *instaurare omnia in Christo* » of St. Paul reaches beyond the supernatural relationship between God and man to include the natural relationship that must first exist between man and man.) If those to be evangelized are one day to assume the total responsibility for the full life of the Church, they must achieve an economic, social and technical level compatible with such an objective.

In evolving societies the Church cannot afford to give the impression that she is indifferent to its temporal aspirations. She cannot and may not ignore these aspirations and surrender the realization of the hopes to materialistic and secularistic forces. The new nations are determined to acquire in a short time what it has taken the western world centuries to achieve. In their zeal these nations are made susceptible to the seductions of a scientific and technical teaching which is often the tool of communist subversion.

As these evolving societies struggle to industrialize and expand, many new moral and social problems are being created. Is the missionary Church prepared to offer solutions to these problems? Or must she stand off and watch while men pass by her in their fascination for the promises of immediate economic well-being. Must the missionary Church not get involved because her mission is primarily supernatural? Or must she keep in the forefront, having before her eyes always that "the building of the earthly city is founded on the Lord and is directed towards him" (*Lumen Gentium,* n. 46).

The Church, then, has the duty to offer these new communities of God's People the substantial riches of her doctrine and her life as the "animator of a Christian social order" (Pius XII, *Fidei Donum*). Any delay in fulfilling this obligation could have serious consequences, for the Church could well witness in these new lands the alienation of the masses from her, as she had witnessed and is still witnessing in other parts of the world. Moreover, the missionary Church does not have to defend herself before governments and secular forces for her involvement in the growth of her people toward a higher level of civilization and culture. Chapter one of the schema « De Ecclesia in mundo huius temporis », clearly sets down the theological foundation for such involvement: the solidarity of the whole human race in Christ, the essential law of mutual love and solicitude.

Obviously the missionary Church cannot take the total responsibility for all the programs aimed at the social and economic betterment of her new Christian communities. The bulk of this work is the responsibility of the government and international agencies. However, missionaries (and I speak principally of the *lay missionaries whose proper task this is*) should cooperate with these governments and agencies where they are engaged in such development. In other areas where little or nothing is being done, *they themselves will have to inaugurate such programs of social change.*

The precise task of the specially trained lay expert is not to do the work himself, but since he will know the background, culture and particular needs of the people, he must rather act as counsellor and educator in the development of a sense of community and cooperation among the native people. Local leadership is essential for success. The outside *expert must go in to train local leaders so that change can be effected in terms of the people and their own ways of life.* How often experts have gone into a developing country with the latest discoveries of western technology and have nevertheless failed because they were completely out of context with the local culture. An excellent agronomist in the U.S. will not necessarily understand the farmers of North Nigeria and be able to persuade them to improve their agriculture. Experience has taught many missionaries that people make more progress in proportion as they assume responsibility for their own projects. What is imposed usually remains superficial. The changed attitudes of a people, who now want to do things for themselves, is a far greater achievement than the actual realization of some project by the foreign expert.

Number 39, on the missionary duty of the laity, commends the layman's cooperation in setting up institutions which reach the fundamental structures of social life in mission countries. *But who is to organize, to recruit, to train such laymen?* The section on the missionary duty of Bishops should correlatively stress the need for the "home Bishops" to train experts in the social, economic and technical fields for work in the missionary apostolate of the Church. This should be one of the express tasks of the various Episcopal Conferences: to discover from the conferences in the mission Church what are their needs and then to train experts in the various fields to fill these specific needs.

The missionary Church cannot escape involvement in the social and cultural development of its people. These are necessary for building up the strength of the local Church. The best guarantee of an intensive and integral missionary effort is the awareness of the collegial responsibility for the evangelization of the non-Christian world.

4

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Quoad schema in genere. Integrum novum schema certo certius apparet multo melius Propositionibus praecedentibus.

Laudanda videtur in specie doctrina theologica de Missionibus non solum propter profunditatem, integritatem et claram synthesim, sed etiam quia perficit et complet visionem doctrinalem ipsius mysterii Ecclesiae; in constitutione « Lumen gentium », etenim, pauciora dicuntur de hoc aspectu essen-

tiali Ecclesiae. Si, insuper, prae oculis habetur quod principia doctrinalia de Missionibus applicanda revera sunt toti activitati apostolicae Ecclesiae, adhuc amplius laudandum est hoc schema propter doctrinam in eo contentam, quia opportune et profunde illuminare potest schema decreti *de apostolatu laicorum,* cuius expositio doctrinalis, nostro iudicio, non tam clara nec tam profunda et integra videtur.

Quia tamen doctrina omnino laudanda est pro sua universalitate et profunditate, eo ipso criticanda videtur eius exclusiva applicatio ad unam tantum activitatem missionalem determinatis condicionibus historicis vinculatam. Haec applicatio limitat veram considerationem missionalem Ecclesiae, inducendo speciem aliquam utilitarismi in praesentatione doctrinae et insinuando partialitatem ac restrictionem in opere missionali Populi Dei.

Propter istud aequivocum quoad usum doctrinae Missionis sequeretur, exempli gratia, quod America Latina in genere non intraret in ambitum definitionis propositae in pag. 8, et sic ex una parte non deberet esse speciale obiectum considerationis omnium Ecclesiarum constitutarum, et ex altera parte, cum in ea adsint permultae Ecclesiae particulares iam a saeculis institutae, deberet collaborare ad opus « stricte » missionale mittendo sacerdotes et laicos ad regiones infidelium. Quod quidem evidenter absonum est.

Si consideratur insuper quod proximi viginti anni in progressu historico Americae Latinae sunt omnino momentosi prout a labore apostolico seu missionali durante ipsis peracto pendet futurum christianum totius continentis, adhuc gravior apparet defectus schematis a nobis indicatus.

Quoad ordinationem activitatis missionalis in genere videtur dicendum quod deberet vitari omne periculum centralismi exaggerati, praesertim si prae oculis habetur doctrina Collegialitatis in schemate *de Ecclesia* promulgatae, institutio Synodus Episcoporum a Summo Pontifice nuper statuta, et existentia Conferentiarum Episcopalium in unoquoque Continente evangelizando.

Quoad schema in singulis capitibus: *Cap. I,* n. 3, pag. 6, linn. 6-7: corrigatur hoc modo: post « et sanari », dicatur: « cum pro paedagogia ad Deum verum vel praeparatione evangelica merito habentur ». *Ratio*: magis positive proponenda est affirmatio secundum doctrinam n. 16 constitutionis *Lumen gentium.*

N. 4, pag. 7, lin. 5: addatur post « in cordibus »: « etiam per charismata instillando ». *Ratio*: ne minuatur vivifica animatio Spiritus Sancti.

N. 5, pag. 7, lin. 27: corrigatur « ad finem », pro « ad fidem », lapsus calami causa.

N. 6, pag. 8, linn. 1-2: introducatur post « haec exercetur » sequens pericopa: « Doctrinalia principia, ergo, quae hucusque explanavimus, ad intimam naturam ipsius missionis referuntur ac nequeunt exclusive coartari ad aliquam specificam missionem christifidelium sed ad omnem activitatem ecclesialem necessario sese extenduntur. Unaquaeque tamen activitas apostolica in istis principiis fundatur et ab ipsis illuminari debet.

Hic autem, in nostro schemate, agere volumus de aliqua speciali activitate missionali Ecclesiae secundum concretas conditiones historicas.

Dependent vero hae condiciones ... ». *Ratio*: uti iam diximus in nostris animadversionibus in genere, debetur melius servari universalitas principiorum doctrinalium ex una parte ita ut doctrina non videatur coartari ac praesentari quasi utilitaristice, et ex altera parte ut melius percipiatur aspectus historicus concretus illius determinatae activitatis missionalis de qua in schemate.

Pag. 8, lin. 15: hic et passim postea loquitur de « plantatione » Ecclesiae; hic tamen terminus sapit aliquod extrinsecismum fundatum in dualismo considerationis missionis Ecclesiae in Mundo. Forsan melius esset loqui de « formatione » vel « radicatione » ...

N. 8, pag. 9, lin. 42: mutetur phrasis inter virgulas « omnem ... transcendunt », hoc modo: « peculiaritates stirpium vel nationum assumunt ». *Ratio*: videtur quod idea assumptionis potius quam idea transcendentiae melius fundat aspectum non-extraneitatis.

Cap. II: n. 10, pag. 11, linn. 6-8: supprimatur tota phrasis « quorum alii ... expresse negant ». *Ratio*: enumeratio enim non est completa et videtur revera discutibilis.

Art. 1 ad Titulum: pag. 11, lin. 13: potius quam « de praeambulis evangelizationis » dicatur: « de evangelizationis initiis ». *Ratio*: quia revera dialogus cum non-cristianis et praesentia caritatis sunt vera inchoatio evangelizationis, quae suum primum initium habet non necessario in prolatione verborum; Iesus ipse coepit « facere » et docere.

N. 11, pag. 11, linn. 25-26: mutetur phrasis hoc modo: « et adlaborent ne homines nostrae aetatis nimia praeoccupatione progressus materialis absorpti a rebus divinis alienentur » ... *Ratio*: ne videatur insinuari aliqua veluti contradictio cum iis quae in schemate XIII dicuntur de responsabilitate Laicorum in progressu hodierno; emendatio nostra melius exprimit defectus mancipationis materialisticae.

Pag. 11, lin. 33: loco « dominum », dicatur « dominium », ut patet.

N. 12, pag. 12, lin. 24: substituatur « vera praeambula », pro « vera signa ». *Ratio*: uti iam diximus quoad titulum haec expressio videtur verior quia in dialogo et caritate iam inchoatur evangelizatio.

N. 14, pag. 13, lin. 19: loco « sacramenta liberantur a daemone » dicatur: « sacramenta, liberati a daemone ... ». *Ratio*: ut melius appareat effectus positivus praecipuus et permanenter vitalis baptismatis, scil. filiatio adoptiva in Spiritu.

N. 16, pag. 15, lin. 5: substituatur « sancte serventur », pro: « servatis servandis ad applicationem perducantur » ... *Ratio*: ne incidatur in suspicionem « latinizationis » vel, ut ita dicam, « occidentalizationis ».

Pag. 15, lin. 31: loco « maxime in Urbe », dicatur: « etiam in Urbe ». *Ratio*: ne in minorem considerationem habeantur ceterae Universitates,

praesertim si prae oculis habeatur in Universitatibus Urbis non necessario nec de facto adesse omnes specializationes. Specialis mentio Urbis (« etiam »), etsi sine adverbio « maxime », iam est privilegiata indicatio specialium possibilitatum ad peculiarem formationem in Urbe.

Pag. 15, lin. 39: addatur post « Iuvat enim viros, qui » « de facto iam ministerio ... ». *Ratio*: ad melius intelligendam totam propositionem.

N. 17, pag. 16, linn. 6-7: loco « missionarii » dicendum esset « clerici », sed melius est mutare totam phrasim hoc modo: « Nostris diebus, *cum tot sint multitudines evangelizandae,* catechistarum ... ». *Ratio*: ut melius respondeat realitati ac veritati.

N. 19, pag. 17, linn. 18-27: mutentur verba de modo indicativo ad modum subiunctivum, hoc modo: lin. 20 « efficiantur »; lin. 22 « nitantur »; lin. 23 « adhibeantur »; lin. 24 « evadant »; lin. 25 « edoceatur »; lin. 26 « celebretur »; lin. 27 « inducatur ». *Ratio*: veritatis causa.

Cap. III: n. 21, pag. 18, linn. 35 ss.: dicatur « peculiarem vocationem missionariam diversimode inspirat ». Cetera omnia supprimantur. *Ratio*: ne proponatur descriptio valde discutibilis vocationis missionariae tum quoad singulos tum quoad Instituta. Melior est affirmatio quaedam ampla.

Pag. 19, lin. 1: supprimatur « enim », ut melius concordet cum correctione anteriori.

N. 22, pag. 19, lin. 9: supprimatur « — et quidem per totam vitam — ». *Ratio*: non videtur omnino et semper vera.

N. 24, pag. 20, linn. 25-27: post « ... efficaciores recensentur », addatur: « et praesertim arte catechetica bene edoceri ». Cetera « Fratres et Sorores ... collaborare possint » supprimantur! *Ratio*: ne restringatur necessitas praeparationis catecheticae ad solos Fratres et Sorores quamplurimos.

N. 25, pag. 21, linn. 3-21: tota ista paragraphus sapit aliquem « triumphalismum » non utilem ad rem.

Cap. IV. In redactione finali huius capitis prae oculis habendum est, sicuti antea diximus in observationibus in genere, sive nova institutio Synodus Episcoporum, sive schema iam approbatum *de pastorali episcoporum munere,* ne damnum feratur principio subsidiaritatis.

Cap. V: n. 34, pag. 24, lin. 31: supprimatur « etiam ». *Ratio*: ne affirmatio appareat veluti simplex concessio.

N. 36, pag. 25, linn. 15 ss.: in hac paragrapho praecipue percipitur defectus ille de quo locuti sumus in nostra secunda animadversione in genere. Quid de America Latina secundum hanc paragraphum?

N. 37, pag. 26, linn. 15-16: dicatur: « Presbyteri, cum cooperatores sint Ordinis Episcopalis, penitus intelligant totam suam vitam ... »; cetera quae in istis lineis inveniuntur, supprimantur. *Ratio*: non est locus proponendi doctrinam sacerdotii, praesertim si proponuntur affirmationes non tam clarae.

Pag. 26, linn. 19-20: supprimatur phrasis inter lineolas « — quod praecipue ... consistit ». *Ratio*: eadem de causa ac supra.

N. 38, pag. 27, lin. 4: loco « perfectius » dicatur: « peculiari modo », veritatis causa.

Conclusio: pag. 28, lin. 21: mutetur initium phraseos hoc modo: « Patres omnes una cum Romano Pontifice in Concilio adunati » ... *Ratio*: ut melius videatur unitas episcoporum cum Summo Pontifice, nec ansam suspicionis praebeatur alicuius separationis inter Concilium et Romanum Pontificem.

5

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neoeboracensis

In schemate *De Activitate Missionali Ecclesiae,* descriptio huiusmodi activitatis ex conceptu Ecclesiae ut « sacramentum universalis salutis » derivata optimos fructus affert. Quae activitas, ad reddendam Ecclesiam in omnibus locis plene praesentem destinata, viam ipsius Incarnationis sequitur relate tum ad rationes tum ad necessitates missionis Ecclesiae. Ideoque, schema decreti sicut nunc egregie elaboratum valde placet.

In specie, dicta cap. IV de dicasterio eiusque functionibus et personis (nn. 26-27, pag. 21-22) sapienter problematibus et difficultatibus Ecclesiae missionariae provident.

Solummodo de vocatione missionaria deque propria formatione et spiritualitate missionariorum (nn. 21-24, pag. 18-20) aliqua debiliora vel non sat explicita inveniuntur. Sine dubio huiusmodi vocatio est vere propria et specialis. Si decretum elementa magis specifica de proprietate vocationis missionalis et de formatione psychologica missionariorum adducere possit, totam Ecclesiam valde adiuvet.

6

EXC.MUS P. D. IOANNES AMBROSIUS ABASOLO Y LECUE
Episcopus Vijayapuramensis

I. In cap. I, n. 2, sermo est de proposito Patris, et in linn. 19-24 legitur: « Hoc autem propositum ex *fontali amore* seu caritate Dei profluit, qui, cum sit Principium sine Principio, ex quo Persona Filii et Persona Spiritus Sancti originem ducunt, ex nimia et misericordi benignitate sua, libere creans et insuper gratiose vocans nos ad Secum communicandum in vita et gloria, bonitatem suam liberaliter diffudit ac diffundere non desinit ... ».

Cum hic agatur de Patre ut est Principium sine Principio, ea quae in allatis verbis affirmantur applicanda videntur aeterno Patri quatenus est persona distincta a Personis Filii et Spiritus Sancti, quod quidem non satisfacit rigori theologico.

Certocertius Pater est Principium fontale seu Principium sine Principio a quo Personae Filii et Spiritus Sancti procedunt per veram originem, Filius

a solo Patre, et Spiritus Sanctus a Patre Filioque. Quod vero nos libere creaverit, gratiose vocaverit ad Secum communicandum in vita et gloria, et suam bonitatem liberaliter diffundat, non conveniunt Patri quatenus est Principium sine Principio, seu ut Personae distinctae ab aliis personis divinis. Ut scimus, tales operationes, utpote ad extra, toti Trinitati sunt communes adeo ut tres Divinae Personae eas operentur unica actione indivisa, ex quibus operationibus creatio appropriatur Patri, ceterae vero, in quantum sunt opera amoris, peculiariter praedicantur de Spiritu Sancto.

II. In linn. 26-29 eiusdem n. 2 dicitur: « Placuit autem Deo homines non singillatim, quavis mutua connexione seclusa, ad Suae vitae participationem vocare, sed eos in populum constituere, in quo filii sui, qui erant dispersi, in unum congregarentur ».

Ex his verbis concludi potest Deum vocare homines primo ut in populum constituant et ut in unum congregentur, ac deinde ut vitam Suam participent. Iuxta meam humilem sententiam hoc non est accuratum.

Deus singulos homines singillatim diligit, iuxta illud Ieremiae: « In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans » (31, 3), et S. Pauli: « Dilexit me et tradidit semetipsum pro me » (*Gal.* 11, 20). Cum autem amor Dei sit affectivus et effectivus simul, diligendo hominem individuum efficit in eo rationem bonitatis, id est, trahit eum ad participationem vitae Suae per gratiam, seclusa quavis connexione cum ceteris hominibus. Immo vero, populus ut sic non est capax participandi vitam divinam, quae fit per gratiam sanctificantem, cuius subiectum est sola anima rationalis individua (vel angelus). Verbo: Primum Propositum Patris in mittendo Filium in mundum fuit ut singuli homines vitam haberent, et tunc in unum congregarentur, seu primo voluit ut redintegraretur amicitia seu intima unio hominum cum Deo, ac deinde unio hominum inter se.

III. Non facile perspicitur sensus primarum linearum n. 3 in pag. 6.

In linn. 5-8 asseritur incepta quibus homines Deum quaerunt indigere « illuminari et sanari, *etsi,* ex benigno consilio providentis Dei, aliquando pro paedagogia ad Deum verum vel praeparatione evangelica haberi possint ». Nescio utrum verba haec semipelagianismum sapiant. Ut puto, hic sermo est de praeparatione, saltem remota, ad salutem, et quidem de praeparatione positiva, nam praeparatio negativa nihil valet ad illam. Nunc vero iuxta doctrinam tenendam homo lapsus viribus suis non potest ad gratiam sive actualem sive habitualem, proxime vel remote se praeparare. « Ad errorem pelagianum pertinet », sunt verba Angelici, « dicere quod homo possit se praeparare ad gratiam absque auxilio divinae gratiae » (Quodlib. I, a. 7). Doctrina haec, quae continetur in Scripturis, praecipue in Apostolo, declarata fuit a Conciliis Arausicano II et Tridentino (Denz.-Bannw., 178 et Denz-Bannw., 797). Quae cum ita sint, potestne affirmari esse aliquando incepta quae, sine auxilio divino, pro paedagogia ad Deum verum vel praeparatione evangelica possint haberi?

IV. In eadem pag. 6, linn. 18 et 19 legitur: « Secundum humanam autem naturam, novus Adam, novae humanitatis caput constituitur, plenus gratiae et veritatis ». Hic modus loquendi non placet.

Verum est quod duo Adam distinguuntur, primus et secundus seu novus, sed humanitas prout refertur ad genus humanum non est nisi una. Per primum Adam mors intravit in mundum et peccatum in humanitatem propagatum est, per secundum vero Adam (per Christum) humanitas illa regenerata est longe superans virtutem peccati: « Ubi abundavit peccatum superabundavit gratia » (*Rom.* 5, 20). Ex hoc tamen non sequitur quod genus humanum per peccatum primi Adam e statu innocentiae lapsum et per secundum Adam reparatum, vocari possit nova humanitas, cuius caput est Christus. Hic quodammodo est caput omnium qui exstiterunt, existunt et existent ab initio usque ad finem mundi. Nonne omnes gratiae concessae hominibus post lapsum Adam sunt gratiae Christi? Potius quam de duabus humanitatibus oportet ut de duobus statibus vel conditionibus eiusdem humanitatis loquatur.

Eaedem linn. 18 et 19 (« secundum humanam autem naturam, novus Adam novae humanitatis caput constituitur, plenus gratiae et veritatis ») etiam ex alio capite ansam falsae interpretationi praebere possunt. Existimo mentem esse Christum constitutum fuisse caput humanitatis qua homo, non utcumque, sed quatenus est plenus gratiae et veritatis, id est, ratione gratiae habitualis dignificatae a gratia unionis. Tamen textus, prout iacet, innuere etiam posset humanam naturam esse rationem formalem qua Christus constituitur caput hominum.

V. In lin. 20 textus sic prosequitur « Itaque per vias verae Incarnationis processit Filius Dei ut homines divinae naturae participes faceret ». Ex his concludi videtur Opus Filii Dei sanctificandi homines inceptum fuisse post momentum Incarnationis. Sed nonne Adam et omnes iusti Veteris Testamenti sanctificati fuerunt intuitu meritorum Christi venturi?

VI. In lin. 25 asseritur: « Hinc Sancti Patres constanter proclamant non esse sanatum quod assumptum a Christo non fuerit ». Adverbium « hinc » indicat talem affirmationem esse sequelam praecedentium, quod tamen non apparet. Supra enim dicitur Filium Hominis dedisse animam suam redemptionem pro omnibus hominibus; quasi-axioma vero Patrum (« quod non fuit assumptum nec fuit sanatum ») non refertur ad omnes homines in genere, sed ad naturam humanam prout haec constat ex vero corpore et ex vera anima rationali. Nec obliviscendum Verbum assumpsisse unam naturam humanam. Ceterum locus proprius quasi-axiomatis videtur in linea 28 post mentionem de assumptione integrae naturae humanae.

VII. In eadem pagina, linn. 38 et 39, dicitur: « Apostolosque in universum mundum misit sicut et ipse missus fuerat a Patre », ad quod confirmandum evocantur verba Evangelii S. Ioannis (20, 21). Sed in loco citato quarti Evangelistae Dominus Noster non loquitur praecise de sua missione in uni-

versum mundum, ut in schemate indicatur, sed de missione discipulorum ab eo eadem auctoritate et potestate quam ipsemet a Patre acceperat. Loquendo de limitibus intra quos se personaliter Evangelium praedicare debebat, Christus expresse dixerat: « Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel ».

Conclusio. Principia doctrinalia cap. I huius schematis, praecipue ea quae in nn. 2 et 3 evolvuntur, in clariorem et exactiorem formam redigantur.

7

EXC.MUS P. D. IOANNES KWAO AMUZU AGGEY
Archiepiscopus Lagosensis

Unam solam rem deliquare volo circa theologiam Missionum secundum quod exposita est in capite primo schematis. Est autem haec res maximi momenti.

N. 7, pag. 9 tractatur de motivis et necessitate actionis missionariae. Ibi sic declaratur: « ratio huius missionalis activitatis non unice ex aeterna salute uniuscuiusque hominum evangelizandorum procuranda sumitur. Ecclesia enim tenet Deum viis sibi notis homines ad Fidem adducere posse... etiamsi Evangelium non audierint ». Dum verum sit quod postea in textu sustinetur motivum traditionale atque scripturale, nempe salus omnium hominum, attamen illa declaratio tam ambigua videtur esse compromissum quod ad interpretationem falsam iter aperit.

Cursu alloquii quidam recentis Papa noster missionarius Paulus VI missionem sic descripsit: « conatur apostolicum ad lumen Evangelii omni homini cuiusque nationis offerendum » (*A.A.S.,* 1965, n. 7, pag. 518). Item, ad intentionem suam specificandam missionem vocavit « communicationem nuntii Revelationis » et « ministerium salutis ».

Dubium non est quin homines salvari possint in religionibus eorum nonchristianis, inquantum veritas quam habent a Deo est. Immo vero multae doctrinae eorum a revelatione christiana derivantur. Per actionem mysteriosam gratiae Dei salvificantis homo qui numquam Iesu Christo obviam venit in Evangelio sanctificari et ideo salvari potest per religionem eius nonchristianam. Religiones quidem tales pro maiori numero hominum viam salutis aperuerunt. Attamen, ex hoc concludere non licet istas religiones esse viam communem et ordinariam ad salutem, dum religio christiana sit via specialis et extraordinaria. Certo certius dicere non possumus, sicut dicunt multi his diebus, unicam voluntatem salvificam Dei comprehendere omnes religiones mundi, ita quod missionarii ea ratione non-christianos adiuvare debeant ad bene prosequendum religionem eorum propriam, visu quod sit eis via salutis.

Religiones hae non-christianae sunt potius manifestationes hominis Deum quaerentis. Valores sive humanos sive spirituales in istis religionibus habere

debemus quasi praedispositiones mysteriosae ad plenitudinem luminis revelationis. Quod habet Deus alias vias ad homines salvandos nullo modo absolvit Ecclesiam ab executione propositi divini quo omnes homines salvandi sunt. E contra, propter hoc ipsum comprobari et stimulari debet apostolatus missionarius Ecclesiae.

Si religiones non-christianae media generalia et ordinaria salutis sint (sicuti dicitur), si pluralismus religionum et prorogatio eiusdem secundum voluntatem divinam sint, si membrum esse Ecclesiae vocatio specialis sit paucis ex comparatione concessa, tum quaerendum est utrum adhuc opus sit praedicare Evangelium omni creaturae, sicut mandavit Christus. Ex novis tamen propensionibus istis in theologia, concludendum esse videtur quod non necessarium sit, immo saepe saepius non expediat, maiorem partem hominum ad christianismum convertere. Conclusio autem talis ipsum fundamentum dogmaticum apostolatus nostri missionarii subruit; ipsam vero rationem existentiae Ecclesiae, necessitatem urgentiamque evangelizationis contradicit. Conclusio talis zelum missionarium mortificat, operam Ecclesiae ad Evangelium praedicandum et ad mundum convertendum ad Deum destruit.

Ut ergo conclusio talis calamitosa ex schemate nostro oriunda vitetur, nec quidem periculum ambiguitatis vel interpretationis perversae in hoc contextu tolerari potest. Et ideo n. 7 pag. 9 iterum emendandus est. Imprimis clare declaranda est ratio activitatis missionalis Ecclesiae, scil. propositum divinum quod omnes homines salvandi sunt per fidem et baptismum. Item, clare declarandum est Deum voluisse propositum istud ad effectum duci per praedicationem Evangelii, quam missionem commisit Christus Ecclesiae ubi Ei mandatum dedit: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti » (*Mt.* 28, 19). Mandatum illud ultimum dedit Christus Ecclesiae ante regressum suum ad Patrem. Semper prae oculis mentis servandum est. Totum apostolatum nostrum missionarium dirigere oportet.

8

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ALDEGUNDE DORREGO
Archiepiscopus Tingitanus

Laudans grato animo laudabo commissionem ob schema *de activitate missionali Ecclesiae* Patrum examini exhibitum, veraciter *charta magna* in materia dicendum, tunc ex tractationis amplitudine tunc ex modo in dictis spirituve retentis. Procul dubio, rev.mi relatoris assertio veritati respondet, nam « breves propositiones » elapsi anni praesentis schematis carnibus revestiuntur sanguineque vivificantur.

Minima autem, meo humili iudicio ad schema perficiendum conducentia, animadvertere audeo.

A) E sacrae Scripturae allegationes revisioni subiiciendae sunt nonnul-

lae. E. g., in prooemio, lin. 3, *Mt.* 16, 15 et n. 3, lin. 13, *Act.* 26, 38, non videntur esse ad rem.

Praeterea, lector quandoque earum oneratur numero. Et non a numero sed a recta allegatione pendet probatio.

B) Pulchra laicorum respectu dicuntur; ast disperse aut velut missionariorum subsidium. Melius si cap. III (*De Missionariis*) novus numerus vel alinea quaedam adderetur, ibique fundamentum, ex nn. 31 ac 33 const. *de Ecclesia* desumptum, atque multiplex in Missionibus laicorum actio perhibeatur.

C) *Emendationes quaedam*:

N. 1, pag. 5. Dictorum adest incongruentia. Enim vero, priori alinea missionis pensum ad apostolorum successores restringitur; infra autem, alinea tertia, schematis propositum fideles omnes — « et vires omnium fidelium colligere cupit » — indistincte respicit.

Ibid., linn. 15-16 non bene intellego incisum « Domini historiae ». Adest hic error typographicus?

N. 5, pag. 7, lin. 21: locutio « Ecclesiae visibili Capite » mutanda foret hoc modo: « Ecclesiae supremo Pastore ». Consulto enim vocabulum « Caput » in *de Ecclesia* fuit tali sensu omissum.

Ibid., lin. 23: verba « Missio ergo Ecclesiae » cedant locum « Missio enim Ecclesiae ». *Ratio* est: quae sequuntur potius causalis sunt praecedentium explicatio, quam logica consequentia.

Ibid., lin. 26: addere oportet « vitae exemplo » ita ut textus remaneat: « ... actu praesens fit, ut eos, praedicatione, *vitae exemplo,* Sacramentis ceterisque... ». *Ratio* est evidens, praesertim cum de laicorum apostolatu agitur.

N. 6, pag. 8, lin. 26: minus placet incisum, ceteroquin inutile, « obstacula removendo ».

Ibid., linn. 30-31: abradantur verba « munus penetrationis christianae » et textus sic remaneat: « Incepta peculiaria quibus Ecclesia in populos vel coetus nondum credentes inseritur ». Aut etiam: « Incepta peculiaria quibus Ecclesia proprium ministerium erga populos vel coetus nondum credentes ». *Ratio*: verba « penetrationis christianae », sicut « obstacula removendo » suspecta invisaque mahometanis erunt eorumque diffidentiam missionariorum respectu suscitare valent.

N. 11, pag. 11: loco « De praeambulis evangelizationis » alio inscribatur modo art. 1 cap. II. E. g., « Ecclesiae conversatio cum non-christianis » vel « De conversatione cum non-christianis ». *Ratio*: ex una parte, propositum evangelizandi non-christianos tali locutione patefit, et hoc, altera ex parte, infideles aegre sustinent. Insuper, huiusmodi praeambula iam quid sunt evangelizationis.

N. 12, pag. 12, linn. 23-24: suppressis verbis « eis vera praeambula evangelizationis se oblaturos », sit textus: « in sua vita et operatione intime

cum hominibus coniuncti, Christi discipuli in eorum salutem se operaturos sperant, etiam... ». *Ratio* est eadem ac illa n. 11.

N. 27, pag. 22, linn. 17-24: placet prout iam emendatus est; non prout iacet in fasciculo. Praeterea, quaevis innovatio Congregationi de Propaganda nusquam superponatur, sed huic incorporetur ipsiusque operam adiuvet. Etenim, efficacitas in agendo nullatenus agentium multiplicationem sequitur.

N. 36: deficit dioecesium missionalium, i. e., quae in se alicuius Missionis curam suscipiunt, mentio. Defectus hic subsanetur oportet quia, etsi non multae, hodie tamen dantur nonnullae, quas laude non parva dignas existimamus.

9

Exc.mus P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA
Archiepiscopus de Lourenço Marques

Breviter, ut semper, loquar de tribus locis, in quibus, mea paupera sententia, schema « de missionibus » perficiendum est. Praemitto tamen verbum bonum, ne adveniat falsa interpretatio, ut saepe accidit. Et verbum bonum est verbum laudis schemati et omnibus in eo laborantibus. Textus enim actualis est optimum relate ad primum.

Indiget, ut fere semper evenit, variis emendationibus. Inter alias quae vos fratres efferetis, liceat mihi, episcopo missionario, tres afferre:

1. Cap. I, n. 7, pag. 9. Agitur de reddenda ratione motus missionalis seu evangelizationis. Etsi in decursu numeri ratio theologica afferatur, initium tamen est vere pauper et negative incipit: « ratio huius missionalis activitatis *non unice* ex aeterna salute etc. ... ». Hoc minime decet in re tanti momenti. Necessarium est, denuo profunde conficere doctrinam huius numeri, tam dives et tam pulchra: « ite, docete omnes gentes »...

2. Dicitur cap. II, lin. 5, pag. 13: « de libertate huius conversionis constare debet. Ecclesia enim severe prohibet ne quis ad fidem amplectandam cogatur vel artibus importunis inducatur aut alliciatur ». Habete me excusatum, fratres, sed haec verba sunt saltem « piis auribus offensiva ». Quando enim Ecclesia aliquem coegit ad amplectandam fidem? Tollatur ergo haec pericopa usque ad « iuxta perantiquam Ecclesiae consuetudinem, motiva conversionis investigentur et, si necesse est, purificentur » inclusive.

Quid purificandum, quid investigandum? Semper Ecclesia secuta est Caput suum Iesum Christum, qui libertatem defendit, sed libere et palam Evangelium praedicavit, tanquam necessarium ad salutem et sub poena damnationis... « qui non crediderit, condemnabitur ». Possumusne nos haec verba Christi includere inter « artes importunas »?

3. Cap. II, linn. 17-24, pag. 14: legitur: « spiritus oecumenicus nutriatur neophytos » etc. Periculosa et gravia sunt haec verba, quae non sunt necessaria et ducere facile possunt ad falacem oecumenismum.

Ad neophytos nostros praedicandum est amorem erga omnes, non solum fratres separatos, sed praesertim erga paganos, ut omnes, sine distinctione ad Christum adducantur. Oecumenismum quidem est faciendum, sed simul clare, distincte et theologice eos monere Deum esse unum et veram religionem unam esse debere, ne decipiantur. Neophyti enim nostri sunt gentes paululum evolutae et paululum instructae.

Ita facio in itineribus per missiones. Saepe saepius (et est pulchrum) fratres separati veniunt ad catholicam missionem. Omnibus aperto corde alloquor. Nullus hucusque imprecavit in me. Sciunt enim eos profunde amare, sed simul veritatem facere in caritate. Specialiter in missionibus, attenti esse debemus ad falsum oecumenismum. Abstineo ab exemplis alicuius falsi oecumenismi ne vos taedio afficiar.

Instanter ergo rogo ut tollatur vel reficiatur ista pericopa.

10

EXC.MUS P. D. IOANNES KODWO AMISSAH

Archiepiscopus Litoris Capitis

Valde gaudendum est quod in initio schematis *de activitate missionali Ecclesiae,* principia doctrinalia, quae in prioribus redactionibus deerant, nunc dantur, et quidem bene. Ex illis enim principiis omnes aliae partes schematis effluere debent. Eo magis necessarium est ut illa principia iusta sint, nec offerant partem doctrinae pro doctrina tota, vel assertiones auctorum privatorum, etsi scientia praeclarorum, tanquam doctrina auctoritative proposita. Liceat aliquot afferre exempla.

In n. 1, pag. 5, lin. 7 dicitur munus episcoporum missionem apostolorum continuare « ut Regnum Dei ubique annuntietur ». Sed illa annuntiatio, revera, non est nisi prima pars huius missionis apostolorum ut apparet ex ipsa sententia praecedenti in quo notatur quod apostoli « genuerunt Ecclesias ». Unde in fine paragraphi, ad notionem plenam et exactam habendam muneris missionarii episcoporum, dicendum est: « Ut regnum Dei ubique terrarum annuntietur *et quam late stabiliatur* » (vel aliquid simile).

In n. 2, pag. 5, lin. 17 dicitur: « Ecclesia natura sua missionaria est, cum ipsa ex missione Filii missioneque Spiritus Sancti procedat secundum propositum Dei Patris... ». Sed argumentatio hic allata est brevissima et ambigua, tum modo quo enuntiatur, tum argumentis quibus comprobatur.

1. Quoad modum quo enuntiatur: Missio enim Ecclesiae — seu natura Ecclesiae missionaria — non *procedit* sensu illo classico qui reservatur motui intratrinitario, sed tantum « originem ducit » vel « initium trahit ». Ad falsas deductiones praecavendas haec loquendi ratio devitari oportet.

2. Quoad argumenta in propositione maiore subintellecta: etenim supponitur, sed nullo modo demonstratur, aliquam realitatem supernaturalem esse missionariam ex solo facto quod originem ducat ex missione Filii et

Spiritus Sancti, vel ex eo quod Filius et Spiritus Sanctus missi sint. Si propositio illa vera esset, tunc omnes realitates in opere redemptivo missionariae essent, quia omnes originem habent ex actione Filii et Spiritus Sancti missorum. Quod nullo pacto dici valet.

3. Ratiocinio etiam, ex propositione minore: Ecclesia enim, cum sit effectus actionis Dei ad extra non potest habere originem primam ex aliqua persona divina, sed ex ipsa natura divina, qua Tres Personae Divinae simul agunt.

Ideo nec propositio maior, nec propositio minor, nec conclusio videntur vim probativam habere.

Salvo meliori iudicio, argumentum ad probandum naturam missionariam, i. e. expansivam Ecclesiae non ex ipso facto dependentiae a missionibus Filii et Spiritus Sancti provenit, sed ex ipsa caritate divina, ex natura huius caritatis, ex illo « fontali amore » de quo postea loquitur ipse textus: quia *caritas est sui diffusiva.* Caritas est quae personas divinas vicissim movet; caritas est quae Deum libere movet ad creandum et redimendum; eadem caritas est quae movet Verbum ad Incarnationem: « Amor coegit te tuus mortale corpus sumere ». Caritas est quae sese diffundit in cordibus nostris. Caritas etiam est in Spiritu Sancto quae in Ecclesia praesens est et semper totum corpus et totum populum movet ut diffundat et extendat seipsum in mundum ad ipsam caritatem diffundendam qua movetur, ut, ergo, sit missionarius.

Ille motus caritatis ad extra est fons et dynamis characteris missionarii Ecclesiae. Ubi est caritas, sive sit in Deo creante, in Christo Redemptore, in Ecclesia redempta, ibi est vis dynamica et benefica ad extra, ibi est motus ad extra huius caritatis, ibi est missio. Si Ecclesia, natura sua, et non ex solo praecepto, missionaria est, talis est quia movetur a caritate, quae nullam aliam legem habet nullumque aliud axioma nisi illa verba: « Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret... ». Sic Ecclesia diligit (vel saltem diligere debet) mundum et ipsum Dei Filium simul, ut illum Filium mundo dare velit, tanquam donum pretiosissimum.

Ecclesia est missionaria quia ipsa, per gratiam Dei, secundum Christi exemplum, ex motu Spiritus Sancti est sacramentum caritatis divinae oblatum toti humanitati indesinenter.

Ex hac consideratione effluunt alia consectaria:

In n. 4, pag. 7, linn. 3-5, usu verborum « vel... vel... » quasi opponuntur instituta ecclesiastica ex una parte, et animus missionis seu missionarius ex altera parte. Notemus primo quod textus Augustini, cui remittitur per notam ad calcem non loquitur de Spiritu Sancto tanquam de anima institutionum ecclesiasticarum sed tanquam de anima Ecclesiae simpliciter. Et quidem iuste, quia Ecclesia est simul et inseparabiliter populus et institutio. Ergo illi duo aspectus non possunt disiungi sed debent coniungi, utendo verbis: « et... et... ». Cetero, sic melius introducitur subsequens sententia in qua aequilibrium bene observatur.

Similiter, in n. 5, pag. 7, lin. 24, dicitur quod populus Dei in suo conatu missionario est « Mandato Christi oboediens et Spiritus Sancti caritate motus ». Sed in ordine illius motionis ad extra per caritatem de qua supra, caritas est ante praeceptum, praeceptum non est nisi expressio clarior data a Christo obligationis, quae in omni caritate inest, sese diffundendi sine limitibus. Quapropter potius dicatur: « Spiritus Sancti caritate motus et mandato Christi oboediens... ».

Sic, in locis hic recensitis et in aliis qui adduci possunt, ponatur caritas tanquam origo, vis dynamica, immo ut terminus totius operis missionarii: Est enim vinculum omnis perfectionis, terrestris et caelestis.

Conclusio practica: Pro initio n. 2, proponitur sequens vel similis textus: Ecclesia nata est et essentialiter vivit ex divina caritate, sui diffusiva « propter nos homines » per missiones Filii et Spiritus Sancti; quare et ipsa impellitur, natura sua, ad caritatem eandem beneficam magis magisque diffundendam, secundum Dei propositum, usque ad extremum terrae et consummationem saeculi; ideoque est essentialiter missionaria.

[*Subscripserunt etiam*] Peter Dery; E. Durrheimer, ep. Katiola; J. Strebler, arch. tit. Nicopoli di Epiro; Ch. Maloney; Th. Brosnaham; J. Lesourd, ep. Nouna; A. Konings; P. Dodds, ep. Ziguinchor; H. Thiandoum, arch. Dakar; A. Duirat, ep. Bouaké; G. Biard, ep. Mopti; J. Coudray, praef. ap. Kankan; A. Dupont, ep. Bobo-Dioulasso; J. Etrillard, ep. Gagnoa; J. Bretault, ep. Koudougou; M. Chauvin, ep. Fada N'Gourma; A. Porter, arch. tit. Lemno; J. Perrot, ep. San; D. de Montclos, ep. Sikasso; D. Youngbaré, ep. Koupéla; P. Rouanet, ep. Daloa.

11

EXC.MUS P. D. XAVERIUS M. ARIZ HUARTE

Episcopus tit. Baparensis, vic. ap. Portus Maldonadi

De missionibus et missionali activitate cum gaudio simul atque honore, in omni loco et tempore, nos missionarii loqui cupimus. Liceat etiam mihi, modesto episcopo missionario, hac solemni occasione quaedam addere, uno animo aliqualiter conferendi ad perfectionem et claritatem schematis. Nobis enim valde in corde est ut hoc solemne documentum Concilii de missionibus tota perfectione, qua possibile sit, elaboratum edatur.

Nam quamvis non est dubitandum quin schema, quod magna ex parte novum et tantopere amplificatum ac doctrina locupletatum apparet, generatim probetur, adhuc notantur in eo defectus et confusiones non paucae, a quibus oportet textum liberare.

Meae tamen observationes ad duo reducentur:

I. Primo quidem desideratur notio expressior missionis atque accuratior determinatio ambitus activitatis missionalis in Ecclesia.

Agitur enim de lacuna complenda in cap. I, de principiis theologiae mis-

sionalis tractante. Recte quidem in eo, supremis fundamentis missionis iactatis, proceditur in n. 5 ad descriptionem, seu definitionem per quatuor et amplius causas, totius missionis Ecclesiae. Exinde luculentius apparet omnem activitatem salvificam, seu apostolicam, Ecclesiae missionalem esse et ad missionem pertinere, cum etiam describatur tanquam continuatio seu propagatio missionis Christi. Ideo merito in schemate extollitur totam Ecclesiam natura sua missionariam esse (nn. 2, 33).

Sub eadem ratione theologica etiam in constitutione *de Ecclesia* definiebatur apostolatus laicorum « participatio ipsius missionis salvificae Ecclesiae » (n. 33), et similiter in schemate *de apostolatu laicorum* (n. 2).

Attamen, relicto hoc sensu missionis universaliter dictae, per totum deinceps schema inde a cap. II continuo fit sermo de missionibus et missionariis, de terris missionum, de Institutis missionalibus, etc., prout comprehendunt opera missionaria stricte dicta, sive specialem laborem evangelizationis et dilatationis Ecclesiae apud quosdam coetus non credentium, et certis in territoriis quae communiter « missiones » nuncupantur.

Transitus autem de primo et generali ad secundum et specialem sensum missionis subobscure fit in n. 6, describente activitatem missionalem. Post fusam considerationem phaenomenologicam, in fine tandem determinantur proprie dictae missiones, de quibus totum schema agit.

Illa vero determinatio incerta et insufficiens videtur, quatenus missiones designat tanquam incepta penetrationis christianae erga populos non credentes. Iam enim sexaginta et amplius vicarii et praefecti apostolici in territoriis missionum Americae Latinae laborantes se exclusos sentierunt, cum omnibus suis missionariis, ab Ecclesiae missione per hanc declarationem, quippe qui activitatem eorum apostolicam exercent ut plurimum inter christianos. Sub quibus ipse me includo, licet in regione Amazonica mei vicariatus durum opus missionale partim exercetur apud nondum credentes, seu rudos et incultos sylvarum incolas.

Alia ex parte, in ipso Iure Canonico, missiones per actionem apostolicam generatim apud non catholicos describuntur (can. 1350), non tamen exclusive (cf. can. 293-310).

Quapropter plene adhaerendum censeo petitioni praedicti coetus Patrum apud missiones Americae Latinae, ut praefatus textus n. 6 clarior reddatur, complendo descriptionem activitatis missionalis per criteria obiectiva ac territorialia ab ipsis proposita, ita ut nullum opus aut inceptum hodie in Ecclesia tanquam missionale agnitum in schemate excludatur a tali honore et condicione excelsioris apostolatus.

Illa enim expressior declaratio principii missionalitatis praeterea imponitur ad cohaerentiam cum toto schemate stabiliendam. Nam saepius deinde, data opera, tanquam missionales agnoscuntur quamplures activitates quae non intendunt evangelizationem non credentium aut primam plantationem Ecclesiae, sed quae adiumenta valida omnis generis apostolatus praestant illis ecclesiis particularibus, praesertim novellis, quae continuato auxilio externo

indigent ad maturitatem vitae christianae, ac proinde ad plenam praesentiam Ecclesiae in ipsis. Regiones autem ubi praedicta opera apostolica exercentur terrae missionum semper dicuntur, et missionarii qui ibi operam praestant (nn. 16, 18, 19, 25, 36, 38, 39), uti ferebat praxis plusquam saecularis Ecclesiae.

Logice ergo postulatur ut in declaratione generali cap. I expresse recognoscatur eadem indoles missionalis pro illis omnibus operibus et territoriis missionum, et non solum pro directa evangelizatione apud coetus non credentium.

Urget insuper altera *ratio potissima necessitatis.* Nam coetus et populi quos comprehendunt dicti vicariatus apostolici, aut praefecturae, maxime in mea regione Amazonica, vere dicendi sunt adhuc in statu evangelizationis esse. Eorum incolae dependent ab Institutis missionariis, quibus a Sancta Sede commissae sunt, fere quantum ad omnia, spiritualia tum et materialia. Et missionarii omnia fere indigenis suppeditare debent, sive quae spectant ad vitam religiosam, sive ad scholas et integram educationem sive etiam ad omnem curam sanitatis et medicorum eis dispensandam ...

Ecclesiae igitur nostrarum regionum abs dubio dicendae sunt non sibi sufficientes, sed sub omni respectu indigentes auxilio caritatis et cooperationis missionalis Ecclesiae universalis. Illae proinde ut communitates plane missionales habendae sunt.

Hodie autem haec necessitas urgentior fit, et ratio proinde cur abundantius accresci debent opes et auxilia, tum naturalia tum supernaturalia, affluere ad illas communitates missionales, tam debiles propriisque mediis carentes: Quia scil. eo ipso in magno periculo dechristianizationis sunt. Nisi enim alia membra Ecclesiae largius eis succurrant, tum in pure spiritualibus tum in mediis assequendi culturam vere christianam, illae gentes confugient ad alios populos magis progressos, a quibus imbuentur ideologia plerumque atheistica.

Iam ego ipse audivi ab altero episcopo missionario: Facilius est nobis stipendia habere ad mittendos iuvenes ad Universitates communistarum, quam ad christianas Universitates.

Hoc ergo periculo penetrationis communismi athei in nationes prius catholicas in immensum augetur necessitas ampliora auxilia praestandi a Populo Dei in favorem missionum.

Per hanc demum extensionem conceptus missionis proprie dictae ad illas communitates non plene evangelizatas et ecclesias necessariis carentes, non tollitur, sed potius firmatur, conceptus ille dynamicus, et quadantenus relativus, missionis qui in schemate extollitur. Condiciones enim evangelizationis et christianizationis in Ecclesia facile mutantur volventibus saeculis, et eadem ratione structurae organizationesque ecclesiarum mutari debent.

Dynamismus ille missionalis intensior appareret, nam hoc sensu, si doctrina schematis impletur, tota Ecclesia totusque populus Dei *duplicata ratione* missionalis evaderet:

a) generali nempe munere apostolatus intra ipsam Ecclesiam;

b) strictiore officio saltem cooperationis ad missiones proprie et stricte dictas.

Et sic activitas proprie missionalis atque directae evangelizationis melius inserta videtur in missione generica et totali Ecclesiae.

II. Circa alterum punctum, vellem uno verbo attentionem dirigere circa aliam seriem textuum, qui meo humili iudicio aliquali emendatione indigent.

Cum enim schema tam recte distinguat munus missionis Hierarchicum, quod ex Christi mandato commissum est Pastoribus, a munere et officio missionis totius populi Dei, quod exerceri debet a fidelibus ex generali eorum sacerdotio, primum autem munus evangelizandi totum mundum schema directe et inmediate assignat, et quidem quatuor vicibus, corpori seu collegio episcoporum, utique cum Summo Pontifice et eo praeside (cap. I, n. 5, pag. 7, linn. 12-21; n. 6, linn. 38-40; cap. IV n. 27, linn. 33-36; cap. V n. 36, pag. 25, linn. 16-20).

Haec autem non videntur concinne dicta nec secundum rectam doctrinam collegialitatis promulgatam in const. *de Ecclesia*. Munus missionis hierarchicae in ministerio ac potestate Magisterii fundatur, eique adamussim correspondet. Ibi autem docebatur supremam potestatem magisterialem ac regiminis supra universam Ecclesiam prius et immediate atque independenter a collegio competere Petri Successori ac Ecclesiae Capiti et supremo Pastori.

Consequenter in constitutione *de episcopis*, n. 6, expresse declaratur episcopos, praeter munus pastorale quo directe pollent in propria ecclesia, qua collegii membra « participes esse sollicitudinis universae Ecclesiae » (nn. 5, 6), ideoque in opere evangelizationis totius mundi adlaborare debent (n. 16).

Non igitur recte in nostro schemate dicitur onus missionis portandae in universum mundum primario et immediate competere episcopis, etiam qua unitis et sub Capite Collegii; sed restat in vigore illud quod declaratur in Iure Canonico, can. 1350: « Universa missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicae unice reservatur ». Dum singuli Ordinarii dicuntur habere « commendatos sibi in Domino » omnes non catholicos propriae dioecesis (can. 1350, 1).

Amplius autem ex declaratione doctrinae de collegialitate atque ex « Motu proprio » Pauli VI constituente Synodum Episcoporum scimus omnibus episcopis incumbere, praeter curam directam erga non credentes suae dioecesis, « participationem in sollicitudine universae Ecclesiae », atque proinde in corresponsabilitate evangelizandi totum orbem.

Certe videmus in fine Relationis emendationem iam factam, in sensu istius doctrinae, n. 27, in parte spectante ad reorganizationem dicasterii De propaganda Fide. Sed adhuc remanent emendandi praedicti quatuor numeri quantum ad initium seu primam alineam ipsorum, scil.: Declaretur quod munus primarium circa universum gregem dominicum, et inde onus missionis in universum mundum, immediate incumbit Petri Successori; collegio autem

episcoporum haec circa totum orbem sollicitudo missionalis extensive competere, sub cura nempe et regimine Summi Pontificis.

Nemo enim non videt quanti momenti sit haec proposita correctio et accuratior declaratio supremi muneris missionalis in mundum, prout semper fuit intellectum in Ecclesia, ut debita harmonia et cohaerentia doctrinae habeatur inter omnia documenta Concilii.

12

Exc.mus P. D. DOMINICUS ROMUALDUS BASILIUS ATHAIDE
Archiepiscopus Agraensis

I. Gaudeo quod rev.mus P. Iohannes Schütte, in sua relatione circa schema *de activitate missionali in Ecclesia,* dixit: « Vocem missionem adhibentes, intendimus ipsam essentiam Ecclesiae, vitale eius incrementum: non eius incrementum numericum tantum, sed internam dilationem Corporis Christi Mystici ».

Haec notio, in ipsum schema inseri deberet. Etenim, missionarii non sunt proselytorum factores. Nos, non tam numerum quam qualitatem quaerimus. Omnino necesse est insistere in hoc, praesertim, cum non pauci aestiment missiones, et ipsos quoque missionarios, ex numero « conversionum » ab eis factarum. Quod certe est falsissimum criterium.

Ipsis fidelibus, in regionibus christianis degentibus, exactam notionem operis Missionum tradere debemus. Commentarii et periodici missionales, in vera notione propaganda adiuvare debent: scil., oportet, ut hi periodici non solum petant auxilia ad necessitates materiales missionum sublevandas, sed etiam mentibus christianorum veras rationes seu motiva Missionum insinuent et inculcent, Ecclesiae documenta de Missionibus publicando, et congruis explicationibus illustrando. Missiones semper egebunt adiumento materiali fidelium in regionibus christianis degentium; sed multo magis egent studiosos et ferventi adiumento et cooperatione catholicorum, ad permanentes fines et proposita Missionum in effectum deducenda.

II. Saepe, in ipsis regionibus missionalibus, audimus et ipsos missionarios dicentes: « Talis Pater est missionarius. Talis religiosa Soror in opere missionali occupata est »; quibus verbis significare volunt tantummodo illos veros missionarios esse, qui in directo opere conversionum occupati sunt, aut qui vivunt in parvis pagis, non quidem illos alios qui in urbibus laborant aut qui occupati sunt in laboribus apostolatus indirecti.

Eiusmodi falsae distinctiones deplorandae sunt. Primo, quia non innituntur in Summorum Pontificum doctrina de Missionibus. Deinde, quia sic-restricta significatio verbi « missionarius » de tota notione seu idea Missionum falsum aspectum offert, et operis missionalis fines et proposita deformat.

Omnis quidem sacerdos, frater vel soror in Missionibus laborans, necessario est missionarius, ac semper talem se sentire, et qua talis operari debet in quocumque munere ei ab oboedientia commisso. Periculum re vera est in singulo missionario qui obliviscatur se esse apostolum.

Missionarii semper ad hunc finem laborare debent, sive singillatim sive coniunctim, ut Christi lucem et beneficia quae ipsi acceperunt, cum aliis communicent; ut secundum rerum et locorum adiuncta Christum praedicent, omnem occasionem arripientes ut Eum annuntient et notum faciant, modo quidem illuminato, et hominibus apud quos loquuntur et agunt accommodato.

Nos, missionarii, nunquam opus habemus nos excusare quod sumus missionarii; nam, nos sumus « boni nuntii » praecones, praedicatores quidem « evangelii », quod solum potest homines illuminare, eisque veram beatitudinem afferre.

Hac de causa, missionarius nunquam debet animum despondere, quicunque sint exitus externi et visibiles sui laboris. Verus successus in Dei manibus est. Periculum et peccatum consistit in deserendo et omittendo labore. In omni actione missionali, prorsus necessarium est, ut quilibet missionarius, genuino spiritu apostolatus profunde infusus sit, sibique persuasissimum habeat se Ecclesiae « vitale incrementum, nempe internam dilatationem Corporis Christi mystici » promovere, etiam si nullum aestimabile « incrementum numericum » subsequatur. Quicumque pro Christo et in Christo laborat, nunquam patitur ruinam. Etenim nostrum est, consilia capere et futura praevenire; sed capere consilia eo spiritu qui prudenter conflatus sit ex fide et ratione.

III. Schema optimo iure insistit, ut Missionarii probe instituantur in variis scientiis, et ut spiritualiter bene formentur. Affert etiam indicem rationum activitatis missionalis (pag. 9, lin. 7): « Ratio autem missionalis activitatis Ecclesiae, maxime deducitur ex proposito Dei ... ut universi ex quibus genus humanum constat, unum populum efforment Dei, in unum corpus coalescant Christi, in unum coaedificentur templum Spiritus Sancti ».

Haec omnia pulchra sunt. Sed ego semper miratus sum, cur obliviscimur notionem « Familiae Dei ». Nonne sumus filii Dei per baptismum in Christo? Nonne invocamus Deum: Abba, Pater! Mea quidem sententia, homines nonchristianos magis delectabit cognoscere se a Deo amari, Eumque nihil aliud velle nisi ut omnes fiant sui filii, seque Patrem appellent, quam pertinere ad societatem quae « Populus Dei » appelletur.

Maxime in Oriente, apertus dialogus cum non-christianis omnino necessarius est. Non-christianus, non tam ponderosis argumentis, quam sincero amore nostro erga eum movebitur. Ille animi habitus S. Francisci Assisiensis, qui se omnium rerum creatarum fratrem se sentiebat, quod Deus omnium communis Pater esset, etiam hodie validus est et eum imitari debemus.

Saepe, in collationibus missionalibus, ponitur quaestio: « Quae est illa optima methodus missionalis, quam tenere oporteat? » Utinam ego aut alius

quivis id sciret! Certe, per conamina, accurate sapienterque praeparata et ordinata, multae res ad effectum deductae sunt. Sed maximi momenti et maxime necessarius est, hic ipse sincerus amor erga proximum nostrum; qui si Deus ipse eum amat, quis sum ego ut eum minime amem? Saepe loquimur de adaptatione ad mores et vivendi rationem illius populi apud quem missionarius laborat. Sed maxima adaptatio, et omnino necessaria in labore missionali est adaptatio cordis ipsius missionarii ad corda illius populi.

Sed hoc non tam facile est. Quia unusquisque nostrum gloriatur de sua natione, de sua patria, de cultura hereditate accepta. Hoc quidem dignum est et laudabile. Sed ex hoc ipso sentimento, oritur aliquando « complexus superioritatis » erga alios, praesertim erga gentes minus cultas; quae animi dispositio cito percipitur et operi missionali maximo est nocumento, quia nemo amat hominem, spiritum patrocinii praebentem.

Conclusio. Quare ego censeo, ut in textum, in suis locis propriis, inserantur haec puncta:

1. « Meminerint missionarii laborem suum esse partem et portionem essentialis obligationis Ecclesiae, se in eo elaborare, ut Ecclesiae " vitale incrementum, non eius numericum incrementum tantum, sed internam dilatationem Corporis Christi mystici " promoveant ».

2. « Eorum animi dispositio erga gentes apud quas operantur, sit profundae intelligentiae, et amicitiae et amoris, harumque bonas qualitates magni aestiment ».

3. « Missionarii ne laborent intuitu exitus externi et visibilis, ita ut animum despondeat si res minus prospere procedant. Eius munus est plantare et rigare, Dei est incrementum dare. Sed sit semper magis conscius quanti momenti sit vocatio sua, et curet verum apostolatus spiritum in se magis magisque augere, in diversis activitatibus, ei ab oboedientia commissis ».

* * *

Superiore anno, cum schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* tractaretur, locutus sum, nomine Hierarchiae Indiae, et dixi quanti momenti esset in Missionibus, ut Sodales Congregationum Religiosarum, praecipue Sororum, qui in scholis et institutis educationis egregiam operam navant, vias et modos inveniant ad opera quoque socialia extra conventuum suorum parietes suscipienda.

Praesens schema, in cap. V, n. 38, de missionalibus obligationibus Institutorum perfectionis agens, Instituta vitae activae exhortantur ut, sive habeant finem stricte missionalem sive non, actionem suam ad terras Missionum extendant; immo ut certa opera ab eis suscepta aliis relinquant, et vires suas in Missiones impendant. Vehementer insistit, ut etiam Constitutiones suas, si opus fuerit, mutent et corrigant, ita ut sodales, secundum suam cuiusque facultatem, actionem missionalem participare possint.

Si religiosae congregationes in Europa et America existentes ita invitantur

ad activum laborem missionalem suscipiendum, quanto magis necessarium est, ut Congregationes quae iam sunt in Missionibus, et multo etiam magis Congregationes quae in ipsis Missionibus ad activum laborem fundatae sunt, vivendi modum et praecipue horaria sua ita accommodent, ut in Ecclesia Dei utiliora instrumenta evadere possint?

Profecto, in n. 30, schema *de activitate missionali* haec habet: « Quae, omnia, cuiusvis sint generis, in universis quae ipsam activitatem missionalem spectant, obsecundent Ordinario loci ».

Et schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* prudenter dicit in n. 3 (ubi de criteriis practicis accommodatae renovationis): « Ratio vivendi, orandi et operandi etc. ... apostolatus necessitatibus, culturae exigentiis, circumstantiis socialibus et oeconomicis, ubique, *praesertim in missionum locis,* apte conveniat ».

Quamvis haec generalis exhortatio in se bona sit, sentio tamen eam non esse satis; nam experiendo didicimus valde parum opere impletum iri, quamvis multum dicamus et petamus sine intermissione. Sunt enim Congregationes Religiosae, quae intra parietes domorum suarum, egregiam operam praestant in campo educationis; quae tamen nunquam invenient tempus nec sodales ad opera socialia extra domum suam, ne in proxima quidem vicinitate suscipienda.

Conclusio. Quam ob rem, ego censeo ut in cap. IV, haec inserantur: « Sodales Institutorum Religiosorum, tam virorum quam feminarum, fiant conscii omnium necessitatum in Missionis campo ubi ipsi laborant; et corde magno et animo volenti co-operentur cum Ordinario, in diversis activitatibus Missionis, factis, si opus erit, opportunis adaptationibus in suis Constitutionibus, ita ut vitale incrementum Ecclesiae plenius participent ».

13

Exc.mus P. D. ANGELUS BARBISOTTI

Episcopus tit. Cauniensis, vic. ap. Esmeraldensis

Schema hoc longe praestat illi quod anno superiore in aula propositum est. Attamen mihi liceat duas animadversiones facere.

I. Schema iterum urget institutionem « Consilii Superioris Missionalis ». Iam in adnotationibus, quas commissioni tradideram, admonueram, ut video, una cum aliis multis Patribus, propositum hoc valde inopportunum et iniuriosum esse: *a*) Inopportunum quidem eo quod alterum Institutum in Ecclesiam introduceret, de quo nesciebamus heri, neque hodie scimus utrum supra, intra, infra, extra, pro vel contra Congregationem de Propaganda Fide sit. *b*) Iniuriosum autem, eo quod « planificatio », quae dicitur, actionis missionalis Ecclesiae ad Congregationem de Propaganda Fide pertinet, quae hoc munus laudabiliter explevit.

Quod si quaestio fit de via ac ratione, idest, de methodo agendo, res opportune Summo Moderatori Romanae Curiae committitur, qui per se absque dubio consulere valet ut finis actionis missionalis efficacius et plenius attingatur.

Minus autem decet, ut mihi videtur, inferiorem sive precibus sive consilio, superiorem veluti compellere ut aliquid faciat.

Existimo igitur non esse cur hoc Consilium Romano Pontifici instituendum proponatur. Iis enim omnibus quae iuris atque arbitrii essent huius consilii missionalis, satis superque consulere potest consilium episcoporum, quod ad hoc natum est ut Summo Pontifici ea subiiciat quae utilitati Ecclesiae prosint. Itaque praestet in schemate consilium, ut ita dicam, « planificationis », silentio praeterire.

II. Altera animadversio spectat ad notionem « Missionis ». Ut mihi videtur, nonnulli redactores et multi oratores in aula conceptum « Missionis » nimis coarctant, ita ut nomen « Missionis » iis tantummodo regionibus tribuatur, ubi pagani vel mahumetani habitant. E contra sunt et aliae multae regiones, quae, merito, nomine « Missionis » vocari debent: hoc valet quoad plurimas circumscriptiones in America Latina, quae hodie quidem nomine « Archidioeceseos vel Dioeceseos, vel Praelaturae nullius » decorantur, sed potius, omnibus perpensis, « vicariatus apostolici » appellandae essent et ut tales tractandae.

Itaque, mea sententia, nomen « Missionis » seu « Ecclesiae inchoatae » iis omnibus regionibus tribuendum est, quae clero autochtono omnino vel fere omnino carent.

Territoria haec iis omnibus sacerdotibus externis, auxiliis etc. indigent, quibus Missiones proprie dictae egent; et tamen omnibus commodis carent quibus territoria missionaria gaudent.

En alia ratio. Nomine « Missionis » pro locis, de quibus supra, retento, pastores et christiana plebs vehementer excitarentur ad instituendum seminarium et clerum autochtonum fovendum, ut quam citius eae circumscriptiones ad statum « dioeceseos » evehi possent.

Supradictis territoriis spatium viginti fere annorum tribuerem, ut ea parent quae necessaria sunt ad consequendum « statum dioeceseos ».

Itaque audeo proponere ut duplex sectio in Congregatione de Propaganda Fide si Domino Papae placuerit instituatur: altera pro locis paganorum, altera pro locis ecclesiae inchoatae, ut sunt multae dioeceses et fere omnes praelaturae nullius in America Latina, ita ut hae quoque iis omnibus auxiliis suppeditantur, quae necessaria sunt ut ad perfectionem et plenitudinem vitae ecclesiasticae perveniant.

14

Exc.mus P. D. STANISLAUS HAMILCAR BATTISTELLI

Episcopus Teramensis et Hatriensis

Pag. 13, lin. 29: Hic sermo est de catechumenis qui « inde ab initio sentiant se esse *membra* populi Dei ». *Attamen*: in constitutione dogmatica *de Ecclesia* data opera et magna cum cura evitatus est terminus « membrum » in eiusdem applicatione concreta ad illos qui aut baptizati non sunt aut baptizati vivunt extra Ecclesiam visibilem supra Petrum eiusque successores fundatam.

Non ergo convenit ut contra explicitum intentum constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* terminus « membrum » in decreto *de activitate missionali Ecclesiae* dicatur de illis qui adhuc catechumeni sunt et ergo non iam per baptismum in Ecclesiam incorporati. Dicatur ergo potius « sentiant se pertinere ad populum Dei » vel aliquid simile.

Pag. 16, lin. 34: Agens de vita religiosa promovenda — quod sane placet — schema *de activitate missionali Ecclesiae* functionem vitae religiosae in Ecclesia describit et in hoc contextu statuit: vitam religiosam *praeprimis* lucide manifestare et significare intimam vocationis christianae naturam. *Attamen*: petentibus multis centenis Patribus conciliaribus ex priore quodam schemate *de Ecclesia* data opera expuncta est expressio quod « vita religiosa *imprimis* valorem signi habet » (cf. Relatio de n. 44, D: schema constitutionis *de Ecclesia,* anno 1964, pag. 163, D, 162 C, et praesertim Relatio Generalis, ibid., pag. 173, 4).

Haud ergo convenit ut contra explicitam intentionem constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* in decreto *de activitate missionali Ecclesiae* adhuc dicatur vitam religiosam praeprimis habere valorem manifestandi et significandi.

Aptiores descriptiones facile hauriri poterunt ex textu definitivo cap. VI constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* vel ex prologo et textu schematis *de accommodata renovatione vitae religiosae.*

Pag. 19, lin. 9: Hic res ita proponuntur ac si homo qui vocationem missionariam habet, illa *per totam* vitam vocetur. *Attamen*: in eodem decreto *de activitate missionali Ecclesiae,* et quidem in pag. 26, lin. 1, sermo fit de illis sacerdotibus et aliis qui laudabiliter pro tempore aliquot annorum ad terras missionum proficiscuntur ut ibi Ecclesiae serviant.

Sed rectum non esse videtur ut illis generosis viris denegetur quaelibet vocatio stricte dicta missionaria. Necessarium ergo esse videtur ut haec apparens contradictio duorum locorum eiusdem decreti eliminetur, et quidem hoc modo ut doctrina in pag. 19, lin. 9, proposita ita modificetur ut sententia theologice perfecte respectabilis de vocatione temporanea ad ministeria missionaria congrue servetur.

[*Subscripsit etiam*] Ioseph Cognato, ep. tit. Farsala.

15

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

In genere: 1. Admodum placet principium generale schematis. Ideae hic expositae relate ad priora schemata progressum notabilem denotant. Schemati insuper infusa est nota ac orientatio pastoralis. Modus praesentandi doctrinam generaliter positivus et actualis est. Tamen, nobis videtur, caput I non habere eamdem vim eandemque expressionis vigorem ac sequentia capita.

2. Laudabile est propositum adaptandi laborem missionalem ad conditiones praesentes. Sed schema unum ex « signis temporum » negligit, quasi totaliter omittendo considerationem operis mulierum in activitate missionali. Hoc signum temporis refulget in attentione universa quae problemati sacerdotii mulierum tribuitur a theologis Ecclesiarum a nobis seiunctarum et a theologis catholicis. Relucet etiam in servitiis extraordinariis quae a religiosis mulieribus praestantur in aliquibus territoriis valde remotis, ubi directionem paroeciarum practice assumunt. Relucet denique in recognitione nunc generalissima aequalitatis personalis inter virum et mulierum. Propterea optandum est ut formuletur « theologia ministeriorum » necnon et legislatio canonica huic theologiae adaptata, in quibus consideratio de mulieribus habeatur. A conferentiis episcopalibus, in consultatione cum Sancta Sede, studium instituatur, sub aspectibus biblico et theologico, de possibilitate committendi mulieribus, tum religiosis tum laicis, aliqua ministeria a sacerdotio distincta, praesertim in campo missionali.

Prooemium. Pag. 5, n. 1, linn. 4-7. Proponitur textus novus: « Ipsi enim apostoli, quos "Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei" (*Act*. 20, 28), vestigia Christi sequentes, "praedicaverunt verbum veritatis et genuerunt Ecclesias". Ad eorum successores pertinet hanc missionem continuare ut "sermo Dei currat, et clarificetur" (*2 Thess*. 3, 1) et Regnum Dei ubique terrarum annuntietur ». (cf. *Act*. 6, 7; 13, 48 s.; *Tit*. 1, 3 et 5). *Rationes*: 1. Prooemium vi dynamica caret, etsi in se ordinatim procedat. 2. Ad linn. 4-5 quod attinet, melius esset afferre imaginem, etiam scripturisticam, ipsius missionis et pastoratus, potius quam ideam structurae Ecclesiae, quae hic aspectum extrinsecum prae se fert et verbo Dei extranea apparet. 3. Ad linn. 6-7 autem, utinam explicitius diceretur quod iam tempore Apostolorum eorum successores immediatos missionem suam ab ipsis Apostolis accepisse (cf. *Tit*. 1, 5).

Cap. I: *De principiis doctrinalibus. In genere*: In hoc capite fundamentum theologicum activitatis missionalis Ecclesiae satis abstracte nec sufficienti vigore proponitur. Etsi notio missionis in Proposito Dei Patris optime radicetur, non tamen elaboratur verbis Sacrae Scripturae imbutis, quod prae-

sertim n. 2, initio n. 3 et n. 5 patet. Nobis videtur melius esset loqui modo magis biblico et concreto, et historiam salutis saltem breviter considerare.

Pag. 5, n. 2, linn. 20-21. Supprimantur, ut superflua, haec verba « qui, cum sit Principium... originem ducunt ».

Pag. 6, n. 3, linn. 1-15. Decem primae lineae, quae de Dei proposito aguntur, magis logice sub n. 2 ponantur; linn. 11-15 melius inserantur post lin. 22. Paragraphus de Missione Filii exinde melius inciperetur a lin. 16, et substantialiter servanda est.

Pag. 7, n. 4, lin. 16. Supprimantur verba « et sic dispersionem Babelicam superat ». *Ratio*: videtur quod non respondet exegesi de hac materia biblica. Insuper non placet usus imaginum ex Patrum exegesi demptarum quae explicatione nova indigent.

Pag. 7, n. 5, lin. 21. Loco « Ecclesiaeque visibili Capite » dicatur potius « et Christi Vicario ». *Ratio*: expressio « visibilis Caput Ecclesiae » pro multis remanet ambigua. Ita subintelligi potest, saltem a non catholicis, quod Ecclesia regitur a duobus capitibus, scl. ab una visibili et ab alia invisibili. Quod absit. Summus Pontifex analogice dici potest Ecclesiae dux et caput, et in sensu quod visibilem et actualiter praesentem Christum Caput reddit, et eius nomine operatur. Numquam autem in sensu substitutionis vel additionis affirmatur de Summo Pontifice quod sit Caput Ecclesiae.

Pag. 7, n. 5, lin. 24. Supprimatur verbum « messianicus » quia inutile, et diversimode sumi potest.

Pag. 7, n. 5, lin. 27. Post verba « ... et pacem Christi adducat », claritatis causa, incipienda est nova sententia: « Ita eis via libera ac firma patefit ad... » etc.

Pagg. 7-9, n. 6. Optime et fuse exponuntur omnia *externa* elementa activitatis missionalis Ecclesiae. Nonne excessive ab extrinseco consideretur inceptio missionalis activitatis?

1. Non omnino placet imago et appellatio conditionum in quibus missio primo exercetur, nempe *plantatio* (cf. pag. 8, linn. 15 et 34; etiam pag. 14, lin. 33 et pag. 15, lin. 5). Alia autem mentalitas apparet in n. 20 (pag. 18, linn. 5-10), ubi potius vita *interior* Ecclesiae describitur. Expressio optima quoad activitatis missionalis inceptionem invenitur in schemate *de apostolatu laicorum,* pag. 32, n. 11, linn. 33-35: « ... prima Evangelii sparguntur semina, vel Ecclesia in suis primordiis exsistit, ... ».

2. Extrinsecismus etiam notatur in usu praepositionum « *erga* populos » (lin. 31) et « *erga* fideles » (lin. 43), et etiam « *apud* gentes » (lin. 35). In tribus locis substituatur oportet per praepositionem « *in* ».

Pag. 8, n. 6, lin. 15. Si servatur hic modus loquendi de inceptione activitatis missionalis, loco « plantationis » dicatur « implantationis », quod missionalis activitatis aspectum interiorem melius connotat.

Pag. 8, n. 6, linn. 33-35. Nova sententia proponitur: « Finis proprius activitatis huius missionalis est prima Evangelii semina spargere et Eccle-

siam implantare in gentes in quibus nondum radicata est ita ut ubique in mundo sufficienter exsurgantur Ecclesiae autochtonae particulares, viribus quidem... ». *Ratio*: ut immediate supra notatur.

Pag. 9, n. 7. Tota paragraphus inspiratione et motivatione dynamica non caret. Adhuc perficeretur si res magis nervose et concise diceretur.

Pag. 10, n. 9, linn. 20-30. Quae hic dicuntur non vere ad rem videntur. Aspectus eschatologicus, sicut innuitur lin. 35, adhuc perficiendus est per assertionem in Epistola ad Romanos patentem: donec missio seu populorum redemptio adimpleatur, gloriosus reditus Christi fieri non potest (cf. *Rom.* 9-11, et praesertim 11, 23-32).

Pag. 13, n. 14, lin. 19: 1. Loco expressionis « a daemone » rectius diceretur « ab operibus diaboli ». *Ratio*: aliter innuitur quod de vera possessione daemonis agatur. 2. Deleantur etiam citationes (nota 4) Matthaei, Marci et Lucae, quia ad possessiones diabolicas deferuntur. Rectius enim citaretur hic s. Ioannes in Evangelio (*Io.* 8, 44) et in Epistolis suis (*1 Io.* 3, 8-10; etc.).

Pag. 14, n. 15, lin. 15. Haec sententia « Splendescat... diversi ritus » melius in paragrapho peculiari collocaretur, cum referentia ad normas decreti *de Ecclesiis Orientalibus.* Insistendum etiam esset in hoc quod ad plenitudinem unitatis Ecclesiae convenientes ritum culturae propriae affinem facile amplecti possint.

Pag. 14, n. 15, linn. 17-19. Loco « fratres esse Christi discipulos, baptismate regeneratos » dicatur potius « fratres in Christo credentes esse Christi discipulos ». *Ratio*: non est hic locus describendi nexus inter in Christo fratres, sed requiritur solummodo discipuli ad Christum relationem in fide fundatam agnoscere, quia haec iam in Constitutione *de Ecclesia* optime elaborantur (cf. n. 15).

Pag. 14, n. 15, lin. 19. Post verbum « consortes » statuenda est cautio de proselytismo vitando. *Ratio*: Nulla detrusio nec competitio fiat in relatione cum Ecclesiis vel Communitatibus christianis a Roma seiunctis; multae autem abundant regiones ubi Christus non adhuc nominatus est (cf. *Rom.* 15, 19-21).

Pag. 14, n. 15, lin. 24. Expressio « fratribus seiunctis » melius dicatur hic « fratribus a se seiunctis ».

Pag. 14, n. 15, lin. 33. Loco « plantationem » scribatur « implantationem ». *Ratio*: ut supra n. 6.

Pag. 16, n. 17, lin. 3. Hic agitur de catechistis viris et mulieribus, quod iustum est. Dolendum tamen est schema non loqui de munere missionali mulierum nisi sub tali aspectu limitato, cum ampliora ministeria eis committi possent. Cf. nostrae animadversiones *in genere.*

Cap. III: *De missionariis.* Pag. 19, n. 22. Hic numerus, multis Sacrae Scripturae praeditus, magis ordinate procedere posset. Vide e. g. linn. 8-10 et 16-18.

Cap. V: *De cooperatione.* Pag. 25, n. 36, lin. 20. Deleatur expressio « et sub Petro » quia iam includitur in locutione theologica « cum Petro ».

Pag. 26, n. 37, lin. 37. Loco verborum « dogmaticis » et « moralibus » dicatur potius « theologicis ». *Ratio*: non est locus subdistinctionis inter disciplinas dogmaticas et morales. Nonne sufficit hic de ipsa theologia et unica scientia loqui?

Pag. 27, n. 39, post lin. 30. Optandum est ut S. Synodus clare dicat conatus et testimonium missionariorum incompleta manere sine participatione laicorum, virorum et mulierum.

Apud populos praesertim quorum indoles adhuc extranea manet dotibus supra-humanis Evangelii Christi, missionarii laici, pastoribus suis uniti, testimonium pernecessarium (essentiale) reddunt de habitudine Evangelii cum vita cotidiana humana; mysterium quoque communitatis ecclesialis et eucharisticae illustrant, ita ut, deficiente testimonio laicorum, conatus evangelizationis persaepe infructuosi manere possunt.

Conclusio. Pag. 28, lin. 21. Loco verbi « Romano » ponatur verbum « Summo ».

Pag. 28, linn. 21-34. Cur non adhibetur numerus ordinis (n. 40) ad conclusionem facilius designandam?

[*Subscripsit etiam*] A. Hacault, aux. S. Bonifacii.

16

Exc.mus P. D. HIPPOLYTUS BERLIER
Episcopus Niameyensis

Optimum est hoc schema, iuxta mentem constitutionis *Lumen gentium* necnon decretorum *de oecumenismo* et *de libertate religiosa.* Nam missio non ibi esse videtur activitas conversionis ubi numerantur baptismata, ubi maxima cura est statisticarum, sed missio apparet testimonium Dei qui homines diligit et vult omnes homines salvos fieri.

Si possibile est, plus instare oportet in valore verbi Dei pro missione in hoc sensu quod verbum Dei, Scripturis transmissum, valorem in se habet, corda aperit, transfigurat, illuminat et salvat.

Instare oportet in momento, ad testimonium perhibendum, vitae personalis et in communi ductae, quia, — ut saepius dictum est, — hominibus hodiernis plus important acta quam verba, ita ut praedicatio missionarii sit flatus vocis, et in derisionem aut blasphemiam vertatur, nisi sustineatur vitae et orationis exemplo. Vir sapiens indianus (Gandhi) christianis dicebat: « Attendite ut vita vestra potius nobis loquatur. Rosa lingua non utitur; nihil facit nisi odorem dat. Atqui caecus ipse, quin rosam videat, fragrantiam capit. Hoc secretum est evangelii rosae ».

Sed testimonium vitae communis maius est, cum Christus nobis dixerat: « Unum estote. In quantum vos in unitate vivetis, tantum mundus in Deum

patrem et salvatorem credet ». Testimonium communitatis missionalis in unitate, in amicitia, in paupertate et in spiritu magnanimitatis viventis, quibusvis demonstrationibus longe praestat. Si cardinalis dicere potuit Ecclesiam, quia libertatem religiosam renuerit, calamitatum in seipsa causam fuisse, verum etiam est divisiones unitatisque carentiam, sterilitatis et regressionis causas activitati missionali fuisse.

Oportet in schemate indicare necessitatem in qua sunt missionarii, ut forment veras sacerdotales communitates, quia sacerdotium nostrum communitarium ex natura est, et in solido iudicabimur. Itaque missionarii non possunt non simul ut fratres vivere, non simul cogitare, simul laborare, simul orare.

Ecclesia mater et magistra, docendo mater manet, faciens veritatem in caritate. Atqui schema non satis ostendit Ecclesiam ancillam et pauperem, Populum Dei per historiam hominum ad regnum peregrinantem, Ecclesiam quidem, quae non inspicit misericordiose illis qui vivunt in umbra mortis, sed, exemplum Christi sequens, omnes homines cum veneratione et amore invenit et eis servit.

Officium mutui adiutorii in re materiali, sociali aut culturali non solum est medium in praeevangelisatione, sed ad ipsam naturam missionis pertinet.

Oportet etiam dicere missionarium qui, per totam vitam, testimonium praebet inter gentes non christianas sed fraterne dilectas, in caritate, servitio et oratione, sine proselytismo, illum esse verum missionarium, non tantum praemissionarium. Siquidem Christus tempus non in vanum egit per triginta annos, suis manibus laborans, etsi non plus quam tres annos praedicavit. Nam vita abscondita Christi non solum ad vitam publicam ordinatur, sed mysterium nativitatis et mysterium Nazareth momentum habent quia incarnatio in eis completur et redemptio initium capit. Iam Regnum Dei in nobis est, cum bonum nuntium sit Deum esse caritatem.

Oportet etiam schema in mente revocare missionarium non dare tantum sed multa recipere atque caritatem nasci et crescere per dialogum, mutuum colloquium. Occasione nacta suae peregrinationis in Bombay, Paulus VI dixit se moveri et aestimare credentium indianorum spirituales valores, asserens aliquid post hoc colloquium in se mutatum esse. Pluries ostendit se diligere et venerari nostros fratres muslimos, et hoc, nonobstantibus iudiciis falsis et tenacibus e circumstantiis politicis et historicis ortis. Nos qui inter muslimos vivimus, dicere possumus, — nam verum est, — quam saepe missionarios motos et roboratos esse, in Muslimis cum gaudio invenientes fidem profundam, totam in Deo confidentiam, caritatem erga fratres, reverentiam in personam humanam, generositatem in hospitalitate. Itaque etsi non semper praeteritis temporibus accidit, nunc decet, — secundum philosophum non christianum, — religionem quamvis iudicare in optimis membris, qui sunt sancti. Et hoc etiam ad gloriam Christi quia scimus eum, antequam in fine recapitulabit omnia in se, nunc venientem in mundum, omnem hominem illuminare.

Schema loquitur de missionariis anxiis ut fratribus fidei donum communicent. Missionarius enim est praecursor qui nuntiat in vita et verbo evangelium amoris Christi, sed fides donum Dei gratuitum semper manebit. Attamen qui iam fratres diligunt et actibus amorem probant, in lumine manent, etsi nesciunt.

Oportet mundum dicturum esse de missione quod papa optabat de concilio dicturum: « Quid tunc faciebat Ecclesia? Amabat ». Episcopus, caput missionis, cum presbyteris eidem sacerdotio Christi participantibus, cum religiosis et laicis in se manifestabit definitionem quam sanctus Ambrosius pro episcopo dicit: Vicarius amoris Christi.

Pag. 19, lin. 40, addatur: « Magni faciat vitam in communi ductam et testimonium caritatis fraternae ut gentes ad fidem adducantur, secundum verba Domini: Ipsi in nobis unum sint ut credat mundus quia tu me misisti (*Io.* 17, 21) ».

Pag. 11, lin. 13, deleatur titulus « de praeambulis evangelisationis » et dicatur « de evangelisatione per vitam et facta ».

Pag. 11, lin. 34: addatur: « Sciant etiam et grati sint seipsos multa recipere et bona per dialogum institutum cum non christianis ».

Pag. 12, linn. 1 ss.: legatur: « Praesentia christifidelium in coetibus humanis veram activitatem missionalem constituit; si illa caritate animatur ... ».

P. 12, linn. 33 ss.: legatur: « Ubicumque Deus aperit ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi » (*Col.* 4, 3), omnibus annuntietur ... *Ratio*: ne dialogus cum non christianis de quo n. 11 et praesentia caritatis de qua n. 12 videantur stadia praeliminaria et necessaria.

17

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS BIANCHI
Episcopus Sciiamchiamensis

Loquar nomine plurium Patrum. Schema de activitate missionali in hac novissima redactione indubie melius quam praecedens nobis esse videtur, praesertim quia in lucem profert munus missionale episcoporum totiusque populi Dei.

Principium quo episcopi omnes, sive singulatim sumpti sive ut membra corporis episcoporum collegio apostolorum succedentis, non solum pro aliqua dioecesi, sed pro totius mundi salute consecrati sunt, maximi momenti est, nobisque magnam spem affert de operis missionalis expansione ac dilatatione.

Nunc autem, ne tanta evanescat spes, quaestio urget de vocationibus missionalibus. Nam, nisi ope Ecclesiarum iam rite fundatarum, missionalium operariorum numerus, tangibile incrementum capiat, opus evangelizationis mundi nullum vel parvum profectum videbit.

Ego sum episcopus dioecesis missionalis de Hongkong; cotidie ante oculos habeo miserrimam conditionem Ecclesiae sinensis quae orationibus tantum hodie adiuvari potest. Sed quando ianuae tandem patebunt, undenam inveniri poterunt operarii ad evangelizandos plus quam sexcentos milliones Sinensium?

Nec oblivisci possumus conditionem in Regionibus Asiae ubi opus evangelizationis libere exerceri potest. Scimus enim quomodo post viginti saecula a mandato divino apostolis dato: « Euntes in mundum universum ... » in gremio Ecclesiae invenimus non plus quam triginta quinque milliones Asiaticorum, dum demographica studia hodie nos admonent in Asia non-christianos quasi eodem numero quotannis crescere.

Quomodo talem miserrimam conditionem sanare possumus?

Quomodo poterimus Evangelium omnibus mille octingentis millionibus Asiaticorum nuntiare, cum tantum duodecim millia sint sacerdotes inter eos?

Neque praetermittenda est sacerdotum necessitas in plurimis florentibus regionibus Africae et in aliis clero carentibus Americae Latinae.

Oportet proculdubio super omnia ut citius et copiosius missionariorum augeatur numerus.

Novum schema bene loquitur de sacerdotibus dioecesanis, qui in actuali fervore missionali, non pauci se consecrare in servitium novellarum Ecclesiarum vel Missionum cupiunt, modo iam a Summo Pontifice Pio XII in Encyclicis Litteris *Fidei donum* pro Africa proposito.

Experimentum hoc in aliquibus missionibus in actu iam est, fructus afferens bonos.

Sunt sane sacerdotes qui per aliquot annos tantum missionibus donari possunt, quod et utile et forsan providentiale erit ad particularia officia explenda, speciatim ubi facilitas idiomatis vel affinitas culturae permittunt. Sed in multis regionibus missionalibus, speciatim in Asia operarius evangelicus post diuturnam communionem et perseverans linguarum studium tantummodo utilem poterit operam dare.

In n. 36, pag. 25-26, mentione facta necessitatis operariorum in vinea Domini et bonae dispositionis sacerdotum dioecesanorum, sic Episcopi adhortantur: « Sancta Synodus exoptat ut episcopi, gravissimam considerantes penuriam sacerdotum qua evangelizatio multarum regionum impeditur, aliquos e melioribus suis sacerdotibus, debita praeparatione peracta, ad dioeceses clero carentes, generatim ad tempus, mittant, qui in terris missionum spiritu servitii laborent ».

Hanc solemnem invitationem Concilii Oecumenici Vaticani II, ad episcopos communitatum christianarum, audacioribus et strictius cogentibus verbis exaratam velimus.

Eliminanda ergo putamus verba: « generatim ad tempus » vel mutanda in: « saltem ad tempus ».

Optandum etiam est ut hoc munus Episcoporum relate ad missiones non reducatur ad mittendos simpliciter « *aliquos* e melioribus suis sacerdotibus »,

sed ut ipsi episcopi toto corde participantes sollicitudini omnium Ecclesiarum, mittant omnes quos possunt sacerdotes sine gravi detrimento suae dioecesis.

Hoc humiliter sed fidenter peto, cum certus sim episcopos confratres propria experientia scire Divinam Providentiam semper auxiliari largiter donantibus, iuxta illud: « Date et dabitur vobis ».

Alia permittatur mihi animadversio: intra sacerdotes dioecesanos qui operam dant pro munere missionali Ecclesiae in longinquis regionibus, plerique uti dioecesani sacerdotes hoc opus suscipere cupiunt, conventione facta cum Ordinario loci missionis.

Notae sunt autem difficultates quae ipsis occurrunt in hac nova apostolatus forma, et episcopi eos mittentes iure solliciti sunt de mediis validis ad eos formandos et adiuvandos, ut convenienter et efficaciter suo munere fungi possint.

Ad hoc, in quibusdam nationibus seminaria erecta sunt quaedam ad efformandos sacerdotes dioecesanos, qui non amissa incardinatione propriae dioecesis, se dare operi missionali cupiunt.

Quae praxis autem non est nova in Ecclesia Dei.

Meminisse iuvat Societatis Parisiensis pro Missionibus ad Exteras Gentes, quae ab episcopatu gallico non uti Congregatio a se fundata est sed uti seminarium ad efformandos et mittendos sacerdotes qui dioecesani manere cupiebant.

Simili modo, saeculo praeterito, creatum est seminarium Lombardum ad Exteras Missiones, nunc Pontificum Institutum ad Exteras Missiones; et similiter in aliis nationibus factum est.

Quae seminaria pro Missionibus ab initio opera episcoporum fundata, ob rationes practicas, decursu temporis, in Instituta sui iuris ab Ordinariis locorum independentia facta sunt.

Ne nosmetipsos decipiamus, quaeso!

Etiam nova seminaria cleri dioecesani pro missionibus, quorum fundatio auspicatur in schemate, paulatim Instituta sui iuris proculdubio fient, si finem suum competenter adipisci velint.

Quae cum ita sint, mihi videtur schema non satis clare loqui, ubi conferentiae episcopales hortantur ad fundanda, si opus sit, seminaria cleri dioecesani pro missionibus. Forsam melius est distinguere hoc modo: *a*) fundentur seminaria cleri saecularis pro missionibus ubi adhuc non extant; *b*) ubi vero iam sunt Seminaria vel Instituta sacerdotum sine votis pro missionibus, hortentur haec Instituta ut libenter episcopis se praebeant paratos ad apte formandos et adiuvandos sacerdotes dioecesanos qui cupiunt se donare operi missionali.

Non est qui non videat ergo quomodo ita faciendo, dissipatio vitaretur virium, capacitates et experientiam Institutorum Missionalium sine votis apte adhibendo.

Instituta autem missionalia, ad pristinum finem reducta, complementum

naturale et quasi longa manus episcoporum regionum christianarum in explendo mandato missionali hoc modo reapse fiunt.

Agendo de munere missionali episcoporum, sinatis me adhuc unum verbum addere. Omnes sciunt quam sapienter episcopi Germaniae ordinaverunt opus « Misereor » quo, contributionibus totius populi christiani conantur famem debellare in sic dicto « tertio mundo ».

Multi episcopi missionarii possunt mecum grato animo testimonium reddere de magna utilitate huius cooperationis: his adiumentis fulcita, Ecclesia potest tandem aliquando suam partem sumere in nova societate humana aedificanda.

Forsitan opportune schema posset conferentiis episcoporum commendare erectionem operis huiusmodi, quo, salvis semper Pontificalibus Missionum Operibus, populum christianum urgeant ut suam partem gerant in solvenda problemata socialia in nationibus paupertate laborantibus. Hoc et Summus Pontifex Paulus VI etiam recenter valde commendabat.

[*Subsignaverunt etiam*] P. Massa, ep. Nanyang; G. Obert, ep. Dinajpur; A. Cerqua, ep. tit. Olbia; M. Civelli, ep. Weihwei; A. Pirovano, ep. tit. Adriani; A. Beretta, ep. Warangal; M. Quéguiner M.E.P.

18

Exc.mus P. D. NESTOR BIHONDA

Episcopus tit. Simininensis, aux. Gitegaensis

In n. 33 nostri schematis scribitur: « Cum tota Ecclesia missionaria sit, et opus evangelizationis officium populi Dei fundamentale, Sacra Synodus omnes ad profundam renovationem interiorem invitat, ut vivam conscientiam propriae responsabilitatis in Evangelii diffusione habentes, partes suas assumant in opere missionali apud Gentes ». Hic textus nobis valde placet et est maximi momenti.

Ut illustremus et corroboremur hanc paragraphum, de nostra situatione in regionibus missionalibus Rwanda et Burundi loqueremur. Quamquam praetendere nolumus quod haec situatio nostra sit unica in regionibus missionalibus, tamen est sat extraordinaria et est exemplum concretum ad paragraphum citatam.

Numerus totalis habitantium harum regionum fere est sex milliones, quorum iam duo milliones et dimidia baptizati sunt in Ecclesia catholica, plus quam dimidia millionis ex catechumenis constat, dum fere omnes alii adhuc animistae sunt.

Numerus totalis sacerdotum in his duabus regionibus est 550, quorum 350 tantum in ministerio paroeciali laborant.

Unusquisque sacerdos itaque qui in ministerio paroeciali laborat, curam habet catholicorum baptizatorum septem millia, catechumenorum mille quingentum, animistarum octo millia quingentum!

Immo, in aliquibus paroeciis olim conditis, tres sacerdotes curam animarum quadraginta millium baptizatorum habent!

Excellentissimi Patres! Problemata nostra gravis momenti sunt in regionibus nostris quae insuper maximae sunt natalitatis, eo quod triginta sunt nativitates per horam!

Propter hanc explosionem demographicam et propter numerum increscentem catechumenorum, problemata semper difficiliora evadunt. Primum horum problematum est pastorale: baptizati sacramenta recipere debent, visitari debent, verbum Dei ex ore sacerdotis audire debent — eo magis quod agitur de novellis ecclesiis.

Secundum est problema catechumenorum et animistarum!

Catechumeni instrui debent per quatuor annos ut fiat conversio mentis et morum!

Animistae sunt optimae voluntatis! Exspectant verbum Dei, sed quomodo credent sine praedicantibus missionariis?

En quaestio nostra: Quaenam est solutio problematum nostrorum!

Excellentissimi Patres! Instituta missionaria nobis mandant sacerdotes, iam sacerdotes locales habemus, quidam sacerdotes Fidei Donum in adiutorium nostrum venerunt, sed situatio tragica remanet in nostris regionibus. Faxit ut hodie sumatur solutio, crastina autem erit tardior! Hora iam est Africae uti dixit amantissimus Pater noster Paulus VI initio tertiae sessionis Concilii. Commotus necessitatibus tragicis Ecclesiae Africae, Sanctissimus Pater tunc exhortavit Ecclesiam Universalem ut adiuvaret Ecclesiam Africae, et nemo umquam dubitavit de responso quod Ecclesia daret his verbis augustis.

Nobis liceat tamen propositionem concretam facere ut verba Patris nostri communis plenius in effectu ducantur.

Proponimus creationem Seminarii Africani in quo iuvenes qui in Africae regionibus apostolico operi se adunare cupiunt, ad sacerdotium et suum ministerium praeparentur, et hoc ad instar Seminarii Americae Latinae. Hoc videtur medium inter alia efficax ut brevi tempore et modo stabili numerus sacerdotum nostrorum augeatur.

Excellentissimi Patres, confidentes expectamur responsionem Antiquarum Ecclesiarum Christianarum, quia Ecclesiae nostrae etiam et vestrae sunt.

[*Subscripserunt etiam*] A. Kozlowiecki, arch. Lusaka; A. Tarantino, ep. Arua; J. Fady, ep. Lilongwe; Ch. Msakila, ep. Karema; C. Davies, praef. ap. Ngong; E. Butler, ep. Mombasa; M. Otunga, ep. Kisii; R. Butibubage, aux. Mwanza; E. Mchonde, ep. Mahange; J. Jobidon, ep. Mzuzu; E. Lawton; M. Mihayo, arch. Tabora; R. Pailloux, ep. Fort Rosebery; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; H. Spiess, abb. Peramiho; D. Durning, ep. Arusha; V. McCauley, ep. Fort Portal; H. Thiandoum, arch. Dakar.

19

Exc.mus P. D. ADOLFUS BOLTE
Episcopus Fuldensis

De studiis cleri localis in propria regione peragendis. Mutata iam conditione ecclesiarum novellarum, et constitutis fere ubique terrarum seminariis indigenis, sive regionalibus sive centralibus, ratio iam non apparet cur iuvenes ad studia ordinaria philosophiae et theologiae peragenda, extra territorium proprium versentur. In propriis seminariis sese ad sacerdotium praeparent, ob has rationes:

1. Ne aetate immatura a consuetudine suae gentis et a ratione vivendi in propria patria alienentur;

2. ut clarius vocationem suam cognoscant, scil. ministerium in ecclesia suae gentis, cum conditionibus peculiaribus suae regionis;

3. ut intimiore fraternitate cum sacerdotibus suae regionis iam inter studia uniantur.

Sustentacula vero materialia, quae pro seminaristis, qui ex missionibus veniunt, praesto sunt, adhibeantur 1) pro alumnorum formatione in sua propria regione, 2) pro formandis professoribus pro seminariis indigenis, 3) pro libris et aliis auxiliis quibus istis seminariis subveniendum est.

Hinc ad textum n. 16 (pag. 15, linn. 26-28) addatur: « Haec omnia postulant, ut studia ad sacerdotium peragantur, quantum fieri potest, in consuetudine et convictu cum sua cuiusque gente. Auxilia vero, quae ad formandum clerum localem praesto sunt, ad formandos sacerdotes in sua propria regione adhibeantur ».

[*Subscripserunt*] J. Angerhausen, aux. Essen; E. Schick, ep. tit. Aradi; E. Haering, ep. Shohchow; J. Stangl, ep. Würzburg; A. Kempf, aux. Würzburg; J. Höffner, ep. Münster; H. Tenhumberg, aux. Münster; J. Rüth, vic. ap. Trondheim; H. Aufdenbeck, aux. Fulda.

20

Exc.mus P. D. HIERONYMUS BARTHOLOMAEUS BORTIGNON
Episcopus Patavinus

Alla riga 2 di pag. 26, si potrebbe aggiungere il seguente voto: « È auspicabile che i Vescovi inoltre di diocesi bene organizzate e autosufficienti assumano un territorio o distretto missionario da evangelizzare, alla stessa maniera di una Famiglia religiosa, impegnandosi di assicurare, mediante tutte le forze che una diocesi ha a sua disposizione — Clero, Istituti religiosi diocesani, laicato cattolico organizzato, mezzi materiali — quanto è necessario alla cura pastorale di quella porzione della Vigna del Signore ».

Il voto è giustificato, oltre che da ragioni di carattere *teologico* — messe

in luce dalla Costituzione « de Ecclesia » e opportunamente richiamate dal presente schema — e *storico,* anche da considerazioni di ordine *pratico,* fondate sull'esperienza felicemente attuata in tal senso.

È noto che fuori della generazione apostolica dei primi tre secoli, il propagarsi del cristianesimo non fu l'opera di missionari, ma piuttosto una genealogia di chiese filiali della chiesa madre (cf. Tertulliano e Cipriano).

Nel sec. VI Gregorio Magno lamentava che i Vescovi di Francia non si curassero di convertire gli Angli, loro vicini...

Le missioni del Sud-Est dell'Impero Romano-Bizantino del sec. VI (Arabia, Abissinia, Nubia) furono opera del Patriarca Teodoro di Alessandria che vi mandò Vescovi e preti...

La missione di Cirillo e Metodio agli Slavi, suggerita nel sec. IX dall'Imperatore, fu inviata dal Patriarca Fozio... ecc.

La cessazione dell'attività missionaria delle diocesi coincide col periodo storico in cui l'Europa, abbandonata l'idea di un imperialismo universale, si suddivideva in piccole nazioni come in altrettanti compartimenti stagno. Così anche le diocesi si chiusero in una specie di nazionalismo religioso, circoscritto, pauroso di varcare i confini al pari del nazionalismo politico. L'attività missionaria della diocesi perdette man mano di forza e tale compito fu assunto dalle famiglie religiose.

Dal 1962 la diocesi di Padova, come del resto le diocesi di Milano, di Brescia e altre, dopo aver esperimentato l'invio di sacerdoti in Africa e nell'America Latina secondo la formula « Fidei donum », ha chiesto e ottenuto dal Vescovo di Nyeri (Kenya) la cura pastorale di una parrocchia prima, e di un distretto poi, di quella diocesi, rifornendolo di personale, di attrezzature e di mezzi. Vi lavorano attualmente 8 sacerdoti e 6 suore di diritto diocesano, altri si preparano a partire, mentre la diocesi tutta è mobilitata in una gara di generosità singolare.

Pertanto, senza escludere la opportunità, rilevata nello schema, di continuare e di intensificare l'invio di singoli sacerdoti, secondo la formula « Fidei donum », soprattutto da parte di Diocesi che non sono in grado di assumersi più gravi impegni, sembra che le Diocesi più ricche potrebbero utilmente adottare la formula proposta come quella che meglio risponde ai bisogni attuali della Chiesa missionaria.

1. L'affidamento di un territorio di missione ad una diocesi che lo chiede per evangelizzarlo, dovrebbe avvenire seguendo lo stesso sistema che la S. Sede suole usare con le Famiglie religiose, le quali, accettando la cura di una missione, pongono al Vescovo del luogo alcune condizioni: scelta e presentazione dei soggetti, controllo continuo su di essi, sostituzione e avvicendamento degli stessi, rifornimento di mezzi materiali, ecc.

Quello che è possibile ad una Famiglia religiosa non si vede come non sia possibile ad una Diocesi. Va detto anzi che l'Istituto più efficiente, difficilmente può vantare un potenziale di forze, di mezzi, di vitalità come una Diocesi.

La Diocesi, nei Paesi cattolici, è istituzione veneranda, la cui storia conta talvolta millenni: possiede una Curia Vescovile, un Seminario, una organizzazione scolastica e caritativa, un patrimonio, un clero infine che ha raggiunto, specialmente oggi, una formazione di base ed uno spirito che possono gareggiare con quello delle famiglie religiose.

Per cui, per attuare la formula proposta, il Vescovo non avrà bisogno di gettare la prima pietra di una casa apostolica o di una curia generalizia, ma utilizzerà un capitale già esistente: il seminario per la formazione degli aspiranti missionari, la Curia e il Consiglio dei Canonici per la direzione della filiale da impiantarsi in missione, le organizzazioni più diverse per una collaborazione tecnica, ecc.

E ciò che occorre sottolineare è che tutto ciò permette di agire *subito* come esige la situazione di emergenza, così come succede in uno Stato alle industrie di pace che, allo scoppiare del conflitto, si trasformano in industrie di guerra.

Le energie sviluppate dalla libera iniziativa di Vescovi, coordinate da un potere centrale, darebbero luogo ad un dispiegamento di forze colossale. Nella Santa Chiesa non manca certo la libera iniziativa, nel senso più vero e ragionevole. Umili sacerdoti e semplici laici, ponendosi agli ordini di Roma, possono prendere iniziative missionarie, fondare istituti, varcare i confini di circoscrizioni diocesane, creare un gioco internazionale.

L'obiezione più ricorrente all'attuazione di tale piano su vasta scala è che i Vescovi non sarebbero in grado di assicurare continuità ad una tale iniziativa missionaria diocesana.

Ma se non ci si fida delle iniziative missionarie dei Vescovi, con quale diritto ci si può fidare delle iniziative di semplici sacerdoti o di Madri Superiore preposte al governo degli Istituti missionari?

2. Per attuare il piano occorrerà evidentemente sensibilizzare clero e popolo cristiano al problema missionario.

Il clero soprattutto, orientando fin dal seminario studi e formazione alla preparazione di sacerdoti in grado di attuare i disegni del Vescovo; educando inoltre i giovani leviti alla disponibilità.

L'aspirante al sacerdozio dovrà essere posto al bivio: o adeguarsi alle necessità dell'apostolato moderno, superando la mediocrità nella virtù, negli studi, nello spirito organizzativo, oppure arretrare verso aspirazioni più modeste. E si otterrà dai futuri sacerdoti quel distacco, quello spirito di povertà, quello slancio apostolico che sono le virtù caratteristiche del missionario autentico.

I primi benèfici effetti saranno per la diocesi, mentre il *volontariato* per le missioni si svilupperà al massimo.

3. Tale volontariato dovrà tuttavia essere regolato, disciplinato, avere carattere di continuità.

Oggi tutto ciò che non è organizzato è destinato a cadere!

Non basterà dunque aver preparato remotamente, fin dal seminario i

futuri sacerdoti alla generosità, al distacco, alla disponibilità; né il Vescovo potrà contare solo sulla saldezza dei pii desideri.

La formula migliore sembra quella di invitare i giovani sacerdoti e i chierici in sacris, che si diranno disposti a partire per le missioni, ad offrire se stessi per il servizio della diocesi con una formula così ampia da includervi il territorio di missione. Bisognerà in una parola dare maggiore consistenza alla promessa di obbedienza al Vescovo, creare una *élite* del clero diocesano che perfezioni il vincolo di obbedienza con il quale è già legato al Vescovo.

Appena anche solo una piccola parte del clero diocesano avrà dato alla propria profferta di disponibilità la saldezza morale che proviene da un impegno giurato o da un voto, allora il Vescovo potrà tutto osare: nessuna forza morale infatti può eguagliare quella del clero quando sia virtuoso e unanime col suo Vescovo.

Per l'organizzazione pratica di tale élite, il Vescovo potrebbe adottare di peso le sapienti Costituzioni che San Carlo Borromeo ha dettato per i suoi *Oblati diocesani,* ove già non possedesse nella propria diocesi una provvidenziale Istituzione similare.

21

Exc.mus P. D. WARREN BOUDREAUX

Episcopus tit. Calyndensis, aux. Lafayettensis

Ad cap. V. 1. Notio de natura « vitae missionariae » uniuscuiusque personae catholicae, et in terris alienis et in propria terra sua, clarius et fortius declarari debet. Haec responsabilitas ex baptismo et confirmatione provenit. Ecclesia est missionaria. Unaquaeque persona catholica est « missionarius ».

Sensus responsabilitatis personalis, sicuti in schemate *de Ecclesia,* quando de populo Dei et de laicis tractatur, in hoc schemate *de activitate missionali Ecclesiae* inseri debet, et ratio missionalis laicorum ubique terrarum, fortius est declaranda.

2. Necessitas huius rationis missionalis ex eo provenit quod Ecclesia catholica sola totam veritatem Christi habet, et per se omnes eam amplectandi obligationem habent. Quae veritas a schemate modo positivo et in quantum fieri possit « oecumenico » statuenda est, quia etiam in hoc mundo « plenitudo Christi » in omnibus habitare debet, et omnes ad veritatem cognoscendam a Christo vocantur.

22

Exc.mus P. D. IOSEPH BRETAULT

Episcopus Kuduguensis

Les 2 premiers chapitres du Schema, et surtout le 1[er] « De principiis doctrinalibus » sont incomplets et semblent manquer de la vigueur nécessaire pour susciter ce renouvellement de l'esprit missionnaire dans l'Eglise et cette

coopération de tout le Peuple de Dieu à l'œuvre de l'Evangélisation des Infidèles, selon le désir du Concile et selon ce qu'il en a déjà dit dans la Constitution « Lumen Gentium » déjà si appréciée à tous points de vue.

Ces 2 chapitres semblent diminuer et amoindrir ce qu'enseigne « Lumen Gentium » sur la Mission propre de l'Eglise vis-à-vis des non-chrétiens, et semblent vouloir omettre des questions très importantes au sujet de l'Evangélisation des Infidèles — dans ce document conciliaire qui a pour but d'en parler « ex professo » et qui sera pour longtemps la Charte doctrinale des Missions pour tout le Peuple de Dieu, pays de vieille chrétienté aussi bien que pays de Missions.

N. 5 donne le texte du Mandat d'Evangélisation du monde selon St Matth., mais incomplètement car il ne cite pas le texte de St Marc, si important, qui indique si clairement la nécessité de *prêcher* l'Evangile à tous les hommes (et pas seulement aux Nations), la nécessité de l'Eglise, la nécessité de la prédication, la nécessité de la Foi, la nécessité du Baptême, pour le salut.

Nécessité du Christ et de l'Eglise pour le Salut. N. 3 (*Missio Filii*). Ce qui est dit du Salut est peu précis et insuffisant.

N. 7 (*Rationes et necessitas missionalis activitatis*). Le texte devrait, dès les premières lignes, mettre en pleine lumière cette Mission salvifique universelle du Christ et de l'Eglise. Au lieu de celà, il ne parle du Salut des Infidèles que pour mettre en relief que le Salut éternel des hommes n'est pas l'unique raison d'être de l'activité missionnaire. Heureusement que Dieu a d'autres moyens de sauver les hommes et de créer le Peuple de Dieu « eschatologique »; et nous, missionnaires, faisons tout ce que nous pouvons par la prière pour obtenir que Dieu supplée à l'insuffisance de notre activité missionnaire!

Mais, dans ce document « ex professo », ne faut-il pas dire que c'est sa principale raison d'être, sa raison essentielle, et que tout le Peuple de Dieu, Fidèles et Pasteurs, doit lui donner une extrême importance. Même lorsque la prédication directe n'est pas actuellement possible, la raison fondamentale de l'activité missionnaire de l'Eglise est toujours le Salut par le Christ pour tous les hommes et la constitution du Peuple de Dieu, pas seulement « eschatologique », mais dès ici-bas, pas seulement en cherchant à gagner au Christ un « pusillus grex », mais tous les hommes, « omni creaturae ».

Le 2ème paragraphe p. 9, ligne 17 à 30, devrait être placé en tête du n. 7.

Ligne 32, les môts « dicenda sit » ne sont pas assez nets et affirmatifs; on pourrait les considérer comme une opinion.

N. 5. En plus du texte de St Matth., et surtout du texte de St Marc qu'il ne faut pas omettre de citer, il faudrait également donner l'enseignement de St Pierre et des Apôtres: *Act.* 2, 22 et sq., *Act.* 4, 10 et sq.; il y a aussi de nombreux textes de St Paul (enseignant comme doctrine fondamentale l'idée du Salut apporté aux hommes par le Christ) auxquels il faudrait au moins faire allusion.

La Constitution « Lumen Gentium » en parle à de nombreux endroits: nn. 9, 16, 17, 24, 30, 33, etc. Les Chap. I et II du Décret « De activitate missionali » devraient être le commentaire vivant, authentique, et pratique de ces textes déjà promulgués.

De plus, de nombreux documents pontificaux insistent sur le fait que l'Eglise a pour Mission essentielle de porter le Salut aux non-chrétiens, à tous individuellement. Il faudrait au moins que le Schema, en rappelant cet enseignement, dise explicitement qu'il n'est pas périmé ou remplacé par des opinions modernes divergentes.

PIE XI, *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.*, 1926, p. 65.

PAUL VI: « La Mission de l'Eglise est de conduire au Salut le genre humain tout entier » (19-X-63).

« La tâche de l'Eglise toute entière est de continuer et de développer la Mission de Salut de tous les hommes que le Christ lui a confiée » (12-IV-64).

« Dieu a voulu que son dessein de Salut soit confié à la Prédication et qu'il soit exécuté par l'apostolat d'hommes choisis, les Pasteurs, les Missionnaires. L'antique formule demeure dans son texte dramatique: ce n'est que dans l'Eglise que se trouve le Salut » (14-V-65).

Actuellement les Encycliques missionnaires sont laissées de côté par beaucoup comme des documents « d'autrefois », qui sont dépassés par les nouvelles opinions sur la valeur des religions païennes.

Nécessité de la Foi pour le Salut. Pas assez clairement affirmée par des textes de l'Ecriture et de la Tradition.

St Paul: « Si tes lèvres confessent que Jésus-Christ est Seigneur et si ton cœur croit que Dieu l'a ressuscité d'entre les morts, tu seras sauvé; car la Foi du cœur obtient la justice, et la confession des lèvres, le Salut » (*Rom.* 10, 9-10).

« Lumen Gentium » n. 14 est plus explicite que ce Schema sur les Missions.

PAUL VI: « Deux vérités doivent être enracinées profondément dans votre esprit: la nécessité et l'universalité de la Foi. La Foi est nécessaire au Salut; la Foi est offerte à tous les hommes par le moyen du ministère sacerdotal » (21-VI-64).

Nécessité du Baptême pour le Salut. Le Schema parle à peine du Baptême. Au contraire « Lumen Gentium » revient à maintes reprises sur sa nécessité et sur les grands bienfaits qu'il procure:

N. 9: « Ceux qui croient au Christ... renés de l'eau et de l'Esprit Saint... constituent le Peuple de Dieu ».

N. 31: « Les Fidèles, incorporés dans l'Eglise par le Baptême... après avoir été régénérés et être devenus enfants de Dieu ».

N. 64: « L'Eglise, par la prédication et le Baptême, engendre à la vie nouvelle.

Egalement nn. 11, 14, 21, 24, etc.

Nécessité et importance de la Prédication. Dans le Schema, on parle peu de la Prédication, et surtout de la Prédication aux non-chrétiens.

N. 5. La prédication aux non-chrétiens n'est pas citée parmi les moyens employés par le Christ.

N. 6. La prédication aux non-chrétiens n'est pas citée parmi les fins propres de l'activité missionnaire.

N. 13. Il en est explicitement question, mais en termes peu énergiques, presque négatifs même.

Cependant il s'agit là d'un point capital pour l'Evangélisation du monde. C'est le moyen fondamental indiqué par le Christ dans son mandat: « Docete omnes gentes »; « Praedicate Evangelium omni creaturae ».

Et St Paul: « Vae mihi si non evangelizavero » (*1 Cor.* 9, 15). « Quomodo credent in quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante » (*Rom.* 10, 14).

Et *Lumen Gentium,* n. 25, indique la prédication comme le devoir principal des Evêques.

N. 24: « Les Evêques reçoivent du Seigneur la mission d'enseigner à toutes les Nations, de prêcher l'Evangile à toute créature afin que tous les hommes obtiennent le Salut au moyen de la Foi, du Baptême et de l'observance des Commandements ».

Et PAUL VI: « La prédication de l'Evangile est le devoir principal de l'Eglise, ce qui exige que toutes ses forces soient appliquées à l'accomplissement de ce devoir » (20-X-65).

Besoin des non-chrétiens. Le Schema, au Chap. I, ne dit presque rien du grave besoin dans lequel se trouvent les non-chrétiens. Or c'est une des grandes motivations de l'apostolat missionnaire.

St Paul insiste sur ces besoins. *Ephes.* 2: « Vous étiez dans la mort par suite des fautes et des péchés dans lesquels vous avez vécu jadis (v 1), vivant selon vos convoitises charnelles, servant les caprices de la chair et des pensées coupables... voués à la colère (v 3), vous étiez sans Christ (v 12), n'ayant ni espérance, ni Dieu en ce monde ».

Act. 26, 18: Le Christ envoie St Paul « vers les Gentils afin qu'ils passent des ténèbres à la lumière, et de la puissance de Satan à Dieu, en sorte que par la Foi ils reçoivent la rémission des péchés et l'héritage avec les sanctifiés ».

Sur les besoins des non-chrétiens, Pie XI dit: « sunt egentissimi inter homines, personne n'étant aussi pauvre et aussi nu, personne n'ayant autant faim et soif que ceux à qui manque la connaissance et la grâce du Christ » (*A.A.S.,* 1926, p. 72).

De plus, le Schema parle à peine de la rémission des péchés, qui était cependant un des thèmes principaux de la prédication des Apôtres. Déjà Jean-Baptiste prêchait « un Baptême de pénitence pour la rémission des péchés ». Et le Christ disait aux Apôtres: « Ainsi est-il écrit qu'en mon

nom serait proclamé à toutes les Nations le repentir en vue de la rémission des péchés » (*Luc.* 24, 47).

N. 15, linn. 20-21, dit trop peu sur le relativisme religieux, l'indifférentisme, si répandu de nos jours, même chez les chrétiens et qui paralyse l'apostolat missionnaire.

Responsabilité suprême du Pape dans l'Evangélisation. Ce qui est dit n. 4 et n. 6 est insuffisant, presque négatif. S. S. PAUL VI dit: « Le devoir essentiel et le plus urgent du Pape est de promouvoir, en y apportant toute sa sollicitude et tous ses soins, l'extension du Règne de Dieu » (19-X-63).

Et PIE XI: « Le Pape manquerait à son devoir principal en ne travaillant pas de toutes ses forces à gagner au Christ et à lui amener ceux qui l'ignorent ou lui sont étrangers » (*Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.,* 1926, p. 65).

Il faudrait affirmer que, comme Chef de l'Eglise et Successeur de Pierre, sa responsabilité est suprême dans l'Evangélisation des non-chrétiens, et que ses directives doivent être portées à la connaissance de tous et être fidèlement suivies par tous.

Urgence de l'Evangélisation. N. 6 insiste trop sur la temporisation « nec semper », « nec statim », « gradus », « gradatim », « patienter », « prudenter », « obstacula removendo », « vias praeparare »; et au contraire ne dit rien de positif sur la nécessité et l'urgence de proposer le Christ.

N. 11 et 12 insistent trop sur la longue durée des « Préambules de l'Evangélisation ». Pour les régions spéciales où c'est nécessaire, que l'Evêque ou les Conférences épiscopales donnent des directives précises aux missionnaires; mais il ne faut pas enseigner en général que ces préambules doivent être longs, très longs, car alors la prédication de l'Evangile lui-même sera indéfiniment remise à plus tard.

S. S. Paul VI revient souvent sur cette urgence de l'Evangélisation, « obligation pressante de l'Evangélisation » (15-V-64). « Ce ministère de salut (les Missions) est urgent, il est nécessaire » (14-V-65).

L'exemple des Apôtres, et spécialement de St Paul, montre qu'il ne faut pas nécessairement et partout une longue pré-évangélisation, mais qu'on peut annoncer le Christ très fructueusement sans longs délais. L'expérience des Missionnaires le prouve aussi. Souvent la prédication de l'Evangile peut et doit être entreprise simultanément avec les activités décrites dans le Schema pour la pré-évangélisation.

Notre prédication doit être « Cristocentrique » dès que les non-chrétiens sont aptes à la comprendre. Nous serions infidèles à notre mission si nous nous contentions de prêcher la morale naturelle, ou la Sociologie, la Philosophie, ou même la Théodicée.

Zèle apostolique. N. 16 ne parle pas des devoirs du Clergé autochtone à l'égard de l'Evangélisation des non-chrétiens. Et pourtant, bien rares sont les « nouvelles Eglises » où il n'y a plus de païens à convertir au Christ.

N. 17 ne parle pas, à propos des Catéchistes, du zèle apostolique, du désir et de l'ardeur qu'ils doivent avoir de faire connaître le Christ aux non-chrétiens.

N. 17, lignes 6, 7, 8. Ce n'est pas seulement « nostris diebus » que les Catéchistes sont nécessaires. Le Schema devrait enseigner au monde chrétien tout entier qu'ils sont *indispensables* dans toute Evangélisation et ensuite également. Beaucoup de Diocèses de vieille chrétienté en sentent le besoin. Si l'Amérique Latine en avait depuis longtemps, la situation chrétienne y serait peut-être moins tragique.

N. 39. A propos du devoir missionnaire des Laïcs, il y a une ligne seulement sur l'apostolat direct; tout le reste est Action Sociale. Et pourtant, en pays de missions, bon nombre de Laïcs (non-catéchistes) font de l'apostolat direct. Il faudrait que ce Schema les encourage explicitement à continuer, et aide les autres à découvrir leur devoir à ce sujet.

Le Schema ne dit presque rien de la formation au zèle apostolique dans les écoles, les Œuvres de Jeunesse, les Séminaires, les Noviciats (de Congrégations non-missionnaires). Il n'y a que quelques lignes au n. 37 dans les devoirs du Prêtre à l'égard des missions.

Il y aurait lieu de suggérer que tout l'enseignement catéchistique et la formation spirituelle des enfants et adultes, que tout l'enseignement théologique et la formation religieuse dans les Noviciats et Séminaires, soient imprégnés d'esprit missionnaire, soient orientés vers la coopération à l'œuvre rédemptrice du Christ spécialement à l'égard des non-chrétiens. On parle beaucoup actuellement de la « Faim corporelle » dans le monde; les non-chrétiens qui n'ont pas encore bénéficié de la Révélation du Christ sont les vrais pauvres et les vrais faméliques — et ils sont plus nombreux que ceux, dits du « Tiers Monde », qui souffrent de la faim corporelle. La charité la plus élémentaire exige que tous ceux qui ont reçu ce don de la Foi collaborent selon toutes leurs possibilités à procurer le Christ à ceux qui ne l'ont pas.

Grave nécessité des Instituts missionnaires. En plus du Clergé autochtone à la formation duquel nous travaillons très activement, en plus de l'aide efficace des Prêtres « Fidei Donum » et des Laïcs-missionnaires qui vont travailler pour quelques années dans les « nouvelles Eglises » et les territoires peu ou point évangélisés, le Schema devrait affirmer plus longuement et avec plus de précision et de vigueur la nécessité actuelle et perpétuelle des Instituts missionnaires. Ce qui en est dit n. 25 lignes 20-21, est insuffisant.

Le texte décrit longuement ce que ces Instituts ont réalisé dans le passé (8 lignes) ainsi que les tâches nouvelles et spéciales qu'ils peuvent assumer désormais en certains lieux, mais ne dit pas assez l'immense travail de « première Evangélisation » qui reste à faire à l'égard de plus de 2 milliards de non-chrétiens; et semble même insinuer (ligne 18 « forsan ») que cette non-

évangélisation n'est pas tellement imputable à l'Eglise ou au Collège épiscopal, ou au manque d'esprit missionnaire des Fdèles, ou au manque de vraies Vocations missionnaires.

Les Instituts missionnaires sont (et seront très longtemps encore) l'élément principal et « organisé » de l'activité missionnaire de l'Eglise. L'Evangélisation fructueuse des pays non-chrétiens exige la connaissance du milieu païen, et un travail prolongé et persévérant que ne peuvent pas faire les Prêtres « Fidei Donum » et les Laïcs-missionnaires. Ce travail ne peut être assuré efficacement que par des Instituts qui assurent la continuité de l'Evangélisation — et celà pendant de très nombreuses années encore, de très nombreux siècles peut-être!...

Etant donnés les besoins immenses et urgents des régions non-chrétiennes et la crise très grave de Vocations que l'on constate actuellement dans *tous* les Instituts missionnaires, ce Décret qui parle « ex professo » de l'activité missionnaire de l'Eglise se doit de crier un SOS angoissé et vigoureux au sujet des Vocations pour les Instituts missionnaires.

23

REV.MUS P. D. CAIETANUS BRIANI
Superior generalis F.S.C.I.

Ex imo corde consentimus schemati decreti *de activitate missionali Ecclesiae* integre renovato. Patet enim limae labor et mora, ita ut non solum res sed etiam apta et congruens propositio perlucide reniteat.

Placet schematis ordinatio ad thema primarium et proprium nostri Concilii, scil. de Ecclesia.

Placet theologica consideratio activitatis missionalis qua vitale Ecclesiae incrementum. Nimirum non ipsius incrementum numericum tantum, sed verius qua dilatatio Corporis Christi Mystici cui interesse debet universus Populus sanctus Dei.

Placet, denique, definitio per quam terminus « missio » describitur, clare videlicet distinguendo inter missionem universalem Ecclesiae in tota sua amplitudine, et activitatem Ecclesiae missionalem in sensu restricto et magis traditionali, in quantum nempe exercetur erga populos et hominum coetus qui nondum credunt vel in quibus nondum sufficienter Ecclesia plantata existit.

Iamvero, si nimis premitur analogia inter « paganismum » et nationum civilium « dechristianisationem », aequivocitas formulae (slogan): « tota nunc Ecclesia in statu missionis constituta existit » matrix tantum erit confusionis, incertitudinis, contradictionis et virium christianarum dispersionis.

Bene, ergo, et laudabiliter inter activitatem « missionalem » et activitatem « pastoralem » distinctio fit. Quae si specifice — quoad finem (gloriam Dei et animarum salutem), quoad obiectum (Ecclesiam particularem), quoad

munera apostolica (exercitium potestatis hierarchicae, sacramentorum administrationem, Verbi Dei annuntiationem) — non distinguuntur, tamen haud plene identificantur.

In qua nostra ultima consideratione quaedam cohaerentur tamen notanda nobis veniunt; quae aliis quoque Patribus auditis, humiliter audemus commissioni indicare.

Et praecise ad schematis:

Cap. III, pag. 21, n. 25, lin. 21. Asseritur valor et efficientia et actualitas Institutorum cum finalitate specifica missionali ad opus evangelisationis implendum, cum secus, experientia testante, nihil vel perparum proficiat bona quoque voluntas singulorum, disiectis viribus.

Optaremus vero ut quaedam magis concrete adderentur. Nempe: talia Instituta ut entia moralia cum suis necessitatibus et iuribus a Sancta Sede agnoscuntur. In perlaudanda cooperatione et praesentia coetus episcopalis laboribus missionalibus hoc quoque ingrediatur: agnitio ex parte episcoporum, istis Institutis iurium existendi et operandi ut ipsorum vita duret, perficiatur et merito et numero.

Cap. V, pag. 27, n. 38, lin. 23. Convenienter hic munus missionale Institutorum Perfectionis elucidatur. Apertio missionalis etenim est aliquid mensurans et definiens fervorem caritatis et fidelium et communitatis christianae.

Optaremus, tamen, ut magis diserte ibi sermo fieret de Institutis quae ad hoc nata sunt et in hunc scopum proprios sodales educant ut Evangelium nuntietur in universo orbi et hoc modo Ecclesia evidentius ut vexillum elevatum in nationibus effulgeat.

Qua de re in votis est ut hoc addetur textui. Sicuti Institutis peculiariter vocatis in opus missionale officium incumbit se intime perficiendi secundum proprium finem, item episcopis conscientiam sumendi vocationem missionariam Ecclesiae Dei cui propositi sunt, per ista praecise Instituta missionalia reapse semetipsos implere.

Doceant ergo episcopi — illi praesertim cui Divina Providentia favit per fundationem Institutorum missionalium in propria dioecesi — et clerum et populum Dei se in locis plantationis Ecclesiae revera praesentes fecunde existere et vocationem missionariam universae christianitatis incumbentem exaudire favendo Institutis pro missionibus natis, ipsorum membra benigne suscipiendo, necessitatibus subveniendo, incrementum praestando. Et hac ratione communicando sollicitudinibus Romanorum Pontificum cui Instituta missionalia deserviunt per S. C. De Propaganda Fide.

24

EXC.MUS P. D. STANISLAUS BRZANA

Episcopus tit. Cufrutensis, aux. Buffalensis

Schema *de activitate missionali Ecclesiae* omnino laudandum est, et, secundum expectationem Patrum, fiet « Magna Charta Missionum ». Cum autem quam optimum esse debeat, praebeo sequentes animadversiones.

Quoad substantiam textus. 1. In n. 2, pag. 5, linn. 20-21, verba « ex quo Persona Filii et Persona Spiritus Sancti originem ducunt » constituunt expressionem ambiguam, quae Processionem Spiritus Sancti a Patre simulque Filio incomplete describit. Proinde, corrigenda sunt haec verba.

2. In apto loco detur mentio Mariae. Dum his in terris degebat, Maria primaevae Ecclesiae assistebat oratione, intercessione, consolatione atque exemplo. Nunc in caelo vivens, tamquam Regina Apostolorum, pari modo omnibus novellis ecclesiis atque missionibus assistit.

Quoad stylum, praesertim in cap. I.

3. Saepe saepius stylus latinus est nimis ponderosus, prolixus ac involutus. Lectori suspicio occurrit cap. I in alia lingua compositum fuisse ac postea in linguam latinam translatum esse. Ad maiorem claritatem atque facilitatem in legendo obtinendam, dividendae sunt sententiae sequentes: N. 2, pag. 5, linn. 19-26; N. 3, pag. 6, linn. 1-7; N. 5, pag. 7, linn. 23-30; N. 6, pag. 8, linn. 4-10; N. 9, pag. 10, linn. 22-30; N. 9, pag. 10, linn. 30-39.

4. Nonnullae expressiones melius reddendae sunt:

N. 3, pag. 6, in linn. 25-26, legatur: « Hinc Sancti Patres constanter proclamant non esse sanatum quod a Christo non fuerit assumptum ».

N. 5, pag. 7, in linn. 19-20, legatur: « Quod munus post eos in haereditatem accepit Ordo episcoporum ».

N. 7, pag. 9, in lin. 19, legatur: « gloriam Dei contemplantes ».

N. 8, pag. 9, in linn. 35-37, legatur: « Missio praeterea intimam habet connexionem cum ipsa natura humana eiusque adspirationibus ».

N. 8, pag. 9, in linn. 37-38, expressio « genuinam ... veritatem » non est felix. Veritas ex ipsa notione est genuina.

N. 11, pag. 11, in lin. 32, expressio « simul vero » aegre introducit hanc partem sententiae.

N. 11, pag. 11, in lin. 33, legatur: « in Dei Salvatoris dominium reducere conentur ».

25

REV.MUS P. D. IOSEPH BUCKLEY
Praepositus generalis S. M.

Schemati *de activitate missionali Ecclesiae* bene composito et laude digno nocere videtur quod dicitur in pag. 18 et 19, n. 21, necnon in pag. 19, n. 22, ad delimitandam et definiendam vocationem missionalem. Ibi asseritur quod vocatio missionalis est « peculiaris », quod Spiritus Sanctus « inspirat hanc vocationem ... in cordibus singulorum », quod haec « specialis vocatio » agnoscitur certis signis, quod denique « Deo vocanti homo respondere debet ... et quidem per totam vitam ».

In his verbis adsunt vestigia cuiusdam theoriae circa vocationem quae mortua est ac sepeliri debet. Non est necessarium quod homo percipiat se « a Deo vocari » ad determinatum vitae genus. Non est necessarium nec optandum quod homo anxietate prematur circa aliquam Dei vocationem inveniendam ad unum potiusquam ad alterum vitae statum amplectendum. Certe, in ordine divinae praedestinationis Deus disponit de vita singulorum suorum electorum in modo particulari et sic eos dirigit infallibiliter sed libere ad aeternam eorum salutem. Tamen in ordine humano psychologico, homo simpliciter utitur talentis, naturalibus et supernaturalibus, a Deo acceptis, ea vertens ad statum vitae prosequendum quem prudenter elegit.

Nullum est dubium quod apostolicus labor in territoriis missionalibus maiorem exigit generositatem quem idem labor in patria; quod labor in illis territoriis, per totam vitam, maiorem includit generositatem quam idem labor per aliquos tantum annos; quod formale compromissum, seu determinatio, illic laborandi ad totum vitae tempus generosius est quam illic simpliciter laborare cum potestate quovis tempore in patriam redeundi. Tamen mihi videtur erroneum esse definire vocationem missionalem eo modo ut quibusdam in territoriis missionalibus laborantibus vocatio missionalis decernitur, dum ceteris pariter in iisdem territoriis laborantibus denegatur; atque sic muri eriguntur ubi Deus non erexit.

Praeterea, quod de praefata definitione vocationis missionalis dici poterat diebus in quibus naves ventis pulsae maria percurrebant fit cito obsoletum nostro tempore cum homines tam celeriter transferri possunt e regione missionali ad regionem non missionalem et viceversa, et cum exterae linguae facilius addiscuntur quam tempore elapso.

Definitio data in schemate videtur sustinere condicionem Institutorum qui sunt exclusive missionales. Tamen, dum missionariorum numerus horum Institutorum clericalium est equidem magnus, — iuxta ultima *Data Statistica* pro Asia et Africa a S. C. de Propaganda Fide edita (1957) — circiter septem millia et quingenta membra; numerus missionariorum Institutorum clericalium alios etiam apostolatus exercentium est aliquantulum maior, circiter octo millia. Pauca sunt Instituta Fratrum exclusive missionalia. Plura Soro-

rum Instituta apostolatui incumbunt in territoriis sive missionalibus sive non missionalibus.

Verum est quod etiam missionarii Institutorum mixti apostolatus generaliter ad missiones mittuntur per totam vitam. Libenter agnosco hanc esse conditionem normalem et in praesentis aetatis circumstantiis adhuc praeferendam. Tamen semper magis in his Institutis crescit numerus religiosorum qui operam suam in territoriis missionalibus praestant tantum ad tempus. Ipsum schema, n. 36, commendat ut episcopi aliquos e suis sacerdotibus mittant ad missiones clero carentes, generatim « ad tempus ». Non est igitur bona psychologia, nec bona theologia, tali modo vocationem missionalem definire ut ab ea excludantur missionarii ad tempus.

Liceat mihi adhuc aliam animadversionem facere. In n. 37, linn. 31 s., admonentur sacerdotes: « Fideles doceant pro missionibus orare et ab eisdem eleemosynas quaerere ne erubescant, quasi mendici pro Christo animarumque salute facti ». Bene; sed quaero utrum opportunius non sit quod Concilium Oecumenicum systema aliquod commendet quo diocesibus ac paroeciis taxae aliquae pro missionibus imponantur; sicque continuae ac molestae petitiones non amplius necessariae erunt. Omnes enim, pro viribus, conferre debent ad expensas apostolatus cui omnes obligantur. Tali modo, forsitan, missionarii qui ad patriam vacationis causa redeunt, non amplius necessitate prementur tempus vacationis conterendi in eleemosynis quaerendis pro sua missione.

* * *

Cap. III: *De missionariis* (Novus textus partialis proponitur quoad nn. 21, 22, 24).

21. (De vocatione missionaria). Christus Dominus opus suum perenne reddere omnesque gentes ad finem adducere volens semper in Ecclesia ministros suscitat, ut sint secum et ut mittat eos praedicare.

Hi autem sunt qui congrua naturali indole praediti, dotibus et ingenio idonei, peculiari generositate parati inveniuntur ad opus missionale suscipiendum. A legitima auctoritate missi ...

22. (De spiritualitate missionaria). At vero qui ad opus missionale exercendum mittitur tali modo oportet sit animatus, ut carni et sanguini non acquiescens totum se devinciat operi Evangelii. Quod fieri nequit nisi Spiritu Sancto incitante ac roborante ...

24. (De formatione doctrinali). Qui vero ad varias gentes mittuntur, ut boni ministri Christi, enutriti sint « verbis fidei et bonae doctrinae » (*1 Tim.* 4, 6).

Quare omnes missionarii ...

26

Exc.mus P. D. GABRIEL PAULINUS BUENO COUTO

Episcopus tit. Leucenus, aux. Taubatensis

Ad prooemium. Insufficiens videtur.

N. 1, pag. 5, linn. 2, 5, 7: Quid sibi vult: « ex intimis propriae catholicitatis exigentiis »? etc.

N. 1, pag. 5, lin. 5: « vestigia Christi sequentes »? Nunquid apostoli praedicaverunt Evangelium « vestigia Christi sequentes »? Distinguitne Evangelium ab ipso Christo? Nunquid apostoli distinxerunt Evangelium ab ipso Christo, ita ut, Christus fuerit ipsis tanquam exemplar boni praedicatoris Evangelii?

N. 1, pag. 5, lin. 7: « ut Regnum Dei ubique terrarum », etc. Nunquid distinguitur Regnum Dei ab ipsa Ecclesia, ita ut Ecclesia dicatur praedicare Regnum Dei tanquam aliquid aliud a se ipsa?

Cap. I. Cur, loco nn. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, non repetitur doctrina tam laboriose sed mirabili quadam synthesi expressa in const. dogmatica *Lumen gentium,* nn. 2, 3, 4, 5, 8, 13, 14, 15, 16, 17? Mirabilis enim doctrina haec, iam sigillo magisterii solemnis Ecclesiae signata, in infinitum distat a conceptibus qui exprimuntur in nn. supra citatis cap. I, « De Act. Mission. Ecclesiae », sive sermonis sobrietate, sive perspicuitate doctrinae, sive dogmatica fidelitate. Vide, v. g., n. 7 huius schematis: si pressius vult quis dicta sumere, Christus, iuxta ibidem adumbrata, esset tandem aliquando dispensabilis, cum alia via possent homines ad salutem pervenire ... Christus esset, primo et principaliter missus ad quandam incomparabiliorem illuminationem hominum ad eorumque maiorem promotionem ... Non video quomodo haec componi possent cum dictis et factis revelationis, per quam Christus annuntiatur tanquam lux, quae in tenebris lucet, tanquam via, quae aberrantibus patet, tanquam veritas ignorantibus et insipientibus praedicanda, tanquam vita in tenebris et in umbra mortis sedentibus necessaria, et quidem ipse solus, iure quidem incommunicabili et absoluto ...

N. 7, pag. 9, linn. 9-11: Impropria sunt, ut videtur, haec verba neque satis nervosa ad iustificandum immensum missionariorum opus in Ecclesia!

Rogo ergo: 1. Ut totum cap. I reformetur ad doctrinam const. dogmaticae *Lumen gentium,* in nn. supra citatis.

2. Ut habeatur, tanquam definitio activitatis missionalis Ecclesiae, mirabilis ille Christi Domini sermo ad Paulum Apostolum, qui legitur in Act. 26, 17-18: « Mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos, per fidem quae est in me ».

Omnia sane his in divinis verbis continentur et quidem auctoritate ipsius

Christi Domini sancita, quae Ecclesia, hoc in schemate, proponere debet suis missionariis, tanquam summulam normamque omnis eorum activitatis missionalis.

27

EXC.MUS P. D. IOSEPH BUSIMBA

Episcopus Gomaensis

De *titulo et ordinatione generali schematis.* Ut textus elaboratus in hoc S. Concilio cuius scopus est *aggiornamento* pastoralis Ecclesiae, schema de activitate missionali deberet ab initio, et modo claro in sua structura et ordinatione interna, magnum caracterem Missionis hodiernae indicare. Hodie in territoriis missionalibus, ex activitate laboriosa et tam meritoria missionariorum, sese efformant sic dictae « iuvenes » seu « novellae Ecclesiae ». Haec, paulatim et gradatim sese constituunt ut Ecclesiae plene statutae, ad instar Ecclesiarum-Matrum antiquioris christianitatis. Iam in hac perspectiva videtur, ut infra dicemus, quod aliquod caput speciale debeat inseri in schemate, nempe « De Novellis Ecclesiis », quae sunt finis ipse et consummatio activitatis missionalis.

In nostro tempore habetur conscientia magis ac magis affirmata et activa de nova situatione Ecclesiarum missionalium et de problematibus de die in diem surgentibus. Plura problemata exsurgunt ex ipsa progressione operis missionalis; alia oriuntur ex incidentia conditionum generalium, scilicet politicarum et socio-culturalium, nostri temporis; alia tandem e progressu doctrinali habito in Ecclesia, peculiariter respectu aliquorum thematum doctrinalium, sicut illud de Oecumenismo et aliud, confine, de recognoscentia valorum positivorum quos continent religiones non-christianae.

His inspectis, optandum est indicare in ipsa formulatione tituli schematis finem et consummationem activitatis missionalis quae est constitutio Novellarum Ecclesiarum, ita ut clare notentur et manifestentur obiectum et scopus nostri textus. Atque de generali ordinatione schematis aliqua eo proponimus infra, ut monstretur perspectiva in qua debet considerari activitas missionis, et ad cuius respectum examinanda sunt nova problemata apostolatus missionarii.

Concreto modo hoc proponimus.

I. *Titulus.* Ut servetur perspectiva supra indicata, titulus actualis schematis deberet compleri et sic inscribi: « De activitate Missionali et de Novellis Ecclesiis ». Talis titulus requirit ordinationem internam textus, ita ut, servata in generali materia actualis schematis, magis illuminentur et sublineentur in duobus capitibus principalibus, ex una parte: *vocatio et activitas missionalis;* ex altera parte: finis specificus Missionis, qui est: *efformatio « iuvenum Ecclesiarum ».*

II. *Ordinatio interna.* Haec duo capita centralia, quae constituerent respective secundum et tertium capita, continentur: ab uno capite praeliminario « De principiis doctrinalibus ». Quod caput fundat « Missionem » ex principiis iam in Constitutione De Ecclesia « Lumen Gentium » enuntiatis; a cap. IV, quod reassumeret in uno capita quartum et quintum schematis actualis, scil.: « De Cooperatione et de Ordinatione activitatis missionalis ». Attamen hic nobis permittatur notare quod paragraphi a nn. 33 ad 39 « De Cooperatione », in quibus tractatur de Officio missionali totius Ecclesiae in genere et cuiuscumque eius membrum in speciali, videntur melius venire in continuationem capitis praeliminarii.

III. Ordinatio quam proponimus, constructa circa illa duo puncta centralia, nempe « activitas missionalis » et constitutio « novellarum Ecclesiarum », videtur magis adaequata obiecto schematis « de activitate missionali », et adhuc esse magis logica et cohaerens. Sine dubio melius demonstrat perspectivam et lineam directricem schematis, et potest illi conferre aspectum dynamicum qui convenit tali textui.

Ordo generalis textus ita haberetur:

Post prooemium, cfr. pag. 5, n. 1

Cap. I. De principiis doctrinalibus: cf. nn. 2-9, pag. 5-10.

Cap. II. De missionariis et de opere missionali: cf. nn. 21-25; 30-31 et nn. 11-18.

Cap. III. De Ecclesiis novellis: cf. pag. 14-18.

Cap. IV. De cooperatione et de ordinatione activitatis missionalis: cf. cap. IV et V.

Ad particularia et minutia puncta huius ordinis propositi, referatur ad paginas adiunctas et depositas ad secretariatum.

28

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

In genere schema placet, quia theologice bene fundatum et logice in suas partes distributum. Tamen animadversiones et emendationes, quae sequuntur, censeo esse faciendas.

N. 1, pag. 5, lin. 3. Loco « *Mt.* 16, 15 » legatur « *Mc.* 16, 15 ».

Pag. 5, lin. 4. Loco « Ipsi enim apostoli super quos Ecclesia est fundata » legatur: « Ipsi enim apostoli, in quibus Ecclesia est condita ». *Ratio*: de hac re satis superque actum est in const. *de Ecclesia*; ergo accipiatur lectio adhibita in ipsa const. n. 19.

N. 3, pag. 6, lin. 17. Loco « in ipso inhabitat plenitudo divinitatis cor-

poraliter » dicatur cum textu *Col.* 2, 9: « in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter ».

N. 5, pag. 7, linn. 19-20. Loco « Quod munus post eos haereditavit Ordo episcoporum, una cum Successore Petri Ecclesiaeque visibili Capite » dicatur: « Quod munus post eos haereditavit Ordo episcoporum, una cum Capite suo Romano Pontifice, successore Petri et totius Ecclesiae Pastore ». *Ratio* emendamenti: *a*) ne videatur Ordo episcoporum quasi iuxtaponi et contradistingui a Romano Pontifice, debet indicari ipse Romanus Pontifex tamquam Caput ipsius Ordinis episcopalis; *b*) tunc, ne bis in eodem textu habeatur notio Capitis, mutatur locutio « Ecclesiae visibile Capite » cum locutione, desumpta ex const. de Eccl. 22, « totius Ecclesiae Pastore ».

N. 6, pag. 8, lin. 41. Loco « cuius collegialem affectum exercet » mutetur in « cuius Hierarchiae collegialem affectum ad concretam applicationem perducit ». *Rationes*: *a*) « collegialis affectus » non potest praedicari de Ecclesia (utpote quae « collegium » vocari nequeat), sed de Hierarchia Ecclesiae (ita in const. *de Eccl.* n. 23); *b*) loco « exercet », quod improprie diceretur de activitate missionali, dicitur « ad concretam applicationem perducit », prout habetur in const. *de Ecclesia* n. 23.

N. 7, pag. 9, linn. 3-34. In isto numero dantur duae rationes missionalis activitatis, nempe *a*) salus aeterna hominum; *b*) incorporatio hominum in unum Corpus Christi. Ratio *a*), quamvis primo loco ponatur, reapse exhibetur ut secundaria respectu ad rationem *b*). Iamvero id mihi non probatur. Ratio enim primaria est gloria Dei per aeternam uniuscuiusque hominum consequenda salutem; incorporatio autem in Corpus mysticum non est nisi medium concretum, historice a Deo statutum, ad consequendam illam gloriam et illam salutem. Ergo propono quasdam emendationes: « Ratio huius missionalis activitatis in primis ex gloria Dei per aeternam salutem uniuscuiusque hominum evangelizandorum procurandam sumitur. Ecclesia enim, licet teneat Deum viis sibi uni notis homines ad Fidem adducere posse, sine qua impossibile est Ipsi placere, etiamsi eis Evangelium praedicatum non fuerit, tamen scit, per cognitionem Christi et Eius Evangelium homines incomparabiliter illuminari et donis spiritualis ditari, necnon per Ecclesiam innotescere multiformem sapientiam Dei (cf. *Eph.* 3, 10). Insuper tenet Dei voluntatem ... futurae vitae.

Ratio missionalis activitatis Ecclesiae similiter deducitur ex proposito Dei ... Pater noster.

Ex his Dei propositis ad effectum adducendis, sequitur ut ... Dei ».

N. 9, pag. 10, lin. 20. Loco « manifestatio seu Epiphania in mundo et in historia » dicatur: « manifestatio seu Epiphania atque adimplementum in mundo et in historia ». Parum est dicere « manifestatio », nisi addatur etiam « adimplementum ».

Pag. 10, lin. 21. Loco « In hac historia mundi Deus per missionem historiam salutis manifestando perficit », consequenter ad superius dicta, ponatur: « In hac historia mundi Deus per missionem historiam salutis manife-

stat ac perficit » (vel etiam: « perficiendo manifestat »). Textus enim actualis videretur dicere quod « perfectio » historiae salutis unice consistat in eius « manifestatione ».

N. 10, pag. 11, linn. 1-2. Iuxta superius dicta, sic compleantur: « Ecclesia a Christo missa ad caritatem Dei omnibus hominibus et gentibus manifestandam et communicandam, opus missionale etc. ».

N. 15, pag. 13, linn. 36-37. Loco « Spiritus Sanctus, qui omnes homines per semina Verbi praedicationemque Evangelii ad Christum convocat ... » dicatur: « Spiritus Sanctus, qui omnes homines per semina Verbi praeparat et per praedicationem Evangelii ad Christum convocat ». *Ratio*: non enim recte dici potest quod Spiritus Sanctus ad Christum convocet per semina Verbi.

Pag. 14, lin. 27. Loco « ideoque in consuetudine vitae gentis suae Deo et Christo vivant », dicatur: « ideoque in honesta consuetudine vitae gentis suae etc. ». *Ratio*: non enim omnis consuetudo est honesta, proindeque vivenda.

Pag. 14, lin. 33. Loco « ad incrementum communitatis christianae necessaria sunt varia ministeria » dicatur: « ad incrementum communitatis christianae necessaria vel utilia sunt varia ministeria ». *Ratio*: non potest dici necessarium ministerium diaconorum (de quo in lin. 36), sed tantum utile, et quidem ubi Episcopi id censuerint, iuxta const. *de Ecclesia* n. 29.

N. 16, pag. 15, lin. 13. Loco « sub luce mysterii salutis uti in Scripturis exhibetur » dicatur: « sub luce mysterii salutis uti **in divina Revelatione** exhibetur ». *Ratio* per se patet: etiam S. Traditio de hoc mysterio loquitur.

Pag. 15, lin. 25. Citatio notulae 19 apponatur post verbum « educentur », non autem post verbum « praeparentur ».

Pag. 15, lin. 30. Loco « seligantur sacerdotes qui ... in studiorum Universitatibus etc. » dicatur: « seligantur clerici et sacerdotes qui etc. ». *Ratio*: secus damnaretur ad mortem Pont. Collegium Propagandae Fidei. Iamvero pro Ecclesia Catholica valde utile est ut delecti clerici (non tantum sacerdotes) suam formationem spiritualem et scientificam compleant in Urbe, hauriendo in suo centro spiritum catholicitatis.

Pag. 15, linn. 39-45. Totum hoc comma supprimendum censeo, quia cum dicat « Iuvat » instituere diaconos, adimit conferentiis episcoporum moralem libertatem iudicandi de utilitate vel minus talis institutionis.

N. 17, pag. 16, lin. 28. Loco « catechistis debite formatis missio canonica in actione liturgica publice celebranda conferatur » dicatur: « catechistis debito formatis missio canonica ad certas actiones liturgicas publice celebrandas ». *Ratio*: non ad omnem actionem liturgicam dari potest, sed ad quasdam tantum, et quidem « certas », scil. bene indicatas.

N. 19, pag. 17, lin. 19. *Auferantur verba* « ad normam huius Concilii renovandae », quia vita Populi Dei debet maturescere non solum ad normas Concilii Vaticani II, sed etiam ad normas iam alibi datas vel in futurum dandas.

Pag. 17, lin. 27. Loco « in honesta instituta et consuetudines locales » dicatur: « in instituta consuetudinesque localia honesta ». *Ratio*: ut clarius appareat quod non solum instituta sed etiam consuetudines debent esse honesta.

N. 20, pag. 18, linn. 16 ss. Loco « ea consideratio theologica stimuletur qua, praelucente Traditione universalis Ecclesiae, facta et verba a Deo revelata, in Sacris Scripturis consignata, novae investigationi subiiciantur » dicatur: « ea consideratio theologica stimuletur, qua, praelucente Magisterio universalis Ecclesiae, facta et verba a Deo revelata, in Deposito Fidei consignata, novae investigationi subiiciatur. Sic clarius percipietur quibus viis fides, ratione habita " sanae " philosophiae vel sapientiae populorum etc. ». *Ratio* emendamentorum: *a*) schema videtur sumere Traditionem in solo sensu explicativo, minime constitutivo, dum silet de Magisterio; *b*) schema videtur dicere quod facta et verba a Deo revelata inveniuntur tantummodo in Sacris Scripturis; *c*) non omnes « sapientiae » populorum sunt sanae.

Pag. 18, lin. 27. Loco « Novae denique Ecclesiae particulares, suis traditionibus exornatae etc. » dicatur: « Novae denique Ecclesiae particulares, suis legitimis traditionibus exornatae ». Nam solummodo legitimae traditiones assumi possunt.

N. 22, pag. 19, lin. 9. *Auferenda* censentur verba « et quidem per totam vitam »: secus non admitteretur possibilitas vocationis missionariae *ad tempus* ». Quod est inconveniens pro ipsis Missionibus.

P. 19, lin. 14. Citatio *Eph.* 3, 7 non videtur ad rem. Fortasse agitur de mendo typographico.

N. 27, pag. 21, linn. 32-37. Hoc comma videtur coarctare libertatem Summi Pontificis circa creationem et competentiam Consilii Centralis. Unde aut comma auferatur, aut saltem ita emendetur: « Cum enim cura Evangelium ubique terrarum annuntiandi ad corpus Pastorum (ita enim habetur in citata const. *de Eccl.* n. 23) pertineat, coetus seu Concilium Centrale, quod Summus Pontifex, si Eidem placuerit, constituet, inter generalis momenti negotia, activitatis missionalis, maximi sanctissimique Ecclesiae muneris, specialem habere poterit rationem ».

Pag. 22, linn. 20-22. Loco « Hi omnes, statutis temporibus convocandi, collegialiter sub auctoritate Summi Pontificis, supremam gubernationem totius operis missionalis exerceant » dicatur: « Hi omnes, statis temporibus convocandi, sub auctoritate Summi Pontificis suam cooperationem in suprema gubernatione totius operis missionalis conferant ». *Ratio* emendamentorum: *a*) non debet agi de actione collegiali; *b*) non potest committi suprema gubernatio totius operis missionarii membris qui stabiliter non resident apud dicasterium de Propaganda Fide, sed solummodo statis temporibus sunt convocandi; *c*) suprema gubernatio actualis totius operis missionalis pertinet de iure ad Summum Pontificem, et nonnisi habitualiter (ad actum tamen educenda per liberum interventum Summi Pontificis, iuxta notam explicativam in const. de Ecclesia) ad totum collegium episcopale (non autem ad delectos

viros). Unde in lin. 17 sic dicatur: « Hoc dicasterium constituatur etiam membris selectis etc. ».

N. 28, pag. 22, lin. 34. Loco « Episcopi est, uti rectoris etc. » dicatur, maioris claritatis gratia: « In locis Missionum, episcopi est » etc.

N. 29, pag. 22, lin. 42. Loco « Conferentiae episcopales communi consilio », claritatis gratia dicatur: « Conferentiae episcopales locorum Missionum communi etc. ».

N. 30, pag. 23, lin. 10. Loco « quae ab Institutis vel Associationibus Ecclesiasticis exercentur », ob supradictam rationem dicatur: « quae ab Institutis vel Associationibus Ecclesiasticis missionalibus exercentur ».

N. 35, pag. 25, linn. 11-15. In hoc toto commate video duo pericula, nisi omnia ponantur sub moderamine dicasterii Propagationis Fidei: *a*) periculum non recte et iuste applicandi media materialia et humana, iuxta veras necessitates catholicas; *b*) periculum cuiusdam novae formae nationalis « colonialismi » spiritualis: quod, meo quidem iudicio, esset damnosissimum pro Missionibus.

N. 36, pag. 25, linn. 16-20. Hoc comma non videtur mihi admittendum, quia praetergreditur id quod, in re dogmatica, statutum est a const. de Ecclesia, circa consecrationem episcopalem. Unde non restat nisi recurrere ad textum ipsum constitutionis de Ecclesia. Sic ergo stet novus textus: « Singuli episcopi, quantum propria eorum perfunctio muneris sinit, in laborum societatem venire tenentur inter se et cum Successore Petri, cui grande munus christiani nominis propagandi singulari modo demandatum est » (const. *de Eccl.* n. 23). Inde oritur illa communio ... » (ut in schemate, lin. 21).

Pag. 25, lin. 24. Loco « ita ut dilatatio Corporis Christi opus totius collegii episcoporum sit » dicatur « ita ut dilatatio Corporis Christi totius collegii episcoporum munus sit ». *Ratio*: « munus » (cf. Notam Explicativam) ex se non dicit « potestatem ad actum deductam »; « opus » vero non concipitur nisi quando ad actum deducitur. Unde emendatio est necessaria ne collegialis actio, cuius necessitas in constit. de Eccl. exclusa est, per fenestram redeat in re missionali.

Pag. 26, linn. 6-14. Totum hoc comma est maximi momenti doctrinalis et practici. Videtur enim concedere conferentiis episcopalibus iuridicam, valdeque onerosam ingerentiam in gubernatione singularum dioecesium, cum detrimento sive auctoritatis Sanctae Sedis, sive praesertim singulorum episcoporum. Unde aut totum comma auferatur aut ad haec verba reducatur: « Conferentiarum episcopalium est, sub ductu Sanctae Sedis, promovere ordinatam cooperationem missionalem suae regionis ». Et satis. Particularia statuentur, si casus ferat, a Sancta Sede pro singulis casibus.

N. 38, pag. 27, lin. 25. *Auferenda* censentur verba: « sub auctoritate conferentiarum episcopalium », quia essent magis in detrimentum quam in auxilium Missionum.

Conclusio. Pag. 28, lin. 24. Loco « Peramanter quoque salutant eos, qui propter Evangelium persecutionem patiuntur » dicatur: « Peramanter quo-

que, tamquam " socii passionum " (*2 Cor.* 1, 7), salutant eos, qui propter Evangelium persecutionem patiuntur ». *Ratio*: ut exprimatur non solum salutatio (quod nimis parum est!) sed maxime participationem cordialem in doloribus fratrum contra quos movetur persecutio.

29

EXC.MUS P. D. BERNARDUS M. CAZZARO

Episcopus tit. Pyrgensis, vic. ap. Aysenensis

Venerabiles Patres, loquor etiam nomine 90 episcoporum, praesertim ex America Latina, quorum nomina iam nunc secretariae Concilii tradam.

Schema *De activitate missionali Ecclesiae* in genere placet. Liceat tamen gravem in eo indicare lacunam, eo quod scil., prout in textu, Ecclesiae in Missionibus apparent velut *acefalae.* Fere omnino enim ignorantur earum Pastores.

Opportunus quidem sermo de certo territorio, de plurimis inceptis apostolatus, de christifidelibus, de catechistis, de clero locali paulatim efformando, de particularibus ecclesiis novellis, etc. Sed haec omnia apparent ut elementa ad invicem separata, quia deest certa eorum relatio ad centrum seu Caput, quod eis conferat unitatem illam in qua recognoscitur vultus verae Ecclesiae Christi.

Vix duobus lineis, scil. 34 et 35 in pag. 22 textus, quindecim paucissimis verbis explicite absolvitur figura episcopi pastoris in territoriis Missionum.

E contra, in locum pastorum, passim videtur haberi quaedam intromissio conferentiarum episcopalium, citra iustam coordinationem laboris apostolici.

Insuper etiam coram Instituto, cui forte Missio concredita fuerit, figura pastoris pariter evanescit.

Hoc sensu, schema nostrum minus dicit quam Instructio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 8 decembris anno 1929 data.

At verius, in Missionibus saepissimae exstant verae Ecclesiae locales particulares, quibus congruit notio quae in n. 11 decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* invenitur, scil. « Populi Dei portio, quae episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur, ita ut, pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Ecclesiam particularem constituat, in qua vere inest et operatur Una Sancta Catholica et Apostolica Christi Ecclesia ».

Revera opus plantandi Ecclesiam non est exclusivum, sed, incoepta evangelizatione, cito coniungitur cum opere pascendi portionem populi Dei, per Evangelium et Eucharistiam recenter in Spiritu Sancto congregati.

Non est proinde qualitate, sed quantitate, qua Ecclesiae in Missionibus distinguuntur a ceteris Ecclesiis particularibus. Sic bene in textu dicitur, in pag. 7, lin. 41: « Distinctiones, quae in missionali Ecclesiae activitate agno-

scendae sunt, non sumuntur ex intima natura ipsius missionis, sed ex condicionibus in quibus missio exercetur ».

Si proinde Ecclesiae novellae specialem dicuntur mereri considerationem, potior ratio est quia, etsi sunt maximi momenti pro expansione Fidei, tamen adhuc parvae sunt, in magnis versantur difficultatibus ac indigent peculiari auxilio aliarum Ecclesiarum.

Proinde humiliter propono: 1. In schemate nostro bene in lucem ponatur figura pastoris novellae Ecclesiae, cum suis muneribus, congruenter sane, ad mentem decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Eo magis quod munus missionale, cum persaepe valde laboriosum sit, magis indiget sapientibus normis huius Concilii et fulciri et dirigi.

2. Conferentiis episcopalium reservetur — sicut et in ceteris casibus — incrementum et coordinatio laboris pastoralis in regione, salva semper earum speciali consideratione pro opere missionali.

3. In distinctionibus administrativis, necessario habendis, inter varias Ecclesias, vitentur ea omnia quae Ecclesias missionales et suos pastores veluti secundi ordinis apparere faciunt. Sic in iure condendo derelinquantur ea omnia, practice inutilia, quae condicionem Ecclesiarum missionalium imminuunt et pastoraliter earum nocet aestimationi, sicut omnes illi « quasi » (ut quasi-paroeciae, quasi-dioecesis) qui in suspicionem inducunt etiam earum pastores esse quasi-pastores, quorum nomina revera, etiamsi agatur de Ordinariis locorum cum caractere episcopali, in Missis et in ceteris precibus liturgicis, solummodo ex benigna concessione pronunciari possunt. Quod certo non favet unioni inter pastorem et suum gregem.

4. Etiam quando Missio Instituto cuidam commissa fuit, ut plurimum fit, ad praecavendum facile periculum ne distinctiones in separationes vertantur, pariter figura pastoris melius declaretur in textu, praesertim in intimo et necessario ligamine cooperationis inter Eum, totius Missionis pastorali sollicitudine coram Deo et coram Ecclesia gravatum, et ipsum Institutum. Hic omnino necessarius pons posset creari statuendo ut in bonum Missionis Instituto concreditae, certis temporibus, v. g. occasione Capitulorum Instituti, etiam Pastor Missionis, non ex sola fraterna benignitate, sed ex officio audiatur. Quod in textu fieri posset addendo, in pag. 23, in lin. 18, post verba « ... a proprio Pastore cum suo grege regatur », haec vel similia: « Cum autem Ordinarius loci universae Missionis pastoralem sollicitudinem primus gerat, Moderatores ipsius Instituti, congruis temporibus, concrediti territorii necessitates ab illo exquirere ex officio curabunt, quibus libenter pro viribus consulere studebunt ».

[*Subsignaverunt etiam*] V. Garaygordobil, prael. Los Rios; A. Yeddanapalli, ep. Bellary; C. Manziana, ep. Crema; J. Daley, ep. tit. Barca; B. Kelly, ep. tit. Tegea; F. Rebello, aux. Goa; F. Gillmore, ep. castr. Chile; A. Silva Silva, ep. tit. Eudossiade; J. Gazza, ep. tit. Circesio; A. Silva Santiago, arch. tit. Petra di Palestina; E. Tagle, ep. Valparaiso; A. Cerqua, prael. Parintins; A. Marzi, prael. Alto Solimões; E. Alvear, ep. San Felipe; J. Grotti, ep. tit. Tunigabe; C. Chizzini,

ep. tit. Ege; B. Coscia, ep. Jatai; S. Martinez Aguirre, ep. tit. Arce di Armenia; C. Faresin, ep. tit. Bubasti; M. Legarra, prael. Bocas del Toro; A. Alvarez Diaz, prael. Marajó; Ph. Cueto, ep. Tlalnepantla; A. Ramos, arch. Belém; E. Coroli, prael. Guamá; G. Hascher, ep. tit. Elie; X. Ariz, ep. tit. Bapara; F. Loewenau, prael. Obidos; J. Tielbeek, ep. tit. Tipasa di Numidia; J. de Sousa Lima, arch. Manáus; J. Marchesi; A. Ungarelli; Cl. Gieger, prael. Xingú; E. Kinch, praef. ap. Ingwavuma; J. Ryan, ep. tit. Margo; G. Dupont, ep. Pala; B. Sikorski, ep. Plock; J. Wiesen, ep. tit. Telmisso; D. Sheehan, ep. tit. Capso; Jacques Martin.

Reliqua nomina exstant in elencho ab exc.mo D. Iucundo M. Grotti O.S.M. ven. secretariae Concilii dato die 8 oct. 1965 [*cf. pag. 207*].

30

Exc.mus P. D. HORATIUS CEOL
Episcopus Chiceuvensis

Infrascriptus Pater conciliaris reverenter ac humiliter petit ut in par. 14 schematis *de activitate missionali Ecclesiae* saltem aliqua nota addatur quae revera nobis omnibus pastoribus cum *claritate et fortitudine dicat de catechumenatus momento, de eius absoluta necessitate, necnon de ingenti responsabilitate qua oneratur conscientia sacerdotis adultos baptizantis.*

A. Catechumenatus, ut ceterum ab omnibus admittitur, periodus est quae intercedit e statu erroris ad statum veritatis et gratiae. Vocatio ad christianismum, idest conversio, gratiae Dei opus est. Inter receptionem huius gratiae et illam baptismi, necessaria est attenta, seria et longa praeparatio, idest, ut christiani conscientes evadant, opus est ut pagani perdiligenti studio imbuantur notionibus christianae doctrinae.

Adultus paganus processum mentalem, psychicum sustinere debet et plurimis in casibus etiam prae oculis habens mala exempla christianorum. Gratia Dei adiuvat quidem catechumenum sed cooperationem exigit ex parte catechumeni i. e. humilitatem, sinceritatem, bonam voluntatem et studium doctrinae.

B. In terris missionis catechumenatus momentum bene intelligitur et magni existimatur ab Episcopis et Missionariis. Pagani omnes qui baptizari cupiunt, transire debent per hanc periodum et quidem satis longam: octo mensium, unius anni, vel etiam trium annorum, secundum personas et circumstantias.

C. Omnes Missionarii admittunt paganos perdifficile bonos catholicos fieri si per catechumenatum non transeunt.

D. Mea humilis petitionis ratio sumit e facto quod in quibusdam regionibus Americae Latinae, i. e. in regionibus ubi omnes sunt catholici, a sacerdotibus non cognoscitur catechumenatus quia practice negligitur, magno detrimento animarum.

Exemplum et quidem triste: Fere omnes adulti Asiatici, Sinenses et Iaponenses in aliqua regione Americae Latinae et quidem non pauci, baptismum petunt humana et terrena compulsi finalitate: quia omnes illic sint catholici, quia per baptismi documentum facilius mittere possunt filios ad scholas catholicas et etiam quia matrimonium contrahere cupiunt in templo catholico, sicut omnes illius loci, magnis cum pompis.

Pagani, tunc, et quidem permulti, baptizantur « celerrime », sine ulla instructione, sine studio orationum et doctrinae.

Si Visitator Apostolicus visitaret aliquam regionem Americae Latinae et investigationem faceret de hoc pessimo abusu baptizandi adultos paganos, mecum conveniret illos sacerdotes baptizantes paganos sine instructione crimen contra animas et familias committere. Recte dixit Concilium Plenarium de Shanghai anno 1924: « Comprobatum est experientia christianos peiores non inveniri quam qui, ante competentem instructionem, ad baptismum admissi sunt ». (N. 634) et in n. 639: ... « Non tantum baptizatos quaerit Ecclesia sed vere proprieque conversos ».

E. Dicitur ab aliquo sacerdote quod adultus paganus potest instrui etiam post baptismum. Theoretice hoc admitto sed si agatur de Sinensibus et Iaponensibus ad Americam Latinam migrantibus, instructio impossibilis evadit. Experientia optima Magistra est etiam Missionario.

F. Concilium Vaticanum II errores detergere et proscribere vult quales in concreta realitate serpunt etiam in Regionibus catholicis. Problema hoc, i. e. momentum catechumenatus, problema est eminenter pastorale.

Rogo denique ut fortius et clarius dicatur catechumenatum absolute necessarium esse et dicatur etiam si sacerdos baptizat adultum paganum, hoc magno cum gaudio faciat sed et onerata sua conscientia.

Sacerdos missus est ad praedicandum Verbum Dei non ad baptizandum et solum qui crediderit baptizandus est.

31

Exc.mus P. D. ARCHANGELUS CERQUA

Episcopus tit. Olbiatanus, prael. Parintinensis

Pars prima: De definitione « Missionis » relate ad Praelaturas Nullius in Brasilia ceterasque missiones Americae Latinae.

Ordinarii Praelaturarum N., in Brasilia, valde dolent propter definitionem *Missionis,* prout describitur in pag. 8, n. 6, linn. 30-32.

Verba enim « erga populos vel coetus *nondum credentes* » Praelaturas nostras e conceptu missionis excludere videntur, etsi linn. 33-38 ipsis optime se addicant.

Etiamsi enim his praelaturis plures tribus Indorum nondum credentes annumerentur, maxima tamen ex parte earumdem incolae credentes sunt.

Et ideo secundum definitionem allatam, unae residentiae inter Indos missiones dici possunt; cum e contra hae praelaturae in sua integritate, praesenti quidem tempore, verae missiones retinendae sunt.

Paucas tantum rationes afferre liceat nobis.

1. Praelaturae de quibus loquimur clero autochtono omnino carent, neque spes affulget illum brevi tempore constituendi.

2. Utpote nuper fundatae, carent quoque aedificiis et similibus ad vitam christianam promovendam, sicut seminariis, templis, scholis paroecialibus, missionariorum domibus etc., ad quae omnia apparanda, pro extrema regionis paupertate, externo auxilio absolute indigent.

3. Incolae vero, etsi baptizati et erga religionem bene dispositi, temporibus transactis, initium tantum evangelizationis et quasi indirecte acceperunt, per praesentiam aliquorum missionariorum, qui ad interim et passim ibi laboraverunt.

Systematica et effectiva evangelizatio est solummodo ea quae nunc a praelaturis per laborem vere missionalem efficitur.

4. Hae praelaturae ob territorii amplitudinem, climatis atque regionis asperitatem, vitae vel itinerum conditiones etc., gravissimis subsunt difficultatibus, ita ut sacrificiis etiam heroicis missionarii ibi laborantes subiiciuntur. Et propterea Missionalibus concreduntur Institutis, quorum superiores maiores, comparatione cum aliis facta missionibus, eas magis quam missiones iudicent, immo difficillimas inter omnes.

5. Ipsa Ecclesia hanc missionalitatem aliquo modo agnoscit, eas enim non in dioeceses sed in praelaturas nullius constituit.

Quid est enim praelatura nullius in Brasilia? Est dioecesis, ut ita dicam, in fieri, pluribus affecta carentiis; est igitur circumscriptio vere missionalis, quae tamen, opportunitatis causa, nomine non missionali indicatur. Eiusdem opportunitatis causa, id est ob peculiares rationes temporis acti iam nunc sine valore, S. C. Consistoriali hae praelaturae proh dolor! subiectae sunt et manent.

Proh dolor! utique, quia ob hanc unicam rationem, auxilia et privilegia S. C. de Propaganda Fide eis pertinaciter denegantur.

6. Quousque missionalitas, qua reapse eminenter elucent, his praelaturis modo iuridico expresse non recognoscatur, semper periculum adest, ut eaedem ab Institutis Missionalibus relinquantur.

Ceterum, rebus sic stantibus, ut onus valde incommodum ab Institutis aegre tolerantur; missionariis enim, iure meritoque, missiones uti tales iuridice agnitae, omnino praeferendae videntur.

Missionalitatem iuridicam tribuere oportet, ad bonum quoque spirituale missionariorum; qui absolute indigent protectione ac alimento morali huius admirabilis Decreti. Sub umbra materna istius Chartae Magnae Missionum sentire se debent, ut sint missionarii missionarii et non ancillae filii.

His freti rationibus, sequentes emendationes proponimus:

a) Definitio Missionis, ut in linn. 30-33, cum nostrarum praelaturarum certam missionalitatem excludat, aut expungatur, aut integre refundatur.

Forsitan dici poterit *Missio* territorium, vel populus vel coetus in quo Ecclesia per incepta particularia plantatur atque radicatur.

b) Vel in lin. 31 deleantur verba « erga populos vel coetus nondum credentes » et maneat ut elementum constitutivum definitionis una idea penetrationis, quae, meo humili iudicio, sufficere potest.

c) Vel etiam loco « credentes », dicatur « evangelizatos ».

Expressio « nondum credentes » videtur excludere, et quidem contra iustitiam, sive nostras praelaturas, sive missiones inter christianos non catholicos.

d) Vel demum textus perficiatur cum insertione verbi « praesertim » post verba « penetrationis christianae » (lin. 30); et verbum « certis » (lin. 33) substituatur verbis « territoriis inconsistenti Ecclesiae praesentia laborantibus ».

Quod proponimus, a veritate et iustitia exigitur.

Hac via, praelaturae nullius in Brasilia, fere quadraginta, necnon ceterae Missionis Americae Latinae, non exceptis quibusdam dioecesibus eisdem carentiis affectis, hoc in schemate perfecte integrari possunt et debent.

Ad integri decreti textum iuxta mentem nostram apparandum, liceat nobis quasdam alias emendationes, breves quidem, innuere.

A) Ad pag. 11, n. 10, lin. 3. Inseratur: « Adhuc manent gentes, in quibus Ecclesiae, quidem fundata, nondum radicata est. Immo vicies... ». *Ratio*: ne missiones nostrae excludantur.

B) Ad pag. 21, n. 25, lin. 26. Post verbum « urgentiores » inseratur « atque difficiliores ». *Ratio*: hac locutione textus praelaturas nostras directe inspicit; in Amazonia enim, sicut in quibusdam Americae Latinae regionibus, extra Brasiliam, opus evangelizationis difficillimum est.

C) Ad pag. 21, n. 25, lin. 18. Post verba « ob peculiares rationes », loco unius verbi « nondum » dicatur: « nondum plene »; aut etiam « nondum vel insufficienter »; vel demum « nondum vel inchoaliter tantum ». *Ratio*: ut clare includantur missiones Americae Latinae.

Pars II: Ad cap. IV, n. 27. *De Dicasterio unico missionali* relate ad praelaturas nullius Brasiliae ceterasque missiones Americae Latinae.

Dicasterium unicum, nempe « De Propaganda Fide », magnopere laudandum censemus, eo magis si ipsius membra et munera iuxta formam propositam attendamus. Cum vero praelaturarum nostrarum e S. C. Consistoriali dependentia unica causa sit, qua ad praesentem diem Operum Missionalium beneficia a S. C. de Propaganda Fide eisdem denegata fuerint, nunc quaeritur: Huic renovato dicasterio « De Propaganda Fide » subiicien-

turne etiam missiones, quae nunc S. C. Consistoriali vel alii Dicasterio pertinent?

I. In casu affirmativo, magna afficiemur laetitia, quia hoc modo praelaturarum nostrarum missionalitas omnimodo, etiam iuridice, agnoscetur; et ita beneficiis omnibus S. Congregationis de Propaganda Fide frui poterimus.

Quod tamen, ex ipso schemate expresse constari debet, ne optata solutio in perpetuum, sicut factum est, protrahatur.

Qua re, ad pag. 21, n. 27, lin. 38, proponimus ut post verba « Pro omnibus missionibus » addatur: « iis non exceptis circumscriptionibus quae in Brasilia ceterisque Americae Latinae nationibus opus vere missionale exerceant ». Hoc vel simili additamento, sine ulla tergiversatione, praelaturas nostras, ceterasque Americae Latinae circumscriptiones in iisdem rebus adiunctis, dirigere et adiuvare dicasterio de Propaganda Fide ius et onus erit.

Sed ad tempus tantum; id est quousque hae missiones « opus vere missionale exerceant ». Statim enim eaedem clero authoctono et omnibus ad vitam christianam favendam operibus praeditae erint, sine mora e S. C. de Propaganda Fide uti Ecclesiae formatae ad aliud Dicasterium tradentur.

Si vero emendatio proposita includi non poterit, suppliciter petimus ut in *relatione vel adnotationibus schematis* sin aliter dicatur hanc esse mentem Concilii.

II. In casu negativo, i. e., si praelaturae nullius Brasiliae, in S. C. Consistoriali permanere debeant, quid agendum?

Una tantum habetur solutio, quae tamen absolute et expresse a Sacro Concilio adprobanda est: nempe ut in S. C. Consistoriali specialis sectio missionalis pro his Praelaturis missionalibus instituatur, quae directe immoque potius in collaboratione cum dicasterio « De Propaganda Fide », istius leges ac favores eis rite applicet.

Quapropter ad pag. 22, n. 27, lin. 11, sequentem vel similem additionem proponimus: « Ab eo demum missiones quoque S. C. Consistoriali vel alii Dicasterio addictae, per specialem sectionem missionalem in eisdem constituendam, convenienter provideantur ».

Una vel altera solutio problema nostrum bene solvit, dummodo eius adprobatio a S. Concilio decernatur. Decernatur igitur, quia dignum et iustum est. Praelati enim fatigati sunt ex itineribus et petitionibus ex uno ad alterum dicasterium. Iam nunc tempus est illorum angustiis finem imponendi; ita ut ardentissima ac diutissima eorum expectatio felici exitu tandem aliquando coronetur.

Pars tertia: animadversiones quoad cooperationem missionalem et diversa.

1. Ad pag. 25, n. 35, lin. 11. Textus uti sequitur vel similiter immutetur: « Perutile erit, excellentia quidem operis missionalis universalis convenienter tecta, specialem coniunctionem... ». Vel etiam: « Perutile est, de-

bita quidem erga opus missionale universale proportione servata, specialem coniunctionem... ». *Ratio.* Verba « ne negligant » simplici forma negativa, operi missionali universali parum fovent. Etenim per hanc laudabilem specialem coniunctionem sacerdotes vel cuiuscumque generis auxilia sine debita proportione distribui poterunt. Quod est firmiter vitandum, ne in quondam colonialismum spiritualem incidamus, neque hic perperam effundatur quod illic perutile vel etiam necessarium sit.

Evenire enim poterit quod, e. g., aliqua potissima dioecesis aut archidioecesis, super unam tantum paroeciam vel missionem parvi momenti, suas ingentes vires citra convenientiam concentrare velit.

Opportunum igitur erit Operi Missionali Universali, ideoque Dicasterio centrali proposito eiusque dependentiis, in collectione atque distributione auxiliorum convenientem excellentiam vindicare, et quidem modo positivo; necessitates enim omnium missionum et inspicere et sine iniusta partialitate adiuvare ipsum Dicasterium potest.

Ex altera parte incepta particularia non sunt suffocanda, quinimmo fovenda. Sapienter et in caritate Christi igitur evitari debent et nimia centralizatio et nimia independentia.

Ita e. g. procedi debet circa Institutos Missionales, quae sine dubio, ad alumnos formandos et ad pluria problemata resolvenda congrua autonomia indigent.

Quapropter sapienti aequilibrio procedi oportet in hac quaestione; quae sine dubio a renovata Congregatione de Propaganda, sicut in schemate annuntiatur, satisfactorie resolvetur; in ea enim annumerabuntur et Moderatores Operum Missionalium, et episcopi varii ex toto orbe, et superiores maiores Institutorum Missionalium, omnes igitur quorum problema interest. Iam nunc, si nobis laudabile exemplum afferre liceat, optima solutio in « Adveniat » inspicitur; in quo collegialiter episcopatus Germaniae petitiones ex toto orbe maxima cum bonitate et prudentia exaudit, saepe per interpositam Congregationem de Propaganda acceptas.

2. Ad pag. 26, n. 36, lin. 2. Verbum « laborent » scribatur « collaborent ». *Ratio*: in n. 22, lin. 9, dicitur de missionariis « et quidem per totam vitam » se operi Evangelii devinciunt, et iure meritoque.

Dicatur igitur de iis qui ad tempus in missionibus laborare velint, quod sint « collaborantes ».

Emendatio nullam intendit diminutionem generositatis sacerdotum « ad tempus » in missionibus, sed per congruam distinctionem in tuto ponere vult servitium missionale per totam vitam.

3. Doctrinam nn. 2, 3, 4 resumere et simplificare oportet, quia, ut iacet, difficilis est intellectu, ob nimiam idearum contractionem et linguae obscuritatem.

Quoad vero pag. 6, n. 3, linn. 1-7, sensus absconditur sicut in enigmate. Hae lineae igitur integre refundantur.

4. Ad pag. 7, n. 4, lin. 12. Post verba « manent in aeternum » inter-

ponatur « et ita ». Habeatur igitur: « manent in aeternum (*Io.* 14, 16), et ita Ecclesia coram multitudine... ». *Ratio*: hoc modo sermo adquirit nexum et claritatem.

5. Ad pag. 5, n. 1, linn. 14-16 loco « et vires omnium colligere cupit » dicatur « et vires totius Populi Dei colligere cupit, ut ipse... ». *Ratio*: sensus elucet clarius et opportune imminuitur repetitio « Ecclesiae filiorum... omnium fidelium... Populus Dei... ».

6. Ad pag. 14, n. 15, linn. 18-19 loco « perplurium bonorum » dici poterit « non paucorum bonorum » vel potius « plurium bonorum ». *Ratio*: textus videtur extollere ultra limites bona fratrum separatorum.

[*Subsignaverunt etiam*] J. Gazza, ep. tit. Circesiensis; C. Minali, prael. Carolina; J. de Lange, ep. tit. Fotice; A. Marzi, prael. Alto Solimôes; M. Pereira, ep. tit. Coronea; A. Ramos, arch. Belém; J. Tielbeek, ep. tit. Tipasa di Numidia; C. Faresin, prael. Registro do Areguaia; A. Silveiro de Mello, prael. Diamantina; B. Coscia, ep. Jatai; T. Ryan, prael. Santarém; J. de Aquino Pereira, ep. Presidente Prudente; A. Petrò, ep. Uruguaiana; V. Cecchi, ep. Fossombrone; A. Cuniberti, vic. ap. Florencia; E. Dinkelborg, ep. Oeiras; A. Pirovano; C. Grant, ep. tit. Alinda; H. de Angelis, ep. Viana; J. Gomes, ep. Bagé; J. Dalvit, ep. Sâo Mateus; F. Loewenau, prael. Obidos; C. Quintero Arce, ep. Ciudad Valles; Joseph Petrus, ep. Caetité; D. Parodi, prael. Santo Antonio de Balsas; A. Ungarelli, ep. tit. Azura; Cl. Almeida de Andrade, ep. Vitoria de Conquista; M. D'Aversa, ep. tit. Macri; Th. Murphy, ep. Juázeiro; V. Talleur, prael. Rondonopolis; A. Barbosa; ep. Campo Grande; A. Lui, ep. Paracatú; A. Rodrigues Alves, ep. Palmares; P. Filipak, ep. Jacarézinho; J. Alves Trindade, ep. Montes Claros; G. Warmeling, ep. Joinville; Joâo, arch. tit. Martiropoli; S. Fernandes de Araújo, ep. tit. Verinopoli; N. Monte, adm. ap. Natal; E. de Oliveira, ep. Patos; T. Vaquero, ep. Sâo Joâo de Bôa Vista; J. de Souza Lima, arch. Manáus; G. Ferreira Reis, ep. Leopoldina; W. Teixeira Vieira, ep. Sobral; J. Melhado Campos, ep. tit. Ospita; Cl. Colling, ep. Passo Fundo; A. Pietrulla, ep. Tubarâo; J. Costa Campos, ep. Valença; D. Tavares Baeta Neves, ep. Sete Lagôas; Aloisius, ep. Cachoeiro de Itapamirim; R. de Castro e Silva, aux. Fortaleza; Hugo, arch. Marilia; Emmanuel Petrus, ep. Petropolis; N. Dudàs, ep. Hajdudorog; J. Winkler, ep. tit. Dadima; B. Neto, ep. tit. Cremna; Marius, arch. tit. Gibba; A. Rivato, prael. Ponta de Pedras; S. Conti, prael. Roraima; A. Alvarez, prael. Marajó; M. Anglim, prael. Coari; A. Veigle, prael. Borba; J. D'Angelo Neto, arch. Pouso Alegre; B. Cazzaro, ep. tit. Pirgo; B. Nolker, ep. Paranaguá; J. Marchesi, coad. Rio Negro; Q. Schmitz, ep. Teófilo Otoni; A. Gonzalez Ferreiro, prael. Sâo Raimundo Nonato; P. Moretti, praef. ap. Tungchow; H. Malzone Hugo, ep. Governador Valadares; J. Vásquez, ep. tit. Usula; E. Coroli, prael. Guamá; C. Allorio, ep. Pavia; G. Casullo, ep. tit. Utica; E. Cueter, ep. tit. Taua; E. Kunz, ep. tit. Tolemaide di Fenicia; J. Varani, ep. Jaboticabal; A. Melillo, ep. Piracicaba; A. Hypolito, aux. Sâo Salvador de Bahia; P. Koop, ep. Lins; A. Pacheco Ribeiro, ep. Barra do Pirai; F. Niccoli, ep. Colle di Val d'Elsa; G. Lima dos Santos, ep. Ilhéus; J. Bezerra Coutinho, ep. Estância; V. Marchetti Zioni, ep. Bauru; Agnelo card. Rossi, arch. Sâo Paulo; A. Niehues, arch. tit. Aptuca; F. Zayek, ep. tit. Callinico; J. Gonçalves da Costa, ep. tit. Rodopolis; B. Bueno Miele, aux. Campinas; G. Diniz

Barreto, ep. Mossoró; L. Sartori, ep. Santa Maria; A. Fragoso, ep. Crateús; F. Austregesilo de Mesquita, ep. Afogados da Ingázeira; D. Ribeiro Guedes, ep. Sâo Joâo del Rei; N. Grossi, ep. Bom Jesu de Lapa; J. Ramalho de Alarcón Santiago, ep. Iguatú; A. Cavalcanti Machado, arch. Maceió; J. de Medeiros Leite, ep. Oliveira; Octavio, ep. Palmeira dos Indios; W. Calheiros, aux. Rio de Janeiro; A. de Castro Mayer, ep. Campos; L. da Cunha Marelim, ep. Caxias do Maranhâo; C. Bampi, aux. Caxias; J. Hascher, prael. Juruá; J. Távora, arch. Aracajú; Jaime card. Câmara, arch. Rio de Janeiro.

32

Exc.mus P. D. IOANNES B. CESANA

Episcopus Guluensis

Schema hoc de activitate missionali Ecclesiae placet et activitatem missionalem Ecclesiae apud gentes valde iuvabit.

Attamen videtur quod expositio rationum et necessitatis missionalis quae fit n. 7. in cap. I claritate careat.

Schema enim n. 7 videtur dicere quod activitas missionalis Ecclesiae absolute necessaria dicenda sit ex proposito Dei ut universi ex quibus genus humanum constat, unum populum efforment Dei in unum corpus coalescant Christi ». Salus aeterna animarum quamvis primo loco in textu ponatur, reapse exhibetur ut secundaria respectu ad rationem.

Dicitur enim in schemate « Ratio huius missionalis activitatis non unice ex aeterna salute uniuscuiusque hominum evangelizandorum procuranda sumitur ».

Ex hoc videtur quod activitas missionalis Ecclesiae absolute necessaria dicenda sit non propter salutem animarum, sed tantum propter fraternitatem in Christo tanquam in Capite Corporis mystici.

Ad hoc vero sequentia dicenda nobis videntur:

1. Ratio activitatis missionalis in primis est gloria Dei per aeternam salutem uniuscuiusque hominum evangelizandorum procurandam.

Hoc enim in primis deducitur e principiis dogmaticis quae gloriam Dei obiectivam proponunt tanquam finem ultimum creationis.

Secundo deducitur ex Sacris Scripturis quae saepius docent animarum salutem per Iesum tantum consequendam posse. Sic invenimus:

a) « Euntes ... docete omnes Gentes ... qui autem crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui autem non crediderit condemnabitur ».

b) « Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant Te Deum verum et quem misisti, Iesum Christum ».

c) « ... Deus enim vult omnes homines salvos fieri nec aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri praeter nomen Christi Iesu » (*1 Tim.* 2, 4; cf. *Act.* 4, 12).

2. Incorporatio in Corpus Mysticum non est nisi medium concretum historicum a Deo statutum, ad consequendam illam gloriam et complendam secundam naturam socialem hominis.

3. Nos enim non dicimus « Extra Ecclesiam Nulla Salus », nos non dicimus quoque quia omnes non-christiani ad damnationem condemnandi sunt, nos unice dicimus cum schemate: « Deus viis sibi notis homines ad Fidem adducere posse etiamsi Evangelium non audierint ». Sed addimus: « Viae quibus Deus Hominem adducere potest ad Fidem sine praedicatione Evangelii, notae sunt Deo soli: viae nobis notae sunt viae praedicationis Evangelii et Nominis Iesu.

Sicut viae quibus Deus redimere potuisset hominem a peccato, multae poterant esse, sed tamen unica nobis nota et a Deo selecta est via Incarnationis, Mortis et Resurrectionis Iesu Christi, ita viis quibus Deus salvare potest homines multae esse possunt; tamen unica nobis nota est via Iesu Christi ».

De cooperatione missionaria quae in cap. V tractatur haec dicenda videntur:

Loquens de officio missionali communitatum christianarum schema declarat utile esse specialem coniunctionem cum missionariis ex ipsa communitate oriundi vel cum paroecia vel dioecesi aliqua missionum.

In hoc duo pericula vitanda videntur: 1. periculum non recte et iuste applicandi media materialia et humana iuxta veras necessitates catholicas; 2. periculum cuiusdam formae nationalis colonialismi spiritualis quod damnum ferre potest missionibus.

Haec pericula aliquibus modis vitanda debent: e. g. 1. ut notitia horum maiorum coniunctionum dicasterio Propagationis Fidei perveniatur; 2. ut conferentiae episcopales nationum habentium media materialia et humana, haec colligant atque dividant inter missiones indigentes, notitia data Dicasterio de Propaganda Fide.

33

Rev.mus P. D. SERVILIUS CONTI
Praelatus nullius Roraimensis

Loquar etiam nomine 77 praelatorum seu episcoporum Americae Latinae, quorum nomina secretariatui iam tradita sunt.

In schemate *de missionali activitate Ecclesiae,* cuius laudibus iam in aula probatis, toto corde adhaeremus — paragraphus particularis « de catechumenatu » deesse non poterat, cum pernota sint magna merita talis providentissimae institutionis, quae iam a saeculis obtinentur in regionibus ubi eadem praxis vigere potuit ac potest. Attamen, in pagina decima tertia, linea decima quarta, pauca inveniuntur verba, quae excessum quendam sapiunt, ad quod eliminandum, duo ducimus adnotanda; scil.:

1. Erronee profertur catechesis et christiana initiatio prae-baptismalis seu catechumenatus, esse institutum de se absolute necessarium.

2. Erronee quoque dicitur, et quidem in linea principii, catechumenatum necessarium diuturnum esse debere, ut legitur in textu: « Tirocinium sat longum ».

Iam vero recolendum est: *theologice* catechumenatum de se non requiri ante baptismum, ad quod sufficit vera ac plena conversio, illa scilicet, quae normaliter provenit ex acceptatione « Kerygmatis ».

Catechumenatus aliud non est, nisi catechesis prae-baptismalis. Catechesis vero in se est institutio progressiva in doctrinam fidei et morum; non tendit proprie ad conversionem, quam e contra iam supponit.

Historice enim ipsi apostoli ante baptismum, Kerygmatis receptionem exigebant, non veram catechesim, quae post baptismum dabatur. De facto:

a) Petrus, eodem die Pentecostes, omnes qui ex primo Nuntio Evangelii crediderant, baptizat (*Act.* 2, 37 ss.).

b) Cornelius quoque, qui e paganismo veniebat, abque ullo catechumenatu, baptismum recepit (*Act.* 10, 48). Idem dicendum est de Eunuco baptizato a Philippo (*Act.* 8, 35).

c) Pariter Paulus, statim post Kerygmatis acceptationem, baptismum contulit Lidiae (*Act.* 16, 15); necnon carceris custodi (*Act.* 16, 33), atque duodecim discipulis Ioannis Baptistae (*Act.* 19, 5).

d) Nec alia videtur praxis eiusdem apostoli in fundatione Ecclesiarum, sive in admittendo Iudaeos sive Gentiles.

Duabus rationibus catechumenatus est utique hodie commendandus: 1. quia hodie, sicut etiam in saeculis anteactis, ipsum Kerygma vel ignoratur, vel non plene ab ipsis missionariis datur, ob impedimenta varia; 2. quia ex parte communitatum christianarum deesse solet generale exercitium verae et authenticae vitae christianae.

Unde provenit difficultas quam neophytae patiuntur: scilicet cognoscendi et aestimandi momentum et excellentiam vitae christianae.

Veruntamen sine ullo praeiudicio magnarum laudum, quas catechumenatus meretur in ordine practico et pastorali, affirmari non potest eiusmodi omnimoda necessitas ante baptismi receptionem, ac multo minus imponi potest eius diuturnitas uti fit in decreto per memorata verba « tirocinium sat longum » (pag. 13, lin. 14).

Cum populorum, coetuum ac regionum condiciones valde diversae sint, ratio et tempus catechumenatus omnino demandanda sunt prudenti iudicio Ordinarii loci, vel Conferentiae Episcoporum, uti iam factum est et continetur in variis normis datis ab ipsa Sacra Congregatione de Propaganda Fide (vide: n. 652, pag. 397, 8 dic. 1929, *A.A.S.,* 1930, pag. 112: « Ipsi Superiori Ecclesiastico iudicandum est de modo, tempore et curriculo catechumenatus »).

Nostro ergo humili iudicio, explicite emendetur paragraphus « De cate-

chumenatu » hoc sensu scilicet quod: tribuantur Ordinario loci vel conferentiae episcopali eius ratio, condiciones et tempus; et prorsus expurgentur tria illa verba: quod catechumenatus sit « Tirocinium sat longum ».

Post hanc animadversionem, venerabiles Patres, votum quoddam exprimere mihi liceat. Optime quidem in toto decreto « De activitate missionali Ecclesiae », haec dicitur, praedicatur et asseveratur ex natura sua missionaria.

Et sane quidem quia ad hoc nata est extendere beneficia Redemptionis omnibus populis, tribubus et nationibus. Sed proh dolor; sat magna pars humanitatis ingemiscit propter longum, ut ita dicam, catechumenatum, quia post bis mille annorum, adhuc expectat lucem et gratiam Evangelii. Et in ordine actuali rerum magis atque magis crescit proportio paganorum relate ad numerum christianorum. Profecto, absonum atque fere absurdum est, quod labor et onus propagandi Evangelium, plerunque relinquatur individuis vel institutionibus, quae etsi sub illuminata directione Sanctae Sedis, quasi sua sponte et suis sumptibus suscipiunt hoc officium.

Nonne desiderandus esset et in Ecclesia, sicut aliqua natio in tempore belli, prospectus urgentis necessitatis (vulgo: un piano di emergenza) prospectus scil., qui conglobet omnes vires, media et maiorem numerum ministrorum ad citius et securius evangelizandum mundum, antequam in baratrum cadat?

Et hoc est votum conclusivum: « Quod Ecclesia, quae ex natura sua dicitur missionaria, possit liberius, et quasi ad arbitrium, uti mediis et ministris ad suppeditandas urgentissimas necessitates in Propaganda Fide, in plantando scil., Regnum salvationis et caritatis Christi, ubique terrarum.

[*Subscripserunt eitam*] *Cf. pag. 207.*

34

Exc.mus P. D. VIRGILIUS COPAS

Episcopus tit. Bennefensis, vic. ap. Portus Moresby

1. N. 22: De spiritualitate missionaria. Ut in hac sectione, admonitio de devotione ad Ss.mam Eucharistiam introducatur.

2. N. 23: De formatione spirituali et morali. Ut post verba « Fide viva imbutus, missionarius sit vir orationis », includantur verba « ... qui devotionem fortem et personalem ad Christum in Ss.ma Eucharistia possidet ».

Ratio: post plus quam viginti annos in missionibus peractos, devotionem ad Ss.mam Eucharistiam maximi momenti missionariis sincere credo. Missionarius « Eucharisticus » est missionarius plus similis Christo.

35

Exc.mus P. D. IOSEPH FLORIBERTUS CORNELIS
Archiepiscopus Elisabethapolitanus

Ad n. 7. Sub duplici aspectu schema deficiens videtur, et quidem graviter deficiens.

1. In tuto poni debet doctrina catholica qua simul profitemur a Christo pendere salutem hominum (quia non est in aliquo alio salus) et extra Ecclesiam neminem salvari posse. De hac doctrina videatur const. dogm. *De Ecclesia.* Si quis ergo salvari potest, non est sine Christo redemptore omnium, et non est sine Ecclesia: textus schematis hanc doctrinam non potest ignorare.

Verum est autem quod, ut quis a Christo salvetur, non est absolute necessarium ut Christum cognoscat: modo obiectivo a Christo salvatur, quamvis subiective Christum ignorat. Simili modo: ex virtute gratiae Dei et ex sua subiectiva bona voluntate, ad Ecclesiam pertinere potest, etiamsi plene neque conscie; attamen non salvatur independenter ab omni nexu cum Ecclesia.

2. Schema nostrum non potest ignorare et sub silentio simpliciter praeterire hoc factum quod activitas missionalis exercetur non tantum a parte Ecclesiae catholicae, sed etiam ab aliis Ecclesiis vel communitatibus christianis ab Ecclesia catholica seiunctis. Oportet autem hoc factum non tantum agnoscere, sed de eo iudicium ferre, iudicium quidem positivum.

Haec enim missionalis navitas universorum christianorum sub impulsu Spiritus Sancti oritur, ideo tamquam fructus operationis Spiritus Sancti agnoscenda et aestimanda est (cf. *De Ecclesia,* 15).

In hac eadem navitate fratrum seiunctorum et communitatum a communione catholica seiunctarum confirmatio inveniri potest pro natura essensentialiter missionali Ecclesiae: nam Spiritus, qui praesentia sua Ecclesiam vivificat, tam necessario illam ad missionem impellit, quod etiam praesentia eius in communitatibus seiunctis agnoscitur ex ipso impulsu missionali quo ad gentes evangelizandas impelluntur.

De his ergo veritatibus doctrinalibus maximi momenti rationem haberi in retractatione huius numeri omnino necessarium videtur, quia ibi de « principiis doctrinalibus » agitur.

[*Subscripserunt etiam*] Caelestinus Gusi, abb. gen. Sublacensis; Maroun Harika, sup. gen. Ord. Ant. Maronit.; Joannes Hoeck, praes. Congr. Bav. O.S.B.; Godefridus Dayez, praes. Congr. Belg. O.S.B.

36

Exc.mus P. D. BENEDICTUS DOMINICUS COSCIA
Episcopus Iatai

De cap. 1, n. 6, pag. 8, linn. 30 ss. Conceptus missionis amplius et fundius definiri oportet, ita ut *omnes partes mundi* ubi Christus maxime innotus esse et necessitudo Ecclesiae evangelizandi per operarios etiam aliunde advocandos maxime apparet, in opere missionario includantur, sive agatur de praedicatione inter nondum credentes vel inter populos nominis christiani, qui penuria operariorum in vinea Domini maxime laborant. *Rationes*:

1. Necesse est Concilium declarare expresse veram plenamque notionem theologicam activitatis missionariae.

2. Plures operarii in activitate Ecclesiae misionaria egent solatio, confortatione animorum, gaudio et praesertim orientatione etiam pro ipsis valida in hoc documento; e. g. multitudo ex Europa et S.F.A.S. in Brasilia et aliis locis Americae Latinae.

3. Recognitio sollicitudinis S. Sedis quae fundavit CAL, promovit PAVLA, et cum aliis modis promovet auxilium ad Americam Latinam.

37

Exc.mus P. D. IOSEPH M. CUENCO
Archiepiscopus Jarensis

Unam vellem animadversionem, in schemate « de activitate missionali Ecclesiae » adiungendam, proponere, quippe quam necessariam existimo speciatim pro nostrae aetatis adiunctis.

Recte porro quaedam in eo statuuntur ac explicantur principia circa christifidelium dialogum cum non-christianis (n. 11) atque circa activitatem missionalem stricte dictam (passim), in qua etiam legitimus spiritus oecumenicus commendatur inter neophytos nutriendus (n. 15, pag. 14, linn. 17-24).

Mea vero sententia, oporteret quamdam adiungere animadversionem, faciendam quidem dulciter in modo sed fortiter in re, circa proselytismum quem aliqui « fratres separati », Protestantes praesertim quarumdam sectarum, exercent inter catholicos.

Nemini enim fugit hoc factum, quod nempe nostra aetate Protestantes intensissimam exercent activitatem apud nostros fideles, in regionibus etiam plene vel fere catholicis, ut eos a vera fide avertant, quin aliquando vereantur immo hac de causa recursum facere et ad media fallacia quae nullatenus legitimari possunt nec permitti. Unde non pauci fideles possunt in sua bona fide turbari vel immo ab ea deficere, eo vel magis quod nunc eis hic spiritus oecumenicus commendatur, qui facile potest adulterari seu aegre intelligi praesertim a fidelibus rudis vel simplicibus.

Quapropter oportere puto ut nos, dum verum spiritum oecumenicum omnibus Ecclesiae filiis, sive sacerdotibus sive religiosis sive laicis, sincere commendamus, insimul autem quoque eos de hoc periculo expresse certiores faciamus, ne, sub specie dilectionis fraternae erga Protestantes fovendae, aliquorum horum fallaciis vel ipsi decipiantur vel alios ab iisdem decipi inaniter permittant.

Et omnibus nostris « fratribus separatis » ferventer postulemus ut propter amorem Christi desinant talem indebitum proselytismum inter catholicos peragere.

Quam porro animadversionem eo opportuniorem existimo, quo in Decreto de Oecumenismo, ab hoc Sacrosancto Concilio die 21 novembris anni praeteriti iam promulgatio, ad hoc, ni fallor, non est sufficienter provisum.

38

Exc.mus P. D. MICHAEL DARMANCIER

Episcopus tit. Auguritensis, vic. ap. Insularum Vallis et Futuna

Ad n. 4, linn. 1-3. Ad hoc autem perficiendum misit Christus Spiritum Sanctum a Patre, qui salutiferum opus suum intus operaretur, et Ecclesiam suam ab intus ad sese dilatandam moveret.

Linn. 10-16. Procul dubio antequam Christus glorificaretur Spiritus Sanctus operabatur *ubique,* permultis hominibus, praesertim israeliticis prophetis et sapientibus, infundens sapientiam et virtutes eosque ad futurum Messiam praeparans. Die tamen Pentecostes in *discipulos* supervenit, ut cum eis maneret in aeternum (cf. *Io.* 14, 16), Ecclesia coram multitudine manifestata est, diffusio Evangelii exordium sumpsit, et tandem praesignata est unio populorum in Fidei catholicitate, per Novi Foederis Ecclesiam, quae omnibus linguis loquitur, in caritate omnes linguas intelligit et amplectitur, et sic babelicam dispersionem superat.

Linn. 3-9 ampliatae. Illa quidem pentecostali effusione non exaruit fons omnibus gentibus apertus. Spiritus enim adhuc in non-christianis efficit omnimodam praeparationem evangelicam eosque ut praedicatum audiant Evangelium inducit. Sed Ecclesiam potissimum pervadit atque ad opus missionale incitat et confortat.

Ipse enim, theologalium virtutum septemque donorum ope, animos apostolico zelo incendit. Ipse in fidelium cordibus « secundum Deum postulat » (*Rom.* 8, 27) pro missionariis et evangelizandis hominibus (cf. *2 Thess.* 3, 1; *Col.* 4, 3; *1 Tim.* 2, 1-4...). Ipse testimonium Christo resuscitato reddit, cum in vita christianorum « fide quae per caritatem operatur » (*Gal.* 5, 6), « Spe vitae aeternae » (*Tit.* 1, 2; cf. *1 Thess.* 1, 6-10) diversisque fructibus cordis ab ipso liberati (*Gal.* 5, 22-23; cf. 5, 13-18), tum in actuositate proprie missionali et in verbo Dei audacter prolato (cf. *Act.* 4, 8 ss.; *Mt.* 10, 20; *Io.* 15, 26-27). Ipse Ecclesiae unitatem a qua tantopere pen-

dent evangelici testimonii fructus, servat laesamque restaurare conatur (*Eph.* 4, 4). Ipse Christi corpus ecclesiale, ut munus impleat, « donis hierarchicis et charismaticis instruit »,[1] missionalia instituta vocationesque excitans et apostolorum successores eorumque cooperatores assistens et regens.

Ipse tandem fidem in auditoribus suscitat, in catechumenis auget, in baptizatis, verbi ac sacramentorum ope, fructiferam et missionariam facit, donec illos Christi gloria resuscitatos clarificet. *Rationes*:

1. *Ordo materiae*: 1) conspectus historicus; 2) potius praesens opus Spiritus Sancti intra et extra Ecclesiam.

2. Linn. 10-16 superius translatis, magis explicite dicitur de opere Spiritus prae-christiano; discipulos substituitur pro apostolos ne missionalis inspiratio videatur apostolis duodecim reservari.

3. Linn. 3-9 postpositae valde ampliandae videbantur, utpote abstracto et exsangui modo tractabant de praesenti opere missionali Spiritus Sancti.

39

Exc.mus P. D. EUGENIUS DE ARAÚJO SALES

Episcopus tit. Thibicensis, adm. ap. S. Salvatoris in Brasilia

Textus: « missio ad plenitudinem eschatologicam tendit... usque ad mensuram et tempus quae Pater posuit » (pag. 10, lin. 31).

Propono: Christus gloriosus ipse in missionariis « operatur ut homines ad Ecclesiam perducat » (Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 48) et in sacramentis iam gloriosae vitae suae facit participes (cf. *ib.*). Sic per missionarios usque ad mensuram et tempus... etc. (sicut lin. 32). *Ratio*: *negative*: terminus « eschatologiae » in hoc n. 9 plena illa significatione — quam in const. dogm. *de Ecclesia* invenimus — videtur quasi carere, restrictus potius ad solam eschatologiam Parousiae...; *positive*: magnis faciendum est motivum illud iucundae fortitudinis et validae consolationis cuiuscumque christiani qui testimonium pro Christo, Redemptore Glorioso, dat. Nam « restitutio, quam promissam expectamus, iam incepit in Christo... » (l. c.).

Speciatim missionarii, qui verbo et vita Christi testimonium dant, labore suo eschatologico gaudent. « Iam fines saeculorum ad nos pervenerunt et renovatio mundi irrevocabiliter est constituta atque in saeculo reali quodam modo anticipatur » (Const. dogm. *De Ecclesia,* n. 48). Missionarii non solum verbis hanc eschatologiam Ecclesiae indolem praedicant, sed sua vita tamquam signo eloquenti testimonium praesentiae huius mysterii eschatologici dant (cf. *Act.* 4, 20).

[1] Cf. Const. *Lumen Gentium,* n. 4.

Explanatio: 1. Christus gloriosus, « qui consedit in dextera sedis magnitudinis in caelis » illic est « liturgus sanctorum et tabernaculi veri » (*Hebr.* 8, 1-2), « semper vivens ad interpellandum pro nobis (*Hebr.* 7, 25); idem Christus eschatologica gloria suae victoriae « omnia in omnibus implet » (*Eph.* 1, 23; 4, 10), ipse in missionariis « suas investigabiles divitias in Gentibus evangelizat » (cf. *Eph.* 3, 8 et const dogm. *de Ecclesia,* n. 48: Christus operatur et perducat).

2. Spiritus Sanctus a Christo missus « Corpus Christi quod est Ecclesia ut universale salutis sacramentum constituit » (const. dogm. *de Ecclesia,* n. 48). Iste Spiritus *est Spiritus Gloriae Christi,* et sic vere « pignus hereditatis nostrae » (*Eph.* 1, 14; cf. 4, 30). Nam ante glorificationem Christi Spiritus datus non erat (cf. *Io.* 7, 37-39). Iste Spiritus gloriae Christi, missionariis servientibus, construit Ecclesiam, Gentibus pignus hereditatis annuntiatur et datur.

Ita opus missionariorum pleno sensu, consone cum constitutione dogm. *de Ecclesia* indolem (Ecclesiae, id est indolem) eschatologicam habet; et sic « in plenitudinem eschatologicam » tendit.

Textus pag. 19, lin. 9: « (Missionarius) totum — et quidem per totam vitam — sese devinciat operi Evangelii » cf. pag. 18, lin. 35).

Textus pag. 19, lin. 1: « speciali enim vocatione signantur... ».

Quaestio duplex oritur: *a*) quo fundatur exclusiva haec affirmatio? (pag. 19, lin. 9); *b*) ubi est fundamentum theologicum « vocationis specialis » tam exclusive affirmatae (pag. 19, lin. 1)? (et passim).

Ad *a*) Nemo non videt generatim istam formam vitae dedicandae tum in intentione Christi tum ad emolumentum Ecclesiae ipsi operi Missionis maxime convenire. *Sed* nostris temporibus, quibus et ipsi periti technologiae scientiarum et aliarum disciplinarum vel artium « specialistae » non tantum facillime ad determinatum tempus aliae regioni emolumentum validum tribuunt, non videtur cur — servatis servandis — idem non valeat in re missionali. De facto multi qui vix « speciali vocatione » alliciti, sed quasi ex improviso nudis Ecclesiae necessitatibus moti sunt, iam ex annis in Missionibus munus speciale susceperunt et conantur ad aliquod tempus saltem cum (ceteris) missionariis laborare. Nova haec forma (etsi accessoria) nostro tempore valde congrua in textu documenti recognoscenda et, ubi propter Ecclesiam inserviendam, non propter itineris studium vel voluptatem fit, non tantum laudanda, sed ab ipso summo Dicasterio « De Propaganda Fide » fovenda immo instituenda et ordinanda est. Nullae sunt theologiae rationes hoc munus speciale ab authentica missionali opera distinguendi. Nam isti sacerdotes idem Domini verbum audierunt: « euntes ergo docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 19).

Ad *b*) Textus *Mc.* 3, 13 s. (« vocati ad se quos voluit ipse... ut mitteret eos praedicare ») in pag. 18, lin. 33 citatus minime aliud ac ceteri textus relativi dicunt; *nullum enim est sacerdotium quod « operi Evangelii devic-*

tum » (pag. 19, lin. 9) *non esset*. Omnis enim sacerdos tanquam operarius in vineam Domini missus ex ipsa sua vocatione et ordinatione « operi Evangelii » devincitur. Ita, qui tempore determinato expleto ob legitimas rationes « redire » cupit non nisi *idem Evangelium praedicaturus* et vivo testimonio docturus tamquam missus — qui « non est de hoc mundo » (*Io.* 17, 16) in aliam eiusdem vineae partem « redit ».

Duo hic clarius dicenda sunt: *omne sacerdotium* (Summi et unici Sacerdotis sacerdotii participatio) ex sua intima natura ad Evangelium tum verbo tum testimonio annuntiandum institutum est; etsi alii alia quidem forma id faciunt, tamen non alio amore laborant neque alio studio Christi voluntati obsequuntur.

Valde optandum est ut multi (cf. pag. 25, lin. 43), etsi non per totam vitam, saltem ad quosdam annos in Missionibus imprimis opera specialia assumant et sic vere cum missionarii sint.

40

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Pag. 22, lin. 17 ss.: Post verbum « dicasterium » addatur: « Optat Sancta Synodus ut ». Post verbum « omnes » in lin. 20, addatur: « quotiescumque Romano Pontifici opportunum visum fuerit », ita ut tota phrasis sic sonet: « Hi omnes, quotiescumque Romano Pontifici visum fuerit, convocentur ut sub auctoritate Summi Pontificis, gubernationem totius operis missionalis exerceant ». *Ratio emendationis*: 1. Ne videatur Concilium aliquid imponere Romano Pontifici, eius supremam potestatem aliquomodo limitando; 2. conveniens est ut Concilium eamdem expressionem adhibeat quae in Motu proprio « Apostolica sollicitudo » invenitur, cum de convocatione Synodi Episcoporum sermo est; negari enim nequit quaedam analogia inter dicasterium quod Synodus in hoc schemate desiderat et illam Synodum a Sanctissimo constituta.

Pag. 22, lin. 23: Initio paragraphi ponatur: « Sacra Synodus optat ut huic dicasterio », et in linea subsequenti loco « erit » dicatur: « sit ». *Ratio* eadem est ac supra allata.

In cap. IV huius schematis, loco congruo, aliquid statuatur de pensione concedenda praelatis vel vicariis apostolicis qui iuste activitatem missionalem renuntiare debuerunt. Pro ipsis applicari possunt quae in n. 21 textus emendati schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* dicuntur de episcopis dioecesim renuntiantibus.

41

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO XAVIER MONTEIRO

Episcopus tit. Ombitanus, aux. Villaregalensis

Ad praeambula conversionis ponderanda fortasse non erit abs re, quia schema de hoc tacet, verum conceptum fidei attendere, quae attingenda erit, et sine qua non erit authentica conversio.

Nam fides non est acceptatio religionis qualicumque ductus quis motivo, ut puta, quia placet Liturgia vel quia musica sacra condelector; vel quia video christianos mutuo amore coniunctos; vel quia christianorum doctrina me solatur in aerumnis vitae... Haec et alia, quae ostendunt appetibilitatem religionis christianae et satisfactionem multarum tendentiarum naturalium, quae in hac religione est, sunt profecto opportuna valde et incitamenta ad doctrinam christianam prompto et benevolo animo considerandam. Si volumus, erunt causae impulsivae, sed nequeunt esse causae motivae ad religionem christianam amplectendam.

Motivum validum et authenticum conversionis semper fuit et est fides authentica, dogmatica et supernaturalis; quod etiam insinuatur in ritu baptismi: « Quid postulas ab Ecclesia Dei? — Fidem. — Fides, quid tibi praestat? — Vitam aeternam ».

Sed authentica fides, ad quam tandem perveniendum erit ope desiderii et appetitionis excitatae circa religionem catholicam, est acceptatio religionis catholicae praecise quia Deus illam dixit seu revelavit. Unde authentica fides non est acceptatio doctrinae religiosae quia id dicit catechista, vel dicunt parentes et magistri; haec enim esset fides humana. Erit autem fides theologica, si acceptatur doctrina quia Deus illam dixit. Quod quidem — ut notum est omnibus — postulat ut pro modulo eorum doceantur fideles Deum has veritates dixisse, sive sint adulti et litterati, sive sint pueri aut rudes. Persuasio rationalis, pro capacitate et mensura singulorum, quod Deus locutus fuerit et nobis doctrinam communicaverit atque invitamentum ad suam amicitiam filiationemque adoptivam per Christum, semper necessaria habita est in Ecclesia ut praeambulum authenticae fidei. Unde Pius IX, in litteris *Qui pluribus,* aperte edixit: « Humana quidem ratio ne in tanti momenti negotio (sc. investigandi veram religionem) decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse locutum, ac eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat » (Denz. 1637).

Quod in memoriam revocare fortasse non erit inutile, cum hodie multi parvipendant rationes sic dictas apologeticas seu motiva credibilitatis. Certe excessus et deviatio in re fuerit, si unice per rationes apologeticas et per demonstrationem pure scientificam conaremur homines ad fidem adducere vel convertere. Merito hodie extollitur quantum valeat et praevaleat praxis ipsa religiosa: quae sit grata, sincera, liturgica, sensu valorum et experientia

vitali ingravescens oportet. Haec profecto laudanda sunt in catechesi et in catechumenatu. Sed ne, quaeso, ad vitandum quemdam excessum vel abyssum, veniamus in aliam abyssum, ut videamur scilicet oblivisci rei pro fide fundamentalis: nimirum, quod omnino necesse est ut rationabiliter quis persuasus sit Deum fuisse locutum et revelasse religionem, si velit Ei assensum praestare per fidem.

Quas quidem rationes apologeticas sive motiva credibilitatis ipse Christus Dominus, cuius verba ex ipsa sua indole personali bene accipi poterant, non tamen omisit dare, cum appellaret ad opera quae ipse faceret, quae testimonium dabant de ipso (cf. *Io.* 5, 36); itemque ad iudaeos, ut scrutarentur Scripturas, quia ipsae testimonium pariter dabant (*Io.* 5, 39); maxime, ut omnes sciunt, appellavit, ad resurrectionem suam (v. g. *Io.* 2, 13-22; *Mt.* 12, 38-40). Quare merito diceremus Christum Dominum non parum immoratum fuisse in motivis credibilitatis exponendis.

Et resurrectionem quidem Iesu Sanctus Paulus vere argumentis testium resurrectionis demonstrat in *1 Cor.* cap. 15 similiterque evangelistae. Nec omittunt omnes, sive evangelistae, praesertim Matthaeus, sive Petrus et Paulus, vaticinia messianica inducere et explicare, maxime ad iudaeos. Petrus enim dicebat: « Huic (Iesu) omnes prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum » (*Act.* 10, 43). Et Sanctus Paulus, Romae comprehensus, ad plurimos qui venerant ad eum « exponebat testificans regnum Dei suadensque eis de Iesu ex lege Moysi et prophetis a mane usque ad vesperam » (*Act.* 28, 23). Atque alia multa et dicebant et faciebant Apostoli, quae erant signa apostolatus eorum, signa credibilitatis ad oboediendum fidei.

Conclusio: Dum tam pulchra dicuntur in schemate de catechumenatu, ne taceatur vera et solida persuasio quae debet gigni in catechumenis, nimirum, quod Deus ipse locutus fuerit et revelaverit mysteria fidei nostrae; ne hae rationes apologeticae seu praeambula fidei, quae semper fuerunt validae et momentosae pro fide, videantur parvipendi a Concilio.

* * *

Cum in aula conciliari loqui non potuerim, quamvis gratiam loquendi postulaverim, liceat mihi nunc excell.mae Commissioni *conclusionem* patefacere ut attente consideretur in reelaboratione textus *De activitate missionali Ecclesiae*, art. 2, cap. II: Igitur, propono ut in pag. 13, lin. 10, post verbum « purificentur », addatur: « Ut fides enim accedentium ad Ecclesiam (sicut et infantium fidelium rationis usum adipiscentium) sit authentica, hoc est, "rationabile obsequium" (cf. *Rom.* 12, 1), sedulo pro eorum capacitate edoceantur Deum esse locutum, quapropter, mysteriis christianae religionis firmiter adhaerendum esse, utpote a Deo qui nec falli nec fallere potest, revelata (DENZ. 2778) ».

42

Rev.mus P. D. ANTONIUS DE HORNEDO CORREA
Praefectus ap. Sancti Francisci Xaverii

De principiis doctrinalibus circa activitatem missionalem Ecclesiae ample et pulchre disseritur ex fundamentis trinitariis huius missionis, per tres non breves numeros cap. I; itemque sermo est per totum numerum quintum de missione Ecclesiae a Christo. Ubi autem agitur in numero septimo de rationibus ad extruendam necessitatem activitatis missionalis, opportunum quidem est quod ibi dicitur: non unice ex aeterna salute uniuscuiusque hominum evangelizandorum sumendum esse fundamentum et motivum ad hanc evangelizationem. Et merito adducuntur aliae rationes ut sunt, quod homines possunt venire ad fidem et salutem aliis viis ignotis nobis; quod salus uberius et securius obtineri possit per cognitionem Christi eiusque Evangelii; quod Dei voluntas est homines iustificare per fidem et sacramenta; quod Dei voluntas sit salvare populum ut « populum Dei »... Haec libenter audimus et probamus.

Mirum tamen videri potest quod *non satis extollatur* et efferatur *periculum aeternae salutis,* in eo saltem sensu privationis beatitudinis aeternae supernaturalis, pro his qui Evangelium non audierunt. Ad quod periculum vitandum caritas certe erga Deum ac desiderium eius gloriae procurandae, et caritas erga infideles, commoverunt missionarios innumeros decursu historiae, et eos qui in missiones pergere optabant, ipsumque Franciscum Xaverium: ne aeterna salus multarum animarum pessumdaretur, animarum scilicet sanguine Iesu Christi redemptarum. Nam haec quae spectant ad aeternam salutem obtinendam et ad redemptionem per sanguinem Christi efficacem ubique reddendam, videntur fortius et vividius percellere nos et populum christianum, quam aliae rationes, verae quidem, sed remotiores, eo sensu quod minus urgent periculum. Nam quod dicitur Deus tenere alias vias nobis ignotas, quibus homines possint venire ad fidem praeter nostram evangelizationem, id verissimum esse censemus; sed factum vel facta salutis huiusmodi per vias extraordinarias, certe non frequentia, aegre comprobantur modo positivo et ex experientia. Unde haec facta extraordinaria potius supponuntur et ex voluntate Dei salvifica universali, quam demonstrantur.

Quam ob rem humiliter rogo ne in schemate oblivioni mandari videatur verbum illud Sancti Pauli ad Romanos, cap. 10, quod — ni fallor — nullibi in schemate invenitur, cum tamen ex alia parte, sit verbum maxime classicum in Missiologia et Historia missionum, et maxime premens ad zelum excitandum: « Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris... Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non

audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » (*Rom.* 10, 9. 13-15).

Quae quidem urgent necessitatem praedicationis ad fidem in Christum et ad salutem obtinendam per Christum. Et paulo post in eodem capite ad Romanos: « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » (*Rom.* 10, 17).

Verum est in hoc capite decimo Sanctum Paulum primario agere de Iudaeis; sed statim assurgit ad voluntatem Dei salvificam *universalem* et ad necessitatem *universalem* fidei pro salute. Ait enim Sanctus Paulus: « *Omnis* qui credit in illum non confundetur. Non enim est distinctio Iudaei et Graeci, nam idem Dominus omnium, dives in *omnes* qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit » (*Rom.* 10, 11-13). Unde valor universalis huius textus agnoscitur et ideo fuit usui frequentissimo in doctrina missiologica tradenda.

Quod si quis dicat non omnes theologos tenere tamquam de necessitate medii fidem *explicitam* in mysterium Trinitatis et Christi Redemptoris, dicendum censemus plerosque theologos, et quasi communiter, hanc fidem explicitam in Christum necessariam tenere et dicere, non tantum ut de praecepto, sed etiam necessariam necessitate medii: vel quia sine hac fide non valent homines iustificari post Christum (ita Gregorius de Valentia et thomistae), vel quia *per se* sit de necessitate medii, licet *per accidens* admittatur quod in aliquo eventu singulari possit suppleri per fidem implicitam Dei remuneratoris (ita Suarez, alii).

Unde in hac re, de salute infidelium obtinenda, quae maxime urget et angit theologos, fortasse non sine Dei providentis consilio obscuritas manet de viis salutis infidelium, ut zelus noster excitetur et foveatur praecise ex hac obscuritate; sic enim proni efficimur christiani ut eis vias certas ex Ecclesia praebeamus.

Quare cogitatio de infidelium salute procuranda vel certius obtinenda, non parvi pendenda videtur, et in schemate — meo humili iudicio — abundantius de re diceretur.

43

EXC.MUS P. D. GERALDUS DE PROENÇA SIGAUD

Archiepiscopus Adamantinus

Schema decreti *de activitate missionali in Ecclesia* videtur laudandum quia est ingens tentamen et novum ditandi Ecclesiam « Magna Charta » activitatis missionalis et videtur aptum ut sit basis nostrorum laborum.

Liceat mihi aliquas animadversiones facere ad punctum aliquod centrale quod mihi videtur magni momenti.

Schema non satis clare et fortiter exponit necessitatem laboris missionalis, neque clare docet necessitatem transformandi culturam paganam in culturam christianam.

Revera. Nullibi est sermo de destructione paganismi seu gentilitatis. Sermo fit de « Caritate Dei manifestanda » (n. 10, lin. 2); de « testimonio Christi » (n. 11, lin. 19); de « praesentia Caritatis Ecclesiae » (n. 12); et quando loquitur de evangelizatione eam restringit ad eos qui iam habent « animos ad suscipiendum Verbum dispositos » (n. 13, linn. 33 et 34).

Immo, iam antea, n. 7, linn.3 et 4, sic loquitur schema; agens de « Rationibus et de necessitate missionalis activitatis »: « Ratio missionalis activitatis *non unice* ex aeterna salute uniuscuiusque hominum evangelizandorum sumitur ». Et linn. 17 ss. pergitur schema complens ideam: « Ratio missionalis activitatis Ecclesiae *maxime* deducitur ex proposito Dei cui Christus obedienter et amanter inserviret... ut universi ex quibus genus humanum constat unum Populum efforment Dei, in unum corpus coalescant Christi, in unum coaedificentur templum Spiritus Sancti: quod sane cum fraternam concordiam referat, intimo universorum hominum voto sublimiter respondet. Ad hoc vero perficiendum Ecclesia suapte natura urgetur, necessitas ei incumbit ».

Ex hoc integro textu, cum reliquis comparato, sequitur finem principalem missionis non esse salutem animarum, et videtur affirmari finem esse Fraternitatem Universalem, naturae aliquantum obscurae.

Hic aspectus schematis non placet. Textus schematis videtur insinuare Ecclesiam non esse medium necessarium ad salutem, sed esse necessariam solum ad maiorem pulchritudinem mundi, ad faciliorem salutem animae.

Schema emendetur eo sensu ut dicatur Ecclesiam catholicam esse necessariam ad salutem, sicut docet Magisterium traditionale. Et clare dicat rationem necessitatis absolutae Evangelizationis mundi ad salutem maximi numeri animarum et ad earum maximam sanctitatem, secundum illud Domini « Veni ut vitam habeant et abundantius habeant » (*Io.* 10, 10).

I. Missionarius mittitur ad homines qui sunt in tenebris et sub imperio Satanae.

Saulo persecutori Ecclesiae dixit Dominus quando ei apparuit in via Damasci: « Ego sum Iesus quem tu persequeris. Sed exsurge, et sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi: ut constituam te ministrum et testem... gentibus in quas nunc ego mitto te aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem, quae est in me » (*Act.* 26, 15-18).

En clare a Domino descriptus finis Missionis: Conversio a tenebris ad lucem, de potestate Satanae ad Deum.

Duplex est ergo aspectus fundamentalis Missionum catholicarum: destructio tenebrarum et regni Satanae; illuminatio animae et constructio Regni Dei.

Videamus aliquantulum melius haec elementa.

II. *Regnum Satanae.* Gentilitas seu Paganismus est Regnum Satanae. Ad Gentilitatem applicari potest id quod Dominus dixit ad Pharisaeos:

« Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet » (*Lc.* 11, 21 ss.). En conditio Gentilitatis: Satanas, fortis armatus, custodit atrium suum. « Si autem fortior eo vicerit eum, universa arma eius aufert, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet ». En opus Christi, mediantibus missionariis.

A. *Catenae Satanae.* Catenae captivitatis Satanae sunt spirituales. Tres sunt praecipuae: *Religio falsa*; *Timor et pavor*; *Ordo vitae Nationis.*

Pauca de his tribus elementis dicenda sunt in schemate.

a) *Religio.* Haec est prima et pessima catena, quae aliis duabus originem praebet. Satanas hominem miserrime decipit, et eum inducit ad relinquendam legem naturae, inscriptam in proprio corde et ad sequendam propriam imaginationem, passionem, superbiam, sensualitatem, et ad creandam religionem quandam quae hominem a Deo vero avertit et in potestatem redigit Principis tenebrarum. Ideo hae religiones contra legem naturalem vocantur saepissime a S. Scriptura « Tenebrae ». « Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino » (*Eph.* 5, 8).

De his religionibus exortis ex influxo diaboli loquitur Sapiens in celebri capite 13. « Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei ». De his S. Paulus ad Romanos explicite dicens: « Revelatur enim ira Dei de caelo super omnem impietatem et iniustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent... ita ut sint inexcusabiles... quia... evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum » (*Rom.* 1, 18 ss.).

Doctrinae gentilitatis hominem a Deo avertunt.

Practicae religiosae Deo odibiles sunt, nam « quae immolant gentes, daemonis immolant, non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum » (*1 Cor.* 10, 20).

b) *Timor.* Secunda catena Satanae quae ex priori oritur est *timor.* Religiones Gentilitatis distinguuntur hac nota: sunt religiones timoris, terroris et pavoris. Sacrificia eo fine offeruntur ut dii, daemones, spiritus placentur ne noceant. Haec videmus in Brasilia in sic dicta *Macumba,* quae nihil aliud est nisi resuscitata religio africana. Ritus fiunt vel ut malum avertant, vel ut malum faciant.

c) *Ordo vitae.* Tertia catena Satanae est totus *ordo vitae* societatis ethnicae vel paganae. Religio penetrat totum ordinem vitae, multa eius institutiones creat vel inspirat, ita ut homo respiret superstitionem, et ordo vitae suae Nationis illum impellit ad exercendam religionem falsam, ad dandum cultum diis falsis, et sic eum a Deo vero avertunt. *Cultura,* in suo latiore sensu involvit vitam et mentem individui, et impulsu aliquo sociali et collectivo, totam nationem ad peccatum contra Legem Naturae inducit et impellit.

B. *Possibilitas salutis.* In tali Gentilitate certe singuli homines salvari possunt, quia nec in istis condicionibus Deus, in sua infinita misericordia,

hominem derelinquit. Sed haec notanda sunt: *a*) homo difficile salvatur, quia omnia eum impellunt contra gratiam; *b*) homo est in continuo et imminenti periculo peccandi; *c*) homo non ditatur divitiis abundantibus quas Pater paravit nobis; *d*) homo individualiter salvatur, sed Societas Deo honorem non dat.

III. *Regnum Christi et Dei.* « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtute annuntietis Eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti » (*1 Pt.* 2, 9). « Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem et Episcopum animarum vestrarum » (*1 Pt.* 2, 25), qui est Christus.

« De tenebris ad admirabile lumen suum ». En synthesis laboris missionalis. Sicut Regnum Satanae tribus catenis animas populi alicuius constringit, sic etiam Christus tribus bonis innititur: quae sunt: *Veritas, Caritas, Ordo vitae qui ducit ad Deum.*

Veritas. Christus nos docuit omnem veritatem. « Et de plenitudine Eius omnes nos accepimus, et gratiam pro gratia; quia Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit » (*Io.* 1, 16-18).

Caritas. Regnum Satanae fundatur timore et terrore. Regnum autem Christi fundatur in amore Dei et in fiducia nostra filiali. « In hoc perfecta est caritas Dei nobiscum ut fiduciam habeamus in die iudicii » (*1 Io.* 4, 17). Sic regnum Christi est regnum fiduciae, pacis, « Nam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » (*Rom.* 5, 5), « Nam non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater! » (*Rom.* 8, 1-5).

Ordo vitae qui ducit ad Deum. Sicut tertia catena Satanae est ordo vitae alicuius Nationis gentilis, qui sicut alveus fluminis ducit aquas, sic ordo vitae ducit homines ad malum, sic etiam ordo vitae qui nascitur ex Evangelio, impregnatur a fide, fidem inspirat, est gratia externa maximi momenti, et continuo animas influit et eas inducit ad vitam supernaturalem et eas ducit ad Deum. Hic ordo vitae vocatur « *Christianitas* » (La Chrétienté) et ad maiorem perfectionem pervenit in Medio Aevo.

Conclusio. Meo humili iudicio, schema magnum bonum faceret Missionibus, magnum stimulum daret Operae Adiutrici Catholicorum, et quoddam programma daret Missionariis, si clare diceret: *a*) Missiones esse necessarias ad salutem animarum aeternam, ut animae liberentur a servitute Satanae, ut Regnum Christi aedificetur et sic animae « vitam habeant et abundantius habeant ».

Quoad textum n. 7, pag. 9, linn. 3 ss. propono ut sic immutetur: « Ratio urgentis necessitatis activitatis missionalis desumitur ex procuranda aeterna salute animarum quae adhuc « in umbra mortis sedent » et adhuc privantur

« investigabilibus divitiis Christi » (*Eph.* 3, 8) ut illuminentur « quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis a Deo. Nam, etiamsi Ecclesia teneat Deum viis sibi notis homines ad Fidem adducere posse, sine qua impossibile est Ipsi placere, si Evangelium non audierint; scit, tamen, per cognitionem Christi... ».

Eodem numero, linn. 16 ss., sic legatur: « Ratio (sine "autem") missionalis activitatis Ecclesiae (tollatur "maxime") clare elucet ex proposito Dei, cui Christus oboedienter et amanter inservit ad gloriam Patris qui misit eum, ut universi homines tandem aliquando Ecclesiam suam ingredientes, unum populum Dei efforment, unum Corpus mysticum Christi efficiant, fiant templum Spiritus Sancti, et sic modo ineffabili visibili et invisibili, homines coalescant in unicam Familiam Dei ».

* * *

I. Labor missionalis est essentialiter destructio et constructio. « Constitui te hodie super gentes et regna ut evellas et destruas... et aedifices et plantes » (*Ier.* 1, 10).

Regnum Satanae opponitur Regno Christi. Regnum Satanae praeexsistit labori missionali, et ideo destruendum. Regnum Christi est instaurandum.

II. Regnum Satanae vocatur « paganismus » et sine pugna et dolore destrui non potest. « Eratis enim aliquando tenebrae » (*Eph.* 5, 8).

Schema modo optimistico praesentat possibilitatem salutis aeternae animae sine Evangelio. Natura paganismi non clare secundum S. Scripturam et experientiam missionariorum describitur.

III. Momentum « Ordinis vitae » in quo homo exsistit. Influxus « Ordinis vitae » in hominem individuum maximus est.

IV. Elementa « Ordinis vitae » praecipua sunt: Religio, Ideae, Habitudines, Mores, Ambiens medium, Leges, Institutiones, Media diversionis, Media diffusionis idearum, Instituta religiosa.

V. Paganismus. Quando « Ordo vitae » ita penetratur a falsa religione ut modum vitae determinet, hominem fortiter, suaviter et constanter a vero Deo avertit, ad deos falsos ducit et ad peccatum impellit, ita ut homo sub eius influxu positus, difficile salvari possit.

VI. Gradus paganismi. Paganismus gradus habet. Deus non permittit ut in aliqua natione omnes structurae vitae ad malum ducant. Quaedam vestigia revelationis primitivae semper inveniri possunt.

VII. Hic « Ordo paganus » destrui debet. Eius loco « Ordo christianus » instaurari debet. Hic « Ordo vitae » christianus vocatur « Christianitas ». Christianitas est « Ordo vitae » in quo structurae penetratae sunt ab Evangelio ita ut influxum beneficum in hominem exerceant, ita ut sit

vehiculum gratiae et ad Deum ducunt. Haec est « Civitas Dei », hoc est « Regnum Dei », « Regnum Christi ».

VIII. Gradus laboris missionalis. Primus gradus: *Evangelizatio Regni Dei.* Conversio individuorum et constitutio communitatum christianarum. Secundus gradus: *Constitutio Ecclesiae.* Institutio cleri autochtoni et Hierarchiae. Tertius gradus: *Instauratio Regni Dei.* Christianizatio « Ordinis vitae » i. e. structurarum vitae humanae.

IX. Conclusio. Schema perficiatur his tribus notionibus:

Paganismus: Ordo vitae falsa religione pervasus, a Deo hominem avertit et ad deos falsos ducit, et ad peccatum impellit.

Christianitas: Ordo vitae, Evangelio pervasus, qui homines totius nationis ad verum Deum conducit, eum ad virtutem impellit et sic fortiter et suaviter ad salutem perveniant, non singillatim, sed virtute Ordinis vitae sui populi. Sic mundus « victus fide » fiet Regnum Dei.

* * *

Capt. II. De ipso opere Missionali. Art. I: De praeambulis evangelizationis.

In schemate deest notio *Revelationis primitivae,* quae apud gentes conservatur, quamvis suffocata superstitionibus, et est causa cur, etiam sine Evangelio, actus fidei possibilis est et ideo salvari possunt. Haec Revelatio primitiva (Uroffenbarung) deberet suppeditare fundamentum veritatibus Evangelii.

1. Christianismus non est Revolutio, sicut saepe dicitur, sed Restauratio, tam religionis primitivae, quam ordinis naturae a peccato destructi.

2. Christianismus est praeterea *Instauratio,* nempe cultorum bonorum quae Iesus Christus nobis donavit.

3. Revelatio primitiva (Uroffenbarung). Exsistit talis Revelatio primitiva. Scriptura Sacra teste, Deus se revelavit hominibus in paradiso et etiam post paradisum. Ante Abraham et post Abraham fuerunt viri sancti et a Deo illuminati, qui ad familiam Abraham non pertinebant. Sunt testes huius Revelationis primitivae. Permanentia talis revelationis reddit possibilem apud non christianos actum fidei in « Deum quia est et quaerentibus se remunerator est » (*Hebr.* 11).

Scientia ethnologica et experientia missionariorum affirmat exsistentiam multarum traditionum religiosarum quae ab aliqua revelatione primitiva procedunt.

4. Transmissio. Transmissio Revelationis primitivae fit per Narrationes Religiosas, Mythos, Ritus.

5. Usus pastoralis. Si talia elementa Revelationis primitivae adhuc subsistunt in populo aliquo, valent praestare fundamentum praedicationi Evangelii, sicut revelatio mosaica fuit fundamentum praedicationis apostolorum.

6. Investigatio scientifica. Debet fieri modo methodico investigatio talium reliquiarum revelationis, et missiologica ut videatur quisnam usus de iis fieri possit.

Conclusio. I. In Textu: Fiat mentio de Revelatione primitiva

a) qua ethnici Deum Creatorem et Remuneratorem cognoscere possunt, et sic actum fidei, cum speciali gratia facere valent;

b) quae adhuc vivunt, quamvis fere suffocatae superstitionibus;

c) posse esse initium praedicationis evangelicae.

II. Institutum Ethnologico-Missiologicum, apud Congregationem de Propaganda Fide condatur, vel aliquod iam exsistens ad hoc aptetur, quod methodice investiget religionem primitivam singulorum populorum, simul investiget de methodo missiologica has traditiones purificandi a supervenientibus erroribus, et eas in praxi pastorali fructuose adhibendi.

III. Sacra Congregatio de Propaganda Fide invigilet ut novi missionarii adaequatas cognitiones acquirant non tantum de oeconomicis, geographicis, culturalibus, politicis quae suum novum campum laboris tangunt, verum etiam de ethnographia et ethnologia illius missionis, necnon de religione primitiva illius populi, tam in iis quae obstaculum, quam de iis quae adiumentum ex primitiva Revelatione oriri possunt.

44

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Pag. 5, n. 1, lin. 8: verbum: « novo » deleatur. *Ratio*: in textu doctrinali ambiguitas habetur quoad naturam novitatis (Nova Lex).

Lin. 9, legere: Ecclesia Christi, sal terrae... *Ratio*: sic indicatur Ipsum Christum per Ecclesiam homines salvare.

Lin. 10: rectius legere: ad omnem creaturam salvandam et renovandam... *Ratio*: hic etiam est finis essentialis Missionis.

N. 2, cap. I, lin. 22: loco: « libere creans et insuper gratiose... », legere: sua, postquam nos libere creaverat, insuper gratiose vocans...

Lin. 23, legatur: nos a peccato liberatos ad Secum communicandum in vita et gloria sua propria nosque sic deificans, bonitatem... *Ratio*: textus insinuere posset, eodem tractu procedere a Patre Filius et Spiritus Sanctus ex una parte, creatio ex altera. Insuper ordo creationis et ordo gratiae sic melius determinantur. Additur etiam liberatio a peccato quia non potest sermo haberi de Proposito Dei quin simul de Redemptione sermo fiat.

Lin. 26, pro: singillatim, melius: singulatim. *Ratio*: sic const. *Lumen Gentium,* n. 9.

Pag. 6, n. 3, lin. 3: rectius legere: eosque a peccato liberandos, componendam...

Pag. 7, n. 5, linn. 18-19: expressis verbis citentur textus *Mt.* 28, 19-20 et *Mc.* 16, 15.

Lin. 20, forsan melius: haereditavit Ecclesia per Ordinem episcoporum, una...

Insuper in hoc n. 5 explicite referatur ad const. *Lumen Gentium,* n. 24, ubi de necessitate fidei et baptismi etiam sermo habetur. Inde clarius habetur necessitas Ecclesiae et praedicationis.

Pag. 8, n. 6, lin. 3: pro: « sive ab Ecclesia », forsan rectius legatur: sive ab ipso incepto missionali, sive...

Linn. 26-27: deleantur verba: « obstacula removendo ». Legere: sic vias Domino... *Ratio*: adest etiam praeparatio positiva, disponens ad gratiam.

Pag. 9, n. 7: Hic numerus denuo scribatur, quia falsa oppositio habetur inter, ex una parte, aeternam salutem (linn. 3-16), et, ex altera parte, propositum Dei, unum Populum efformandi (linn. 17-30).

Ante omnia, lin. 3 s. clare affirmetur non dari hominibus aliud nomen in quo sit salus. Cf. *Act.* 4, 12. Ubi deest praedicatio Evangelii et plena praesentia Ecclesiae, quae est oeconomia normalis, a Deo volita, gratiae dantur per modum suppletionis, quod est quid abnormale, provisorium et precarium. Insuper loqui oportet de voluntate Dei, homines perfectos esse, scilicet plene sanctificatos, quod haberi non potest sine praedicatione Evangelii et sacramentis. Cf. *1 Thess.,* 4, 3.

Quoad singularia haec sunt notanda. Lin. 4, pro: « non unice », legere: « primo ». Lin. 5, pro: « enim », legere « tamen ». Lin. 6: legere: « ad fidem implicitam adducere... ». *Ratio*: de se fides ex auditu est.

Lin. 11, legere: iustificentur ad salutem et perveniant ad pleniorem sanctitatem, ac proinde...

Lin. 15, legere melius: communicare in plenitudine spiritualium bonorum tam...

Linn. 21-22, legere rectius: cum amicitiam Dei et fraternam concordiam referat, ... *Ratio*: in voto hominum inscribitur sitis Dei.

Lin. 26, post: « Creatoris », addere: et Salvatoris...

Lin. 29, post: « Sanctum », addere: post peccatum mirabilius reformati et regenerati...

Pag. 9, n. 8, lin. 39, legere: Christus, Deus verus et homo verus, perfectio...

Pag. 10, linn. 6-7, legere: quod primo de personis valet, sed etiam ex consequenti de diversis bonis mundi huius... *Ratio*: nam res non eodem modo hic et illic habetur. Personae proprie sanctificantur. Res temporales, in suo ordine manentes, a gratia evangelica sanantur et inspirantur ex derivatione.

N. 9, lin. 22, pro: « perficit », rectius legere: ad effectum deducit et perficit...

Linn. 22-26, loco: « Non enim... restituit », legatur: Per verbum praedicationis Christum annuntiat et per celebrationem sacramentorum, praesertim sanctissimae Eucharistiae, Ipsum praesentem reddit; insuper dum omnem gratiam a Christo derivatam ad suum fontem reducat, eam plene fructificare permittit, ita ut per Ipsum... *Ratio*: formulatio negativa (linn. 22-24: « Non... tantum ») est valde infausta, dum agatur de summa realitate in terra. Quid altius quam Evangelium et sacramenta? Quoad linn. 24-26: « sed quidquid... restituit »: *a*) si agatur de valoribus naturalibus, tantum disponunt ad Christum; *b*) si agatur de gratia, derivatur a Christo et verbum: « restituit » non convenit.

Cap. II, pag. 11, n. 11, lin. 24, pro: « semina Verbi », rectius: « semina veritatis ». *Ratio*: haec expressio, quae habetur apud Iustinum, post explicitam decursu temporis doctrinam, aequivocationem facere potest.

Id. dicendum n. 15, pag. 13, lin. 37.

Pag. 12, n. 12, lin. 16, post: « exoptant », addere: « seclusa omni confusione, inceptis... ».

Linn. 23-32. Puritas et gratuitas intentionis ac spiritus servitii, ad imitationem Dei, firmiter affirmetur (cf. de hoc *de apostolatu laicorum,* n. 8, pag. 25, linn. 25-40, ubi agitur de actione caritativa); hoc posset venire etiam lin. 18, post: « promoventur », addere: in hoc opere impendendo christifideles gratuitum testimonium caritatis Patris reddant, docente Domino ignorare debere sinistram quid faciat dextera (cf. *Mt.* 6, 3).

Pag. 13, n. 13: fortius in hoc numero loquendum est, duce Paulo, de praedicatione. « Vae mihi si non evangelizavero » (*1 Cor.* 9, 15), et: Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? (*Rom.* 10, 14) (cf. *Act.* 5, 42; *1 Cor.* 1, 23; *Gal.* 1, 15, etc).

Lin. 5, pro: « de libertate », legere: « De libera indole... ». *Ratio*: haec libertas non datur erga Deum, sed erga quamcumque auctoritatem humanam. Formula nova vitat confusionem.

N. 14, linn. 13-14, verba: « non est... expositio, sed » deleantur. Legere: « qui est totius vitae... ». *Ratio*: doctrina est pars essentialis totius vitae christianae, cum fides, quae est ex auditu, sit initium salutis.

N. 15, lin. 37, legere: « semina *v*erbi », vel melius: « veritatis... ». *Ratio*: cf. animadversio ad n. 11, lin. 24, pag. 11 supra. Aliud est Verbum, divina persona, aliud locutiones, quas Deus ad homines dirigit.

Pag. 14, n. 15, lin. 21, post: « indifferentismi », addere: « vel confusionismi quam ». *Ratio*: quia tale periculum etiam existit.

Post: « communi », addere: « pro quanto datur professione... ». *Ratio*: quia haec communis professio fidei non semper existit.

Lin. 30, post: omnino, addere: amorem hominum universalem promoveant.

Pag. 15, n. 16, lin. 6, legere: « Ecclesia ». *Ratio*: rectius et ad uniformitatem, cf. n. 18.

Linn. 29-32, verba: « ut clerus localis... idoneus evadat » deleantur; et lin. 32, post: « perficiant », addatur: « , ita ut ex clero locali inveniantur sacerdotes ad ministeria maioris momenti et ad problemata difficiliora apostolatus solvenda idonei. Insuper Universitates et Instituta superiora in ipsis nationibus vel regionibus condentur ». *Ratio*: *a*) textus valde insufficiens, dum parvi facere videtur munus cleri localis relate ad missionarios de quibus tractatur, pag. 20, n. 24, linn. 35 s.; *b*) Universitas in ipsa natione (vel regione) est scopus laudabilis, quia sic dependentia ab aliis minuitur, formatio securior habetur, problemata propria solvenda melius perspiciuntur.

Pag. 16, n. 17, lin. 16, post: « satagentes », addere: « Etiam fundetur Institutum Superius ad hanc formationem plene fovendam ».

Lin. 21, legere: « ut formationi catechistarum modo... ». *Ratio*: etiam sustentationem in hoc includere supponit nimis amplam organisationem.

Lin. 23: « Si... fundetur » deleatur. *Ratio*: Directores Nationales Operis Pontificalis de Propaganda Fide hoc respuerunt, cf. *Acta Pontificalium Operum,* 1964, p. 7. *Ratio*: allata opera non sunt multiplicanda. Insuper Concilium non potest normas nimis particulares mox forsan inopportunas, ferre.

Lin. 24, legere: « *Ecclesiae* ». Linn. 28-29, verbum: « canonica » deleatur. *Ratio*: explicite verbum respuitur a decreto *de apostolatu laicorum,* cf. pag. 57, ad n. 24, F. Documenta conciliaria concordare oportet.

Pagg. 13-17. Post hunc n. 15 vel post n. 18, necesse est haberi numerum novum *de laicatu,* ad formationem communitatis christianae applicantem ea quae dicuntur in decreto *de apostolatu laicorum.*

In textu nostro quandoque sermo fit de communitate fidelium, v. g. nn. 14, 15, 19, citando textus Const. *Lumen Gentium,* sed hoc fit quasi per transennam. De laicis tractatur in n. 39, linn. 36-40, ubi de cooperatione agitur, sed permixtim de « laicis sive advenis sive autochtonis ». Tantum sermo fit de catechistis, et quidem laudabiliter. Sed quasi nihil invenimus de necessitate apostolatus laicorum, de eorum proprio munere, de formatione membrorum Actionis Catholicae, de eorum responsabilitate in Ecclesia et in mundo.

Relate ad *Princeps Pastorum,* cuius dimidia pars de laicis tractabat, nn. 24-52, textus noster recessum valde dolendum constituit.

Unde textus novus addetur ubi de sequentibus argumentis sermo fiat:[1]

In efformatione communitatis christianae partem activam et essentialem habent laici, utpote caritate Christi pulsi et charactere sacramentali baptismi et confirmationis exornati. Hic laicorum apostolatus multipliciter exercetur, primo in catechesi, in evangelizatione, verbo et exemplo, deinde in inspiratione christiana ordinis temporalis. Inter diversas formas apostolatus momentum peculiare habet Actio Catholica. Inter principaliora munera Mis-

[1] Hoc dici debet non in cap. V ubi agitur « de cooperatione » sed in art. 3 cap. II ubi agitur « de communitate christiana efformanda ».

sionariorum est vocationes ad apostolatum inter laicos, inde a iuventute, suscitare, fovere. Ad hoc ut laici plene suae apostolicae responsabilitati respondere possint, plene educentur et efformentur.

Pag. 16, n. 18, lin. 40, legere: « in vitam religiosam *christianam* assumi... ». *Ratio*: sic res clarius dicitur, cum hae traditiones saepe iam « religiosae » sint.

Pag. 17, n. 19, lin. 30, legere: « Ecclesiarum... » (cf. lin. 35).

Linn. 32-34: « Quae... participabunt » deleantur et sic legantur: « Necesse est ut partem activam habeant in opere missionali Ecclesiae ». *Ratio*: has Ecclesias antea in communione perfecta cum tota Ecclesia non esse, est theologice falsum. Insuper haec expressio adhibetur in decreto *de Oecumenismo* ad designandas Ecclesias a nobis seiunctas (n. 3: « In quadam cum Ecclesia catholica communione, etsi non perfecta, constituuntur »).

Pag. 18, linn. 3-4, verba: « ita ut... valeant » deleantur. *Ratio*: hodie interdependentia omnium Ecclesiarum ut factum, et quidem faustum, habetur. Unde suiipsius sufficientia ut finis praesentari nequit.

N. 20, lin. 8, legere: « Ecclesiae ».

Lin. 18, post: « Consignata », addere: « ab Ecclesiae Doctoribus explicata, novae... ». *Ratio*: quia etiam Ecclesia doctrinam theologicam, speciatim mediantibus Doctoribus, accumulavit.

Linn. 19-20, legere: « ratione habita sapientiae populorum... ». *Ratio*: ne leviter tractetur de difficillimo problemate relationis inter philosoph*ias* et philosoph*iam* perennem. Dantur *et* diversitas *et* unitas humanae mentis. Problema pluralismi culturalis non est simplex. Ergo caute procedendum.

Linn. 27-29, legere: « Novarum denique Ecclesiarum particularium, suis traditionibus exornatarum, locus plene apparebit in ecclesiastica... ». *Ratio*: hunc locum habent iam ab initio.

Linn. 29-30, loco: « integro... praesidet », legere: « Petro universo caritatis coetui praesidente ». *Ratio*: ad meliorem unitatem sermonis habendam.

Pag. 18, n. 21, linn. 35-38, post: « dividit », legere « vocationem missionariam in Ecclesia inspirare nunquam desinit. Simulque Ordines ac Instituta religiosa munus evangelizationis ad totam Ecclesiam pertinens, directe vel indirecte ut suum, immo quandoque quasi proprium, officium suscipiunt ». *Ratio*: Triplex ratio. *a*) Peculiaris vocatio ad Missionem pro multis datur mediante obedientia religiosa. Quandoque activitas non directe missionaria, vel vita pure contemplativa (v. g. S. Theresia ab Infante Iesu) ad intentionem missionum dirigitur vel offertur; *b*) evangelisatio omnimoda est missionaria. Quandoque indirecte, v. g. docendo, missionarios praeparando, aliquis missioni participat; *c*) plura instituta habent activitatem missionariam ut partem essentialem sui muneris.

Pag. 19, n. 22, lin. 14, legere: « et praeter peccatum et errores, similem... ». *Ratio*: praecisio necessaria, relate ad certas deviationes recentes.

Pag. 20, n. 24, lin. 31, legere: « quas secundum suas traditiones de Deo... ». *Ratio*: non omnes hae traditiones sacrae dici possunt.

Linn. 35 ss. denuo scribantur quia haec officia non solis missionariis reservantur, dum, supra, pag. 15, n. 16, linn. 29-32 recte affirmetur clerum localem ad omnia munera ecclesiastica destinari.

Pag. 21, n. 27, linn. 34-35, legere: « seu Synodus Episcoporum ».

Pag. 22, lin. 29, legere: « Missionibus, Delegatae Congregationum religiosarum mulierum, necnon... ». *Ratio*: patet, cum religiosae tantum ad opus missionale conferant. Ad minus repraesentantur ad instar laicorum.

Pag. 24, n. 34, lin. 21, legere: « fervor in Dei dilectione et servitio... ». *Ratio*: iam vos non dicam servos, sed amicos.

Pag. 25, n. 36, lin. 21, legere: « Ecclesiarum... ».

Lin. 29, legere: « inter infirmos, pauperes et pueros... ».

Linn. 35-36: explicite enumerentur principaliora Opera Pontificia.

Pag. 26, n. 37, lin. 24, post: « prosit », addere: « Ad laborandum, etiam ad tempus, in terris missionum, sacerdotes, qui se putant idoneos esse, sese sponte offerant. Unioni Pontificali Missionali omnes adhaereant ». *Ratio*: vocationi ex parte episcopi, de qua sub n. 36, debet respondere spontanea donatio ex parte sacerdotis. Quoad Unionem Pont. Miss., cf. decretum *Huic Sacro,* 14-7-1949.

Lin. 25, legere clarius: « Presbyteri dioecesani... ».

Pag. 27, n. 38, lin. 13, post: « in Christo », addere: « necnon sensus magnitudinis Dei inter... ». *Ratio*: purus sensus Dei in vita contemplativa nutritur.

Lin. 26, loco: « utilis », melius: « fructuosa ».

N. 39 corrigatur secundum animadversiones propositas de laicis sub n. 15.

In n. 39 (vel 34) indicatum momentum testimonii a catholicis dati erga non christianos, quos itinera facientes visitant, vel qui in christianam regionem propter studia, laborem aut peregrinationem degunt. Permulti sunt non christiani qui sic ad Christum adduci possunt, si christiani Christi testes sint.

45

EXC.MUS P. D. REMIGIUS IOSEPH DE ROO
Episcopus Victoriensis in Ins. Vancouver

Dans ses considérations sur l'adaptation du travail missionnaire aux conditions actuelles du monde, le schéma oublie un point qui nous paraît essentiel: l'apport propre de la femme dans l'activité apostolique de l'Eglise.

La prise de conscience par la femme de la valeur propre de sa féminité représente en effet un des « signes des temps » les plus évidents de notre siècle, et il serait grave de le négliger. D'ailleurs, les débats suscités dans les autres confessions chrétiennes par le délicat problème de l'accession ou

non des femmes aux fonctions sacerdotales hiérarchiques ne peuvent pas nous laisser indifférents. D'autant plus que déjà dans plusieurs territoires de mission des initiatives ont été prises, confiant à des religieuses des responsabilités « pastorales » importantes, et cela pour le plus grand bien de ces églises locales. Il nous paraît donc nécessaire que, sans entrer dans le problème du sacerdoce proprement dit des femmes (difficilement acceptable pour la tradition catholique) ce Concile ouvre cependant des portes sur une plus large collaboration des femmes à l'action apostolique ecclésiale. Ce qui vaut surtout au plan de l'activité missionnaire telle que l'entend ce schéma.

Dans cette perspective il nous semble utile d'évoquer au moins les points suivants:

1. La Tradition de l'Eglise va dans ce sens. L'existence d'une certaine *diaconie* des femmes est un fait attesté par l'Ecriture [1] et par la première tradition.[2] Certes, il semble que cette *diaconie* n'est pas alors considérée comme une ordination au sens strict; elle n'équivaut pas à notre *diaconat* actuel toujours réservé aux hommes, mais elle est une forme typique de la *diaconie* universelle dont les formes de réalisations sont multiples. Pourtant au moins jusqu'au sixième siècle en Occident et plus tard en Orient, on a admis et officiellement reconnu les services ecclésiaux de femmes qui, bien que n'appartenant pas à la hiérarchie de l'Eglise, accomplissaient des fonctions immédiatement connexes à celles de la hiérarchie et sanctionnées par une consécration de type spécial, du type de celle de la bénédiction actuelle des abbesses. Il résulte clairement des témoignages connus que ces fonctions étaient de grande utilité pour les églises locales: fonction de catéchèse, de préparation des femmes au baptême, de soin des pauvres et des infirmes, etc.

On peut donc conclure que l'institution d'une certaine *diaconie* officielle des femmes dans l'Eglise actuelle n'aurait rien d'innovateur, mais ne ferait que renouer avec la Tradition.

2. Cela répondrait aux lois mêmes de l'agir pastoral. Ce Concile a souvent affirmé que, dans l'élaboration de sa pastorale, la hiérarchie ne pouvait

---

Ces références offrent quelques points d'appui seulement; elles ne sont nullement exhaustives.

[1] Parmi les références scripturaires concernant la femme dans l'Eglise, on peut signaler: *Actes* 21, 9; *Rom.* 16, 1, 2, 6, 12; *1 Cor.* 11, 5-15; *1 Cor.* 14, 34-35, 39; *1 Tim.* 3, 8-11; 5, 3-13; *Phil.* 4, 2-3.

[2] Constitutions Apostoliques II, 57; VI, 17; VII, 19, 20; VIII, 28, 6; LIII, 19, 20; CLÉMENT D'ALEXANDRIE, *Paedag.* C. 3, n. 12; 2[e] *Canon* de DENIS D'ALEXANDRIE; EPIPHANE, *Haes.* LXXIX, 3 et XLI, 2; *Didascalie* III, 8; JEAN CHRYSOSTOME, *Hom.* 31, 1; TERTULLIEN, *De Vel. Virg.* IX.

Le Synode de Laodicée dans son Canon II interdit l'institution des diaconesses à cause des abus au plan matériel. Il semble que le Concile de Nicée (325) conteste l'utilité de l'imposition des mains aux diaconesses, par crainte de confusion avec le sacerdoce. Les Conciles d'Orange (441) et le 2[e] Concile d'Orléans (533), Canon 18, auraient supprimé les diaconesses, alléguant la fragilité du sexe.

pas agir sans une communion vraie avec les laïcs. Car ceux-ci portent des charismes qui leur sont propres et que Dieu leur accorde pour la croissance et la vigueur de l'Eglise entière. Mais ces charismes ne sont pas étrangers aux conditions naturelles de l'homme; et les dons naturels doivent même être considérés comme des dons fondamentaux appelés à fructifier dans l'Eglise et au profit du dessein divin. L'homme doit se mettre *tout entier* au service de l'Evangile.

Or l'anthropologie moderne souligne avec force combien l'homme et la femme sont complémentaires. Chacun porte l'être humain mais selon une modalité propre qui détermine ce que nous appelons le sexe.[3] Celui-ci, avec toutes ses implications et ses harmoniques, doit donc servir l'Evangile. A l'heure actuelle, la pastorale de l'Eglise s'élabore en tablant surtout sur le génie propre du sexe masculin. Cela tient au fait que l'accès aux ordres hiérarchiques est — en conformité avec la Tradition — réservé aux hommes; [4] également au fait qu'en Occident les ministres sont célibataires; mais aussi au fait que dans la pensée et l'exécution de la pastorale on n'a pas encore considéré avec sérieux tout ce qu'apporterait de précieux la collaboration des femmes. On semble ne pas tenir compte du fait que la moitié de l'Eglise est composée de femmes et que les psychologies différentes pourraient conduire à des décisions plus nuancées, à des initiatives mieux adaptées. N'a-t-on pas eu tendance à tout voir sous l'angle masculin comme si celui-ci seul représentait l'humain ou encore comme s'il représentait l'idéal humain auquel le féminin devrait se conformer pour atteindre une certaine valeur? [5] Il nous semble donc que pour la qualité même de la pastorale il y aurait intérêt à y intégrer davantage l'apport propre des femmes.

De même au plan cette fois de l'exécution. Certaines tâches conviennent davantage au tempérament féminin qu'à celui de l'homme. Pourquoi, par exemple, l'organisation de l'apostolat caritatif d'un diocèse ne serait-elle

---

[3] Comme exemple d'études récentes en ce domaine, voir: ABEL JEANNIÈRE dans *Anthropologie Sexuelle* (Aubier, Montaigne, 1964), p. 49: « Mais le sexe n'est pas, en biologie, une donnée caractérisant l'individu, c'est une relation intéressant l'espèce ».

[4] L'Article XVIII du Statut de l'organisation de l'Eglise orthodoxe roumaine (1949) permet aux femmes d'exercer des attributions qui n'impliquent pas une bénédiction spéciale, par exemple: *a*) le maintien des églises; *b*) le chant liturgique; *c*) l'aide aux pauvres; *d*) la catéchèse; *f*) les institutions de charité, etc. ...

PAUL EVDOKIMOV réflète la tradition orthodoxe dans son article « La femme et la Parole » (*Catéchèse,* juillet, 1964, n. 16 - Les Religieuses Catéchistes), p. 271: « Le ministère d'ordre (la prêtrise) ne se trouve pas dans ses charismes, ce serait trahir son être ». Son ministère n'est pas dans les fonctions autant que dans sa *nature*. Il insiste par ailleurs sur l'égalité de la femme sur le plan *charismatique*.

[5] Même pour S. THOMAS, la femme est considérée comme un homme incomplet. Cf. I, q. 92, a. 1, ad 1 § 2.

pas confiée à la *diaconie* d'un groupe de femmes (religieuses, membres d'instituts séculiers, célibataires, veuves) qui, toujours en dépendance stricte de l'évêque, en assumeraient cependant la pleine responsabilité? N'avons-nous pas eu jusqu'ici trop tendance à ne voir dans les religieuses que des servantes, pas assez des femmes capables de percevoir avec l'acuité propre à leur sexe des objectifs précis échappant à la psychologie masculine et de saisir avec une perspicacité originale l'enjeu de certaines décisions? N'y a-t-il pas dans l'ensemble de ce que nous appelons indistinctement « activité pastorale » des domaines où des femmes seraient plus compétentes que les hommes?

3. Cela permettrait un meilleur équilibre dans la répartition des prêtres.

Il en résulterait que les prêtres pourraient être dégagés de certaines tâches pour se donner à celles qui leur sont strictement propres. Ceci paraît surtout urgent en territoires de mission et dans certaines régions autrefois chrétiennes, ou privées de prêtres. Déjà certaines mesures d'urgence ont ça et là été prises, et on a confié à des religieuses des fonctions importantes dans la vie paroissiale. En l'absence de prêtre elles ont à conduire la prière de la communauté, à donner une catéchèse paroissiale, voire même à distribuer l'Eucharistie...

Ne conviendrait-il pas que, dans la situation actuelle des missions, on détermine avec une certaine précision ce qu'il est possible *normalement* de faire en ce domaine, et que l'on dégage avec clarté dans un sens positif (et non pas seulement restrictif comme on l'a surtout fait jusqu'ici) quelles fonctions officielles la femme peut assumer dans l'Eglise, quelle forme concrète peut prendre sa *diaconia* propre? [6]

Nous suggérons donc qu'on élabore une théologie des « ministères » accessibles aux femmes, et une législation canonique appropriée à cette fin.

Nous formons le souhait que les Conférences Episcopales, en consultation avec le Saint-Siège, entreprennent des études bibliques et théologiques en vue de confier aux femmes, religieuses et laïques, des ministères distincts du sacerdoce, spécialement dans le domaine missionnaire.

---

[6] Le Droit Canon reconnaît la femme comme *personne* dans l'Eglise, cf. cc. 87 et 107. Par ailleurs il lui impose toutes sortes de restrictions, cf. cc. 93; 709 § 2; 742 § 2; 813; 968 § 1; 1264.

Voir aussi le Motu Proprio de S. Pie X *Inter pastoralis officii* du 22 nov. 1903 où les femmes sont déclarées incapables d'un rôle liturgique actif; ainsi que l'Instruction de la S. C. des Sacrements du 1 oct. 1949 où on admet qu'elles peuvent répondre aux prières du célébrant!

Autres sources à consulter: F. X. Arnold, *La Femme dans l'Eglise,* ed. Ouvrières, 1955; P. M. Soullard, o. p., dans *Lumière et Vie,* juillet-août, 1959, n. 43; P. Rondet, dans *N. Rev. Théologique,* 1957, pp. 915-941, *Eléments pour une théologie...*

46

Exc.mus P. D. LEO DE URIARTE BENGAO

Episcopus tit. Madaurensis, vic. ap. Sancti Raimundi

In schemate *de activitate missionali Ecclesiae* plurima dicta sunt de Missionibus, sed de Missionario qui est elementum primarium atque fundamentale Missionis nonnulla videntur dicenda et notanda quaeque valde utiles immo necessariae sunt iuxta meum iudicium ex experientia mea diuturna fere medii saeculi in Missionibus, de quibus ergo loqui mihi breviter liceat. Atque

1. Omnium Missionariorum prototypus ac exemplar supremum est Christus, quem Pater misit ut omnes homines faceret salvos. Et Christus dixit Apostolis suis: Sicut misit me Pater et Ego mitto vos. Hinc opus maximum atque magnificum Missionariorum est: Ecclesia, quae fuit, et quae est et quae futura erit. Nam omnis Ecclesia fundatur a Missionario sacerdote et cum crescit numerus fidelium fundatur quasi paroecia ac postea cum quasi paroeciis fundatur Missio-praefectura-vicariatus apostolicus ac demum dioecesis cum episcopo residentiali ac clero proprio et indigena. Neque dicatur ut non semel dictum est, ad extollendum apostolatum laicorum quod Ecclesia Samariae fundata fuit a laicis anonymis, sicuti Ecclesia de Roma, antequam advenirent apostoli, quia Ecclesia sine sacerdote, sine sacrificio, et sine dispensatione mysteriorum Dei, non est vera et proprie dicta Ecclesia Christi. Probabiliter accidit quod accidere solet usque nunc: quod aliquis sacerdos fundavit unaquaeque harum Ecclesiarum et vocavit Apostolos sicuti hodie vocantur episcopi praesertim ad Confirmationem conferendam ut fideles accipiant Spiritum Sanctum.

2. Missionarius debet portare in suam commendatam Missionem, prouti non semel commendat Missionariis Sacra Congregatio de Propaganda Fide et hoc ab initio Fidem et solam Fidem, et nihil amplius, ne insimulari possint Missionarii de « Imperialismo » vel de « Colonialismo » quod non raro factum est, iniuste ac calumniose generatim, sed non raro, cum fundamento in re. Ergo Missionarius solus absque patre, absque matre et absque genealogia, veluti Melchisedech, corde magno et animo volenti debet totis viribus incumbere evangelizationi missionis sibi commissae: obliviscens suam patriam, suos mores, et suos usus, suam linguam si necessarium sit, et discens omni cura et labore, ut quid imprescindibile evangelizandorum linguam, ipsos cantus liturgicos, immo ludos et cetera omnia quae quamvis ad fidem non pertineant et quamvis Missionario sua magis placeant, et videantur ipsi meliora et forte sint, sed evangelizatis generatim non ita placent sed magis sua; et Missionarius omnibus omnia fieri debet ut Christo lucrifaciat omnes. Praecellentia et superioritas, non semper certa neque obiective vera, et quamvis revera ita sit, displicet neophytis, multo magis discriminatio quaecumque

illa sit, et in propria ipsorum patria quod odiosius est adhuc sicuti e contrario multum illis arridet neophytis quod Missionarius sese accommodet modis et usibus gentium quas evangelizat.

3. Missionarius ubique terrarum et inter omnes gentes est in patria sua, est enim cosmopolita, ob mandatum Christi dicentis: Euntes docete omnes gentes. Ideoque divisio Missionariorum inter nationales et exteros non placet neque videtur admittenda, quia est quaedam quasi discriminatio. Missionarius est Nomen, et catholicus: Cognomen, omnis missionarii catholici, quin addi debeat: americani, anglici, germanici, hispanici, sicuti non videtur dici debere: Ecclesia catholica gallica, vel Ecclesia hispanica neque Ecclesia romana et sic de ceteris, quia Ecclesia catholica est Una, Unica et hic loquendi modus diminutionem unitatis vel saltem aliqualem ambiguitatem creat sicuti quando loquitur de Ecclesiis Orientalibus. Apostoli nos docuerunt scribentes: Ecclesiis quae sunt in Asia, Ecclesiae quae est Corinthi, Ecclesiae quae est Romae, etc. Dici ergo debere videtur: Ecclesiis quae sunt in America, vel Ecclesiis quae sunt in Oriente, vel Ecclesiis quae sunt in Iberoamerica etc. Ita etiam sufficere videtur dicere: Missionarius catholicus qui est hic, vel illic vel ubilibet quin addatur huius vel alterius nationis, Missionarius catholicus est enim: Minister Christi et Ecclesiae. Maiori cum ratione dicendum de episcopis quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; non videtur dici debere episcopatum hispanum neque episcopatum italum vel episcopatum americanum, sed episcopos hispanos vel italos vel americanos catholicos Ecclesiae sanctae Dei, ut nos docuit S. Paulus: dicens Paulus apostolus Iesu Christi ita significans continuationem Missionis Iesu Christi in universa Ecclesia Christi ad salvandas omnes gentes.

4. Denique elementum praecipuum et essentiale in Missionario est spiritus et vita supernaturalis, et quasi anima ut ita dicam totius apostolatus, nam Missio est opus supernaturale quae mediis supernaturalibus tantum agi potest. Proindeque anima et vita omnis missionarii fuit heri, est nunc eritque semper et in saecula, spiritus et vita supernaturalis qui sunt mensura et quasi thermometrum, ut ita dicam, totius apostolatus qui absque his mediis ad nihilum redigitur quamvis media alia et motus multiplicentur, dantur etenim media praeter traditionalia etiam extraordinaria et moderna ut sunt prelum sub diversis formis, ephemerides, Cinema, Radiotransmissiones, Conferentiae sub multiplici forma, Teleeducatio, Missiones Populares per associationes Missionariorum, hispanice per « Equipos », « Curricula Christianitatis » et alia huiusmodi sed absque spiritu et vita supernaturali erimus Missionarii ut ait Apostolus: velut aes sonans aut cymbalum tinniens. Commendanda ergo vel maxime Missionario: Oratio quotidiana seu meditatio, Sacrum Sacrificium Missae cum debita praeparatione et fervore celebratum et Officium Divinum devote recitatum quotidie, quia cum adest vera voluntas recitandi, non deerit tempus illud faciendum. Confessio frequens quae non semper facilis sed necessaria, Lectura spiritualis aliquantisper saltem, praesertim verbi Dei. Recitatio pia atque devota, si possibile sit cum po-

pulo christiano et quotidie Sacratissimi Rosarii Beatissimae Virginis Mariae atque denique ambulare cum Deo ut sit perfectus, quia ordinarie erit solus, et ait Scriptura: « Vae soli », ideo necessarium est cum Deo ambulare, seu in praesentia Dei. Demum Missionarius egredi debet a sua Missione, saltem semel in unoquoque anno, per aliquos dies, vel ad aliam Missionem ire ob suam sanitatem physicam atque moralem, ac praesertim ad facienda singulis annis Exercitia spiritualia, de quibus habet necessitatem absolutam plusquam ceteri Sacerdotes, quia maiora pericula atque difficultates habet et minora media atque remedia, quamvis nunquam desit divinum auxilium.

Conclusio: Missionarius est Ignotus miles Ecclesiae Dei sed attamen « alter Christus » missus ab eo sicut omnes apostoli ad salvandas omnes gentes, qui quamvis, egressus de terra sua et de cognatione sua, ubilibet est in Patria sua, ob mandatum Christi. Vir Dei missus a Deo qui debet semper cum Deo ambulare quaerens semper et in omnibus gloriam Dei et salutem animarum ad consequendum Regnum Dei et optatum Christi: ut fiat unum ovile et unus Pastor evangelizando universum mundum ita ut de omnibus missionariis dici possit illud auspicatissimum ac mirificum verbum: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona dicentium Sion: Regnavit Deus tuus.

47

Exc.mus P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO

Episcopus Lucknovensis

Schema uti est valde placet, tamen quasdam emendationes generales proponere vellem:

1. Titulus cap. I « De principiis doctrinalibus » videtur finem pastoralem decreti opponere. Ideo propono quod ita mutetur: De missione Filii, Spiritus Sancti et Ecclesiae.

2. In n. 38, pag. 27, lin. 24 agitur de Institutis Saecularibus et concluditur: « Opera eorum multiplici ratione in Missionibus utilis esse potest ut signum plenae deditionis *laicorum* ad evangelizationem mundi ». Revera membra Institutorum Saecularium neque stricte religiosi vocari possunt neque *laici,* sed membra status intermedii uti apparet ex constitutione apostolica *Provida Mater Ecclesia* quae est magna charta Institutorum Saecularium. Ideo hic confusio fit inter Instituta Saecularia et Apostolos Laicos, de quibus sermo esse debebit in numero sequenti. Ergo propono quod verba conclusiva n. 38 ita emendentur: « ut signum plenae deditionis membrorum Institutorum Saecularium ad evangelizationem mundi ».

In capp. IV-V huius schematis optime loquitur de ordinatione et cooperatione activitatis missionalis et *conventiones* de quibus sermo est in n. 30 sufficere videntur pro bono Missionis. Eo quod, vero, humana fragilitas afficere potest etiam instituta caritatis, educativa et missionalia, uti experientia

ubique docet, petere vellem ut aliqua principia saltem generalia enumerentur pro *submissione* ordinationi et coordinationi ab episcopo dioecesano promovendis.

Revera nunc dantur scholae, hospitalia et alia opera missionalia in Missionibus quae certo nullo modo episcopi ordinationi et coordinationi subiiciuntur. Superior localis a superiore provinciali dependet qui extra dioecesim vivit et Ordinarium loci ignorat; superior generalis Romae residet et suas institutiones in Missionibus uti parvus Papa regit quin episcopi ordinationes et coordinationem pro singulis locis cognoscat.

Ne putent, quaeso, Patres me ignorare tot et tanta merita societatum missionalium et ingratum esse. Nos utique ex intimo corde gratias permultas agimus omnibus societatibus missionalibus pro adiutorio quod quotidie recipimus. Sed hoc adiutorium valde maius erit si scholae, hospitalia, opera caritatis et cetera huiusmodi non essent, uti generatim sunt, plene avulsa ab auctoritate Episcopi.

Si episcopus proponit conventionem uti conditio sine qua non pro erectione alicuius operis missionalis ab aliqua societate facienda, tunc nullum opus missionale erigitur in sua dioecesi. Ideo ipse beneplacitum tantum dare debet sine ulla conditione. De facto tale opus nullo modo ab ipso dependet neque coordinatur cum aliis operibus Missionis.

Ideoque principia fundamentalia quae in unaquaque conventione statuenda erunt, hic enuncianda sunt.

a) Opera missionalia non debent talia imponere onera ut pro divitibus tantum aperta sint.

b) Conditiones non debent esse tales ut non-christiani tantum ad ipsas accedere possint.

c) Episcopus ad ista Instituta Missionalia accedere debebit non tantum ut solemniter Missam celebret et solemniorem refectionem recipiat, sed praecipue ut ipsa canonice visitet, quavis exemptione suppressa. Exemptio Religiosis qua tales conceditur, sed applicanda non est scholis aliisque operibus missionariis.

d) Superiores istorum operum nullo modo aliquam conventionem inire debent cum gubernio civili sine consensu Episcopi.

e) Conditiones admissionis, dimissionis et disciplinares coordinandae erunt cum similibus operibus in Missione forte existentibus, sub ductu et vigilantia Episcopi.

f) Quidquid refertur ad religiosam et moralem instructionem ab Episcopo dependere debet et non a Superioribus Instituti.

g) Acatholicorum frequentia ecclesiae et similia item ab episcopo et non a superioribus Instituti decerni debent.

Ne quis dicat has praescriptiones iam in Codice Iuris Canonici contineri. Modo quo nunc continentur nullam vim practicam habent cum quotidie superiores Institutorum Missionalium scholas vel alia opera missionalia eri-

gunt sed episcopi de modo quo ipsa reguntur ne verbum quidem dicere possunt.

Ideo rogo vos Patres ut Concilium expresse dicat quaenam sint conditiones fundamentales quae in omnibus conventionibus inter episcopos et Instituta Missionalia ponendae sunt.

* * *

Sancta Sedes novas Missiones ordinarie Ordinibus, Congregationibus Religiosis vel societatibus missionariis committit. Tamen neque in Bullis Pontificiis neque in aliis documentis S. Sedis dicitur qua ratione hoc fit vel quanto tempore quibusve conditionibus Missio ipsis concredita manet.

Videtur quod schema clare definire deberet sive iura et onera S. Sedis sive iura et onera societatum quibus Missio concreditur, et hoc ut evitentur discrimina et quandoque etiam dissidia quae numquam istis in rebus exurgere deberent.

Generatim Praelati Missionum sui iuris, Praefecti et Vicarii Apostolici, immo etiam Episcopi Dioecesani e sodalibus Ordinis, Congregationis seu Societatis missionariae cui Missio concredita est eliguntur. Isti Superiores Ecclesiastici mittuntur ut Ecclesiam plantent et stabiliant, ideoque non amplius possunt de negotiis suae congregationis curam habere. Hoc significat quod in eadem missione duae potestates dantur: Superior Ecclesiasticus et Superior Religiosus. Nemo est qui non videat quam difficile sit habere duo capita pro eodem corpore vel duo galli in uno gallinario (two coks in the same poultry yard).

Si iura et officia sive Superioris Ecclesiastici sive Superioris Religiosi in eadem Missione et cum iisdem omnino subditis in schemate clarius definientur, tunc multum temporis, quod nunc in inutilibus immo nocivis querelis seu litigiis teritur, in posterum maiori fructu in regni Dei diffusione uteretur.

Schema aliqua principia statuere etiam deberet circa distributionem subsidiorum. In mea Missione existunt 17 miliones non-christianorum inter quos quinque millia tantum sunt catholici. In aliquibus aliis Missionibus e contrario dantur quinque miliones non christianorum et viginti millia catholicorum, sed subsidia quae a Pontificiis Operibus recipiuntur eadem omnino sunt pro mea ac pro aliis Missionibus. Schema deberet principia statuere pro distributione subsidiorum et mediorum pro activitate missionali, quae, quamvis spiritualis sit, tamen a mediis materialibus dependet, imo spiritualis activitas exercetur in proportione cum mediis materialibus a missionario receptis.

Multi Patres optime dixerunt quod etiam postquam Missiones Clero Dioecesano concreditae erunt, Missionarii exteri semper necessarii erunt sive in opere praeservationis sive in opere propagationis fidei.

Tamen assertum est quod hodie missionarii exteri in Missionibus diminuti sunt et saepe saepius hoc tribuitur Institutis Missionalibus quae minorem numerum missionariorum mitterent quam temporibus anteactis. Sed hoc nullo modo semper verum est.

Hodie quoque adsunt multa Instituta quae prompta sunt ad mittendos operarios in Missiones, tamen, proh dolor! nemo nescit quot difficultates nostris diebus inveniuntur a guberniis civilibus in territoriis Missionum ad obtinendam permissionem ingrediendi in quibusdam regionibus.

Ideoque schema clare declarare deberet ius missionariorum eundi in unaquaque regione mundi et, si possibile est, etiam statuere quod Legati S. Sedis in istis regionibus et Conferentiae Episcopales regionis, quamvis prudenter, tamen omnibus cum mediis faciliorem talem permissionem reddere debere.

48

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEVOTO

Episcopus Goyanensis

1. In genere curandum est ut *repetitiones vitentur,* sive quando de dispositionibus practicis agitur (v. g.: pag. 15, n. 16, linn. 29-32 et in pag. 20, n. 24, linn. 35-39; quando agitur de formatione in Universatibus exteris); sive quando de inceptis ad renovationem procurandam a conf. episc. ordinandis loquitur (pag. 15, n. 16, linn. 34-36 et in pag. 19, n. 22, linn. 30-31), sive quando de principiis aliquomodo doctrinalibus agitur (sic in n. 34 de missionali officio totius populi Dei, redit sermo in ea quae iam dicta sunt in nn. 5 et 6).

2. Curandum etiam est ut in textu emendato expresse assumantur ea quae in schemate *de pastorali episc. munere* iam probata, huc pertinent, uti v. g. de ratione dioceseos, de conferentiis episc., etc. ut pro aliis schematibus in textu praesenti fit.

3. In reordinatione schematis, art. 4 cap. III a capite separetur, ita ut novum caput separatum constituat, et in quo *de clero autochtono* expresse loquatur. Ex una enim parte clerus autochtonus est obiectum missionis, quatenus a missionariis exteris frequenter formetur, et simul est subiectum activum activitatis missionalis, quatenus Evangelium nuntiat hominibus in sua propria ditione. Neque oblivisci potest clerum autochtonum et speciatim hierarchiam autochtonam opera missionalia exercere et esse subiectum vere activum immo principale in his temporibus Missionum ad confirmandam continuationem activitatis missionalis.

4. Necesse est ut clarius appareat *vocationem etiam laicorum* indispensabilem esse ut activitas missionalis Ecclesiae plenius evadat. In textu schematis, ut nunc iacet, hoc manifeste non apparet. Et hoc non tantum dicendum est in uno aliove numero, sed aliquomodo debet esse praesens in modo loquendi fere totius schematis.

5. Quamvis aliquomodo in textu dicatur, etiam urget ut haec « Charta Magna Missionum », clare et aperte loquatur de activitate Ecclesiae missionali, ita ut *testimonium totius Ecclesiae,* non tantum alicuius Instituti Missionalis

vel Congregationis, appareat. Hoc quidem maximi momenti est, ut schema cum constitutione *Lumen Gentium* plane cohaereat. Ad hunc finem assequendum activitas missionalis Ecclesiae tali modo exponatur, ut opus simul hierarchiae, Institutorum Missionalium, cleri autochtoni et laicorum manifestetur.

In particulari

a) N. 4, pag. 7, lin. 27, non clare videtur cur primae finalitati missionis Ecclesiae, altera addatur.

b) In Conclusione, pag. 28, lin. 26, forsitan melius non diceretur Ecclesia « *eodem* amore, qui ex corde Christi profluit ... ».

c) Ratio plane non videtur cur in relatione proponatur emendatio n. 27, pag. 22, linn. 17-22, nam agitur de re quae commissioni reformationis Curiae competit. Melius igitur est ut retineatur textus ut prius.

49

Exc.mus P. D. VILLELMUS DUSCHAK

Episcopus tit. Abiddensis, vic. ap. Calapanensis

Cap. III adumbratur imago boni missionarii (sacerdotis, religiosi et laici) cum suis propriis qualitatibus et virtutibus. Argumentum huius capitis in quantum existit est optimum et profundum, sed non delineat imaginem missionarii integram et perfectam; ideo non est vera nec exemplaris. Argumentatio enim est nimis scripturistica, ascetica, immo paululum melancholica quasi scripta a magistro novitiorum vel prolata tempore exercitiorum spiritualium, ita ut imago missionarii evadat admodum severa, austera, gravis, carens illa alacritate et hilaritate spirituali, immo gaudio habituali, quibus missionarii abundare solent. Tali imagine iuvenes non invitantur, ut sequantur vestigia missionariorum; caret enim fine pastorali et educativo.

En verba schematis: Missionarii « a legitima auctoritate missi, fide et obedientia exeunt »; missionarius « carni et sanguini non acquiescens totum — et quidem per totam vitam — sese devinciat operi Evangelii »; « intrat in vitam et missionem Eius, qui seipsum exinanivit formam servi accipiens »; paratus esse debet renuntiare omnibus quae hucusque sua habuit; et similem sese reddere eis ad quos missus est »; « testimonium reddat Domini sui si necesse est, usque ad sanguinis effusionem ». « Persuasum habeat obedientiam esse virtutem peculiarem ministri Christi », « patienti et laeto animo ferens solitudinem, defatigationem, infructuosum laborem »; « spiritu sacrificii mortem Iesu in seipso circumferat ».

Verba haec, haud dubie sancta et gravia, aliquomodo superlata esse videntur, si sic et sola adhibentur ad vitam cotidianam et generalem missionariorum.

Huic imagini enim deest aspectus humanus, qui primarius et fundamentalis esse debet in imagine missionarii. Etiam in casu missionarii gratia supponit naturam, purificatam quidem, cultam et nobilitatam. Sine hoc fundamento missionarius, qui responderet imagini tantum delineatae in hoc capite, non necessario felicem haberet exitum in laboribus suis missionalibus, si quidem istis qualitatibus et virtutibus potius humanis careret, quibus e. g. S. Franciscus Assisiensis, Xaverius, Iohannes Bosco, Franciscus de Sales, plurimi Sancti et missionarii vel etiam Papa Giovanni (felicis memoriae), qui intra gregem et humano modo egregios et amabiles se ostenderunt, mirifice excelluerunt. Istas qualitates et excellentias humanas, uti sunt e. g. Benignitas, generositas, affabilitas, modestia, patientia, industria, promptitudo ad opitulandum, humanitas vel etiam festivitas, missionarius vel candidatus vocationis missionalis colere et excolere debet ut fundamentum naturale et humanum, sicut solum pingue, ex quo germinent virtutes proprie dictae missionales.

Missionarius enim, ut homo Dei, est etiam homo hominum, pater, frater, amicus, consiliarius, consolator, medicus, magister, iudex, artifex, musicus, opifex, ut anglice dicam, « a Jack of all trades ».

Sic vita missionarii est plerumque vita plenior et uberior (a fuller and richer life) quam aliorum hominum, repleta gaudiis spiritualibus necnon vere humanis. Vitam perdere quidem resolvit, et revera perdidit propter Christum et animas, sed vitam abundantiorem invenit, centuplum usque continenter accipiens, portans manipulos suos, dum venit in gaudio. Sic vel simili modo imago missionarii debet compleri propter finem saltem pastoralem quem et hoc schema et hoc caput habent.

Quis iuvenum allicietur imagini missionarii nimis unilaterali et vel lugubri? Missionarius, ut depingitur in schemate, apud sic-dictos « teenagers » nostri temporis eadem gratia populari « gaudebit », qua nunc generatim « gaudent » Sancti Patroni classici iuventutis, illi tres iuvenes religiosi, qui post vitam sanctitatis et innocentiae, quin sacerdotium adepti sint, sancte ex hac vita migraverunt. Quos quidem iuvenes nos, ut membra generationis maturioris, veneramur, sed iuvenes nostri temporis, quod dolendum est, plus minusve non comprehendunt vel simpliciter ignorant et negligunt.

Proponitur ergo, ut respectu penuriae vocationum sacerdotalium et missionalium, necnon finis pastoralis huius Concilii, i. e. ne deterreantur iuvenes, sed ut potius invitentur et alliciantur, ut amplectantur vocationem missionalem, difficilem quidem, sed et summa felicitate, pace, gaudio afficientem eos, qui sincero corde eam prosequuntur, ut: (nempe)

1. Utamur (et in hoc schemate) lingua, stylo et accessu psychologico-pastorali, ut audiamur a futuris missionariis, et ut textus huius schematis et capitis utilis fiat praedicatoribus, educatoribus et magistris.

2. Addatur paragraphus qua imago missionarii compleatur et efficax fiat ad invitandos iuvenes, addendo vultui missionarii illa lineamenta et ductus

virtutum et facultatum humanarum necnon nobilium, quibus vocatio missionalis summe amabilis et desiderabilis appareat.

3. Ne timeamus appellare et affari modo immediato et oratorio, ardenti et urgenti iuventutem huius temporis, ut vocationem missionalem amplectantur qua maior et altior nulla existit.

50

Exc.mus P. D. IOSEPH BARTHOLOMAEUS EVANGELISTI
Archiepiscopus-episcopus Meerutensis

Schema, uti nunc est, placet, sed hic illic perficiendum est. In mea interventione de uno numero tantum loquar, qui est n. 7 cap. I ubi de rationibus et de necessitate missionalis activitatis agitur. Hic numerus, sicuti iacet, mihi non placet, quia in eo nec praecipuae rationes missionalis activitatis, quae ordinariae inveniuntur in magisterio Ecclesiae, afferuntur, nec necessitas missionalis activitatis sufficienter apparet.

1. *Praecipuae rationes missionalis activitatis, quae ordinarie in magisterio Ecclesiae inveniuntur, hic nullo modo citantur.*

Textus, qui ad rem nostram pertinent et qui a schemate nostro omnino abesse non possunt, sunt bene noti: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ... » (*Io.* 20, 21). « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis (*Mt.* 18-20) et correspondens textus S. Marci: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur ».

Nunc autem, praedicatio Evangelii et acceptatio eiusdem per fidem in ordinario et extraordinario Ecclesiae magisterio semper proponitur tamquam normalis via aeternae salutis assequendae. Citationes in hac re superfluae esse videntur.

2. *Necessitas missionalis activitatis ex hoc numero sufficienter non apparet.*

Dicitur enim, lin. 5 huius n. 7, « Ecclesia tenet Deum, viis sibi notis, homines ad Fidem adducere posse ... etiam si Evangelium non audierint ». Ex hoc autem non sequitur multos esse qui hoc modo salvi fiant. A posse enim ad esse non datur legitima illatio. Certum est Deum illos, sine missionariis, ad Fidem adducere posse, si illi divinae gratiae correspondeant. Utrum autem pauci sint vel nulli vel multi qui hoc modo salvi fiant, nobis omnino ignotum est; ideoque circa hanc materiam nullum certum iudicium facere possumus.

Fides vero Domini Nostri Iesu Christi, sine qua impossibile est Deo placere, hucusque ab omnibus Christi apostolis et ab omnibus Christi missionariis usque ad contumelias, carceres et sanguinis effusionem praedicata est,

non tantum ut homines incomparabiliter illuminarentur et donis spiritualibus ditarentur, sed ut vitam haberent et abundantius haberent, et per aquam et Spiritum Sanctum denuo nascerentur ut filii adoptivi Dei.

3. *Praeterea, in hoc idem n. 7 aliqualis habetur contradictio.*

Lin. 5 enim dicitur: « Ecclesia tenet Deum viis sibi notis, homines ad Fidem adducere posse, etiamsi Evangelium non audierint ». Lin. autem 9 in eodem n. 7, dicitur: « Ecclesia tenet Dei voluntatem esse ut homines per Fidem, Ecclesiae praedicatione suscitatam, iustificentur ad salutem ». Forsitan apparens contradictio tolleretur, si dicatur: « Ecclesia tenet via ordinaria et normali, Dei voluntatem esse etc. »; atque ita, haec via ordinaria et normalis contraponitur viae extraordinariae qua Deus aliquos salvet sine praedicatore et missionario.

4. *Tandem, id quod in paragrapho secunda huius numeri septimi affirmatur nullo modo probat rationem missionalis activitatis Ecclesiae.*

Ibi dicitur: « Ratio missionalis activitatis Ecclesiae maxime deducitur ex proposito Dei, cui Christus oboedienter et amanter inservit ad gloriam Patris qui misit eum, ut universi ex quibus genus humanum constat, unum populum efforment Dei, in unum corpus coalescant Christi, in unum coaedificentur templum Spiritus Sancti ». Pulcherrime dicta! Sed, nisi dicamus hoc mirabile opus divinum, secundum viam normalem salutis, fieri debere, ex voluntate Dei, per praedicatores et missionarios, quae hic affirmantur, quamvis perpulchra sunt, non probant rationem missionalis activitatis Ecclesiae. Ideoque, nomine plurium missionariorum, qui sua nomina huic meae interventioni subscripserunt, desideria quoque aliorum missionariorum, quos consulere non potui, interpretando, humillime et instanter rogo ut hic n. 7 cap. I penitus reficiatur.

Aliqua tentamen ad hoc faciendum secretariatui generali scripto tradam.

Pro vestra caritate erga missiones et missionarios nostros, enixe rogo ut n. 7 cap. I penitus reficiatur. Multi enim missionarii, ob recentes doctrinas theologorum quae initio huius numeri inter lineas legi possunt, seipsos interrogaverunt: Ad quid tandem aliquando missionarii sumus?

N. 7 cap. I, emendatio proponitur. Cum Deus, qui est infinitus Amor, naturam suam per gratiam hominibus participare decrevisset, hominem ad imaginem et similitudinem suam creavit. Postquam autem Adam originalem iustitiam sibi totique humano generi amisit per peccatum, in plenitudine temporis, misericordiam et iustitiam harmonice sociando, Unigenitus Filius, voluntatem Patris amanter et oboedienter adimplens, in hunc mundum venit, ut omnes homines, a peccato liberati, vitam haberent et abundantius haberent ».

Divinum autem propositum circa hominum redemptionem a peccato et regenerationem ad vitam in Christo et per Christum adimpletur, quandoquidem Ipse est Vita nostra, et de plenitudine eius omnes nos accepimus ». Universi autem homines ad hoc creati sunt et redempti ut per baptismum novam

vitam accipientes, Dei populus fierent, in unum corpus coalescentes in Christo, in unum templum coaedificati in Spiritu Sancto. Quod sane, cum unitatem generis humani in Christo demonstret et efficiat, intimo universorum hominum voto sublimiter respondet.

Ad hoc mirabile Dei propositum perficiendum Iesus Christus venit in mundum, Evangelium praedicavit, in Cruce pependit, mortuus est et resurrexit.

Ad hoc idem opus ad finem usque saeculorum perenne reddendum, Christus Dominus suam instituit Ecclesiam, quae essentialiter missionaria est. « Sicut misit me Pater, dixit Iesus, et ego mitto vos » (*Io.* 20. 21). « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 18, 20). Et correspondens textus in Sancto Marco habet: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » (*Mc.* 15, 16).

Quamquam Ecclesia tenet Deum mediis et viis sibi notis, homines, qui Dei auxilio correspondeant, ad Fidem adducere posse, sine qua impossibile est Ipsi placere, etiamsi Evangelium non audierint, ipsa tamen ad implendum divinum praeceptum sibi clarissime impositum, normalem viam salutis aeternae per suos missionarios et sacerdotes, omnibus hominibus ad finem usque saeculorum praedicare non desinit, ut quotquot sunt homines bonae voluntatis, ad Familiam Dei adducantur ut corde uno et anima una possint omnes dicere « Pater noster ».

51

Exc.mus P. D. ELIAS FARAH
Episcopus Cyprensis Maronitarum

Le schéma *de activitate missionali Ecclesiae* ne semble pas, à notre humble avis, avoir posé suffisamment les fondements de la mission du Peuple de Dieu, ni la spiritualité missionnaire qui anime cette mission. Il n'a même pas fait allusion à la prière du Seigneur qui constitue le véritable code de cette mission et de cette spiritualité. En effet,

A) La prière dominicale est l'hymne du peuple de Dieu qui supplie le Père éternel de réaliser dans le monde *la mission totale du Christ.*

a) Cette mission est la manifestation et l'exaltation de la gloire de Dieu dans ses perfections infinies, perfections qui ont surtout éclaté à nos yeux par l'envoi du Rédempteur du monde, qui est l'éclat infini de sa sagesse et de sa bonté; par l'envoi de l'Esprit Saint qui est l'expression adéquate de l'amour du Père et du Fils; par le souffle divin que l'Esprit a donné à l'Eglise pour continuer la mission du Christ: *Pater noster qui es in caelis sanctificetur nomen tuum!*

b) Cette mission du Christ est la déification de l'homme et l'extension du règne de Dieu dans tout l'univers: *Adveniat regnum tuum!*

c) Cette mission est l'accomplissement de la volonté divine parmi tous les hommes: *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra!*

d) Cette mission est la suppression des misères humaines et l'épanouissement de la nature humaine dans l'ordre naturel et surnaturel: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie!*

e) Cette mission est la destruction du péché qui est à l'origine de toute misère: *Dimitte nobis debita nostra!*

f) Cette mission est la victoire de la nature déchue, mais régénérée par la grâce, sur la concupiscence et les embûches du démon: *Et ne nos inducas in tentationem sed libera nos a malo!*

Cette prière constitue donc une spiritualité complète de la vie chrétienne, qui est essentiellement une spiritualité missionnaire, puisqu'elle répond à toutes les exigences de la mission du Christ.

B) Mais en même temps que le *Pater* pose les fondements complets d'une spiritualité missionnaire, il impose au Peuple de Dieu une obligation très grave: la collaboration avec le Christ à l'accomplissement de la mission du Christ, qui est magistralement résumée dans le *Pater*. En effet, chaque demande formulée dans la prière dominicale contient une supplication filiale et confiante de la part du Peuple de Dieu, et une exigence de la part de Dieu lui-même pour collaborer à l'accomplissement de la mission du Christ.

C) Cette prière du Seigneur, commentée dans ce sens missionnaire, et comme elle est la nourriture quotidienne des fidèles et de l'Eglise entière, finira par créer en nous tous une spiritualité éminemment chrétienne, c'est-à-dire éminemment missionnaire, et donner à l'Eglise du Christ plus de vocations mûres, plus de missionnaires convaincus, capables d'affronter pour l'expansion du Règne de Dieu tous les obstacles, toutes les barrières, toutes les persécutions, et la mort même.

52

EXC.MUS P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. Delhiensis

Generales. 1. Magis in textu insistendum esse videtur in praedicatione directa Evangelii sive verbis sive scriptis. Idea utique in textu invenitur, sed aliquatenus latet in dynamismo interno schematis. Ut omnibus patefiat obligatio quam maxima praedicandi Christum magis expresse de hoc sermo fieri debet, allusione facta ad textus scripturisticos.

2. In quantum fieri potest, modus loquendi respicere debet non solum possibilitatem dialogi in forma intellectuali, sed etiam, praesertim apud regiones orientales, in profunditate spirituali.

3. Paragrapho speciali describantur duo quae in textu non sufficienter apparent, scil. in cap. III ubi de formatione fit sermo. Necesse est ut quaedam dicantur de formatione apostolica et de methodologiis modernis res et ideas praesentandi ita ut quam gratissime accipiantur — v. g., via collaborationis multorum (team work) potius quam conatus meri individualis.

4. Opus centrale huius Concilii est « Ecclesia », tum « ad intra » tum « ad extra ». Ecclesia autem est natura sua dynamica. Signum autem optimum vitae est incrementum. Ideoque opus expansionis Ecclesiae et evangelizationis mundi praeeminere debet in programmate futuro Ecclesiae Christi. Hac de causa exprimatur in schemate desiderium Patrum conciliarium ut *Dies Pentecostes* quotannis in mundo servetur ut *a*) signum perenne huius Concilii, et eius praeoccupationis circa problemata omnium hominum; *b*) ut memoriale eius sollicitudinis pro activitate missionali Ecclesiae:

In praxi: 1. Tempore opportuno mittatur Nuntius ex parte Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, vel melius, ex parte Synodi Episcopalis qui die Pentecostes legatur in omnibus ecclesiis orbis terrarum. Hoc modo ideae principales quae magnum influxum in Concilio habuerunt, et ad rem pertinent, omnibus iterum atque iterum praesentarentur.

2. Preces fundentur in tota Ecclesia sicuti fit Dominica Missionis mense octobris.

3. Similiter fiat etiam collectio pecuniaria specialis pro evangelizatione mundi, et quidem uti primus gressus versus finem et methodos hanc rem respicientes, et in schemate clare enuntiatos.

Speciales. 1. Saepe ad actionem conferentiarum episcopalium in textu fit recursus. In n. 24 autem improviso vocantur « regionales » quin sensus verbi explicetur. Melius esset si modo uniformi ad illas allusio fiat.

2. In n. 27, pag. 22 postulatur ut his vel similibus verbis fiat additio: « immo secundum exigentias strategicas quibus per programma aliquod actionis (planification) bene, ne dicam scientifice, excogitatum, occurritur ».

3. Quantum ad n. 28: *a*) ubi de Consilio Pastorali fit sermo, desideratur ut correlatio fiat cum Consilio de quo in n. 27 partis II schematis *de munere pastorali episcoporum*, ita ut munus missionale inter munera illius Consilii adnumeretur.

b) Non placet ut in nimis particularia descendit schema ubi, v. g., de « aequa parte » fit sermo. Verba illa ambigua esse videntur, et ut restrictio iurium episcopi considerari possunt.

c) Desideratur etiam ut in hoc numero ubi de « ordinatione rerum », aliquod dicatur de huiusmodi ordinatione etiam apud episcopos in regionibus mundi iam evolutis, ut sensus « activitatis missionalis » magis apud populum christianum emineret.

4. Similiter in n. 29 aliquid huiusmodi addi posset: « Etiam a conferentiis episcoporum in regionibus extra territoria sic dicta missionaria, horum ratio habeatur praesertim quoad subsidia allocanda, pro inceptis in Missio-

nibus » (cf. n. 31 partis II). Ob defectum coordinationis subsidia saepe caeco quodam modo distribuuntur.

5. In n. 30 haec addi possent: « vel in novam transeat regionem missionalem ».

6. In n. 34: En additio quae suggeritur: « quod fieri debet sub lumine seu perspectiva Ecclesiae ipsius potiusquam alicuius coetus particularis ».

7. In n. 36: Locutio de sacerdotibus dioecesanis aliquem paternalismum sapit. Nonne melius omitterentur verba introductoria a linn. 39 ss., ne appareat activitatem missionalem a solo desiderio pendere quin in principio magis ontologico sacerdotii catholici fundetur?

8. Ad n. 37 quod attinet, haec per modum additionis suggeritur: « Ubi fas est, pro ipsis non-christianis opera instituant, quibus Christus praedicatur, sive verbo sive litteris (Correspondence Course). Immo, in quantum fieri possit, se offerrent sacerdotes dioecesani non solum personaliter, sed consociato opere, per modum alicuius coetus (team, équippes) cum approbatione sui episcopi, et si opus sit, etiam Sanctae Sedis.

53

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIĆ
Episcopus Spalatensis et Macarscensis

1. Ad n. 2. Missiones in divinis theologice aliter intelligi debent. Spiritus Sanctus missus est a Patre et Filio. Haec missio duplex (DENZ. B 2 ec). Filius a Patre genitus est non voluntate seu Proposito nec necessitate sed *natura* (DENZ. 71, 526). Ecclesia autem ex libera voluntate Christi, sanguine Eius comparata, ortum habet.

2. Ad n. 3. Confuse dicuntur de Christo ut Verbo et de eodem ut Incarnato. Quoad creationem dicere debemus Patrem omnia per Filium et Spiritum Sanctum fecisse (DENZ. B 2 eb): Patri, non Filio, appropriatur creatio. De Christo ut homine nequit dici esse creatorem.

3. Ad n. 4. Filius a Patre habet ut Spiritus Sanctus ab eodem Filio procedat (DENZ. 1301).

4. Ad n. 6. Missio canonica omnibus necessaria est ad praedicandum (DENZ. G 4 dd). In Ecclesia adest ordo regiminis, quod deberet dici linn. 30-40 et alibi.

5. Quae dicuntur pag. 13, linn. 1-5 de conversione initiali est potius poeticus, quam theologicus modus loquendi (cf. doctrinam de dispositionibus ad iustificationem apud theologos et DENZ. F 3 d).

6. Ad n. 15, pag. 14, linn. 17-24 neophytis multa tribuuntur quae potius prius hierarchiae et prudentiae pastorali debent subiici.

7. Ad n. 20, linn. 18-20 dicitur res debere subiici novis investigationibus. Forsan hic esset locus ut inculcetur cognitio doctrinae traditionalis, ut ex ea novae investigationes diiudicari possint.

8. Ad n. 34. Distingui deberet officium missionale stricte dictum et late dictum. Insuper, oportet non oblivisci, in Ecclesia adesse potestatem regiminis, Ecclesiam esse societatem etiam iuridicam, praeditam vera potestate legifera, iudiciali et coercitiva.

Conclusio: Desideratur modus loquendi magis praecisus, magis doctrinae traditionali conformis.

Textus vero in genere dignus est Concilio.

54

EXC.MUS P. D. CAESAR GATIMU
Episcopus Nyeriensis

Liceat mihi in primis exprimere satisfactionem meam de schemate in se. Desiderarem autem aliqua adnotare quoad cap. II ut immediate exponam.

In par. 14 non clare, ne dicam confuse, apparet distinctionem inter catechumenatum et initiationem. Nam catechumenatus est tantum pars aliqua, quamvis momentosa, initiationis christianae quae est initiatio sacramentalis.

Quaeque initiatio — ut docemur moribus omnium populorum — est periodus temporis quae complectitur tempora formationis et praeparationis sed etiam sollemnes caeremonias et ritus. Etiam initiatio christiana pluribus partibus constituitur. Accessus ad sacramenta, Baptismatis nempe, Confirmationis et Eucharistiae, sunt praecipui gressus initiationis christianae.

Catechumenatus est prima periodus formationis. Ex se non requiritur ut nimis elongetur in tempore. Sed, recepto Baptismate, non absolvitur periodus formationis quae immo progredi debet et perfici in sacramento Confirmationis.

Confiteor admirationem meam quod ne unum quidem verbum expendatur in hac paragrapho de sacramento Confirmationis ut sacramento initiationis christianae, cum iam Ioannes XXIII in litteris encyclicis *Princeps Pastorum* de hac re mentionem fecisset (cf. *Princeps Pastorum,* 31).

Aptissime mihi videtur ut in hac paragrapho aliquid dicatur de Confirmatione ut sacramento quo fidelis attingit maturitatem christianam. Baptizati « quasi modo geniti infantes » (*1 Pt.* 2, 2), adhuc indigent adiutorio et maturatione ut fiant boni milites Christi.

Secunda mea adnotatio vertit circa par. 16 « De clero locali constituendo ».

Approbo quae inter linn. 15 et 30 leguntur, sed desiderarem quandam completionem afferre.

Nihil enim dicitur de institutione cleri ad activitatem administrativam seu oeconomicam. Episcopus enim, qui dioecesim gubernat, sacerdos, qui paroeciam regit, praeter primariam activitatem ministerii sacramentalis, non levibus administrativis et oeconomicis officiis obstringuntur.

Quandoque reprehendimur, et iure quidem, propter imperitiam nostram in re administrativa. Hoc verum est. Sed gravius, quod in Seminariis et Universitatibus Ecclesiasticis nulla institutio et educatio de re oeconomica et administrativa impertitur.

Humiliter ideo peterem ut actio administrativa aliquo modo ut disciplina scholastica statuatur. Quod si non in omnibus hoc opportunum censeatur, saltem in Seminariis Missionum introducatur.

55

EXC.MUS P. D. SAMUEL ALOISIUS GAUMAIN
Episcopus Munduensis

Loquens nomine plurium Patrum Africae Centralis, unicam et quidem brevissimam animadversionem vellem facere circa cap. II, n. 11, lin. 17.

Hic textus loquens de praeambulis evangelizationis, dicit quod non christiani, videntes exempla vitae christianorum et testimonium verbi illorum audientes, *genuinum vitae humanae sensum* percipiunt.

Et revera, manifestans hominibus Christum, eo ipso Missio eis genuinum vitae humanae sensum manifestat. Haec expressio felicissima est, sed melius poneretur in n. 5 ubi agitur de Ecclesia a Christo missa. Fusius etiam explananda est.

Sed quibus verbis melius illustraretur quam verbis apostoli Pauli in initio Epistolae ad Ephesios (cap. I, v. 3-14 et specialiter 3-6): « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate, qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum... ».

Haec verba apostoli lumine fulgentia nullo loco in nostro schemate inveniuntur. Attamen sunt fundamentalia in theologia missionali.

Revera ponunt *fundamentum anthropologiae christianae* et insimul *necessitatis missionis.*

Homini seipsum interroganti de vitae humanae sensu, Deus respondit: Te creavi ut sis in Christo filius meus adoptivus. Non eris plene homo, nisi in Christo.

En responsio aspirationibus hominum a Spiritu Sancto in cordibus eorum accensis.

En revelatio, et quidem plena, sic dictae « veritatis hominis ».

En propositus voluntatis Dei erga homines.

Ad hunc propositum perficiendum, Deus misit Filium suum in mundo. Ad hunc perficiendum, Filius misit Apostolos ad omnes gentes.

Ergo proponimus ut melius dicatur quomodo Missio respondet aspirationibus hominum et ut expresse citantur verba Pauli supra allata.

Finem allocutionis meae imponendo, vellem etiam proponere ut in conclusione schematis loco textus Epistolae ad Ephesios hic citati, alius ponatur. Textus allatus enim est aliquatenus obscurus ob referentiam ad Principatus et Potestates.

Forte feliciter citaretur in conclusione Epistola ad Romanos, cap. 8, v. 29, qui loquitur de Christo Primogenito in multis fratribus.

Ad n. 17 « De catechistis », pag. 16, linn. 19-20. Sequens phrasis: « Praeterea, status vitae decens et securitas socialis eis procuretur per iustam remunerationem» , sic corrigatur: « Praeterea, status vitae decens et, si possibile est, securitas socialis eis catechistis quae toto tempore suum officium exercent procuretur per iustam remunerationem ». *Ratio*: ex hoc textu valde ambiguo nostri schematis, multae difficultates oriri possunt ex parte catechistarum, ut exigentia stipendii. Quam exigentiam episcopi non possunt vel non debent satisfacere.

In multis enim dioecesibus maior numerus catechistarum — si non omnes — suum officium non toto tempore (« à plein temps ») exercent. Sunt operarii vel praesertim agricolae et tantum post laborem quotidianum doctrinam tradunt, seipsos ut apostolos inter suos fratres considerantes, et minime ut « functionarios ».

Supposita possibilitate hos catechistas remunerandi, haec remuneratio esset ad detrimentum spiritus apostolici.

Inde mihi liceat dicere meam observationem esse maximi momenti ad gravissimas difficultates in evangelizatione et aedificatione Ecclesiae praecavendas.

Nota: « *de securitate sociali* ». « Securitas socialis » habet sensum praecisum in legislatione sociali, et non in omnibus Statibus organizata est.

Ubi in hoc numero, pag. 16, in initio, laudantur catechistae, expresse fiat memoria de catechistis qui fideles in suo ministerio sanguinem effuderunt pro Christo.

56

Exc.mus P. D. XAVERIUS GEERAERTS
Episcopus tit. Laganitanus

Si dicere possumus quod schema *de activitate missionali Ecclesiae,* sicut nobis nunc proponitur, sub omni aspectu diversas quaestiones bene exponit et exinde valde laudandus est, non possumus tamen non deplorare quod in aliquibus quaestionibus media practica realisationis non — aut saltem insufficienter — indicentur. Schema nostrum unicam praebet occasionem in nomine totius Ecclesiae clare monstrandi viam sequendam ut theoriae steriles non maneant sed ordinate in praxim deducentur.

Hoc in tria mihi apparet necessarium et ideo tres additiones propono textui introducendas.

1. In fine n. 20 ad pag. 18, ubi agitur de diversitate in unitate in Ecclesiis particularibus, addatur haec sententia: « Optandum est ergo ut conferentiae episcopales intra limites uniuscuiusque territorii socio-culturalis inter se ita coadunentur ut communibus consiliis hoc aptationis propositum concordi animo prosequi valeant ». Hoc theoretice iam enuntiatur in ipso n. 20, sed in additione monstratur a quanam auctoritate haec unitas in diversitate prosequenda sit ut unitas pro tota regione acquiri possit.

2. In n. 27 statuitur sequens: « Pro omnibus Missionibus et pro tota activitate missionali unum tantum sit Dicasterium competens, nempe de Propaganda Fide... ». Hoc est bonum principium ad unitatem salvandam! Attamen in praxi est distinguendum, nam in parte doctrinali huius schematis distinctio instituta est inter activitatem Ecclesiae universalis et activitatem missionalem Ecclesiae particularis, quae ultima dirigitur ad singulos qui in territorio Ecclesiae huius particularis perfecte constitutae degentes, adhuc foris sunt (cf. n. 6, pag. 8, linn. 16-19). Haec activitas non est regenda a dicasterio de Propaganda Fide, sed ab ipsa Ecclesia particulari. Sic, v. g., Congregatio de Fide Propaganda auctoritative non debet sese immisceri in operibus ut cognoscimus v. g. in Mission de France, Mission de Paris, etc.

Qua de causa textus emendetur modo sequenti: « Pro activitate missionali ab Ecclesia universali (vel: nomine collegii episcoporum; vel: ab ordine episcoporum cooperante toto ecclesiali corpore) exercenda, unum tantum sit oportet dicasterium competens, etc. ... ».

3. Ad n. 32, ubi agitur de Institutis scientificis, necessarium videtur ut decretum magis ad particularia descendat. Ita enim efficietur ut:

a) Activitas missionalis novo impulsu dotetur conditionibus nostri temporis accommodato.

b) Decretum de missionali activitate per instrumenta practica pro sua parte provideat ut ordinationes fundamentales schematis tertii decimi in effectum deducantur praesertim quoad cultum humanum promovendum et vitam oeconomicam-socialem secundum normas iustitiae, caritatis et veritatis instituendam.

Quapropter propono ut textus n. 32 sic commutetur: « (De Institutis scientificis *condendis* vel coordinandis): Cum rectum et ordinatum exercitium actuositatis missionariae requirat ut operarii Evangelii ad munera sua, praesertim ad dialogum cum culturis et religionibus non-christianis rite praeparentur et adiuventur, omnino necessaria est scientifica investigatio variarum conditionum in quibus activitas missionalis in unoquoque magno territorio socio-culturali versatur. Ad hos fines assequendos unitus et ordinatus labor requiritur Institutorum quae sequuntur:

a) Instituta Superiora ad profundiorem culturarum et religionum cognitionem promovendam quae diversis spatiis et coetibus culturalibus correspondent.

b) Instituta Superiora pro collaboratione praestanda ad progressum

populorum in rebus oeconomicis et socialibus (formatio scientifica et technica).

c) Pro Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis constitutis vel condendis in Novellis Ecclesiis, conferentiae episcopales statuta et rationem studiorum accommodatam praeparent ab Auctoritate Apostolica approbanda vel confirmanda.

d) Instituta Superiora missiologica, pastoralia, catechetica et liturgica variis in locis iam exsistentia intimius et arctius inter se in favorem Missionum collaborent. Similia vero condantur apud Novellas Ecclesias.

Instituta ista omnia mutuo sibi assistant et nexu superiori uniantur ut per communem laborem finis attingatur: fidei nostrae praesentatio completa ad illuminandum totum mundum.

Animadversiones additae:

Maxime obstupefacti sumus de textu, sic dicto emendato a commissione pro missionibus, qui publici iuris factus est in relatione super schema decreti *de activitate missionali Ecclesiae,* sub titulo: « emendatio proposita a commissione pro missionibus » (cf. *Relatio,* pag. 11).

Hic enim textus totaliter mutat ipsam emendationem a commissione unanimiter approbatam, cuius substantiam ipsam evacuat.

Textus emendatus a Commissione approbatus: « In *decisionibus* huius Dicasterii partem *activam habeant* repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant: episcopi ex toto orbe, quicumque est eorum ritus, necnon moderatores Institutorum et Operum Pontificalium. Hi omnes statutis temporibus convocandi, supremam gubernationem totius operis missionalis participent ».

Textus in relatione editus: « In partem huius dicasterii vocentur repraesentantes selecti... etc. ».

Rogatur ergo ut textus restituatur prout a commissione approbatus fuit, vel, si haec redactio non placet, alia versio introducatur, v. g.:

In quantum hoc dicasterium supradictam exercet functionem directionis et coordinationis operis missionalis universalis, ipsi adiungentur de iure repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant: episcopi ex toto orbe, quicumque est eorum ritus, necnon moderatores Institutorum missionalium et Operum Pontificalium. Hi omnes, ubi agitur de illa directione et coordinatione generali, una cum membris Dicasterii supremam gubernationem exercent.

[*Subscripserunt etiam*] J. Guffens; J. Hagendorens, ep. Tshumbe; H. Catry, ep. tit. Semta; U. Morlion, ep. Baudouinville; L. Morel, arch. tit. Eno; T. Kuba, ep. Mehagi; R. Ndudi, aux. Boma; F. Courtemanche; Ch. Vanuytven; J. Trudel.

57

EXC.MUS P. D. ISAAC GHATTAS
Archiepiscopus Thebanus

Ecclesiae Orientales catholicae, olim fertilissimae matres, quae multis populis et nationibus lumen fidei apportabant, hodie, uti nostis, propter multas quas decursu temporum passae sunt calamitates et iacturas, paucis exceptis, in activitate missionali Ecclesiae vix participare possunt. Etiam in sensu passivo non sunt territoria missionum. Tamen et ipsae habent sua problemata missionalia, et quidem problemata sui generis.

Quando nempe, inde a saeculo XVII, missionarii latini ad regiones orientales mittebantur, id non fiebat, uti patet, evangelizationis causa, sed, saltem praeprimis, ad unionem fovendam et faciendam. Cui rei isti missionarii summo quidem zelo optimaque cum intentione studuerunt, tamen conceptibus illorum temporum praeoccupati, conceptu nempe praeeminentiae ritus latini et identitatis fere Ecclesiae catholicae cum Ecclesia latina. Ita evenit, ut paucos tantum fructus illorum ingentes labores ferrent, et parvae solummodo particulae Ecclesiarum orientalium unionem cum Ecclesia Romana inirent, id quod spem reconciliationis cum reliquis Ecclesiis orientalibus usque hodie tantopere minuit et gravat. Sed non de hoc nunc loquendum.

Loquendum potius est de relationibus quae hodie vigent inter missionarios latinos eorumque instituta et Ecclesias orientales locales, in quarum auxilium missi sunt et operam dant. Sane dignum et iustum est his missionariis et institutis gratias agere maximas pro indefesso labore, quem in nostris regionibus per saecula praestiterunt. Grato animo etiam confitendum eos generatim, saltem hodie, fraterno spiritu nobiscum collaborare. Tamen non negandum, non omnes difficultates iam superatas esse. Ea quae in n. 19 nostri Decreti, « De Ecclesiarum localium incremento », et in n. 20, « De diversitate in unitate », dicuntur, pro nostris regionibus praecipue valent et singulare momentum habent. Iam Papa Leo XIII, felicis recordationis, in suis litteris « Orientalium dignitas » non sine causa monuit: « Religiosi latini sint episcopis (scil. Orientalibus) in adiutorium et levamen, nec eorum iurisdictioni praeiudicium inferant et numerum subditorum imminuant ». Quod monitum obliviscendi periculum in nostris regionibus facile adesse, nemo est qui non videat, cum ad ceteras causas accedat diversitas ritus. Ideo praesertim in nostris Ecclesiis necessitas urget, ut missionarii se examinent, an dicto monito oboediant. An, exempli gratia, iustum et consentaneum sit, ut ipsi in aliquo loco, ubi pauci tantum adsunt latini, habeant plures easque pulcherrimas ecclesias et alias domus, cum Orientalibus autochtonis eorumque episcopo desint vel parvissima ecclesiola necnon et cetera aedificia necessaria. Sane tali in casu fieri non potest, quin apud Orientales catholicos oriatur quaedam acerbitas, et Orthodoxi ceterique incolae dicant: « Ecce, quomodo se diligunt! »

Secundum doctrinam Concilii Vaticani II omnia membra Corporis Christi Mystici, tum clerici, tum laici sunt et debent esse missionarii et apostoli, et quidem non solum verbis, sed etiam factis. Ideo sunt praecipuae relationes caritatis, mutui auxilii et abnegationis qui inter eos requiruntur, sicut erat in primordiis Ecclesiae, quando Christiani erant cor unum et anima una, ubi non erat dives et pauper, quia omnia communia habebant.

In hoc ergo spiritu, sicut egregie SS. Pater Noster Papa Paulus VI, feliciter regnans, in allocutione nuper coram Nationibus Unitis facta, dixit: « Il faut passer des paroles aux actes ».

In hoc quoque spiritu unus ex nobis, Exc.mus Arch. Rhemensis Marty, sincere et humiliter confessus est, se suum munus et suam gravem responsabilitatem ut pastor Ecclesiae non invenisse et intellexisse, nisi decursu huius Concilii Vaticani II.

Amoveamus ergo istud grave scandalum, quod nos clerici mundo dedimus nostro egoismo et nostra distinctione inter membra Corporis Christi.

Liceat ergo rogare omnes missionarios latinos, qui in nostris regionibus laborant, eorumque Moderatores, ut etiam sub hoc respectu suam praxim recogitent et, ubi opus sit, etiam mutent, ita ut etiam in nostris regionibus optimae illae normae, quae in nostro Decreto, praesertim in cap. V, « De cooperatione » exponuntur, in effectum deducantur et verbum sancti Pauli verificetur: « Sine offensione estote Iudaeis et Gentibus et Ecclesiae Dei ... non quaerens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant » (*1 Cor.* 10, 32-33).

58

Exc.mus P. D. IOSEPH MARCUS GOPU
Archiepiscopus Hyderabadensis

Humiliter propono insertionem alicuius novi paragraphi sub n. 28 vel in alio aptiore loco ad fovendum spiritum missionalem et ad procurandam meliorem distributionem operariorum evangelii in missionibus his sequentibus vel melioribus verbis:

Omnes sacerdotes sive dioecesani sive religiosi seipsos considerent imprimis missionarios et promptos se praebeant ad aggrediendum opus evangelisationis ad gentes et ad ministerium apud catholicos ruricolas retardatos. Item instituta religiosa sacerdotum, fratrum et sororum semper parata sint ad extendendum apostolatum suum in pagos et regiones nondum bene evangelisatas vel consolidatas. Non expedit ut operarii evangelii in missionibus nimis se congregent in nonnullis magnis civitatibus, praeter necessitatem fidelium harum civitatum, neglectis diocesibus, oppidis et pagis campestribus. Ministerium stricto sensu missionarium maioris necessitatis atque dignitatis esse existimandum est quam aliae formae ministerii sacri in missionibus.

Explicatio. 1. In regionibus missionalibus sodales institutorum religiosorum, scil., sacerdotes, fratres et sorores magnopere laborant pro gloria Dei

et animarum salute. Sed in hoc opere fructum decuplum colligere possunt haec instituta, si adhuc meliore sensu ecclesiali, missionali et apostolico se stimulent. Videmus enim in non paucis regionibus missionalibus non solum sorores et fratres, sed et sacerdotes religiosi, inter se magno zelo aemulari ad congregandum in magnis civitatibus quin ulla necessitas vel utilitas ipsarum civitatum ipsos ad hoc impellet. E contra etiam enixis precibus Episcoporum diocesanorum invitati ad parvas urbes, oppida vel pagos, invitos se monstrant ad incommodum laborem suscipiendum vel difficiles imponunt conditiones Episcopo invitanti, dum levis nutus Episcopi sufficeret ad fundandas sumptuosas domus, ecclesias vel scholas in supradictis magnis civitatibus. Uno verbo, etiam missionarii religiosi obliviscuntur finis operis missionarii, ideoque retardatur opus extensionis regni Dei atque progressus vitae christianae.

2. Sacerdotes etiam ex clero diocesano his diebus magis ac magis invitos se ostendunt ad petendos locos campestres, vel ad aggrediendum opus missionarium apud non-christianos et neo-conversos et ad sacrum ministerium in pagis christianis amoenitatibus carentibus excercendum. Sacerdotes gradus universitarios possidentes vel in terris exteris educati fere semper videntur sibi vindicare ius manendi in urbibus ibique vitam sat commodam cum sacro ministerio componendi, dum soli sacerdotes minus capaces vel minus eruditi praesto sunt ad locos rusticos et campestres mittendi. In diocesibus missionalibus opus directae evangelisationis et consolidationis stationum retardatarum debet considerari maioris momenti et dignitatis quam cura paroeciarum et scholarum bene stabilitarum. Episcopi debent facilius optimos et bene eruditos sacerdotes ad gentes et ad ruricolas mittere posse.

59

EXC.MUS P. D. FERDINANDUS GOMES DOS SANTOS
Archiepiscopus Goianiensis

Animadversiones generales. 1. Schema valde placet. Tam principia doctrinalia quam orientationes practicae manifestant inspirationem totius Concilii, qualis praesertim in Constitutionibus *de Ecclesia* et *de sacra Liturgia* elucet.

Tamen relatio inter Missionem Ecclesiae, qualis in n. 5 describitur, et activitates missionales, quae peculiaribus situationibus respondent, non perspicue indicatur in n. 6.

Melius dicatur ibi quod sunt tres situationes missionales Ecclesiarum particularium, nempe: 1) prima implantatio, sensu iuridico et theologico intellecta; 2) insufficientia mediorum pastoralium; 3) coexsistentia cum coetibus seu individuis non plene initiatis in participationem Mysterii Christi.

Et pro unaquaque situatione describatur activitas missionalis correspondens.

Dolendum est quod schema, profundis et universalibus principiis positis ad missionem Ecclesiae exsequendam, ad unam tantum activitatem missionalem se restringat, in iis quae ad praxim dicunt, scilicet ad primam plantationem.

Renovatio quam perficere intendit Concilium in eo consistit ut tota pastoralis activitas Ecclesiae fiat missionalis, idest, eo revera tendat ut omnes homines ad plenam Mysterii Christi participationem perveniant.

Tota Ecclesia est hodie in situatione missionali. Nam mutationes illae quae in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* describuntur, efficiunt ut non solum homines qui « foris » dicuntur, sed etiam ii qui quasi « intra » Ecclesiam exsistentes considerantur, attingi debeant activitate vere missionali, ea nempe qua libere, personaliter, sensum amoris et servitii Christi primo percipiant, et humanitatem novam in Spiritu efforment.

In votis est ut Concilium non tantum principia sed etiam orientationes practicas exponat activitatis missionalis consideratae in tota sua amplitudine.

Consequenter totum schema ita recognoscatur ut apte distinguantur ea quae sunt communia omnibus activitatibus missionalibus ab iis quae sunt unicuique propria.

Inprimis ea quae dicuntur de coordinatione in cap. IV et de cooperatione totius Populi Dei ad ipsum opus missionale sunt complenda.

In cap. IV placet propositio de vocandis in partem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide repraesentantibus selectis omnium illorum qui in opere missionali plantationis novellarum ecclesiarum collaborant.

Licet ceterarum activitatum missionalium cura ipsis Ecclesiis particularibus et conferentiis episcopalibus demandetur, tamen magnopere optandum est ut quaedam coordinatio instituatur talium activitatum missionalium pro Ecclesia universali.

Et ratio est 1) quia insufficientia Ecclesiarum particularium non raro talis est ut conferentiae episcopales impares evadant earum necessitatibus subveniendis. Unde collaboratio totius Ecclesiae requiritur pro aliquibus regionibus, quae in tali situatione versantur, ut accidit Americae Meridionali. 2) quia quaestiones de evangelizatione et initiatione christiana hominis moderni sunt hodie universales.

In votis est igitur ut in reordinatione Curiae romanae ratio habeatur alicuius supremi Consilii, quod ex repraesentantibus conferentiarum episcopalium componatur, qui statutis temporibus convocandi, coordinationem universalem eorum operum missionalium quae non important plantationem Ecclesiarum, sub auctoritate Summi Pontificis exerceat.

Forsan membra talis Consilii vocari possent in partes Sacrae Congregationis Consistorialis.

In cap. V, ubi tractatur de cooperatione ad « commune opus Ecclesiae », id commune opus intelligendum sane est ut complectens omnes activitates missionales et non solum primam Ecclesiae plantationem.

2. Participatio laicorum, qui et ipsi ad Populum Dei pertinent, in opere

missionali non satis in luce ponitur. Quod de laicis in schemate habetur tam parum est ut ipsum videatur clericalismo indulgere.

Animadversiones particulares. 1. Ad n. 11 aliquid addatur de scandalis vitandis seu reprobandis, quae a christianis patrantur in terris missionum, ut sunt bella iniusta, colonialismus politicus seu oeconomicus et alia huiusmodi.

Inprimis vitandum est scandalum separationis inter eos qui Evangelium Christi praedicant sed est ab omnibus vero spiritui oecumenico fovendum.

2. Principium diversitatis in unitate debet praesidere toti operi plantationis Ecclesiae et non solum eius incremento, ut videtur insinuari in n. 20.

Principium illud adaptationis explicite ponatur praecipue pro evangelizatione (n. 13) et pro catechumenato et initiatione christiana (n. 14). Missionarii ne exerceant opus suum quasi transplantationem quandam Ecclesiarum particularium e quibus proveniunt. Qui error gravissimarum difficultatum causa est pro ipso incremento novellarum Ecclesiarum.

[*Subscripserunt etiam*] José de Medeiros Delgado, Avelar Brandão Vilela, Alberto Gaudêncio Ramo, João de Souza Lima, João Rezende Costa, Oscar de Oliveira, Hamleto de Angelis, Vicente Araujo Matos, Amadeu Gonzales Ferreiro, José Thurler, Acácio Rodrigues Alves, José Mauro Ramalho, Belchior da Silva Neto, Adalberto Domenico Marzi, Francisco Austregésilo Mesquita, Walfrido Teixeira Vieira, Serafim Fernandes de Araujo, Herminio Malzone Hugo, Augusto Petró, José Lamartine Soares, Bernardo José Bueno Mieli, José Alberto Lopes de Castro Pinto, José de Medeiros Leite, Tomás Vaqueiro, Walmor Battu Wichrowski, João Hoffmann, Antonio Batista Fragoso, David Picão, Jorge Marcos de Oliveira, Alonso Silveira de Mello, José Vicente Távora, Luiz Victor Sartori.

60

Exc.mus P. D. ERNESTUS ARTURUS GREEN
Episcopus Portus Elisabethensis

Cum scopus huius concilii sit praeprimis pastoralis et practicus, satis miror quod in schemate nobis proposito nulla fiat mentio de Directore Nationali Operis Pro Fide Propaganda in unaquaque natione.

Meo humili iudicio, munus Directoris Nationalis maximi momenti est pro toto opere missionario in natione promovenda, atque ideo in schemate speciali notatu omnino dignum est.

Director Nationalis debet esse vinculum inter Sacram Congregationem de Propaganda Fide et Conferentiam Episcopalem. Debet etiam esse vinculum inter episcopos, sacerdotes et fideles, ut omnis conatus pro missionibus ordinatim et prospere procedat.

Ad Directorem Nationalem pertinet mentes omnium catholicorum in natione degentium ad activitatem missionalem totius Ecclesiae dirigere, eosque urgere ut pro missionibus constanter orent et generosa sacrificia faciant.

Ipse, praeterea, in praesenti statu rerum, bis in anno conventibus Romae habitis interesse debet ut de activitate missionali in propria natione notitias deferat, atque ut consilia, incitamenta, et, ubi necessarium fuerit, adiuvamina pro opere missionario petat.

Ex experientia scimus quod ubi munus Directoris Nationalis ab Episcopis, sacerdotibus et fidelibus revera aestimetur, sustineatur et fulciatur, ibi ingentes progressus in operibus missionaribus promovendis fiunt. E contra, ubi deest Director Nationalis, vel ubi munus istud parvipenditur, ibi debiles tantum conatus pro missionibus promovendis inveniuntur.

Propono igitur ut munus Directoris Nationalis in schemate convenienter extollatur, atque ut in loco speciali mentio satis ampla fiat de eius officiis relate ad omnes conatus pro missionibus coordinandos, promovendos et dirigendos sub moderamine generali conferentiae episcopalis.

61

Exc.mus P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Cum ob adhuc infirmam valetudinem ex recenti gravi chirurgica interventione impediar quominus particeps fierem iam nunc huius IV sessionis Concilii Oecumenici Vaticani II congregationibus, quaedam visa sunt mihi scripto proponere ut *de activitate missionali Ecclesiae* decreti schema perfectius utiliusque ad praxim evadere queat.

1. In cap. I, principia doctrinalia illustrari oporteret etiam Veteris Testamenti selectis testimoniis, ut universalismus messianicus e. g. in tribus Abrahae promissis benedictionibus de Christo solemniter testificatus inservire possit contactibus et apostolatui cum islamitis, itemque quoad mosaicae religionis asseclas seu iudaeos spectat Davidi per psalmos continuo iteratus.

Dato etiam transcendenti momento renovationis liturgicae in actu « Sacrosanctum Concilium » constitutionis vi atque impulsu, maximi adiutorii indubitanter essent pro universali missionali conscientia excitanda informanda perficiendaque quaedam selecta testimonia ac suggerenda ex Orientalibus Occidentalibusque liturgiis, praesertim autem Romana, deprompta atque huic ipsi capiti de principiis doctrinalibus inserenda.

2. Una cum « unico pro omnibus Missionibus et pro tota activitate missionali... dicasterio competenti » (cf. n. 27, cap. IV) — meritissima quidem quae est S. C. de Propaganda Fide —, reipsius tamen ratione habita, cum Ioanne XXIII in litt. encycl. *Princeps Pastorum* sub conclusione mentionem quoque faciendam esse videtur de S. C. pro Ecclesia Orientali (in regione Malabarensi, Aethiopia, Aegypto, Palaestina... atque Albania) cui etiam subsidiis ordinariis iuxta ipsius statuta Pontificium Opus a Propagatione Fidei

opitulatur similiterque Praelaturis (v. g. Isabela in Philippinis Insulis, cuius 65% habitantium Islamismo adhuc adhaerent) etc. a S. C. Consistoriali dependentibus...

3. Iure meritoque cap. III (n. 25) atque IV (nn. 30-31) necessitas ac excellentia Institutorum in Missionibus laborantium vindicatur.

Nihil tamen demittetur, quinimmo valde missionali Ecclesiae activitati proderit — ad cooperationem praesertim pro Missionibus in propria dioecesi magis magisque excitandam ac vitaliter sustentandam —, si etiam sacerdotibus dioecesanis (de quibus in 4 paragrapho n. 36, cap. V) potius autem dioecesibus clero laicalique apostolatu praestantibus circumscriptiones plus minusve amplae concredi possint. Memorari liceat hic Mediolanensis in Kariba-Chirundu (Zambia) experientia, eiusdem enim visendi causa card. tunc arch. Montini sub Divinae Providentiae ductu Africam magna ex parte peragravit (10 iul.-9 aug. 1962) ut subsequenti anno vere Papa missionarius universalem Ecclesiam Dei gubernandam atque catholice dilatandam susciperet. Referri etiam posset ad stationem missionalem in Karimba (Ngozi-Burundi) a Brixiensi dioecesi omnimodo ac circumspecte ministrata ac Paulo VI eiusdem concivi iam universali Papae signanter oblata. Longe lateque loqueremur autem de mandatis missionalibus a nostra dioecesi Flaviobrigensi simulque a Victoriensi et Sancti Sebastiani in Hispania atque Pampilonensi etc. in America meridionali (v. g. Aequatoriense Seminarium Intermissionale sub S. C. de Propaganda Fide iurisdictione) et Africa infrasahariana non mediocri successu conductis; sed quum brevitati indulgendum sit, pastoralia documenta nostra praesto sunt ut etiam certior quisque fiat de notabili incremento stipium pro Pontificiis Operibus Missionalibus inde a primis huiusmodi missionalis incepti annis, quod item asserendum est de Epiphaniae collecta pro Africa et — iam ab annis prioribus epistulae S. C. de Propaganda Fide 6 novembris 1958 ad arch. Burgensem — Hispanico Missionum Exterarum Instituto (I.E.M.E.) etc. etc.

4. Ut commendatio ad Episcopos de Pontificalibus Operibus Missionalibus (cf. par. 3, n. 36) efficaciter ad praxim reducatur, tam paroeciae quam instituta educationis etc. a familiis religiosis dependentia egent omnino laicorum collaboratione. Ad quam plenius assequendam valde conferet, opportuna huius decreti laus quae zelatrices praesertim Pontificalium Operum Missionalium spectat, ad mentem allocutionis Ioannis XXIII die 26 aprilis 1959, atque consequens Parochialium pro Missionibus Coetuum vel Commissionum aestimativa referentia (cf. Pii XI allocutionem ad Unionis Cleri pro Missionibus Internationalem I Congressum die 3 iunii 1922, itemque S. C. de Propaganda Fide epistulam 20 maii 1942 Pontificalium Operum Missionalium Directori in Hispania). Hos autem omnes Pontificalium Operum Missionalium validos adiutores ac zelatrices ab episcopis in sua quaque dioecesi ut laicalis apostolatus socios sociasque benemerentes recognosci oportebit.

5. Iuxta statuta quoque a S. C. de Propaganda Fide, Pii XII iussu, die 14 iulii 1949 publici iuris facta pro religiosis laicis et sanctimonialibus, commendari interest directe omnibus religiosis ac missionariis saecularibusque Institutis, cum Pontificiae Unionis Cl. pro Missionibus adhaesione, etiam in gradu dioecesano practica collaboratio quoad Pontificia Opera Missionalia nominatim ac specialiter (cf. instructionem *Plurimis abhinc* 29 iunii 1952 cum motu proprio *Romanorum Pontificum* 3 maii 1922) ut actio missionalis ab ipsis curata « supernaturalitatis et universalitatis sensibus imbuatur... illud praesertim prae oculis habentes, quidquid pro apostolatu catholico fiat in favorem redire ipsarum missionum particularium ».

Spes nobis est atque vehementer cum Ss.mo D.no Paulo Papa VI exoptamus ut sic « Sancta Ecclesia iuventute florens..., et honore pietatis et cultu iustitiae in salutem omnium gentium magis magisque revirescat ».

62

Exc.mus P. D. ANTONIUS HACAULT

Episcopus tit. Mediensis, aux. Sancti Bonifacii

I - 1. Indoles et munera propria laicorum peropportune proclamantur a Sacra Synodo, speciatim in constitutione *Lumen Gentium* et in schemate *de apostolatu laicorum*. In his documentis fuse extollitur quod laici ministeriis addicti et charismatibus ditati ad ipsam missionem Ecclesiae valide cooperantur.

Cum schema *de activitate missionali Ecclesiae* perlegimus, passim invenimus indicationes quod in hoc campo laici partem suam assumere debent. Sed in hoc munere elaborando schema videtur notabiliter deficere.

2. Plures Patres in aula locuti sunt de officio proprio laicorum in activitate missionali Ecclesiae, ex quibus dicta em. card. Alfrink et exc. M. McGrath summi momenti apparent. Insistendum est in schemate partem laicorum requirere ex hoc quod Ecclesia testimonium communitarium prae se ferre debet in opere missionali. Optime proposuit S. B. em. card. Meouchi: « Melius notetur... pars laicorum et familiae in opere missionis, praeter catechistarum, quia missio *non est aliquorum opus sed communitatis*... In missione fovenda, ... melius appareat pars laicorum, speciatim quando agitur de vocatione missionaria. Illuc videbitur profundius quantum illa vocatio laicorum missionaria, non est nisi expressio eorum participationis missionis fundamentalis Ecclesiae. Et sic, explicitur mysterium vitae divinae in Ecclesia, cuius dynamismum essentiale individuis communicatur, et eos impellit ad eundum et fructum afferendum ».

3. Munus apostolicum seu missionale ad ipsum esse catholicae fidei pertinet. Christifideles ergo eo ipso ut in Christum credunt, tanquam missionares vocantur, et ut tales ad missionem annumerari debent. Nonne oporteret

schema viam aperire ad crescentem laicorum participationem in campo missionali et praesertim illustrare munus eorum proprium in prima inceptione seu implantatione Ecclesiae?

II - Quia Ecclesia non constituitur sola Hierarchia, nec solis sacerdotibus seu religiosis, sed est integer populus Dei numerosissimos laicos complectens, illa mirabili varietate instruitur genuina Ecclesiae imago quae populis evangelizandis proponere oportet. Vitae Ecclesiae praesentatio incompleta remanebit si testimonio sacerdotum ac religiosorum solummodo innititur. Cooperatio laicorum, testimoniumque quod per ipsam vitam christianam eorum redditur ab ipsa natura Ecclesiae postulantur.

Insuper, cum laici christiani specialiter vocati sint ut eorum vita indolem salutis patefaciet quae ad perfectionem plenitudinemque totius hominis ducit, deficiente testimonio laicorum proprio, habitudo Evangelii cum vita humana quotidiana minus intelligibilis et accessibilis evadat.

Summi momenti est laicos partes habere *ut missionares* in quocumque coetu (team, équipe) missionario completo. Per ipsos laicos, viros ac mulieres, pastoribus suis semper unitos, testimonium pernecessarium redditur in ambitu concreto vitae christianae. Aspectus communitarius populi Dei et mysterium communitatis ecclesialis melius illustrantur.

III - Petimus ut in schemate recognito clarius asseretur munus proprium laicorum, virorum ac mulierum, ad testimonii missionariorum complementum.

En emendationes quae proponuntur:

1. Pag. 7, n. 5, linn. 17 s. Proponitur textus leviter mutatus (ibi sublineatus), cum novo tamen ordine: « Apostoli a Christo hoc mandatum acceperunt: "euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes servare quaecumque mandavi vobis" (*Mt.* 28, 19-20; *Mc.* 16, 15). Quod munus *Ecclesia* haereditavit. Missio Ecclesiae adimpletur operatione qua populus Dei messianicus, mandato Christi obediens et Spiritus Sancti caritate motus, hominibus vel gentibus in Christum non credentibus pleno actu praesens fit, ut eos, praedicatione, sacramentis ceterisque gratiae instrumentis, ad fidem, libertatem et pacem Christi adducat. Ita eis via libera ac firma *patefit* ad plene participandum mysterium Christi in unitate Ecclesiae quae est populus Dei, Corpus Christi et Spiritus Sancti templum. In exsequendo vero hoc munere, Ordo episcoporum, una cum Successore Petri *et Christi Vicario, presbyteri, et omnes christifideles cooperantur,* unusquisque secundum locum, officium et gratiam in corpore ».

Rationes: *a*) Secundum hunc novum ordinem textus conformior constitutioni *Lumen Gentium,* missionali in campo diversa munera solummodo post definitionem missionis (linn. 23-30) enumerantur.

b) Post verba « ... et pacem Christi adducat » (lin. 27), claritatis causa, incipienda est nova sententia.

c) Expressio « visibilis caput Ecclesiae » (lin. 21) pro multis remanet

ambigua. Ideo praefertur expressio magis simplex, et optima in contextu: « et Christi Vicario ».

2. Pag. 27, n. 39, linn. 31-35. Textus ita emendatur ut legatur: « In terris iam christianis laici ad evangelizationis opus cooperantur: *in primis munus suum apostolicum apud proximos adimpleant secundum exigentias evangelicas, deinde* cognitionem et amorem erga missiones in seipsis et in aliis foveant, vocationes in propria familia, in associationibus catholicis et in scholis *adiuvent,* subsidia cuiusque generis offerant, ut donum fidei quod gratis receperunt, aliis donari possit. *Ratio*: Il ne peut y avoir d'authentique intérêt pour les missions qui ne commence par un engagement apostolique concret, réel, s'adressant à ceux qui sont proches.

3. Pag. 27, n. 39, linn. 36-40. Textus ita emendetur ut legatur: « In terris autem missionum laici, sive advenae sive autochtoni, *testimonium veritati vita verboque reddent; in quantum fieri possit, coetus* (*équipes*) *missionares cum presbyteris constituent, et* in activitate paroeciali et dioecesana collaborent, varias apostolatus laicorum instituant, *associationes laicorum missionarum* promoveant, ut fideles novellarum Ecclesiarum quamprimum propriam partem in vita Ecclesiae assumere possint. *Ad opus evangelizationis possit etiam pertinere quod* in scholis doceant vel res temporales gerant. *Ratio*: munus laicorum in Ecclesia non limitatur ad ordinem temporalem, sed et ad ordinem spiritualem evehitur. In missionibus autem laici partem immediatam in opere evangelizationis assumant per activitates proprie spirituales.

Insuper, cum novo ordine paragraphi facilius fit transitus ad textum sequentem qui cooperationem oeconomicam et socialem laicorum respicit.

63

Exc.mus P. D. ALOISIUS HAENE
Episcopus Guelensis

Valde optanda esset emendatio substantialis in n. 7. Cap. I, circa « necessitatem » operis missionalis. Hic clarius et profundius exprimi deberet firma persuasio christiani animi de vero et vitali officio a Deo per Dominum nostrum Iesum Christum imposito Ecclesiae Suae, « Bonum Nuntium » atque huius Evangelii dona peculiaria ad homines per Universum Orbem propaganda. Hoc deberet ita exprimi, ut etiam non-christianus vel incredulus excultae mentis haec verba legendo percipere posset non esse mera repetitio aliquorum Scripturae vel Traditionis textuum, sed intima fides christiani nostri temporis, quae hic loquitur, propria fidei professio totius Concilii. Quod profitetur mysteria gratiae, quae Pater noster Caelestis secundum propositum Voluntatis Suae generi humano per Iesum Christum unicum Redemptorem omnium destinavit et praestat. De concreta Dei voluntate, qua Mysteria salutis in Christi morte et resurrectione completa non per solam

fidem ab unoquoque sibi fructuosa reddantur, sed et possint et debeant ubique terrarum per omnia saecula repraesentari, ita ut quisque homo de his mysteriis suae salutis quasi personali contactu participet, ad Salvatorem suum in istis praesentem Sacramentis per Matris Ecclesiae officium vere accedat et opus nostrae salutis exerceat. Sic Opus Missionis hodie non minus nos urget quam Apostolos, non minus quam christifideles praeteritorum saeculorum, « caritas enim Christi urget nos », ut Sanctorum Communio magis ac magis praesto sit omnibus populis.

Optanda esset et aliqua melior redactio latini eloquii saltem in isto cap. I, in quo modus exprimendi et singulorum verborum sequentia nimis redolet aliquod idioma modernum.

64

Exc.mus P. D. ALOISIUS SEVERINUS HALLER

Episcopus tit. Bethleemitanus, abb. null. S. Mauritii Agaunensis

Quaedam modestae additiones ad complendum schema:

Pag. 7, n. 4, lin. 11, post verbum « glorificaretur » addatur « quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, et operatur iustitiam, acceptus est illi (*Act.* 10, 34. 35) ». *Ratio*: cum schema in omnibus gentibus legendum sit, bonum est revocari quomodo Sanctus Spiritus ad omnes gentes semper missus est, et quae sit magnitudo sanctae Ecclesiae Dei. Sic applicantur ea quae dicta sunt in constitutione *de Ecclesia,* praesertim in cap. 2, de populo Dei.

Pag. 12, n. 13, lin. 37, post verbum « ad Dominum » addatur « libere convertuntur ». *Ratio*: ut applicentur quae dicuntur in decreto *de libertate religiosa.*

Pag. 27, n. 39, lin. 38, post verbum « collaborent » addatur « et quidem ut periti in secretariatu consultorum dicasterii de Propaganda Fide adnumerantur ». *Ratio*: ut fiat applicatio eorum quae dicta in aliis decretibus dum de laicis agitur.

65

Rev.mus P. D. CORNELIUS HEILIGERS

Superior generalis Soc. Mariae Monfortanae

3. (*Missio Filii*). *Textus schematis*: pag. 6, linn. 34-39, pag. 6, linn. 39-44. Verba « Cum autem semel, morte et resurrectione ... et ipse missus fuerat a Patre (cf. *Io.* 20, 21) » transponuntur ad n. 5. Terminus n. 3 erit: « Quod *autem* semel a Domino praedicatum est vel in ipso pro salute generis humani actum, usque ad ultimum terrae (*Act.* 1, 8) proclamandum et disseminan-

dum est, incipiendo ab Hierosolyma (cf. *Lc.* 24, 47), ita ut quod semel pro omnibus patratum fuit ad salutem, in universis, decursu temporum effectum suum consequatur ». *Ratio emendationis*: linn. 34-39 transponuntur ad n. 5, quia sunt optima introductio ad missionem salutarem Ecclesiae. Haec enim missio procedit a missione Filii quam continuat: misit sicut missus fuerat.

Lin. 39, dicitur « autem » in novo contextu, cf. lin. 34.

4. (*Missio Spiritus Sancti*) Textus schematis.

5. (*Ecclesia a Christo missa*). Pag. 6, linn. 34-39.

a) Dominus enim Iesus, cum semel morte et resurrectione sua complevisset in seipso mysteria salutis nostrae et renovationis universorum (omnem potestatem adeptus in caelo et in terra [cf. *Mt.* 28,18], priusquam assumeretur in caelum [cf. *Act.* 1. 11]), Ecclesiam suam ut sacramentum salutis fundavit, apostolosque in universum mundum misit sicut et ipse missus fuerat a Patre (cf. *Io.* 20, 21).

b) Pag. 7, linn. 31-37. Cum haec missio Ecclesiae continuet et propaget ipsius Christi missionem, eadem via, instigante Spiritu Christi, procedere debet ac ipse Christus processit, via nempe paupertatis, servitii et sui ipsius immolationis usque ad mortem. Nam sic in spe ambulaverunt omnes Apostoli, qui tribulationibus multis et passionibus adimpleverunt ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24). Saepe etiam semen fuit sanguis christianorum.[9]

c) Varia insuper navitatis genera, operi salutifero Christi congruentia, ex eadem missione Ecclesiae imponuntur, ut fideles, qui Christi sunt, conservet, eos autem, qui ad Christum nondum sunt conversi, nomini eius lucrifaciat. Summopere enim Ecclesiae nitendum est, ut per ipsam continenter fiat voluntas Patris, qui misit Filium suum, ut omne quod dedit ipsi non perdat ex eo (cf. *Io.* 6, 39; 10, 28-29; 17, 12), et ut filios Dei dispersos in unum congreget (cf. *Io.* 11, 52).

d) Pag. 8, linn. 30-33. Etsi tota haec Ecclesiae activitas salutaris ex missione profluat, qua Christus eam misit in mundum, incepta tamen peculiaria, quibus munus penetrationis christianae erga populos vel coetus nondum credentes exsequitur, singulari modo « missiones » *solent* nuncupari.

Pag. 8, linn. 42; pag. 9, lin. 2. Differt enim huiusmodi activitas missionalis apud gentes tam ab activitate pastorali erga fideles exercenda quam ab inceptis suscipiendis ad unitatem christianorum redintegrandam. Utraque tamen cum hac missionali Ecclesiae navitate arctissime coniunguntur, cum christianos ideo etiam in caritate et unitate oporteat remanere, ut cognoscant omnes quia discipuli Christi sunt (cf. *Io.* 17, 21). Testimonium ergo caritatis et unitatis omnino requiritur, ut Evangelii praecones euntes fructum afferant, et fructus eorum maneat (cf. *Io.* 15, 16).

Ratio emendationis: ordo clarior fit. Primo agendum est de toto ambitu missionis salutaris Ecclesiae, quae procedit e missione Filii (alinea a), via

Christi incedere debet (alinea b), varia secumfert activitatis genera pro condicione eorum ad quos dirigitur (alinea c) (credentes, non credentes, fratres seiuncti). Unitas deinde missionis salutaris declaratur ex unitate missionis Christi. In hac una missione salutari « missiones » ad gentes locum « singularem » obtinent. Earum coniunctio cum aliis campis missionis salutaris affirmatur (alinea d).

In alinea nostra a verba « omnem ... in caelum » (e schemate pag. 6, linn. 36-37) deleri possunt, ut linea argumentationis clarior fiat. Nihil enim faciunt ad rem.

Alinea nostra c est nova. Necessaria est, si in n. 5 missionem generalem volumus exponere, ut transitus ad missionem ad gentes fiat quasi naturalis.

Alinea nostra d ex elementis schematis componitur. Sermo tamen longior est et clarior ut rationes pateant quae inter missionis genera intercedunt.

6. (*Activitas missionalis apud gentes*). Pag. 7, linn. 17-23.

a) Apostoli a Christo hoc mandatum acceperunt: « euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes servare quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20; cf. *Mc.* 16, 15). Quod munus post eos haereditavit Ordo Episcoporum, una cum Successore Petri Ecclesiaeque visibili Capite. In exsequendo vero hoc mandato Ecclesia tota cooperatur, unusquisque secundum locum, officium et gratiam in corpore.

b) Pag. 7, linn. 38-39; pag. 7, linn. 23-30. Hoc munus adimpletur operatione qua Populus Dei Messianicus, mandato Christi oboediens et Spiritus Sancti caritate motus, hominibus vel gentibus in Christum non credentibus pleno actu praesens fit, ut eos praedicatione, sacramentis ceterisque gratiae instrumentis ad *fidem,* libertatem et pacem Christi adducat, ita ut eis via libera ac firma patefiat ad plene participandum mysterium Christi in unitate Ecclesiae quae est Populus Dei, Corpus Christi et Spiritus Sancti templum.

c) Pag. 8, linn. 33-38. Activitate sua missionali Ecclesia Universalis primo et immediate eo tendit, ut dilatetur seu plantetur apud gentes in quibus nondum radicata est, ita ut Ecclesiae particulares ubique in mundo sufficienter condantur, viribus quidem propriis ac maturitate praeditae, cum hierarchia propria et *aptis* instrumentis ad vitam christianam plene ducendam sufficientibus.[10] Quae Ecclesiae particulares, ad quas prima activitas missionalis terminatur, ipsae quoque eandem activitatem per se suscipiant oportet, cum et ipsae vocentur, ut vires suas impendant ad Regnum Dei dilatandum imprimis in loco peregrinationis suae (cf. *Ps.* 118 [119], 54; *1 Pt.* 1, 1; 1, 17; 2, 11) et deinde activitatem missionalem aliarum Ecclesiarum particularium et ipsius Ecclesiae universalis in toto mundo participent.

d) Pag. 8, linn. 38-42. Ex quo patet activitatem missionalem intime cum ipsa natura connexam esse Ecclesiae, cuius catholicam unitatem dilatando perficit, cuius apostolicitate sustentatur, cuius collegialem affectum exercet, cuius sanctitatem testificatur, diffundit ac promovet.

e) Pag. 7, lin. 40; pag. 8, lin. 2. Haec missio semper una eademque exsistit, licet non ubique eodem modo exerceatur. Distinctiones, quae in missionali Ecclesiae activitate agnoscendae sunt, non sumuntur ex intima natura ipsius missionis, sed ex condicionibus in quibus missio haec modo singulis congruo exercetur.

f) Pag. 8, linn. 3-13. *Porro* hae condiciones dependent sive ab Ecclesia, sive etiam a populis, a coetibus vel ab hominibus ad quos missio dirigitur. Ecclesia enim, quamvis de se totalitatem seu plenitudinem instrumentorum salutis comprehendat, nec semper nec statim secundum omnia agit nec agere potest, sed initia et gradus in actione sua experitur, qua propositum Dei ad effectum adducere conatur; immo quandoque, post feliciter inchoatam progressionem, regressum iterum deplorare cogitur, vel saltem in quodam *semiplenae insufficientiae* statu moratur. Quod autem ad homines, coetus et populos attinet, eos gradatim tantum tangit ac penetrat, et sic in eis radices agit, quibus substantia eorum in catholicam plenitudinem assumitur.

g) Pag. 8, linn. 14-27. *Iamvero duae sunt praecipue condiciones,* quae in hac Ecclesiae missionali activitate aliquando permixtae occurrunt: inceptionis primum seu plantationis, deinde novitatis seu iuventutis. Quibus tamen superatis, missio Ecclesiae non statim desinit, sed, saltem per activitatem missionalem Ecclesiae particularis perfecte constitutae, ad singulos quoque qui adhuc foris sunt dirigitur. Coetus insuper, inter quos Ecclesia versatur,. ob varias causas non raro funditus mutantur, ita ut condiciones omnino novae oriri possint. Ecclesiae tunc est iudicare utrum hae condiciones activitatem eius missionalem denuo requirant. Insuper, rerum adiuncta aliquando talia sunt ut possibilitas pro tempore desit praeconium evangelicum directe ac statim proponendi: tunc quidem missionarii possunt ac debent patienter, prudenter ac simul magna cum fiducia saltem caritatis et beneficentiae Christi testimonium reddere, et sic, obstacula removendo, vias Domino praeparare. *Ratio emendationis*: in textu nostro ea componuntur quae certe ad missionem apud gentes pertinent. Ordine logico procedimus, elementa schematis diligenter servamus omnia. Pauca verba immutamus, ut in novo ordine textus nexus logicus clarior fiat et ut repetitiones vitentur.

Alinea nostra a. Munus missionale apostolis commissum, ab ordine episcoporum haereditatum. Tota Ecclesia ei exsequendo vires impendere debet.

Alinea nostra b. Pag. 7, linn. 38-39. Quomodo hoc munus adimpleatur. Datur quasi definitio missionis ad gentes ex schemate desumpta. Ad vitandas repetitiones cum alinea a, verba « ab Ordine Episcoporum, cui praeest Successor Petri » et « cooperante toto Ecclesiae corpore » deleri possunt quia idem dicitur iam in alinea a. Corrigitur error typographicus schematis (pag. 7, lin. 27): pro « ad finem » dicitur « ad fidem ».

Alinea nostra c. Post definitionem ponitur finis *immediatus* missionis ad gentes. Loquitur de fine immediato (schema, pag. 8, linn. 33-38 loquitur de fine *proprio*) ad vitandum periculum ne activitas missionalis ad finem videatur pervenire quando Ecclesia particularis constituta est. Addimus quaedam verba ut clarius pateat quomodo ipsae ecclesiae particulares in activitatem missionalem intrare debeant. Maximi enim momenti est Ecclesias novellas sibi persuadere constitutionem hierarchiae non esse terminum laboris sed potius initium ad maiora opera.

Loco « instrumentis ... quasi affinibus et sufficientibus » (schema pag. 8, linn. 37-38) dicimus: « *aptis* instrumentis ... sufficientibus ». Quid enim significant instrumenta quasi affinia? Si agitur de problemate aptationis ad mentem et mores regionis, melius dicitur « aptis instrumentis ». Si alia est idea, clarius exprimi debet.

Omittimus verbum « autochtonae » (schema p. 8, lin. 35). Idea in contextu clare exprimitur (ut Ecclesia plantetur apud gentes in quibus nondum radicata est) et in phrasi « Ecclesiae particulares » continetur dummodo recte intelligatur. Repetitio phrasis quae per se intelligitur, quasi non intelligatur, sapit aliquo modo mentem colonialem.

In linea 12 alineae nostrae c, dicimus « in loco peregrinationis suae » ut clare pateat agi de ambitu Ecclesiae particularis, de loco in quo commoratur « inter gentes ». Expressio suggerit peregrinationem terrenam Ecclesiae (cf. const. *de Ecclesia*). Allusio fit ad textus biblicos *Ps.* 118 (119), 54; *1 Pt.* 1, 17; 2, 11; *Hebr.* 11, 13: christiani sunt in hoc mundo advenae, hospites, peregrini. Praeterea saepe sermo fit de Ecclesia quae est (commoratur, peregrinatur) Romae, Corinthi, etc.

Alinea nostra d. Concluditur activitatem missionalem ad ipsam naturam Ecclesiae pertinere.

Alinea nostra e. Transitus fit *ad varias condiciones* activitatis missionalis. Primo sermo fit de *unitate substantiali* huius activitatis.

Loco « Hoc munus » (schema pag. 7, lin. 28) dicimus « Haec missio », ut lineam logicam nostri numeri sequamur. Ad vitandam nimiam repetitionem « condicionum » sententia aliqualiter simplificata est. In fine alineae addimus ad verba schematis « in quibus haec missio exercetur » (schema pag. 8, linn. 1-2): « in quibus missio haec *modo singulis congruo* exercetur ». Sic exprimitur idea alineae quartae schematis (pag. 8, linn. 28-29): « Cum qualibet autem condicione vel statu actus proprii seu apta instrumenta congruere debent ». Esset enim alinea nimis brevis in fine nostri n. 6. Apte inseritur modus congruus activitatis et instrumentorum unitati substantiali.

Alinea nostra f. Pag. 8, lin. 3. Principia quaedam generalia de condicionibus activitatis missionalis statuuntur. Loco « Dependent vero » dicitur « Porro ... dependent », ne repetitio fiat cum alinea nostra g « Iamvero ». In schemate duae alineae pag. 8, linn. 3-13 et linn. 14-27 ordine parum logico connectuntur.

Pag. 8, linn. 9-10. In loco « in quodam semiplenitudinis et insufficientiae statu moratur » dicitur simplicius « in quodam semiplenae insufficientiae statu moratur ». Insufficientia et semiplenitudo duo sunt aspectus unius eiusdemque rei. Id quod est semiplenum, est semi-inane vel insufficiens. Vel magis optimistice dici potest « In quodam insufficientis semiplenitudinis statu moratur ».

Alinea nostra g. Pag. 8, linn. 14-15. Transitus fit magis logicus ad duas praecipuas condiciones. In schemate haec alinea verbis nimis generalibus introducitur « ... *diversae* condiciones ». Textus non omnino satisfacit quia synthesis inter alineam nostram f et alineam nostram g non est perfecta. Sed noluimus textum nimis immutare.

Textus emendatus nn. 19-20. Art. 4: *De Ecclesiis particularibus.*

19. (De Ecclesiarum *particularium incremento*). Pag. 17, lin. 10.

Loco « localium » proponimus « particularium » ut terminologiae Constitutionis de Ecclesia expressio nostra magis congruat.

Pag. 17, linn. 28-34. Tertia alinea n. 19 schematis omitti potest. Ea quae in linn. 28-32 dicuntur, magis pertinent ad n. 20 ibique aptius exprimi possunt. Ea autem quae dicuntur in linn. 32-34 schematis, fusius explicantur in nostro n. 19 bis.

Ceterae alineae maneant sicuti sunt.

19 bis. (*De Ecclesiarum particularium activitate missionali*).

a) Cum Ecclesia particularis universalem Ecclesiam quam perfectissime repraesentare teneatur, probe noscat se ad eos quoque qui in Christum non credentes cum ipsa in eodem territorio commorentur, esse missam ut testimonio vitae singulorum fidelium et totius communitatis signum sit eis indicans Christum.

b) Requiritur insuper ministerium verbi, ut Evangelium ad omnes perveniat. Episcopus imprimis fidei praeco sit oportet, qui novos discipulos ad Christum adducat (cf. const. *de Eccl.* 25). « Accuret quidem, tueatur et foveat eos quos iam Iesu Christo peperit, nec sinat ex eis dilabi quemquam et interire. Verum ne putet se fungi, ut oportet, officio, nisi ceteros etiam, quorum fere est nimio maior numerus, veritatis vitaeque christianae compotes facere pro viribus et sine ulla intermissione contendat » (BENEDICTUS XV, *Maximum Illud,* 30 nov. 1919: *A.A.S.* 11 [1919] 443). Quod eximium munus ut rite adimpleat, penitus percipiat tum condiciones sui gregis tum intimae de Deo opiniones aliorum, sedulo habita ratione illarum mutationum, quas migrationes vel etiam nonnullorum defectus a fide introduxerint.

c) Ad hoc missionale opus requiruntur quoque ministri idonei, tempestive parandi, modo condicionibus uniuscuiusque Ecclesiae congruenti. Cum autem homines magis magisque in coetus coalescant, qui fines singularum Ecclesiarum longe excedant, maxime convenit conferentias episcopales communia consilia inire de dialogo cum his coetibus instituendo. Missionarios

vero, quos S. Sedes ad eundem finem deputaverit, singuli Episcopi in suas dioeceses libenter recipiant eorumque incepta efficaciter promoveant.

d) Toti demum communitati gravissimum incumbit officium fraterne recipiendi illos, qui Corporis Christi membra fieri cupiunt. Domestici igitur fidei eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, inquietare minime debent (cf. *Act.* 15, 19) nec ob rationes mere humanas iis iugum imponere, qui gaudium de vera communione fidei quovis modo turbetur. Si autem in quibusdam regionibus coetus hominum inveniuntur, qui a fide catholica amplectenda eo arceantur, quod formae peculiari quam Ecclesia ibi induerit, sese accommodare nequeant, in voto est ut tali condicioni provideatur per Praelaturas personales in quae illi homines interim congregari possint.

e) Haec autem activitas missionalis ab Ecclesia particulari exercenda sic semper concipiatur, ut universaliorum sollicitudinem praedicandi Evangelium omnibus Gentibus, et operarios ad eas mittendi, nedum impediat, sed potius foveat et compleat.

Ratio novi n. 19 bis. Iam in alinea c nostri n. emendati 6 innuimus maximi esse momenti ut Ecclesiae particulares consciae sint gravissimi officii quo tenentur ut dilatationem Regni *continuent* tum « in loco peregrinationis suae » tum per participationem activitatis missionalis aliarum Ecclesiarum particularium et Ecclesiae universalis. In nostro n. 19 bis explicamus quomodo omnis Ecclesia particularis ex natura sua debeat Regnum Dei *in ambitu suo* dilatare. In fine numeri alluditur ad missionem universalem.

In alinea nostra a ponitur principium fundamentale: Ecclesia particularis Ecclesiam universalem debet visibilem reddere et repraesentare. Id quod Ecclesia universalis est pro toto mundo, *Ecclesia particularis* debet esse pro territorio suo. Primum eius officium missionale est testimonium vitae singulorum et communitatis.

In alinea nostra b ad testimonium vitae additur testimonium verbi cuius primus minister est *Episcopus.* Testimonium verbi *omnibus* ibi degentibus debetur. Ad hoc munus rite adimplendum necessariae sunt investigationes de condicionibus credentium et non credentium.

In alinea nostra c sermo fit de *ministris* peculiaribus qui requiruntur ut Episcopus officio suo fungatur. Parandi sunt in ambitu dioecesis et Conferentiarum Episcopalium. Libenter etiam recipiantur ab Ecclesia particulari ii qui mittuntur ad hoc opus a S. Sede.

In alinea nostra d officium adiungimus quo tenetur tota communitas ut fraterne conversos recipiat. Agitur de difficultatibus specialibus quae oriri possunt ob rationes sociales solutioque Praelaturae personalis pro casibus gravioribus proponitur.

In alinea nostra e affirmatur spiritum et activitatem missionalem Ecclesiae particularis in ipsius territorio fovere et complere debere ipsius participationem in missionibus universalibus.

20. (*De diversitate in unitate*). Pag. 18, lin. 8. Pauca emendanda sunt. Loco « ecclesiae *novellae* » dicatur: « Ecclesiae *particulares* ». Agitur enim de doctrina omnino universali quae valet de omnibus Ecclesiis particularibus sive novellis sive antiquis. E contextu satis patet quomodo doctrina Ecclesiis novellis applicanda sit.

Pag. 18, linn. 12-13. E textu schematis (pag. 17, linn. 30-31) quem in nostro n. 19 omisimus inseri potest: « ea omnia mutuantur *et totius Ecclesiae traditioni adiungunt* quae ad gloriam Dei ... ».

Pag. 18, linn. 27-28. Loco « Novae denique Ecclesiae particulares » legatur: « Omnes denique Ecclesiae particulares ». *Ratio* ut lin. 8.

Animadversiones quaedam speciales ad schema de missionibus (1965). Modus scribendi non semper idem est. Sic in primis capitibus scribitur « condicio » postea autem « conditio ». Generatim Ecclesia habetur pro Ecclesia universali, ecclesia pro ecclesia particulari; cf. tamen pag. 25, lin. 23.

Quid de « autochthonibus » vel « autochtonis »?

Animadversiones particulares.

Pag. 5, lin. 3. Loco (*Mt.* 16, 15), lege: (*Mc.* 16, 15).

Pag. 6, lin. 13. Nota 3, cum sit textus S. Scripturae, ipsi textui inseri debet.

Pag. 9, linn. 3-34. N. 7 schematis ordine magis logico ordinari potest. Terminologia « necessitatis » non est satis constans. Omnes hae necessitates fundantur *in proposito Dei absolute libero* salvandi homines per Fidem et sacramenta et sic eos in Ecclesiam coadunandi. Ex hoc libero proposito pendet tota necessitas activitatis missionalis tam pro salute singulorum quam pro congreganda Ecclesia (schola loquitur de necessitate « hypothetica »). In textu schematis nimis separari videtur necessitas activitatis missionalis pro salute individuali ab eius necessitate pro Ecclesia constituenda secundum propositum Dei. Elementa quidem textus sunt optima, sed in meliorem synthesim ea redigere conamur.

Textus emendatus n. 7.

7. (*Rationes et necessitas missionalis activitatis*). Pag. 9, linn. 3-4 et linn. 18-30.

a) Ratio et *necessitas* huius missionalis activitatis Ecclesiae deducuntur ex proposito Dei, cui Christus oboedienter et amanter inservit ad gloriam Patris qui misit eum [12], ut universi ex quibus genus humanum constat, unum Populum efforment Dei, in unum corpus coalescant Christi, in unum coaedificentur templum Spiritus Sancti: quod sane, cum fraternam concordiam referat, intimo universorum hominum voto sublimiter respondet.

Pag. 9, linn. 32-34. Ad hoc vero perficiendum Ecclesia suapte natura urgetur: necessitas ei incumbit (cf. *1 Cor.* 9, 16) *ut propositum Dei fideliter manifestet et oboedienter ad effectum deducat, ad gloriam eiusdem Dei.*

Pag. 9, linn. 26-30. Sic tandem consilium Creatoris, hominem ad imaginem et similitudinem suam condentis revera adimpletur, cum omnes qui humanam participant naturam, in Christo per Spiritum Sanctum regenerati, unanimiter gloriam Dei speculantes, dicere poterunt: « Pater noster ».[13]

b) Pag. 9, linn. 5-11. Ecclesia quidem tenet Deum viis sibi notis homines, etiamsi Evangelium non audierint, ad Fidem adducere posse, sine qua impossibile est Ipsi placere, ipsosque sine Ecclesiae Sacramentis salvare posse; simul autem scit Dei voluntatem esse ut homines per Fidem, Ecclesiae praedicatione suscitatam, et per Sacramenta christiana iustificentur ad salutem, per cognitionem Christi et Eius Evangelii incomparabiliter illuminati et donis spiritualibus ditati.

c) Pag. 9, linn. 11-16. Firmiter igitur tenet Ecclesia missionalem activitatem vim suam et necessitatem hodie servare ac semper integre servaturam esse. Ad eam prosequendam impelluntur membra Ecclesiae caritate, qua Deum diligunt gloriamque eius procurare satagunt, et qua cum omnibus hominibus cupiunt communicare in spiritualibus bonis tam praesentis quam futurae vitae (pag. 9, linn. 24-26), quandoquidem Corpus Christi mysticum ad suum proprium incrementum vires indesinenter colligit et ordinat (cf. *Eph.* 4, 11-16).

Ratio emendationis. In alinea nostra a incipimus positive a principio fundamentali totius quaestionis, a consilio nempe Dei, quod exponitur secundum elementa sua essentialia. Ecclesia vocatur ut pro viribus cooperetur huic proposito exsequendo. Pervenitur denique ad gloriam Creatoris.

In alinea nostra b conceditur Deum non teneri vel limitari viis Ecclesiae sed viis sibi soli notis homines ad Fidem salvificam adducere posse. Additur tamen, ex alinea nostra a, consilium Dei « commune », quod nobis revelavit, ut homines per Ecclesiam ad Deum perveniant.

In alinea nostra c concluditur missionalem activitatem Ecclesiae esse « necessariam ». Ea elementa schematis componuntur quae ad hanc videntur pertinere necessitatem.

[*Subscripserunt etiam*] P. Hoffer S. M.; L. Volker P. A.; J. Van Kerckhoven M.S.C.; J. Jobidon, ep. Mzuzu; O. Degrijse, C.I.C.M.; C. Blanchet, M.S.; G. Briani, F.S.C.

Animadversiones additae:

Pag. 12, linn. 24-25, loco « se oblaturos ... se operaturos », lege (cf. textum Nemorensem): « se offerre ... se operari ». *Ratio*: non agitur de re futura, sed confidentia de re praesenti exprimitur.

Pag. 13, linn. 38-39, loco « cum ... generet » lege (cf. text. Nemor.): « cum ... generat » (« cum » coïncidentiae).

Pag. 14, lin. 15, « praesertim »? deleri potest.

Pag. 15, lin. 10, loco « fidos cooperatores », lege: fidi cooperatores ». *Ratio*: *discent* ... adhaerere tamquam fidi cooperatores.

Pag. 15, linn. 16-27, constructio aliqualiter difficilis.

Pag. 16, lin. 8, loco « maius quam praeteritis temporibus momentum » (quisnam iudex de hac re? Vel phrasis rhetorica?), lege: « maximum habet momentum ».

Pag. 17, lin. 2, loco « condantur », lege: « multiplicentur ».

Pag. 21, linn. 33-34, loco « Cum enim ... pertineat », lege: « Quandoquidem ... pertinet ». *Ratio*: ligamen « enim » non clare patet inter n. 26 et n. 27.

Pag. 27, linn. 3-5, loco « scientes virtutem caritatis ... *eos* impellere et obligare », lege: « scientes virtutem caritatis ... *se* impellere et obligare », vel simplicius: « virtute caritatis ... se impelli et obligari ».

Pag. 27, linn. 26-27, num Instituta saecularia ad laicos pertinent? Res sub lite est. Ad vitandam litem dicatur: « ... utilis esse potest laicisque viam plenae deditionis ad evangelizationem mundi indicare ».

66

Exc.mus P. D. CAROLUS M. HIMMER
Episcopus Tornacensis

Novum schema decreti de activitate missionali Ecclesiae generatim placet. Multas qualitates praesefert: profundiorem inspirationem doctrinalem, rectiorem materiae ordinationem, praesentibus conditionibus lucidiorem adaptationem, spiritum dynamicum, immo etiam latinitatis elegantiam. Laudes nostras merentur omnes qui huic schemati labore strenuo et intelligenti novam figuram dederunt.

Videtur tamen quoad quaedam puncta adhuc perfici posse. Liceat inde mihi verbum facere tantum de loco seu spatio quod in hoc nostro schemate Ecclesiis particularibus et clero locali in terris missionum reservatur. Hic locus est manifeste insufficiens. Haec insufficientia resultat praesertim ex eo quod *responsabilitas missionaria* harum ecclesiarum particularium et cleri localis non satis expresse affirmatur.

Fatendum est revera hic tangi quaestionem generaliorem de relationibus inter missionarios et clerum autochtonum, quae ceterum est sat complexa et delicata. Non tamen propterea schema nostrum eam quasi ignorare potest et insolutam relinquere. E contrario positive et constructive conari debet schema utriusque cleri munera et officia accurate describere. A fortiori admitti non posset quod his in capitibus II et sequentibus, ubi agitur potius de opere missionali, Ecclesia particularis et clerus localis apparerent nimis excludi ab hac actione missionaria.

Hoc propter rationes sequentes:

Ratio doctrinalis, seu melius, desumpta ex necessitate servandi cohaesionem inter doctrinam circa « missionem » et ipsam praxim seu « opus mis-

sionale »: ex ipsa constitutione *Lumen gentium* (n. 17), ex ipsis principiis doctrinalibus reassumptis in cap. I huius schematis (n. 5), tota Ecclesia est ex natura sua missionaria et proinde etiam Ecclesia particularis, magis adhuc in terris missionum quam quocumque alibi. Ceterum illud iam resultabat ex documentis pontificiis et ex opinione totius populi christiani, scilicet quod clerus localis seu autochtonus antea omnia implantationem Ecclesiae eiusque extensionem propriae regioni adaptatam assumere debet.

Ratio ordinis pastoralis: in territorio in quo etsi iuvenis Ecclesia iam erecta est magnum et urgens opus evangelizationis remanet peragendum, collaboratio inter missionarios exteros et clerum localem in ipso eodem opere stricto sensu missionario est omnino optanda, immo indispensabilis. Hoc propter testimonium et etiam propter efficacitatem actionis in qua uterque clerus, unusquis afferens dotes proprias et complementarias ab invicem perfici possunt.

Nunc, si ad nostrum textum redimus, quid hoc in negotio animadvertimus?

1. In cap. II invenitur descriptio operis missionalis secundum ordinem chronologicum progressionis, a praeambulis usque ad constitutionem Ecclesiarum particularium. Nitide quidem et complexe peragitur haec descriptio sed hac in perspectiva Ecclesia particularis (in art. 4 huius capitis) apparet tantum ut finis, terminus operis missionalis sed *nullo modo* tanquam habens responsabilitatem missionalem saltem supra proprium territorium in quo de facto labor evangelizationis adhuc urget.

2. Nunc ad clerum localem quod attinet: *a*) In ipso n. 16, optimae regulae traduntur pro constitutione et formatione cleri localis. Attamen, ille clerus non apparet ibi nisi ut obiectum quasi passivum conatus missionarium exterorum ut ceterum ipse titulus paragraphi iam insinuit: « De clero locali constituendo ».

b) Est etiam desaequilibrium inter hunc n. 16 et n. 24. Non praetendimus quod hoc respondet intentioni schematis auctorum sed comparando textus sat facile apparere posset quod labores maioris momenti (v. g. munus peritorum apud conferentias ecclesiasticas) quasi exclusivo modo reservantur membris institutorum missionariorum.

c) Cap. III immediate respicit ipsos missionarios. Vitio tamen sat gravi laborare videtur sub angulo a nobis hic considerato eo quod supponit *missionarios* quasi coincidere cum *solis exteris,* immo cum *solis sacerdotibus exteris.*

His ex omnibus concluditur quod fine finaliter nullibi in schemate agitur expresse de participatione cleri autochtoni ad actionem missionariam.

Quid proinde faciendum? Plures solutiones videntur possibiles, inter quas duae ibi notantur.

Prima quaedam solutio. Maxima pars eorum quae dicuntur in cap. III, quibusdam minimis exceptis, valent pro clero locali. Unde ad omnem aequi-

vocationem tollendam poneretur initio cap. III aliqua sententia vel saltem nota quae sic sonaret: « In toto capite, sub verbo "missionarius" intelligendi veniunt omnes illi qui extensioni Ecclesiae in populis non-christianis totam vitam suam consecrant, sive sint autochtoni vel extranei, sive sacerdotes vel non sacerdotes: fratres, sorores, laici ». Simul illa minima quae in hoc eodem capite solis missionariis exteris proprie conveniunt adaptarentur (v. g. pag. 20, linn. 27-35).

Alia solutio. Conficiatur aliquod *novum caput,* desumptum principaliter ex his quae dicuntur in art. IV cap. II. Hoc novum caput cuius titulus esset « De Ecclesiis particularibus » fieret cap. II et in ipso hae Ecclesiae expresse praesentarentur non tantum ut terminus operis missionalis sed, saltem his in regionibus ubi iam existunt, ut *vocatae* etiam ad laborem evangelizationis, eodem titulo ac missionarii externi.

De cetero haec perspectiva magis completa sine dubio valde contribuere posset non tantum ad perficiendum schema nostrum sed etiam ad veram renovationem seu « aggiornamento » laboris missionalis quod in omnium votis est.

Animadversio particularis: n. 16, pag. 15, lin. 29. Ad perficiendum hunc textum hoc saltem rogatur quod tollatur vox « Attamen », quae videtur annuntiare aliquam concessionem, et ei substituatur vox « insuper » vel « immo ».

67

EXC.MUS P. D. PAULUS HNILICA
Episcopus tit. Rusaditanus

Schema *de activitate missionali Ecclesiae* bene exprimit, qua ratione tota Ecclesia debet activitati missionali incumbere.

Duas tamen observationes addere cupio.

1. In terris missionum, quae dicuntur, oportet conditiones novas prae oculis habere.

Problema omnino novum et prima difficultas pro activitate missionali hodie a praesentia et propaganda atheismi militantis constituitur.

In regionibus quidem, ubi potestatem politicam asseclae atheismi obtinent, nulla activitas missionalis possibilis est.

In regionibus, ubi atheismus tantummodo influxum exercet, activitatem missionalem Ecclesiae difficilem reddit. Modus enim agendi asseclarum atheismi est dynamicus et methodus moderna. Missionarii catholici e contrario saepesaepius iuxta methodum antiquam procedunt. Proportio numerica christianorum et ideo eorum influxus minores fiunt. Ideologia atheismi est dynamica et influxum magnum exercet etiam in res politicas.

Praesentia et activitas atheismi in terris missionum, primum et maximum obstaculum fidei christianae propagandae exsistit.

Altera quaestio nova pro activitate missionali Ecclesiae exorta est erec-

tio conscientiae nationalis populorum Asiae et Africae. Agitur quasi de quadam revolutione. In campis oeconomico, sociali et politico nationes omnes libertatem et plenam autonomiam petunt, nationes culpa colonialismi gravatas odio et diffidentia prosequuntur. Proh dolor, missionarii quoque ad nationes pertinent, quae in praeterito populos Africae et Asiae tamquam colonias expoliabant, et ideo a populis istis non valde amantur.

Itaque Ecclesiae activitas missionalis methodo nova instauranda est, quia non habentur prae manibus homines simpliciter non christiani, sed qui iam contra nos saepe praeventi sunt et praeiudiciis contra missionarios laborant. Itaque missionarii praesertim laici debent populis Asiae et Africae mediantibus valoribus naturalibus fidem christianam praedicare, id est elevationem et progressum culturae, oeconomiae, socialem et politicum procurare, ut per ipsos Ecclesia ab his populis fiduciam obtineat. Missionarii et apostoli laici in rebus temporalibus debent non verbis sed factis et vita Evangelium praedicare, scilicet caritate sincera, quae omnia omnibus efficitur, ut omnes lucrifaciat.

2. Aliud problema vere missionarium, de quo in schemate mentio non fit, exsurgit in terris ab antiquo christianis, quae hodie terrae missionum fiunt, vel quia homines materialistae practici effecti a Deo apostasiam fecerunt, vel qui praesertim sub pressione atheismi societatem sine Deo aedificant. Conditiones Ecclesiae harum regionum peiores sunt quam illae, quae in terris missionum vigent, quatenus Ecclesia omni subsidio morali et materiali privatur. Si conditiones istae ita perseverabunt, regiones istae terra missionum fient. Ideo iam hodie usque ad illas conceptus terrae missionum extendi debet, ut auxilia specifica pro his regionibus praeparentur.

Conclusionem petens, cupio una cum omnibus, ut schema hoc modo perfectiori exprimat spiritum Christi, qui enuntiatur in mandato « euntes in universum mundum » etc., utque Ecclesia huic ardenti desiderio melius satisfacere possit. Quod revera fieri potest non verbis, sed exemplo vitae in dono caritatis mutuae et signo unitatis omnium.

* * *

Ecclesia tota, omnis populus Dei spiritu Christi duci debet, qui in mandato « euntes in universum mundum praedicate » etc. continetur. Nos in hac Sancta Synodo congregati ardenter desideramus voluntati Christi satisfacere. Quod propositum me movet, ut quasdam notulas addam, quae activitatem missionalem in nostris temporibus adiuvare possint, uti spero.

1. Ad cap. II, ad par. 11, in quo de dialogo cum non christianis, volo, ut cogitetis inter non christianos etiam athei, non-credentes connumerari. Ratio dialogi cum quibus omnino specialis debet esse, quatenus praeiudiciis contra Deum, religionem et Ecclesiam onerantur. Ipsi quidem campum missionem novum et specialem constituunt sive in terris sic dictis missionum sive praecipue in regionibus ab antiquo christianis, de quo tamen in schemate mentio non fit.

Ad par. 12 quod attinet et in qua de praesentia caritatis, sublineare volo, ut christiani magis exemplo quam verbis in mundo Evangelium praedicare satagant. Ante omnia continuam et mutuam caritatem colere debent, ut omnes non-christiani, non credentes et athei dicere constringantur, videte, quomodo se ament. Ne obliviscamur multos propter carentiam amoris in apostasiam incidisse, quia inter christianos non mutuam caritatem sed saepe multa scandala cernebant, quae non possunt cum nomine christiano componi.

2. In cap. V, ubi de cooperatione, modo speciali attentioni vestrae commendare volo in relatione ad atheismum militantem, qui hodie praesens est et dynamice operatur in regionibus Asiae et Africae.

De ratione agendi asseclarum atheismi haec potissime notanda sunt.

a) Apud populos in via evolutionis numero plures propagandistae atheismi operantur quam missionarii christiani. Agitur quidem de hominibus expertis in rebus oeconomicis, in artibus technicae, medicis et aliis, qui optime instructi et unum cum populis effecti fiduciam indigenarum obtinere sciunt. Quod non semper missionariis christianis accidit.

b) Permulti iuvenes e regionibus Asiae et Africae apud scholas populorum, ubi atheismus potestatem politicam tenet, commorantur, qui omnes educantur non solum in scientiis, sed eodem tempore spiritu materialismi et atheismi imbuuntur, ut in patriam redeuntes eumdem spiritum inter concives suos propagent. Dum e contra christiani iuvenes indigenas non in eodem numero pro regionibus in evolutione educare solliciti sunt.

c) Labor missionariorum nostris temporibus difficilior evadit etiam propter conscientiam nationalem novam et propter odia adversus colonialismum et nationes, quae colonias expoliabant. Proh dolor, missionarii ab indigenis in colonialismo includuntur, propter iniurias colonialismi saepe fiduciam non obtinent et nonnumquam una cum Ecclesia inimici putantur. Dum e contra asseclae atheismi et res publicae, in quibus atheismus potestatem politicam obtinet, tamquam amici, liberatores et adiutores considerantur, non ultimo in loco propter spiritum nationalismi et revolutionis, super quem atheismus coram populis in evolutione innititur.

3. Quapropter activitas missionalis debet modo speciali his circumstantiis aptari. Hora est populorum in evolutione. Etiam asseclae atheismi hoc sentiunt. Hodie inter illos populos decernitur, utrum nobiscum vel contra Ecclesiam cras stabunt.

Ecclesia multa fecit ad progresum culturalem promovendum, sed atheismus quodammodo etiam ex hoc iuvamen carpsit.

Ego pro modulo meo ista propono in relatione ad cooperationem, de qua in cap. V.

a) Ut missionarii modo speciali praeparentur et habeatur prae oculis non solum indoles peculiaris uniuscuiusque populi et circumstantiae novae, sed etiam et praecipue praesentia et operatio atheismi in terris missionum.

b) Opus est, ut apostoli laici, qui sunt experti in rebus oeconomicis, in artibus technicis, medici et alii, in missiones mittantur, qui ad populos illos tamquam fratres veniant, qui servire et adiuvare velint sine ulla quaestus apparentia. Itaque in istis laicis Ecclesia quoque apparebit, ut quae progressum promovet.

c) Activitas missionalis eo modo praesentari debet, ut religio christiana tamquam progressus quoque humanus et culturae appareat. Nostris temporibus ideologia atheismi ita se exhibet et populos Asiae et Africae allicit. Sicut in medio aevo multae nationes christiano nomini adhaeserunt, quia inter nationes excultas connumerari cupiebant, ita Ecclesia catholica hodie apparere debet speciali modo coram novarum rerum publicarum rectoribus, ut quae sincere et efficaciter progressui favet.

d) Quod bene potest obtineri, si christiani quoque iuvenibus indigenis copiam dabunt studia scientifica et technica perficiendi. Et quidem ut non solum studiis incumbere possint, sed etiam genuinum spiritum religionis christianae et Ecclesiam tamquam ipsorum matrem cognoscere possint. An vobis videtur impossibile, ut unaquaeque universitas catholica aliquot studentibus indigenis, putetis quinque, gratis det istam copiam? Iuvenes isti essent vis nova pro missionibus, quia per ipsos populi indigeni in Ecclesia Matrem, Sedem sapientiae et medium progressus videbunt. Deinde populi missionum Ecclesiae fiduciam dabunt et libenter inter eius membra connumerari cupient.

e) Missionarii, sive clerici, sive laici, in spiritu unitatis et modo communitario agere debent. Exempli gratia spiritus tribus apud populos Africae id exigit et idem spiritus explicat, cur collectivismus animos ad materialismum et atheismum trahere possit. Missionarii forsitan non semper unitatem et caritatem exprimere sciebant neque relationes familiares et fraternas cum indigenis instaurare. Asseclae atheismi istud saltem promittunt.

Conclusionem petens recolo, ut habeatur prae oculis necessitas urgens et maxima novae rationis agendi in activitate missionali. Oportet enim: praevenire periculum atheismi; praeparare « ad hoc » modo speciali missionarios et laicos apostolos; statim agere nulloque modo laborem apostolicum procrastinare.

Haec nobis instat obligatio, quae debet exprimi etiam in elaboratione huius schematis, quod signum erit seriae voluntatis adimplendi Christi mandatum et novum vigorem addet illo igni, qui est in cordibus omnium nostrum omnisque populi Dei, qui est Ecclesia.

68

Exc.mus P. D. HENRICUS BERNARDINUS HOFFMANN
Episcopus Gibutensis

Schema *de activitate missionali Ecclesiae* bene conscriptum est. Haec aperte illustrat, quod urgent necessitates distribuendi, modo magis aequo, bona messianica omnibus hominibus bonae voluntatis; ad id efficiendum, universum corpus Ecclesiae invocat.

Iam Summus Pontifex Pius XII, in praeclaris litteris encyclicis *Fidei donum,* conturbatum clamorem ediderat in Ecclesia circa urgentem necessitatem missionibus subveniendi; in mentem revocaverat opus evangelisationis ad universum populum Dei pertinere, cum episcopos, tum presbyteros, tum religiosos, tum laicos. Quanquam duo millia annorum transierunt post adventum Christi, septuaginta duae ex centesimis partibus hominum in terra degentium Christum adhuc nesciunt, unicum Dominum et Salvatorem totius humanitatis. Re quidem vera, opus evangelisationis modo incipit.

Humili nostro iudicio, cap. V schematis, *de cooperatione,* nonnisi considerationes quae sunt magis generales ac breves praebet. Pressius exponere debeat modos et rationes huiusmodi cooperationis. Censemus ergo quae sequuntur in cap. V inducenda:

1. *De Seminariis missionum.* Conferentiae episcopales nationales nationum quae maiori ex parte sunt christianae, Seminaria condant pro missionibus, sicut quaedam Seminaria pro America Australi condita sunt. In Seminariis huiusmodi, instituantur presbyteri quibus animus est se conferre ad missiones; pariter in iis constituantur cursus parantes ad ministerium exercendum in regionibus missionum, pro presbyteris qui, iuxta quae statuta sunt a litteris encyclicis *Fidei donum,* ad tempus in missionibus se impendere exoptant.

2. *De presbyteris « Fidei donum ».* Singulae dioeceses nationum cum Europae tum Americae constanter partem aliquam prius definitam neopresbyterorum singulis dent regionibus missionum. Qui presbyteri per aliquod tempus ad missiones parentur in seminario interdioecesano cuiusque nationis; quibus adiungi possint presbyteri qui sponte ministerium sacrum exercere in missionibus intendunt.

3. *De « intercommunione ».* In multis nationibus, iuvenes per aliquod tempus necessario militiae adscribuntur; in Gallia autem, tironibus licet loco militiae, civile servitium « titulo cooperationis » adimplere in aliqua ex nationibus transmarinis. Nonne a neopresbyteris ex nationibus antiquitus christianis peti possit ut, antequam ministerium in patria exercere incipiant, per duos aut tres annos, « titulo cooperationis missionariae » in regionibus remeant? Ex alia parte, Episcopi Europae et Americae advocare possint presbyteros quosdam ex Africa aut Asia ut pastorali munere fungantur apud

concives, vel linguas aut alias disciplinas doceant? Ita « intercommunio » quaedam exsisteret inter nationes novellarum et antiquarum christianitatum, quae profecto ad opus missionarium valde prodesset.

4. *De suscipiendis dioecesibus missionariis.* Quaedam Seminaria suscipere possint missionum territoria, sicuti nunc faciunt Congregationes religiosae.

5. *De Congregationibus religiosis.* Omnes Congregationes religiosae sive virorum sive mulierum necessario opus quoddam in regionibus missionum habeant.

6. *De domibus ad institutionem missionariorum laicorum destinandis.* Conferentiae episcopales nationales condant in singulis nationibus Europae et Americae domum ad institutionem laicorum destinatam, sive virorum, sive mulierum, sive coniugum, qui per aliquot annos in missionibus auxilium praebere exoptant. Huiusmodi domus nunc Argentorati exsistit pro Gallia. Laici rite instituti, sive viri sive mulieres, inaestimabilia praebent auxilia in missionibus.

7. *De auxiliis quoad nummos.* Nummi concessi omnino insufficientes sunt ad construendam infrastructuram materialem novellarum dioeceseon necnon ad sustinenda opera. Qui nummi substantialiter augeri possint sequentibus praescriptis: 1) instituantur duae collectae singulis annis faciendae in singulis paroeciis orbis pro missionibus; 2) tradatur a dioecesibus copiis instructis in nationibus antiquarum christianitatum, pars quaedam reddituum ad opus Propagationis Fidei Romae exstans; 3) tradatur directe ad dictum opus Romanum Propagationis Fidei pars quaedam collectarum singulis annis ad famem tollendam in mundo habitarum, potiusquam instituantur per singulos locos moderatores operum huiusmodi in regionibus in quibus illae collectae habentur.

Ita Sacra Congregatio de Propaganda Fide, quae est officium centrale Sanctae Sedis, parata esset ad amplas dioecesibus missionariis pecunias suppeditandas; et episcopi missionarii non cogerentur mendici fieri apud nonnulla opera localia in nationibus oeconomice instructis.

69

Exc.mus P. D. IACOBUS HOLMES-SIEDLE
Episcopus Kigomaensis

1. Cap. V schematis decreti *de activitate missionali Ecclesiae* loquitur de cooperatione. Spero vos me excusatum habere si in nomine multorum centorum episcoporum missionariorum loquar de uno aspectu necessario illius cooperationis.

In n. 36 nostri schematis dicitur: « Episcopi omnes, sive singuli sive ut membra corporis episcoporum collegio apostolorum succedentis, non solum pro aliqua dioecesi, sed pro totius mundi salute consecrati sunt. Mandatum

Christi praedicandi Evangelium omni creaturae eos, cum Petro et sub Petro, primo et immediate afficit. Inde oritur illa communio et cooperatio ecclesiarum quae hodie tam necessaria est ad opus evangelizationis prosequendum ».

Relator, rev.mus D. Schütte, bene adiungit: « Episcopi missionarii cum suis missionariis in difficili prima acie munus suum obeunt nomine Ecclesiae universalis; ibi sunt, non ex missione propria, sed missi ab Ecclesia et nomine Ecclesiae. Universa Ecclesia de eis, de eorum labore et de eorum sustentatione respondere debet. In hoc sensu non sunt mendici quaestuantes, sed tanquam muneris missionalis Ecclesiae exsecutores ius habent ad auxilium et sustentationem universae Ecclesiae ».

Nos, episcopi missionarii, non amamus et non desideramus semper et ubique peregrinari uti mendici, sicuti vos aegre feritis constanter et instanter rogari eleemosynas pro missionibus. Etiam episcopus missionarius obligationem residendi in sua dioecesi habet. De facto vero haec praesentia et residentia in sua dioecesi impossibilis redditur eo quod episcopus, qui totalem ruinam oeconomicam suae missionis evadere cupit, frequenter itinerare tenetur, ad fines usque mundi stipes colligens. Etiam dum in sua dioecesi commorare contingit, ipse maiorem partem sui temporis in litteris conscribendis impendere debet ut eleemosynas a benefactoribus petat.

Sed et episcopi non-missionarii perdunt multum tempus aut recipiendo numerosos episcopos missionarios ad se currentes mendicantes, aut respondendo innumeris epistolis ab iisdem receptis. Totum hoc dispendium temporis et activitatis episcoporum omnium etsi necessarium episcopis missionariis certe humilians et nimis mortificans est. Attamen in condicionibus praesentibus sine hoc conatu opus missionarium evadet impossibile. Unde omnino oportet ut alia solutio huius problematis inveniatur qua episcopi missionarii adiuventur quin necesse sit eos e loco peregrinare. Quare gaudeo audire et spero verificari quod in Relatione proponitur de stipe annua quam dioeceses in terris christianis propriis redditibus proportionatam pro opere missionum quotannis dare tenerentur. Speramus et rogamus vehementer omnes Patres propositum istud in exsecutionem posituros esse.

2. *Problema Congregationum Sororum Missionalium.* Deinde iam pro alio problemate benignam vestram attentionem rogo.

Usque ad recens tempus Sorores missionales sustentabantur salariis a guberniis locorum missionum receptis pro servitio sive educationis puerorum, sive curae infirmorum. Nunc vero haec servitia personis indigenis reservantur. Quamobrem sorores missionariae mediis sustentationis carent. Haec est crisis vere gravis. Remedium ab aliquibus propositum, scil. ut Congregationes pure missionales assumant in Europa et America munera educationis vel curam infirmorum, ut salariis inde perceptis missionibus suis succurrant, mihi quidem parum arridet. Erit enim pessima solutio. Fortasse Commissio missionalis post-conciliaris potest speciali modo illis subvenire ut Sorores in opere suo missionibus tam utili possint perseverare sine periculo ruinae oeconomicae Congregationis suae.

70

EXC.MUS P. D. GERARDUS HUYGHE
Episcopus Atrebatensis

Schema *de activitate missionali Ecclesiae* spiritus oecumenici exigentiis locum dare debet. Non sufficit dicere, in n. 15, hunc spiritum apud neophytos fovendum esse. Iesu oratio, vespere Sanctae Feriae V, huius spiritus fons est: « Pater, sint unum, ut credat mundus quia tu me misisti ». Ideo:

1. Asserendum est, secundum ipsa verba decreti *de Oecumenismo,* n. 1, christianorum divisionem « sanctissimae causae praedicandi Evangelium omni creaturae » afferre detrimentum. Haec idea n. 10, pag. 11, in fine numeri poni potest.

2. Urget pro missionariis catholicis necessitas quaerendi, ubicumque possibile est, vias et modos quibus cum aliis Ecclesiis et ecclesialibus communitatibus de evangelico nuntio testimonium commune reddere poterunt. Propterea quod scriptum est n. 15, pag. 14, linn. 17-24, non coangustari potest solummodo neophytis, sed ad missionarios extendatur, ad mentem decreti *de Oecumenismo,* n. 12.

3. Secundum decretum *de Oecumenismo,* n. 10, detur missionariis de problematibus quae in territoriis missionalibus oecumenismus provocat formatio quae ante eorum oculos difficultates ponat et fructus ex oecumenismo oriundos ostendat.

4. Specialiter omne insanae aemulationis genus excludatur, ut fideles alicuius Ecclesiae non catholicae non deterreantur a sua communitate. Insuper, inter diversarum Ecclesiarum instituta missionalia et catholica instituta in aliquo territorio operam dantia, aliquis modus vivendi inveniatur ut in eodem campo inter illa repartitio quaedam evangelizationis fiat.

5. In eodem spiritu, loquatur hoc schema de servitiis in communi a diversarum Ecclesiarum institutis missionalibus operandis in eodem territorio, v. g. in caritatis, instructionis, operis socialis campo, etc. Cur multiplicarentur in eodem loco eadem opera?

6. Memores sint missionarii catholici fratres a nobis seiunctos, sicut ipsi, multa reliquisse pro Christi amore et Evangelii servitio, de eisdem problematibus ac ipsi saepe pati. Sic inter omnes operi missionali ex qualicumque Ecclesia deditos aliqualis spiritualis amicitia oriri potest quae adiumentum fraternum sit.

* * *

Ad n. 35. Tempore nostro in quo migrant operarii de gente in gentem, non est iam regio quae aliquomodo non fiat « terra missionis ».

Speciatim, in nationibus Europae occidentalis quae adhuc, non obstante materialisatione profunda mentium, veteris christianitatis regiones sunt, in-

dustria moderna postulat operarios sine qualificatione ex nationibus pauperibus provenientes, hodie Africae, cras Asiae.

Olim, missionarii e nationibus christianis ad nationes paganas proficiscebantur. Hodie, numerosi sunt cives populorum paganorum qui apud populos christianos veniunt. Ut dicebat die 13 octobris 1965 in aula conciliari auditor laicus: « Missio est ubique ».

Opportunum esset ut schema loquatur de hac nova responsabilitate ad christianos occidentales pertinente. Ecclesia cognoscetur et aestimabitur ab operariis non christianis Africae aut Asiae si christiani Europae conscientiam habent responsabilitatum suarum in dando testimonio.

Non expedit tamen conversiones quaerere directe et immediate. Nam non est obliviscendum multos homines in suam patriam reversuros esse. Sit christianorum actio discretior et gratuitior! Sciant a se dependere modum quo fratribus non christianis Ecclesiae vultus appareat.

71

Exc.mus P. D. IOANNES SHOJIRO ITÖ
Episcopus Niigataensis

In nostro saltem territorio missionis, nempe in Japonia, omnes fideles in activitate missionaria eodem modo ac eadem ratione absque ulla discrimine se devovere debent. Nostris temporibus sacerdotes ad non christianos aditum amplius non habent propter circumstantias sociales et industriales.

Dum haec ita sint, laici multo facilius eosdem appropinquare atque frequentare possunt. In const. *de Ecclesia* conceptus populi Dei clarius elucet quam in prima redactione. Attamen in schemate *de activitate missionali Ecclesiae,* proh dolor, talis felix atque laudabilis progressus vix apparet. Eodem modo in constitutione *de Ecclesia* activitas apostolica laicis aequali modo ac clericis et religiosis essentialis est. E contrario cum eadem activitas apostolica in praesenti schemate de missionibus vix essentialis esse videtur, praesertim in n. 39. Proinde humiliter opinor n. 39 de novo rescribi debet, secundum conceptum populi Dei in constitutione *de Ecclesia.*

72

Exc.mus P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus Gerundensis

Schema nostrum, quod quidem in multis est laude dignum, quando de cooperatione in cap. V agit, non videtur accuratam tradere applicationem doctrinae theologicae, quae in const. *de Ecclesia* continetur.

Revera, sequentes defectus notantur: *a*) circa methodum. Haec non

videtur apta. Sane cap. V primo agit de missionali officio Populi Dei et postea de missionali officio communitatum christianarum — quae communitates sunt dioeceses et paroeciae —; tandem de Episcopis, sacerdotibus, institutis perfectionis et laicis. Hic ordo est practicus, non vero theologice logicus;

b) circa missionale officium Episcoporum. Revera hi considerantur in schemate individualiter, praecisione facta ab illa intima relatione quam habent cum propria ecclesia particulari (nn. 35-36);

c) circa missionale officium laicorum (n. 39). In textu, post genericam affirmationem eorum muneris missionalis, modo practico explicantur diversae activitates; omittitur tamen quaestio de missione laicorum.

Quare liceat aliqua exponere, circa missionale officium tum Episcoporum tum laicorum.

1. *De missionali Episcoporum officio.* Iuxta const. *de Ecclesia,* haec duo tamquam fundamentalia habenda sunt:

a) « Evangelium ubique terrarum annuntiandi ad corpus pastorum pertinet ...; unde singuli episcopi ... in laborum societatem venire tenentur inter se et cum successore Petri » (n. 23).

b) Omnibus christifidelibus, nullo quidem excluso, « onus fidei disseminandi pro sua parte incumbit » (n. 17).

Iamvero episcopi considerari non possunt tamquam separati a suis fidelibus, quasi sola iuxtapositione existerent in ecclesia particulari. E contra, haec est aliquid vivum in Ecclesia; est enim populi Dei portio, quae episcopo pascenda concreditur, in qua inest et operatur Una, Sancta, Catholica et Apostolica Christi Ecclesia (cf. decretum *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* n. 11).

Consequenter, officium missionale uniuscuiusque episcopi separari non potest ab officio missionali integrae suae ecclesiae particularis, qua talis, quia neque ecclesia particularis sine Episcopo neque Episcopus sine ecclesia particulari concipi queunt.

Concludendo: iuxta doctrinam in const. *de Ecclesia,* integra Populi Dei portio, quae ecclesiam particularem efformat, Episcopo suo intime adhaerens, in statu missionis constitui debet; atque consequenter in societatem laborum missionalium venire tenetur in bonum totius Ecclesiae universalis.

Attamen schema nostrum illud episcopi cum tota sua dioecesi officium missionale sufficienter non illustrat. Imo neque omnia consectaria eruere videtur ex doctrina collegialitatis.

Sane, si tota communitas dioecesana, duce episcopo, precatur et activitatem inter gentes exercet per filios suos, qui ob vocationem a Deo acceptam Instituta missionalia religiosa amplectuntur, dioecesis illa dicenda est vere missionaria.

Pariter, si tota communitas dioecesana, duce episcopo, maximum auxilium praestat variis operibus missionalibus, praesertim pontificiis, etiam dioecesis illa affirmanda est vere missionaria.

Haec omnia — merito quidem — valde commendantur in nostro schemate. Tamen mirandum est nullam mentionem fieri de una applicatione pastorali et iuridica, quae omitti nequaquam potest ob relationem quam habet cum doctrina de Episcopo eiusque ecclesia particulari, prouti in const. *de Ecclesia* continetur. Haec applicatio pastoralis consistit in hoc: quod una vel plures dioeceses, spiritu quidem fraterno imbutae, aliam vel alias egentiores dioeceses speciatim commendatas habeant, ita ut inter eas quaedam veluti bonorum communicatio detur, moderante quidem Romano Pontifice vel, ad normam iuris, Conferentia Episcopali.

Hoc sane modo conferretur episcopis vera peculiaris missio, qua expeditum redderetur atque veluti actualizaretur illud commune officium Evangelium ubique terrarum annuntiandi, a Christo impositum, iuxta verba const. *de Ecclesia* (n. 23). Certe haec missio non significaret Episcopum intervenire posse in regimine vel in apostolatu dioecesis adiutae, eum veluti exercendo aut ordinando. Minime quidem. Hoc tantum secumferret, quod in illam dioecesim vel terram missionum suam adiutricem operam Episcopus cum sua ecclesia particulari verteret, non omissa obligatione etiam subveniendi ceteris operibus missionalibus.

Unum tamen animadvertendum: posterior legislatio positiva necessaria erit ad applicationem iuridicam dioecesis missionariae, nuper explicatam; illaque praeprimis tutari debebit perseverantiam atque continuitatem huiusmodi actuositatis missionalis.

2. *De missionali laicorum officio.* Circa hanc quaestionem sequentia notanda sunt, ex const. *de Ecclesia* desumpta:

a) sacerdotium commune fidelium non est tantum cultuale, sed essentialiter propheticum et apostolicum: revera illud exercent — iuxta ipsa verba const. — « in sacramentis suscipiendis, in oratione et gratiarum actione, testimonio vitae sanctae, abnegatione et actuosae caritatis » (n. 10);

b) evangelizatio, quae a laicis peragitur, notam quamdam specificam et peculiarem efficacitatem acquirit, quando scil. nuntium Christi « et testimonio vitae *et verbo* » profertur (n. 35);

c) ad hanc evangelizationem perficiendam, adest titulus communis in baptismo et confirmatione fundatus; attamen superaddi potest etiam episcopi vocatio. Revera ait const. *de Ecclesia*: « quibus accedunt illi a Deo electi laici, qui, ut plene se dedant apostolicis operibus, ab episcopo vocantur et in agro Domini cum multo fructu laborant » (n. 41; cf. etiam Pius XII die 7 dec. 1957, *A.A.S.*, 1958, 36).

Iamvero, quid significat huiusmodi episcopi vocatio, nisi veram missionem ad apostolica munera peragenda? Immo haec missio peculiarem constituere potest titulum, quo laici apostolicis laboribus devinciantur, non tantum in propriae dioecesis territorio, sed etiam in terris missionum. Quod quidem maxime congruit cum his quae antea dicta sunt de dioecesi missionaria.

Attamen schema nostrum de hoc silet: quod maxime dolendum est.

Quapropter petitur: *a*) ordo totius capitis ita recognoscatur, ut congruentior fiat cum ordine adhibito in const. *de Ecclesia;*

b) expressa mentio fiat in schemate, cap. V, de dioecesi missionaria, sensu explicato;

c) doctrina exponatur de vocatione ab episcopo in favorem quorumdam laicorum, ut apostolicis operibus se dedant, etiam in terris missionum.

73

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS IOSEPH KOWALSKI
Episcopus Culmensis

Textus secundum vota Patrum Concilii emendatus uti fructus immensi laboris commissionis in genere placet.

1. Attamen licet in pag. 14, linn. 36-37 munera missionalia diaconorum breviter commemorantur, nihilominus haec munera digna sunt, ut de eis mentio fiat in pag. 20, lin. 12 (n. 24) et pag. 20, lin. 26 (n. 24) expresse mentio fiat.

Ratio est quia diaconi uti verbi Dei praecones et sacramenti Baptismi administratores necnon Ss.mae Eucharistiae distributores opus missionale in terris missionum magno cum fructu exercere possunt.

2. Pag. 26, lin. 39 (n. 37) praeparatio missionalis alumnorum ad formationem conscientiae missionariae limitatur.

Attamen, ut haec praeparatio in actum reducatur et fructus bonorum operum afferat, initiatio ad activam collaborationem cum missionibus et missionariis necessaria esse videtur.

Ratio est quia conscientia missionaria licet formata, dormire et quiescere potest in futuro et sterilis inefficaxque evenire.

3. Pag. 27, n. 38 nihil dicitur de novitiatu institutionum tum vitae contemplativae tum activae.

Attamen tempus novitiatus pretiosissimum et aptissimum est pro efformanda conscientia missionaria et pro initiatione ad collaborationem cum missionibus et missionariis efficaciter praeparandam. Haec praeparatio indispensabilis videtur ad emissionem votorum religiosorum et ad ordines sacerdotales recipiendos.

4. Pag. 25 et 26 in nn. 36 et 37 multa et optima media ad cooperationem missionariam per episcopos et sacerdotes enumerantur.

Attamen in unaquaque dioecesi et paroecia fere semper adest quaedam occurrentia activitatis Pontificiorum Operum pro Missionibus, Institutorum missionariorum, quae in ipsa dioecesi vel paroecia sedem suam habent, et Congregationum externarum, quae per suos nuntios clerum fidelesque ad cooperationem missionalem invitant.

Quapropter necessaria esse videtur aliqua directio vel moderatio totius cooperationis missionalis et quidem in dioecesi per Ordinarium loci, in paroecia vero per parochum, ut debitus ordo valorum nempe finis et mediorum servetur ad realem aedificationem mystici Corporis Christi tum in dioecesibus tum in terris missionum.

5. In pag. 19, in n. 22 non solum nihil dicitur de devotione erga Beatissimam Virginem Mariam, ut de elemento indispensabili spiritualitatis missionariorum, sed etiam de Sancto Ioseph schema omnino tacet.

Attamen hic Sanctae Ecclesiae Patronus, qui Corpus Christi *verum* ad statum adultum in terris, ut nutritor Verbi Dei Incarnati, adduxit, certo certius Corpus *mysticum* Christi etiam ad statum adultum adducit, quod praecise in missionibus realisatur.

Ideo ad n. 22 attenta est mentio de Beata Maria Virgine Missionum Matre et de Sancto Ioseph Missionum Protectore.

74

Rev.mus P. D. EMMANUEL DE BALZAMA LABACA UGARTE

Praefectus ap. Aguaricoensis

De vocatione missionaria. In schemate « vocatio missionaria describitur vocatio specialis — peculiaris — totum hominem, et quidem per totam vitam devinciens ».

Sed de ipsius documenti studio aliam acceptionem missionariae vocationis etiam erui videtur. Nam in pag. 24, n. 33, legitur: « Cum tota Ecclesia missionaria sit et opus evangelizationis officium populi Dei fundamentale... Sacra Synodus invitat... ut... partes suas assumant in operi missionali apud gentes ».

Et in pag. 7, n. 5: « Apostoli a Christo hoc mandatum acceperunt "euntes docete omnes gentes etc. ...". Quod munus post eos haereditavit Ordo episcoporum... In exsequendo vero hoc mandato Ecclesia tota cooperatur, unusquisque secundum locum, officium et gratiam in corpore ».

Ex his duabus acceptionibus deducere possumus elementa vocationis missionariae:

In prima acceptione: « *a*) congrua natura ii indole praediti dotibus et ingenio idonei, *b*) parati sunt ad opus missionale suscipiendum, *c*) a legitima auctoritate missi ».

In secunda acceptione: *a*) « Tota Ecclesia missionaria » ut elementum genericum vocationis sacerdotalis sive ad missiones pergant sive non; *b*) missio a legitima auctoritate ut elementum specificum.

Momentum quaestionis ex sequentibus consecutionibus videtur.

In prima acceptione vocationis: Unusquisque missionarius cum conscientiam suae specialis et peculiaris vocationis adquisierit habet obligationem et ius eundi ad missiones.

Hoc subditi ius obligationem eum mittendi tam in episcopo quam in Superiore gignit.

Et econtra Superior eum qui hanc conscientiam non habet ad missiones mittere non posset.

In secunda vocationis acceptione: Omnis vocatus scit suam vocationem missionariam vocationem esse et non curat de eius peculiaritate et paratus est, accedente missione legitimae auctoritatis, quasi proprium officium ad munus evangelizationis in missionibus assumendum.

In conclusione: Si convenit ut prima acceptio vocationis retineatur, meo iudicio addenda sunt aliqua verba de obligatione Superioris mittendi eos qui speciali vocatione signantur.

Si vero secundam acceptionem volueritis, illa verba « peculiarem » (pag. 18, lin. 35 et pag. 19, lin. 1) speciali auferantur.

De spiritualitate missionaria: pag. 19, n. 22, lin. 9, « et quidem per totam vitam ».

1. Si talia verba ad missionarios sacerdotes referantur, in contradictione sunt cum schemate de pastorali episcoporum munere ubi in pag. 14, n. 6, linn. 28-33 dicitur « curent etiam... ibidem sacrum ministerium in perpetuum aut saltem ad praefinitum tempus peracturi ».

2. Si ad eos missionarios referantur, praesertim laicos, sunt etiam in oppositione cum dicto in schemate de apostolatu laicorum pag. 45, n. 22, linn. 20-23: « qui perpetuo aut ad tempus servitio institutionum earumque operum seipsos, sua peritia professionali devovent ».

Ergo a commissione rogandum ut ita dicatur in pag. 19, n. 22, lin. 9, « et quidem laudabiliter per totam vitam ».

De formatione doctrinali: in pag. 20, n. 24, lin. 12, et in omnibus locis similibus sic dici oportet: « Quare omnes missionarii — sacerdotes, fratres, sorores, laici sive caelibes sive matrimonio iuncti... ».

Observationes et petitiones personales. Sane non sine quadam curiositate miror quod in schemate nihil dicatur de influxu Ecclesiae in elevatione societatis in missionibus operibus traditionalibus in apostolatu educationis, caritatis et in campo socio-oeconomico.

Nonne hoc silentio nobis significatur aliquas diversas methodos adhibendas esse ad periculum paternalismi et colonialismi vitandum?

Certo certius claras orientationes de munere pastoralis practici missionali in schemate nobis referre valde opportunum fore censeo — et etiam — de modo agendi missionariorum qui saepe saepius missionum circumstantiis adiunctis constricti, ad opus mere materialis colonizationis praeesse tenentur.

75

EXC.MUS P. D. MARCELLUS LEFEBVRE

Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia, sup. gen. Congr. S. Sp.

Novum schema *de activitate missionali Ecclesiae* nobis videtur multo melius esse quam prius, praesertim quia obiectum est magis definitum, i. e. « Missiones erga populos et hominum coetus qui nondum credunt, vel in quibus Ecclesia nondum sufficienter plantata existit », ita locutus est ipse Relator.

Ordo secutus in schemate etiam videtur conformior veritati et realitati.

Mihi liceat tamen dicere quod in aliquibus maximi momenti schema gravissime deficit.

1. Deficit in definitione exacta muneris Summi Pontificis et muneris episcoporum.

Haec sunt loca ubi adest gravis ambiguitas et aliquando affirmationes novae doctrinae.

In pag. 7, linn. 19, 20 et 21: « Quod munus post eos *haereditavit* Ordo episcoporum, una cum Successore Petri... » et in pag. 25 in n. 36 ubi dicitur « Episcopi omnes... non solum pro aliqua dioecesi, sed pro totius mundi salute consecrati sunt ». Quasi episcopi iurisdictionem haberent in universum mundum, quod aperte contradiceret traditioni universali Ecclesiae.

Soli Petro et successoribus Petri competit *ex iustitia* pascere universum gregem et ideo solis Pontificibus Romanis ius competit mandare in universum mundum missionarios. Tota historia Ecclesiae Romanae hoc luculenter confirmat. A Sancta Sede Romana, ab Urbe missi sunt episcopi, sacerdotes, religiosi in universum mundum. Hic, mandatum et missionem acceperunt.

Nulla mentio historica fit in nostro schemate de opere constanti Romanorum Pontificum pro salute omnium hominum.

Episcopi e contra *ex iustitia* sese debent suae dioecesi, suo gregi particulari et *ex caritate* ad sollicitudinem omnium animarum.

Haec est doctrina traditionalis Ecclesiae affirmata ab omnibus Pontificibus et a tota traditione, etiam a Pio XII in encyclica *Fidei donum.* De facto non loquitur nisi de necessaria sollicitudine, quae ex caritatis officio competit episcopis omnibus.

Leo XIII in encyclica *Satis cognitum* abundanter exponit hanc doctrinam traditionalem, quae etiam clare exponitur in constitutione *Lumen gentium* intellecta sub luce notae explicativa.

Alius textus in pag. 21 in n. 27 in quo loquitur de Ordinatione generali, non respondet doctrinae quae in Constitutione de munere episcoporum affirmatur, praesertim post decretum Summi Pontificis feliciter regnantis de Synodo Episcoporum.

Unde hi textus emendandi videntur ad normam doctrinae traditionalis, nempe clare affirmentur munera et titula munerum Summorum Pontificum

et episcoporum. Et fiat mentio historica de opere Romanorum Pontificum in adimplendo mandato a Domino nostro accepto.

2. Valde deficit etiam expositio finalitatis activitatis missionalis. Et hoc etiam gravissimum est quia ex hac expositione oriri debent vocationes et etiam in lumine harum rationum moderatur tota activitas missionalis.

Expositio quae fit in n. 7, pag. 9 motivorum activitatis missionalis si vera est, erit potius exstinctio omnium vocationum et zeli apostolici quam nova impulsio.

Ratio vera et essentialis quae est salus hominum per Iesum Christum Salvatorem nostrum, in cuius nomine tantum homines salvari possunt, quia omnes homines peccatores sunt et in peccatis manent et egent sanguine Christi qui in sola Ecclesia catholica vere et integre invenitur.

Non modo non invenimus hic necessitatem Ecclesiae, necessitatem fidei, baptismi, necessitas praedicationis ad missionem salvificam Christi adimplendum, sed potius loquitur de mediis quae a voluntate Dei pendent et quae essent extranea ab oeconomia salutis Ecclesiae.

Etenim theologia huius expositionis fundamentalis in schemate non est traditionalis: iustificatio a Christo per Ecclesiam videtur esse tantum aliquid melius sed non necessarium, quasi natura hominum non esset sub peccato originali et quasi salvari posset per solam naturam quae bona remanet. Haec doctrina est nova theologia.

Unde etiam praxis apostolatus non est traditionalis. Hoc videri potest legendo nn. 11, 12, 30. Haec ordinatio apostolatus fundata est in principiis naturalibus et non supernaturalibus. Non ita fecerunt Iesus Christus neque apostoli qui praedicaverunt non tantum « animis dispositis » ut dicitur in n. 13 sed omnibus quorum una pars credebat, altera recedebat, nolendo credere.

Praeparatio et adaptatio est magis praedicantium quam praedicatorum. Et quis scit si auditor est dispositus vel non? Hoc est mysterium gratiae Christi.

Haec descriptio debet esse magis evangelica et gignere debet fiduciam in mediis supernaturalibus.

Ut quid dictum est pag. 13, lin. 5: « Ecclesia prohibet ne quis ad fidem amplectendam cogatur vel artibus importunis inducatur aut alliciatur ». Haec phrasis est iniuriosa pro missionariis et longe abest a zelo pro animabus quae invenitur in Evangelio et in Actibus Apostolorum.

Utinam schema quod tanti momenti est in Ecclesia sit fons renovationis apostolatus missionarii, quia apostolatus est vita ipsius Ecclesiae.

Alia minoris momenti secretariae generali scripto transmitto.

Animadversiones additae:

Pag. 7, n. 5: Descriptio Missionis Ecclesiae a linn. 23-30 non videtur sufficiens. Debet indicari « per mandatorum observantiam » post verbum « adducat ». Hoc magis corresponderet verbis quibus usus est Christus do-

cens: « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos... et docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis... » ut enuntiatur in initio.

Pag 7, n. 5: minoris momenti observatio: Cur non dicitur in lin. 37: « Sanguis martyrum semen christianorum » ut citatio sit authentica?

Pag. 9, n. 8, linn. 49 et 50: « Christus sit... humanitatis novae ». De quanam humanitate nova ad quam omnes adspirant hic agitur? Videtur esse humanitas nova terrestris. Utrum dici potest omnes homines adspirare ad humanitatem novam terrestrem quasi ad finem ultimum!... Ambiguus est textus.

Pag. 12, n. 13 a linn. 33-39. Hic etiam non invenitur spiritus evangelicus praedicationis. « Animis... dispositis.... annuntietur ». Quis potest iudex fieri de dispositionibus animarum et revera nonne praedicatio limitari debeat ad hos qui humano iudicio dispositi apparent? Hoc non respondet spiritui evangelico et spiritui fidei. « Et nunc Domine respice... AA c 4 ». Traditio apostolica nobis docet quod post praedicationem alii exeuntes nolunt credere, alii e contra credunt.

Pag. 14, linn. 17-25: Dicantur aliqua verba ad caritatem fovendam erga protestantes et orthodoxos, sed cavere debemus in novis communitatibus christianorum scandalum indifferentismi et transitus de Ecclesia ad haereticos vel schismaticos propter rationes minimi momenti.

Insuper verum non est dicere simpliciter « fratres separatos esse Christi discipulos, baptismate regeneratos » cum in maioritate sectarum protestantium baptismus non est validus, sive ex forma sive ex materia sive ex intentione.

Si in territoriis antiquae christianitatis oecumenismus non habet rationem scandali, certe apud neophytos grave periculum adest et non potest apud eos faveri cooperationem in multis cum haereticis et schismaticis.

Pag. 16, n. 18 locum capiat numeri 17 et religiosi non tenent locum post catechistas.

Pag. 21, linn. 5-6: Ratio quae hic data est ad Institutionum existentiam videtur insufficiens. Alio modo exprimantur rationes quae sunt: vita religiosa, i. e. imitatio Christi, vita communitatis et familiae et ita maxima efficientia in apostolatu.

Pag. 23, lin. 35: deleantur verba « et debent » ut expressio nimis imperativa.

Pag. 27, linn. 42 et 43: « quae structuras fundamentales vitae socialis attingunt ». Haec verba sunt ambigua. Experientia constat principia doctrinae socialis Ecclesiae, speciatim de iure proprietatis privata, maxime conferre ad progressum oeconomicum familiarum apud gentes oeconomice egentes. Socialismus e contra omnino impedit progressum oeconomicum in his gentibus, instituendo collectivismum. Unde cavere debemus ut in hac re expressa mentio fiat de doctrina sociali catholica.

« quae structuras fundamentales vitae socialis ad normas doctrinae socialis catholicae attingunt ».

76

Exc.mus P. D. CAROLUS IOSEPH LEMAIRE

Episcopus tit. Otroenus

Liceat mihi observationes facere de quaestione quae mihi non videtur aliquo momento deesse. Agitur de fovendis in missionibus vocationibus cleri localis.

Ecclesia localis sat firmiter stabilita dici potest cum clerum localem, stabilem i. e. incardinatum, possidet, qui sub potestate propriae gentis episcopi, numero et qualitate, praecipuis ministerii et apostolatus necessitatibus sufficiat.

Primarium ergo missionariorum omnium officium deberet semper esse formatio illius cleri indigenae missioni incardinandi.

Experientia autem constat, quod non raro sunt missionarii qui videntur tanquam scopum primarium habere vocationum quaestionem pro sua propria Congregatione. Sed clerus ille religiosus, etiamsi sit indigena et plerumque in originis loco remaneat, non est ita stabilis ut ei vere et semper inniti possit episcopus. Insuper, non habet sufficientem dependentiam ab episcopo. Ratio est quod ab aliis superioribus dependet et semper amoveri potest.

Oporteret ergo, ut mihi videtur, ut in schemate *de activitate missionali Ecclesiae* in memoriam revocetur, verbis quidem claris, obligatio pro missionariis cuiusvis nationis vel Instituti, praeprimis, quamvis non exclusive, laborandi, cum fidelium numerus hoc iam permittit, ad fundationem localis Ecclesiae per inquisitionem formationemque vocationum pro clero dioecesano indigena, quin tamen propriae Congregationis utilitatem negligant.

Si haec obligatio a missionariis non observatur, valde timendum est ne propter hanc causam, aliquae missiones diu debiles remaneant. Periculum est eo gravius quo in eadem missione saepius laborent missionarii plurium Congregationum, quas inter ad vocationes pro proprio Instituto fovendas vigeat fervens aemulatio.

77

Exc.mus P. D. DURAISAMY SIMON LOURDUSAMY

Archiepiscopus tit. Philippensis, coad. c.i.s. Bangalorensis

I. Sicut schema bene enuntiat in nn. 33, 34 et 36, tota Ecclesia missionaria est et opus evangelizationis populi Dei fundamentale est (n. 33). Consequenter omnes fideles officio tenentur ad Christi Corporis expansionem et dilatationem cooperandi...; quare omnes Ecclesiae filii vivam suae erga mundum responsabilitatis conscientiam habeant... (n. 34). Ita etiam, episcopi omnes.... non solum pro aliqua dioecesi, sed pro totius mundi

salute consecrati sunt...; inde oritur illa communio et cooperatio ecclesiarum quae hodie tam necessaria est ad opus evangelizationis prosequendum; vi istius communionis singulae Ecclesiae sollicitudinem omnium aliarum ferunt (n. 36).

Quae cum ita sint, sustentatio missionum ipsa natura sua ad ordinarias et essentiales obligationes singularum Ecclesiarum pertinet. Si res ita se habet, inter illarum Ecclesiarum proprios ac consuetos redditus pro obligationibus ordinariis et essentialibus toto anno perceptos, opus missionum partem necessariam et quidem proportionatam habere debet. Si ita omnes paroeciae, instituta et dioeceses in terris iam christianis, et etiam in ipsis terris missionum illae quae opulentes sunt, partem propriorum reddituum ordinariorum pro missionibus (mediante S. Congr. de Propaganda Fide) dent, opus evangelizationis requisitis subsidiis materialibus non deficeret. His dictis, placet quod in schemate saltem passim ac breviter proponitur in n. 36, pag. 26, linn. 6-10, nempe: « Conferentiarum episcopalium est... stipem statuere quam eaedem (singulae dioeceses) proprii redditibus proportionatam pro opere missionum quotannis dare tenentur ».

Si hoc non fit, et e contra opus missionale tantum de obligationibus fidelium voluntariis et quidem semel in anno sic dicta die dominica missionum collectis pendet, en consectaria:

1. Impulsus doctrinalis ad subveniendum operi missionali, utpote operi populi Dei fundamentali, in praxi inanis evadet; fideles sentient activitatem Ecclesiae missionalem non necesse suam esse atque putabunt hic agi de eleemosynis et de re quodam modo supererogatoria ac accidentali.

2. Deficientibus subsidiis sufficientibus, episcopi, sacerdotes et sodales religiosi missionum mendicare astringuntur, etsi mendicare erubescant; praeterea iter mendicationis arripientes tempus terent et alia officia sua domi urgentes negligunt. Utquid haec perditio temporis? Ceterum quam deplorabilis duplicatio conaminum, et quam amara ac dedecora competitio!

II. Sermo fit in n. 34, pag. 24, linn. 28-34 *de notitiis missionalibus*. Sane opus est his notitiis missionalibus, ut omnes christifideles in regionibus christianis degentes conditionem Ecclesiae in terris missionum vigentem noverint et, vocem clamantium « Adiuva nos » audientes, ad eorum necessitates cor aperiant eisque subveniant. Sed, hic finis posterius dictus non debet ut perprimus prae oculis haberi, nec, ad hunc finem efficaciter assequendum, paupertas, infirmitas, miseria, etc. incolarum missionum nimis exaggerari, casus exceptionales utpote normales in scriptis ac figuris exhiberi, faciesque regionum missionalium false praesentari. Huiusmodi partialem, nimis exaggeratam, quandoque falsam praesentationem tum gubernium quam cives regionum missionalium — speciatim in nationibus emergentibus, sed valde respectabilibus et cultura divitibus — aegre ferunt et multoties hac de causa missionarios in odio habent.

III. N. 39 agit *de missionali officio laicorum*. Hoc in numero, quoad laicos in ipsis terris missionum indigenos, praeter id quod dicitur in linn. 31-35, instari atque in meliori luce poni oportet primum ac potissimum ipsorum debitum pro fidei diffusione inter concives nondum christianos, ita ut patriae suae administros salutis se sentiant ac de facto gerant, quin opus evangelizationis et expansionis Corporis Christi exclusive missionariis extraneis complacentes relinquant sicut hucusque deplorabile dictu fecerunt.

78

EXC.MUS P. D. CORNELIUS LUCEY
Episcopus Corcagiensis et Rossensis

Relate ad n. 36 (pag. 25, lin. 33) proponimus ut loco « Congregationes etc. » substituatur « ... inserantur; religiosos et religiosas hortari et assistere etc. ».

Episcopi est iudicare si in dioecesi maior sit numerus cooperatorum quam opera apostolatus et cura animarum ibi postulant. Cum inter cooperatores non solum congregationes dioecesanae sed etiam omnes religiosi adnumerentur, logice de his episcopus rationem habere debet in aestimando quid faciendum sit et quibus adiuvandum sit. Non est quaestio interveniendi in vita interiore Congregationum religiosarum, sed mere aestimandi et subveniendi.

[*Subscripserunt etiam*] V. Hanley, ep. Elphin; W. Philbin, ep. Down and Connor; Th. McDonough, ep. Savannah; J. Scanlan, aux. Honolulu.

* * *

N. 36. Infrascripti Patres proponunt ut paragraphus huius numeri (linn. 39 ss.) ita mutetur ut sic legatur: « Cum vero in dies crescat necessitas operariorum in vinea Domini, Sancta Synodus grato animo agnoscit quam multos e clero dioecesano iam in terris missionum laborare. Ut ipsi partes adhuc maiores in mundi evangelizatione habeant, exoptat ut episcopi gravissimam considerantes penuriam sacerdotum qua evangelizatio multarum regionum impeditur, aliquos e melioribus suis sacerdotibus, qui ad opus missionale se offerant, debita praeparatione peracta, dioecesibus clero carentibus commodent, ubi saltem ad tempus ministerium servitii missionalis exerceant ».

Ratio emendationis propositae. Re vera perplures sacerdotes dioecesani iam in Africa et alibi, ad tempus a dioecesi propria commodati, cum membris Institutorum Missionalium ibi laborantibus cooperantur — e. g. non datur in Hibernia ne una quidem dioecesis quae non habet aut saltem in recentioribus annis habebat, sacerdotes cum et sub Missionariis regularibus in campis missionalibus. Dedecet facti huiusmodi hic oblivisci. E contra lau-

demus hos vires gloriosos sicuti laudamus, et merito, in n. 38 religiosos pro eorum parte in evangelizatione mundi.

Tum theologice tum iuridice minus expedit ut sacerdotes servitio alicuius dioecesis adscripti alibi mittantur, ipsorum in re voto non habito. In militia missionali voluntarii conscriptis praeferendi sunt.

[*Subscripserunt etiam*] V. Hanley, ep. Elphin; Th. McDonough, ep. Savannah; J. Scanlan, aux. Honolulu.

* * *

N. 36. Quoad hunc numerum votum infrascriptorum Patrum est ut textus (linn. 6 ad 14, pag. 26), qui tractat *in specie* de iuribus et officiis conferentiarum episcopalium relate ad officium missionale in singulis dioecesibus, omnino deleatur.

Rationes huius voti. a) Theologice constat officium missionale de quo agitur in n. 36 primario et directe episcopis qua membris collegii apostolorum et Ordinariis dioecesis propriae potiusquam qua membris conferentiae regionalis incumbere.

b) Ne causa missionum damnum patiatur. Ubi decisiones maximi momenti — et decisiones e. g. statuentes annuam stipem pro unaquaque dioecesi vel numerum sacerdotum e dioecesi in missiones mittendorum absque dubio maximi momenti sunt — ab auctoritate extradioecesana profluunt, ibi benevolentia et auctoritatis et cleri dioecesani quodammodo periclitatur. Si opus missionale ut aliquid ab extra impositum et non ut aliquid spontaneum immo et indigenum in dioecesi habeatur, caret conditione necessaria ad prospere procedendum.

c) Difficultas practica. In ordinariis contingentibus quomodo episcopi aliarum dioecesium scire possunt an et quot sacerdotes superflui sint in hac vel illa dioecesi? Praeterea quis in conferentia nisi episcopus ipse aestimare potest qui praecise sint redditus uniuscuiusque dioecesis?

Propter quas et alias difficultates, melius esset nostra opinione munus conferentiae episcopalis in hac re modo tantum generali, ut in linn. 3-5, pag. 26, indicare.

[*Subscripserunt etiam*] V. Hanley, ep. Elphin; J. Scanlan, aux. Honolulu.

79

Exc.mus P. D. ANDREAS MAKARAKIZA
Episcopus Ngoziensis

Nomine conferentiae episcopalis Rwanda et Burundi:

Schema nobis submissum orientationes fundamentales exponit quibus activitas missionalis Ecclesiae necessitatibus nostri temporis respondere possit. Quae orientationes, vere aptatae quidem sunt, sed nimis theoretice dictae.

Praevidenda sunt ergo media et instrumenta, quorum ope haec principia in praxim deduci possint et quidem efficaciter. Etenim schema nostrum circa *activitatem* ipsam missionalem versatur, et ordinationes statuere debet ad modum veri *decreti*. Qua de causa, minime sufficit ut delineantur principia theoretica: requiritur etiam ut proposita particularia et practica definiantur.

Hoc votum respicit principaliter ad sequentia argumenta:

1. Dialogus cum culturis: Ut principia, sub n. 11 exarata, realiter activitatem missionalem pervadere valeant, omnino necessarium est ut in unoquoque magno territorio socio-culturali condatur Institutum qui culturam ambeuntem scientifice investiget atque semina Verbi, in ea latentia, deteget, ita ut basis firma habeatur tam pro institutione missionariorum et cleri quam pro apostolatu ipso.

2. Praesentia caritatis: Quae dicuntur sub n. 12 intime connectuntur cum iis quae exponuntur in schemate XIII, ubi agitur de modo adiuvandi gentes progredientes. Munus christianorum delineando, schema XIII, sub n. 95, in magna luce ponit necessitatem utendi methodis technice aptis et, consequenter necessariam formationem eorum qui nationibus destitutis inservire volunt. Ut haec omnia in praxim deducantur, optandum est ut schema nostrum firmiter statuat quod Instituta superiora condenda sint pro collaboratione praestanda ad progressum populorum in rebus oeconomicis et socialibus.

3. Ecclesiarum particularium aedificatio: Ea quae dicuntur sub n. 20 schematis indigent aliqua determinatione practica:

a) Schema mentionem facit de necessaria conspiratione omnium virium quorum interest. Ad hoc propositum assequendum, valde iuvaret si ipsum schema ferret decretum vel, ad minus, formularet votum secundum quod conferentiae episcopales, intra limites uniuscuiusque magni territorii socio-culturalis, inter se ita coadunentur ut communibus consiliis promovere valeant aptationes omnes quibus vita christiana ingenio et traditionibus populorum melius respondere possit.

b) Quoad studia theologica ita promovenda ut reflexio theologica originalis instituatur ratione habita modi cogitandi et morum diversorum populorum: Schema nostrum ad practica descendens, decernere deberet quod statuta Facultatum ecclesiasticarum in Novellis Ecclesiis earumque ratio studiorum accommodentur oportet ab ipsis conferentiis episcopalibus, salva tamen approbatione seu confirmatione ab Apostolica Sede.

c) Ad catechesim et liturgiam quod attinet: oportet ut schema decernat quod Instituta et Centra pastoralia in novellis Ecclesiis condantur, ita ut non solum instauratio vitae christianae ad mentem Concilii promoveatur, sed etiam ut adaptationibus introducendis, quo par est modo, provideatur.

Conclusio: 1. Recognoscatur n. 32 schematis, determinando quae Instituta et Centra condenda sunt ut activitas missionalis proficere valeat.

2. In fine n. 20, verbum addatur de necessaria coordinatione conferentiarum episcopalium intra limites uniuscuiusque magni territorii socio-culturalis.

80

Rev.mus P. D. PETRUS MALEDDU
Praefectus ap. Hinganfuensis

È noto che il popolo fedele ascolta molto volentieri le prediche e le conferenze tenute da vescovi e da sacerdoti indigeni, i quali oltre che ottenere più sussidi, mostrano e dimostrano con la loro presenza la vita e il dinamismo missionario della Chiesa. Perciò propongo che vengano raccomandate nelle varie diocesi giornate missionarie predicate dal clero indigeno e nelle vacanze anche dai teologi indigeni che studiano a Roma o altrove, raccogliendo però offerte non per sé, ma per la Propaganda Fide; raccomandando l'adozione di seminari indigeni o di singoli alunni di detti seminari, ed eccitando vocazioni missionarie fra i laici. In questo modo detti sacerdoti o teologi studenti possono coltivare amicizie che poi saranno loro utili quando ritorneranno in missione e con la loro corrispondenza tengono sempre più vivo lo spirito missionario nel popolo cristiano.

81

Exc.mus P. D. OCTAVIANUS MÁRQUEZ TÓRIZ
Archiepiscopus Angelorum

Loquor nomine 42 Patrum conciliarium, quorum maxima pars ad episcopatum mexicanum pertinet.

Toto corde gaudemus de his quae circa sacrosanctam coelibatus legem in n. 14 huius schematis dicuntur, et maximis laudibus talem numerum et schema totum extollere volumus.

1. Quia optima argumentorum synthesis traditur ad ostendendam « multimodam » huius legis in Ecclesia latina « convenientiam », ideoque coelibatus momentum, immo addere audeo, practicam necessitatem.

2. Quia hodie quam maxime requiritur ut lex coelibatus in Ecclesia latina, verbis Sancti Concilii clarissime confirmetur, propter periculosas, immo et falsas opiniones quae hanc circa rem grassantur.

3. Quia perfecta concordantia cum aliis conciliaribus documentis habetur, e. g. cum schemate decreti *de institutione sacerdotali,* in nn. 9 ad 12, in quibus sub lucida hac doctrina optimae pro futurorum sacerdotum institutione hac in re normae traduntur.

Neque contra sanctam hanc legem aliquid obiiciatur sive ex carentia seu penuria sacerdotum multis in regionibus, sive ex casibus particularibus — sat dolendis — pro medendo sacerdotum lapsorum statu.

Mala etenim gravissima et generalia, quae ex vulnere quocumque, legi coelibatus inflixo, sequerentur, longe maiora essent quam bona aliqua particularia et probabilia.

Nobis liceat, ex experientia spiritualis moderationis multorum iuvenum sacerdotum, dicere: Si vulnus aliquod quacumque de causa, seu praetextu, coelibatus legi infligeretur, sanctitas sacerdotalis, in iuvene praesertim clero, in discrimine gravissimo poneretur, immo in non paucis rueret. Institutio, praeterea, iuvenum nostrorum in Seminariis, damna ingentia cum pessimis consectariis pateretur.

Realitatem mundi et hominum, sicuti est, prae oculis habere debemus. Et quia Pastores sumus, practici esse debemus.

A) Porro quis non videt, si porta aperiretur, idest, si iuvenes Seminariorum nostrorum possibilem esse scirent statum sacerdotalem cum coniugio aliquando componi posse, quaenam tunc in eis adesset ad sanctitatem sacerdotalem profunda adspiratio? Quinam gressus erga totalem illam deditionem et consecrationem, quam perfecta continentia secumfert?

Haec enim, prout in schemate optime dicitur, totalem significat personae suae donationem, cordis nempe et corporis, soli Christo.

Quaenam prosecutio tunc adesset evangelicorum consiliorum, de quibus tam mirifice Ioannes Papa XXIII, in Litteris Encyclicis occasione Centenarii Sancti Parochi Ioannis Mariae Vianney, cum sacerdotio consentaneis affatus est?

E contra, alumni nostri, societati coniugali propter regnum caelorum perpetuo renuntiantes, Domino adhaerent amore indiviso. Et paternitati carnali perpetuo (non ad tempus) renuntiantes, versus sublimem spiritualem paternitatem diriguntur, qua veri animarum patres et vocabuntur et erunt.

B) Si de sacerdotum inopia sermo fieret, remedium nobis minime adesse videtur in infligendo tali gravissimo vulnere sacrosanctae coelibatus legi, sed in omnibus aliis remediis, iam valde notis, sed non semper, proh dolor, in praxim deductis. E. g.:

1. In indefesso, constanti et apprime ut ita dicam « organizato » labore ad vocationes sacerdotales fovendas, sicut in nostro schemate sub n. 10, et in aliis schematibus, exponitur.

2. In accuratissima futurorum sacerdotum institutione, quia experientia docet unum sacerdotem optime efformatum multo plus et valere et agere in bonum populi Dei, quam plures mediocriter seu non recte instituti.

3. In fraterno adiutorio aliarum dioeceseon, nationum et religiosorum institutorum — sicuti iam cum fructibus optimis incipit fieri —, ita ut melior cleri distributio fiat in iuvamen regionum illarum quae sacerdotum penuria laborant (in hoc schemate, sub n. 9).

Ex alia parte, necesse non est repetere etiam in matrimonio non theoretice, sed practice inspecto in vitae realitate, pericula et adiuncta saepissime adesse, minime vitae spirituali et apostolicae consentanea, sicuti rixae,

femineae zelotipiae, infidelitates, filiorum problemata, nimia rerum temporalium cura, etc. etc.

C) Iamvero, si de casibus particularibus — sine dubio dolendis — seu de sacerdotibus lapsis agitur, nobis remedium ponendum nullo modo videtur in relaxatione legis coelibatus, ita ut iam sacerdotium ministeriale cum coniugio componi posset. Minime, inquam, quia (iterum dico) mala gravissima generalia, quae inde sequerentur, multo maiora essent absque dubio quam bona particularia et probabilia quae in casibus haberentur.

Remedia aliter omnino quaerenda sunt: 1. Agitur de casibus particularibus, in aliquibus regionibus, proh dolor, frequentioribus, in aliis non. Sed saltem pro aliquibus ex illis, quando adiuncta determinata concurrunt, iamiam sapienter a Suprema Ecclesiae Auctoritate provisum est. Unde neque necessarium neque opportunum de iis amplius loquendum esset.

2. Radicale remedium, in quantum humana fragilitas sinit, quaerendum est saltem ex parte, in accuratissima in Seminariis futurorum sacerdotum spirituali et morali institutione, et in candidatorum selectione, sicuti in schemate *de institutione sacerdotali* praeclare dictum est. Rogare auderem, Patres venerandi, ut praefati schematis nn. 9 ad 12 attentissime usque ad ultima verba perpendamus. Nobis enim videtur quod si normae ibi traditae in veram et realem praxim ubique deducantur, Deo favente, mala innumerabilia in posterum, quatenus humana conditio patitur, praecavenda erunt.

3. Si sacerdotis solitudo, ut saepe dicitur, occasio periculorum et malorum est, aliud remedium habetur, prout in nostro schemate — pag. 37, linn. 20 s., dicitur — in « conversatione cum fratribus », de qua iam plura exstant incoepta, sicut vita communis et sacerdotales consociationes ad vitam spiritualem magis magisque fovendam. In memoriam revocare hic liceat Unionem Apostolicam Sacerdotum Sacr.mi Cordis Iesu, Societatem Sacerdotum S. Francisci Salesii, Piam Unionem Sacerdotalem S. Theresiae a Iesu Infante, Consociationem Sacerdotum pro Adoratione Sanctissimi Sacramenti, et alias ex quibus uberrimos fructus prodiere.

4. Praeter media optima de quibus in n. 15 schematis (« Subsidia ad vitam interiorem fovendam ») ad praecavendos, in quantum possibile, illos valde dolendos lapsus, aliud remedium adest in diligentissima et paterna cura quam episcopi de nostris iuvenibus sacerdotibus habere debemus, sive immediate, sive per alios prudentes sacerdotes qui iuvenes comprehendere valent.

Porro si lugenda crisis in aliquibus sacerdotibus evenit plus minusve post tres vel quinque annos a sacerdotio inito, et circa 30 aetatis annum, valde laudandum videtur quod in aliquibus dioecesibus cum fructu iam factum est: cursus nempe periodicos instituere (ceteroquin in schematibus commendatos) sive per integrum mensem, sive per plures menses, in communitate, ad vitam spiritualem roborandam, ad consilia ineunda, ad studia pastoralia communiter perficienda, ad occasiones vitandas ad mala praecavenda.

Tandem, ne illusionibus cedamus: nobis videtur frustra omnino pro sacerdotibus lapsis generale remedium quaeri in relaxatione legis coelibatus, ita ut sacerdotium cum matrimonio coniungere valerent: quia experientia teste, homines qui libidini, « animo irreverenti et infrunito » traditi sunt, etiam in matrimonio generatim se tradere possunt, infidelitatibus seu adulteriis, gravibus ideoque peccatis.

Conclusio: Episcopi mexicani, qui dedimus nomina et subsignationes secretariae generali, schema laudamus, praesertim relate ad ea quae de sacerdotali castitate et sanctissima coelibatus lege statuuntur et confirmantur. Ideoque probandum omnino nobis videtur.

Nomina et subscriptiones 41 Patrum conciliarium in favorem huius scripti, in Summario interventionis secretariae generali tradito, inveniuntur. Quibus postea accessere exc.mi ac rev.mi DD. Antonius López Aviña, arch. Durangensis, Abraham Martínez, ep. Tacambarensis etiam in Mexico.

82

Exc.mus P. D. PETRUS MARTIN

Episcopus tit. Selinusiensis, vic. ap. Novae Caledoniae

N. 7. Textus mihi videtur non satis structuratus et proinde debilis et non idoneus ad fovendam necessitatem missionalis activitatis.

Ecce novum textum quem audeo proponere.

7. (Rationes et necessitas missionalis activitatis). Ratio huius missionalis activitatis non unice ex aeterna salute uniuscuiusque hominum evangelizandorum procuranda sumitur. Etenim:

1. Deus Pater omnia per Filium creavit et redemit « in laudem gloriae Ipsius » (*Eph.* 1, 9-14; cf. *Col.* 1, 15-20) et in eodem Filio, novo scil. Adam, omnia vult recapitulare ut sit Ipse « omnia in omnibus » (*1 Cor.* 15, 28). Cum autem nonnisi per homines sibi incorporatos novus Adam illud suum munus plene exsequatur, summopere ad divinum consilium adimplendum refert ut omnibus, per Evangelii praedicationem, innotescat illud consilium. Unde Ecclesia mandatum a Domino suscepit omnes homines vocandi ut Christo adhaerentes se et cetera omnia Ei subiiciant (cf. *Lumen gentium,* par. 34-36 et 38). In omnes lucem a Christo acceptam respergit ut et omnes illa mundum universum irradient (cf. *1 Cor.* 3, 16; 4, 6).

Consilium Creatoris, hominem ad imaginem et similitudinem suam condentis, revera adimpletur, cum omnes homines, in Christo per Spiritum Sanctum regenerati, unanimiter gloriam Dei speculantes, dicere poterunt « Pater noster ». Quod quidem plene fieri non potest, nisi divinum amorem in Christo crucifixo agnoverint (cf. *Rom.* 5, 5-11; 8, 31-39; *1 Io.* 4, 7-16). Unde apostolis praecepit idem Christus Evangelium suum omni creaturae praedicare (*Mc.* 16, 15; cf. *Mt.* 28, 18-20).

Ad huius igitur dominici mandati exsecutionem impellit tum « oboedientia fidei » (*Rom.* 16, 26), tum caritas in Deum.

2. Si vero ad Ecclesiam attendatur, quatenus Corpus est Christi organicum, Paulus apostolus docet omnia eius membra toti corpori singulisque aliis membris valde prodesse, immo necessaria esse (*1 Cor.* 12). Quamdiu ergo multi ab hoc corpore alieni manent, qui ad illum divina vocatione ordinati sunt, tamdiu membris actualibus desunt illa bona quae a ceteris hominibus accipere deberent, fructusque omnium charismatum quibus isti a Spiritu Sancto instructi forent sive ad Revelationis investigandas et exhibendas divitias, sive ad multiformam exsequendam missionem (cf. *Lumen Gentium,* par. 7, 13, 16).

Quod detrimentum, non despiciendum quidem ubi de singulis agitur, gravissimum agnoscendum est ubi de integris populis nondum conversis eorumque culturis agitur, siquidem quaevis cultura humana, Revelatione illustrata et Redemptione sanata ac elevata, fructus proprios gratiae divinaeque gloriae gignere debet (cf. *Lumen Gentium,* par. 17), et quandoque diversos divini mysterii aspectus plenius detegit. Non certe ipsa Revelatio nec eius substantialis acceptio in Ecclesia crescere adhuc potest, sed progressus datur dogmaticus et theologicus, necnon spiritualis, ad quem diversae culturae humanae conferre possunt.

Si ergo Ecclesia plenitudinem suam non potest, nisi eschatologice, attingere, in praesenti tamen tempore crescere debet et ad illam plenitudinem indesinenter tendere (cf. *Eph.* 4, 11-16; *Lumen gentium,* 48). Quod non fiet, nisi alios homines evangelizando. Unde ad activitatem missionalem impellit spes communitatis christianae.

3. Ipsis tandem non-christianis summi momenti est Evangelii receptio. Ecclesia quidem tenet Deum viis sibi notis homines ad Fidem adducere posse, sine qua impossibile est Ipsi placere, etiamsi Evangelium non audierint. Hi tamen homines, quamvis a non-christianis religionibus iuvari possint ad Deum aliquatenus cognoscendum Eiusque legem vita sua complendam, adhuc diversis obscuritatibus et ambiguitatibus, nonnullis etiam gravibus tum religiosis tum moralibus erroribus detinentur ne vocationi suae plene respondeant, non sine salutis aeternae periculo. Ea egent libertate qua Christus, qui est Veritas, nos liberavit (cf. *Io.* 8, 32; *Gal.* 5, 1).

In praesenti potissimum mundi statu, triplici modo urget eorum spiritualis egestas:

a) Ut atheismo grassanti resistere possint, maxime praestat ut plenam accipiant cognitionem Dei plene personalis, transcendentis amantissimique Patris, ac proinde libertatis humanae fontis humanarumque personarum auctoris, non autem adversarii.

b) Ut haec maior hominum pars, quae gravissima inopia laborat, desperationis tentationes superare possint, opus est quidem ut a ditioribus adiuventur, sed etiam ut christiana spes, cuius adhuc expertes sunt, illis proponatur.

c) Ut pax, ad quam omnes anhelant, ab omnibus accipi et procurari possit, ad inconcussum pacis fundamentum, qui Deus omnium Pater est, per Evangelium accedendum est.

Unde patet activitatem missionalem fraterna caritate imperari.

83

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

Parcite mihi, Patres venerabiles, si quaedam proponam vobis de isto schemate quae aliquibus forsan videtur quaestiones de lana caprina, uti dicitur, sed non ita res se habet.

1. De ipso nomine: Missio, Missionale, Missionarii. Compertum est hoc nomen apud quosdam non tam bene sonare, eo quod putent, falso quidem, missiones consociatas fuisse cum colonialismo. Nec desunt alii qui considerantes hoc institutum missionalis tanquam ab extra non posse gaudere omnibus iuribus civium quamvis cives catholici numerosiores sint!

Etiam inter catholicos non desunt qui putent Missiones esse ecclesias alicuius gradus inferioris. Scio aliquos evangelizatores mutavisse nomen « Missio Catholica » in illud « Ecclesia Catholica ».

In hoc schemate insuper perpulchre declaratur quod omnes episcopi, clerici et christifideles in hoc opere adlaborare oportere etiamsi minime mittantur a propria regione in aliam, ideoque missionarii proprie non vocentur.

Quamobrem rogo vos, Patres venerabiles, ut considerare velitis num opportunum sit hoc nomen mutare in aliud, uti est « Evangelizatio » vel Apostolatus.

Fateor me valde diligere vocationem et nomen missionarii, attamen praesto sum et ista relinquere cum parva mea barba si hoc in bonum cedat animarum!

2. Anno elapso quidam Pater Ecclesiae Orientis petiit ut et Orientales partem haberent in opere evangelizationis; hoc valde bonum est et laude dignum immo in nostro schemate nunc clare sancitum ubi agitur de Officio Missionali episcoporum.

Puto tamen res utilis erit si duae parvae pericopae inserantur in cap. V, n. 36 ad hoc expressius sollicitandum praesertim cum agitur de evangelizatione regionum quae lingua arabica utuntur ubi Orientalium apostolatus erit in Domino pretiosum et necessarium.

Altera pericopa utilis erit pro clericis et episcopis autochtonis regionum ubi usquenunc onus missionale praecipue in exteros incumbebat, ut et ipsi fideliter perseverent in officio evangelizationis ad non-christianos, sicuti iam faciunt cum magno proventu animarum.

His dictis meum gratum animum pando commissioni pro isto optimo

schemate apparato, et omnibus benefactoribus nostris, episcopis, clericis et laicis.

Quidquid in opere evangelizationis gratia Dei egit per nos, etiam per eorum generosum auxilium factum est!

84

Exc.mus P. D. ALFONSUS MATHIAS
Episcopus Chikmagalur

Debitum missionale speciale cleri sive dioecesani sive religiosi *indigenae* in quantum, praeter quod sint membra Ecclesiae onerati cum debito missionali generali, habeant praeterea debitum missionale omnino speciale in quantum fratribus fratres debent nuntium Evangelii communicare. Nam, non raro sacerdotes indigenae sibi contenti remanent de ministerio paroeciali sive propter carentiam adiutorii in ministerio sacerdotali, sive quia saepe gerunt officia quae quandoque saltem possint a laicis bonis geri, sive demum propter carentiam zeli et navitatis missionariae. Quare oportet ut hortemur eos ad opus evangelizationis aggrediendum, dum ministerium paroeciale sibi commissum praecipue perficiunt.

Mihi videtur necessarium omnino esse magis clare et fortiter de hac re aperte loqui, speciatim eo quod, mutatis circumstantiis in non paucis nationibus terrae missionalis ubi aditus non est facilis pro missionariis ab extero provenientibus.

85

Exc.mus P. D. PAULUS MAZÉ
Episcopus tit. Ascalonitanus, vic. ap. Insularum Tahiti

Ad art. 3, pag. 15, post lin. 44 addenda: « Ubi diaconatus conferri nequit, catechistae, de iudicio Ordinarii Missionis, ad Ordines minores promoveri possunt ». *Rationes*:

1. Cur catechistae *ad diaconatum* promoveri *nequeunt? Respondeo*: quia culturam intellectualem sufficientem non habent nec propter provectam aetatem aut propter magnas distantias acquirere possunt; quia catechistae, qui sunt patres familias, propter inordinatam rationem vivendi filiorum, qui secum vivunt, sed concubinarii vel adulteri sunt, a munere exsequendo saepe impediuntur.

2. Cur catechistae *ad Ordines minores* promovendi sunt? *Respondeo*: quia tunc aliis fidelibus aliquomodo praeeminent. Coram Ecclesiam enim tunc non tantum christifideles sunt, qui baptizati et confirmati testimonium fidei reddere et effundere tenentur, sed etiam *mandatarii* Ecclesiae, qui ad hierarchiam Ecclesiae pertinent, vi cuius catechistae constituti sunt et munus docendi exercent, quod iam nunc de facto et absque institutione perficiunt.

Munus eorum erit catechesim tradere pueris et puellis et etiam adultis; praesidere orationibus diebus ferialibus et dominicis; baptismum conferre infantibus in periculo mortis constitutis; visitare infirmos eosque ad contritionem adducere; praesidere sepulturis.

Uno verbo: inquantum fieri potest, substituere missionarium per longum absentem, quod ad decem vel undecim menses aliquando protrahitur.

86

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH McELENEY
Episcopus Kingstonensis

Ad cap. II. Liceat mihi in primis gratum meum pandere animum erga Commissionem, quae praesens schema paravit, ac dein breves praebere adnotationes super tres paragraphos secundi capituli, qui paragraphi vel maxime augmento et incremento nostrarum Missionum esse possunt.

In tribus paragraphis haec tractantur: 1) Educatio sacrorum alumnorum in peculiaribus scientiis, ut in missionologia, socio-oeconomia, liturgia, et mediis communicationis relate ad liturgiam; 2) restauratio diaconatus permanentis; 3) selectio catechistarum permanentium.

Circa primum, clare apparet esse seligendum ad haec studia complenda, quantum possibile est, clerum indigenam. Recte in schemate dicitur peritos harum scientiarum consilia conferre debere cum conferentiis episcopalibus.

Haec studia cardines sunt, supra quos portae progressus activitatis Missionum veluti aperiuntur. In praesens programmatio horum studiorum urgentior est quam aedificatio scholarum, hospitalium, clinicarum, immo et ecclesiarum. Ratio enim horum studiorum tangit spiritualem et materialem oeconomiam Missionum, et ideo debet esse clare et accurate expressa, saltem circa fundamentalia lineamenta.

Ad secundum quod attinet, restauratio diaconatus, ob multas et graves rationes, respondet necessitati indigenarum vocationum. Auxilium a diaconibus allatum operibus sacerdotum in Missionibus, debet, si consideramus et desideramus verum incrementum in plantatione et in dilatatione Fidei in regionibus missionum, clarius reddere totum schema de constitutione permanentium catechistarum.

Necesse est, ut permanentes catechistae seligantur inter cives regionis. Hoc enim secumfert collationem alicuius stabilis officii multis, qui « sunt otiosi, quia nemo eos conduxit ». Utilitas huius dispositionis clare patet, si prae oculis habemus viginti quinque per centum virorum esse sine stabili officio, seu labore in regionibus nondum evolutis.

Addendum est quod schema iure considerat iustam retributionem assignandam esse catechistis, ita ut decentem vitam conducere valeant et socialem nanciscantur securitatem. Quod quidem optimum esset pro singulis Missionibus et exstaret certus successus!

At haec optima praevisio quaestionem ponit: Qualis Missio poterit hoc programma exequi, cum omnes Missiones non habeant unde necessaria sumant ad vitam sustentandam Missionariorum? Missiones enim vivunt in singulos dies, et, nisi nova inveniantur auxilia, programma et schema manebunt, ut aiunt, « littera mortua ».

Ideo humiliter suggero Sacrae Congregationi Propagandae Fidei, ut nova ad hoc necessaria auxilia reperiat, quamvis necessaria esset peculiaris ad hoc petitio auxiliorum ex parte Christi fidelium totius orbis.

Tandem, praeter hanc peculiarem Missionum necessitatem, propitia mihi datur hodie occasio agnoscendi, animo gratissimo, sollicitam operam, qua Sacra Congregatio de Propaganda Fide, episcopi, conferentiae episcoporum, dioeceses, Societates Missionales, christifideles, et non raro etiam viri non christiani, missiones adiuvarunt et adiuvant, ut earum vita et progressus possibiles evadant.

87

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Schema *de activitate missionali Ecclesiae* laudandum censeo quod spiritu vere supernaturali multis in locis imbuatur et penetretur, nec haereat in humanismo quodam naturali, vacuo aut inani, nec in mediis propagandae mere humanae, qualis exercetur a plerisque in mundo hodierno ad fines suos obtinendos. Placet in schemate quod multum efferat necessitatem precum, paenitentiarum, abnegationis in missionariis et in populo christiano, caritatis non fictae, ut vere omnes reddamus testimonio Christo. Nec semel in schemate sermo est de mysterio crucis, quod missionarios in se vivere necesse est, et ad quod praedicandum missi sunt. Missionarii enim, sicut Sanctus Paulus, praedicare debent Iesum Christum, et hunc crucifixum; et hoc non tam in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, quam in ostensione spiritus et virtutis, quae quidem sunt in verbo Dei. Sicut etiam Paulus, schema nostrum non vult evacuare crucem Christi; sed spiritu supernaturali vere permeatur, atque inde sperare licet decretum hoc conciliare suscitaturum novam in Ecclesia Pentecostem missionalem.

Quae, supernaturalia omnia, in fide fundamentum inveniunt. Et fides, sine dubio, vere cardo conversionis est, et habetur ab omnibus. Verumtamen de fide ipsa deque eius necessitate pro conversione, pauca sane aut nulla dicuntur in schemate, vel ad summum per transennam. Atqui fides, eaque dogmatica, de Deo vocante nos ad suam filiationem adoptivam atque amicitiam, necessaria omnino est, si libere nos ad Deum converti debemus.

Sermo est in n. 13 de libertate conversionis, de qua libertate constare debet. Merito quidem. Sed hic prae oculis haberi videntur quae spectant ad libertatem externam, scil., a coercitione et vi iniuste illata. Haec profecto vitari debent. Sed non ideo illegitimam habebimus pressionem quamdam psychologicam, quam in educatione familiari exercent parentes, si

de infantibus aut minorennibus agitur. Cum enim hi per se ipsi providere non valeant, indigent adiutorio parentum et magistrorum ut illustrentur mente et roborentur in voluntate; nec id, quod natura ipsa educationis et perfectionis obtinendae postulatur, existimari debet contra dignitatem hominis. Bona religiosa etiam per educationem familiarem et socialem transmittuntur.

Velim hic notare necessitatem absolutam fidei dogmaticae pro salute (de qua re, pauca in schemate) *praecise ex libertate* quam Deus vult pro adulto, ut adultus *libere* attingat Deum tanquam finem suum supernaturalem et *volens ac libere* perveniat ad consortium familiare cum Deo in terris, perficiendum post mortem in beatitudine aeterna supernaturali.

Nam in hypothesi quod debeat obtineri libere ab adulto intuitio Dei et amor amicitiae cum Eo, tunc intelligitur cur fides dogmatica omnino requiratur ad hunc finem obtinendum. Etenim, si libere quis debet tendere in Deum possidendum per visionem et amorem inde resultantem, aut quod idem est, si libere debet appetere filiationem divinam adoptivam atque amicitiam, omnino necesse est ut homo haec intelligat esse sibi possibilia et appetibilia; quod certe non cognoscet, nisi Deus revelet et ipse homo per fidem id acceptet. Unde omnino necesse est ut homo *credat caritati* Dei, ut fere ait S. Ioannes: « et nos credidimus caritati ».

Hinc Sanctus Thomas extollit necessitatem fidei praecise ad habendam caritatem, nec sufficere merum amorem naturalem Dei. Nam « caritas — ait S. Doctor — non solum significat amorem Dei, sed etiam amicitiam quamdam ad ipsum; quae quidem super amorem addit "mutuam redamationem cum quadam communicatione mutua", ut dicitur... Unde sicut aliquis non posset cum aliquo amicitiam habere, si discrederet vel desperaret se posse habere aliquam societatem vel familiarem conversationem cum ipso: ita aliquis non potest habere amicitiam ad Deum, quae est caritas, *nisi fidem habeat,* per quam credat huiusmodi societatem et conversationem hominis cum Deo, et speret se ad hanc societatem pertinere... » (1. 2, q. 65, a. 5, c.).

Ex hac ratione interna illuminatur necessitas absoluta fidei in adulto ad salutem obtinendam, scilicet, ad fruendum Deo intuitione et familiari amicitia; et praecise *ex libertate,* quam Deus vult in adulto ut haec attingat supernaturalia.

His rationibus S. Thomae puto maiore claritate apparere necessitatem fidei supernaturalis dogmaticae pro conversione. De hac autem fide dogmatica de eiusque necessitate convenienter — meo humili iudicio — abundantior sermo fieri posset in n. 13, tractando de conversione. Accedentem enim ad Deum credere oportet quod ipse est auctor huius ordinis supernaturalis et invitationis, in eoque ordine remuneraturum esse nos.

Praeterea optandum est ut in hoc eodem numero, pag. 13, linn. 6-7 deleantur verba illa... « vel artibus importunis inducatur aut alliciatur... » ad fidem amplectendam. *Ratio*: nec catholici missionarii nec christifideles artibus importunis inducere solent alios ad fidem catholicam amplectendam. Iniustum proinde videretur eiusmodi monitum a Concilio dari.

88

EXC.MUS P. D. IOANNES MORKOVSKY
Episcopus tit. Tigavitanus
coad. c.i.s. et adm. ap. Galvestoniensis-Houstoniensis

Sub n. 6, pag. 8, lin. 32: « per activitatem proprie missionalem ». Loco verbi « proprie » ponatur « speciali sensu » vel « peculiari sensu », evocando phrasim « incepta peculiaria » in principio huius periodi. Ratio est quia Ecclesia essentialiter missionalis est (cf. n. 2) et eius missio *proprie dicta* toto in orbe exercenda est.

Sub n. 14, pag. 13, lin. 20: « Christo commortui, consepulti ac conresuscitati ». Sic mutetur clausula: « Christo quoad peccatum commortui, per baptismum sicut consepulti ac ad novam vitam gratiae conresuscitati ». Ratio est quia locutio uti iacet, quamvis « initiatis » omnino clara est, extraneis praebet imaginem omnino erroneam alicuius « initiationis christianae » (cf. lin. 19).

89

EXC.MUS P. D. THOMAS VILLELMUS MURPHY
Episcopus Juazeiriensis

Schema decreti *de Missionibus* erit Magna Charta pro opere missionario in Ecclesia nostri temporis. Spiritus quo animatur hoc schema nos gaudio replet. Miramur tamen quare nonnisi paulum dicit *expresse* quoad millia illorum missionariorum qui, patria sua relicta, durissime laborant in terris dictae traditionis catholicae, quae tamen traditio propter ignorantiam, quae praesertim extremae penuriae cleri debetur, saepe paene umbram verae vitae et fidei christianae exhibet.

Non possumus consentire definitioni missionis, quae enormes angustias et necessitates magnae partis Ecclesiae ignorare videtur. Forsitan respondebitur: Schema nostrum agit nonnisi de forma operis missionarii, nempe operis apud non-christianos. Estne talis differentia inter non-baptizatos adhuc evangelizandos et multitudinem illorum christianorum, qui quidem baptizati numquam autem vere evangelizati sunt? Nemo negare potest quod etiam hi urgentissime indigent maiore numero missionariorum, qui reliquant patriam suam cum omnibus commoditatibus suis. Suntne hi vere missionarii an non? Episcopi, sacerdotes, fratres, sorores et laici, qui respondentes generose voci Ecclesiae laborant exempli gratia in diversis nationibus Americae Latinae, et quidem inter circumstantias saepe difficillimas, valde delusi erunt, si documentum tanti momenti de eis vix per transennam loquitur, immo eis ne quidem plenam functionem missionariorum agnoscit. Etiam hi in nostro documento solacium et gaudium, confortationem in vocatione et praesertim orientationem etiam pro ipsis validam invenire volunt.

Concludo (cap. I, p. 8, n. 6, lin. 30): Conceptus missionis ergo sic circumscribatur, ut omnes partes mundi ubi Christus maxime ignotus est et necessitudo Ecclesiae evangelizandi per operarios etiam aliunde advocandos maxime apparet, in opere missionario Ecclesiae includantur, utrum agatur de praedicatione inter nondum-credentes vel inter populos nominis christiani, qui penuria operariorum in vinea Domini maxime carent.

[*Subsignaverunt etiam*] J. Brandâo de Castro, ep. Propriá; B. Nolker, ep. Paranaguá; M. Anglim, prael. Coari; J. Tscherrig, ep. tit. Nefeli; J. Maurer, arch. Sucre; V. Malanczuk; J. Vanden Bosch, ep. Matadi; Fl. Coronado Romani, ep. Huancavelica; C. Faresin; M. D'Aversa; T. Ryan, prael. Santarém; H. Pinger, ep. Chowtsun; J. Gazza, ep. tit. Circensis; J. Grotti; Fr. McHugh; Severino Mariano, ep. Pesqueira; N. Elko; A. Veigle, prael. Borba; J. Pechillo, prael. Coronel Oviedo; J. Castello, ep. tit. Coma.

90

Exc.mus P. D. ALBERTUS NDONGMO

Episcopus Nkongsambensis

Schema *de activitate missionali Ecclesiae* est, uti patet, summi momenti, nam hoc schema est quasi dynamis ecclesiologiae ad mentem *Lumen Gentium*; hoc est schema de incremento extensivo Ecclesiae, illius Ecclesiae quae debet amplecti, ut ait Christus Dominus (*Mt.* 28, 19 s.), omnes gentes ubique terrarum.

Atqui, nostra opinione, hoc schema quod valde bonum est in genere, non tamen insistit satis profunde super christologico, ecclesiologico et anthropologico fundamentis activitatis missionalis. Multa argumenta militantur ut insistamus vehementer et profundius super his fundamentis.

Et primum, ut ostendatur quod in re tam magni momenti, non datur locus pro mera sensibilitate: nam non ignoramus quantum homines huius temporis abutantur sensibilitate aliorum in rebus etiam gravioribus.

Deinde, ut membra Ecclesiae (episcopi, presbyteri, religiosi, religiosae, laici) se sentiant realiter et in solidum responsabiles erga Missiones, angustiati super hoc problemate, atque effective intelligant quod debent ire ad laborandum ad incrementum extensivum Corporis Christi in regionibus non christianis.

Denique, ne materia huius schematis videatur dependere ab his diebus et ab hoc tempore, sed ut maneat normalis et logica Ecclesiae doctrina quae nunc fortasse in oblivione cadit.

Relinquens ceteris oratoribus curam de tractandis ecclesiologico et anthropologico fundamentis, ego paucissima dicam ut Patres insistant vehementer super christologico fundamento, quod est unum ex essentialibus elementis Missionum necessitatem ponentibus. Nam si bonum est quod dictum est de Christo in capite primo, paragrapho tertia, doctrina christolo-

gica in hoc loco incompleta et impraecisa manet. Etenim, Christus, Dei Filius, sumpsit humanam carnem non solum ut nos redimeret a daemonis potestate (Redemptio), sed etiam ut nos faceret filios Dei adoptivos, consortes divinae naturae, et ut omnia in se recapitularet.

Fieri filii Dei significat fieri liberi et liberati, significat se agnoscere hominem plenum in Christo: res ineffabilis! Haec notio filiationis et recapitulationis consequentias habet inauditas: racismus, tribalismus, complexus superioritatis, etc. ... disparent. Idcirco non possumus christifideles esse et manere passivi ac indifferentes erga hanc doctrinam: utpote membra Corporis Christi, tenemur omnia facere ut Corpus Christi extensive crescat et omnes homines sub caelo filii Dei fiant, ergo divinae naturae participes, atque in Christo recapitulati: haec est christologia dynamica quae compellit et incitat ad Missiones, atque essentialiter ponit necessitatem Missionum simul ac Missionariorum spiritualitatem.

Conclusio. Ergo postulamus ut in hoc capite primo, paragrapho tertia, clare et expresse dicatur quod « Christus, cuius Missioni participare debemus, carnem sumpsit non solum ut nos redimeret, sed etiam ut nos filios Dei adoptivos, divinae naturae consortes, et ut omnia in se recapitularet ».

91

EXC.MUS P. D. SIMON HOA NGUYEN VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Textus reemendatus nobis melius placet quia magis est completum et incarnatum. Mihi liceat aliquas observationes adiungere.

I. Cap I, n. 6: *De activitate missionali.* Schema bene determinat notionem Missionis in sensu traditionali, eam restringendo ad populos vel coetus nondum credentes, in certis territoriis a S. Sede agnitis. Item affirmatur activitatem missionalem ubique et in omni conditione, licet non eodem pro rerum conditione modo exerceri (pag. 7, linn. 40-41).

Inter varias conditiones quae a populis vel coetibus dependent, annumerentur aliae quae merentur maiorem Ecclesiae attentionem in suis activitatibus, ut urgentior necessitas in ordine ad salutem, melior animorum dispositio, numerus et qualitas conversorum, foecunditas vocationum religiosarum, operariorum penuria, antiquior cultura, etc.

a) *Urgentior necessitas*: Caritas licet ad universos extenditur, quemdam tamen in executione ordinem exigit. Ita Christus prius pauperes evangelizavit. Populi qui in umbra mortis sedentes, Christum nunquam audierunt, etiamsi in divitiis abundent, attentionem Ecclesiae magis merentur quam ii qui inter christianos viventes, indifferentismum religiosum habent.

b) *Promptior animi dispositio.* Alii populi, Deo sic praedisponente, sunt magis dispositi ad recipiendum vitalem nuntium, dum alii a pluribus

saeculis refractarii, aliam quam traditionalem religionem admittere nolunt. Ad hoc allusionem fecit Paulus cum dicit: « Quoniam repellitis illud (verbum) et indignos vos iudicatis vitae aeternae, ecce convertimur ad gentes » (*Act.* 13, 46).

c) *Numerus et qualitas conversorum.* « Spiritus ubi vult, spirat ». Signa tangibilia Spiritus sunt conversiones solidae ac persecutionibus probatae. Ecclesiae est Eum obsecrare, non contraire. At ubi Spiritus sese manifestat, nostrum est Eum sequi Eiusque opus obsecundare. Necesse est Ecclesiam esse praesentem ubi adest anima salvanda, attamen magis logicum videtur maiorem nisum missionalem faciendum ubi uberiores fructus evangelisationis producuntur; timendum est enim cum Augustino ne Christus transiens non redeat.

d) *Foecunditas vocationum religiosarum.* Vita religiosa « lucide manifestat et significat intimam vocationis christianae naturam » (pag. 16, lin. 34). Ubi numerosae sunt vocationes religiosae, ad eas rite ac solide formandas, multae domus condantur et eae quae zelo missionario sunt plenae, in alias regiones mittantur; ita unius abundantia aliorum inopiam supplet (2 *Cor.* 8, 14).

e) *Operariorum penuria.* Cum Evangelii operarii pauciores sunt, quaedam aequitas in eorum repartitione observanda est, secundum criteria praecitata. Prioritas ne detur iuxta quamdam sensibilem affinitatem vel antiquam traditionem; Sanctae Sedi cui tradita est missio evangelizandi universum mundum, est de ea iudicare secundum necessitates actuales.

f) *Antiquitas culturae.* Populi quorum cultura est antiqua et profunda, post conversionem, afferre poterunt Ecclesiae suam partem in elucidanda doctrina christiana, in communicanda fide, in augenda pulchritudine vineae Domini. Hi populi postquam imbuti fuerunt principiis evangelicis, non parum contribuent in communitate hominum aedificanda et in pace mundi construenda.

Optandum est ut in pag. 8, post verba « quibus substantia eorum in catholicam plenitudinem assumitur », lin. 13, addantur haec verba vel alia similia: « Activitas missionalis magis urgetur in regionibus ubi reperiuntur maior necessitas, melior animorum dispositio, foecundior numerus conversorum et vocationum, antiquior cultura ».

II. Cap. II. Art. II, n. 14, pag. 13. Optima dicta sunt de catechumenatu quo neo-conversi initientur ad vitam vere christianam ducendam antequam baptismo intinguntur.

In hac praxi, apud nos, munus patrini est magni momenti. Nam catechumeni, non solum a catechistis et sacerdotibus instruuntur, sed etiam fideles qui munus patrini accipiunt, et non parum adiuvant filios spirituales, exemplo, opere, verbo, adiutorio etiam materiali ante et post baptismum: cognitionem spiritualem in baptismo contrahentes, patrini suum munus serio assumentes, adoptatos per totam vitam sequuntur, eisque modum christiane

vivendi, eos contra detractores defendunt, in necessitate succurrunt, male agentes corripiunt. Ex parte sua, filii spirituales erga patrinos reverentiam ac gratitudinem demonstrant, et cum alios in fonte baptismali suscipiunt, erga adoptatos eodem modo se gerunt.

Optandum est ergo ut aliquid de hoc munere tam benefico resuscitando dicatur.

III. Cap. V. *De cooperatione.* N. 39, pag. 27. Missionale officium laicorum. Mihi liceat aliquid referre de modo invitandi omnes fideles ad actionem missionalem. Cum christianae familiae in medio paganorum vivunt et sunt in minoritate, quaequae familia invitatur ut familiam paganam coram Deo adoptet. Haec adoptio exercetur in offerendo quotidie aliquod pietatis opus ut assistentiam missae, recitationem Rosarii pro conversione alterius familiae et in faciendo aliquam bonam actionem in favorem eiusdem, ut amabilem dialogum, salutationem, servitium, etc.

Utilitas talium operum magna est utrique: pars enim adoptans pro parte sibi cognita et libere electa intentionem et intensitatem actionis bonae facilius intensificat, pars autem adoptata caritatem alterius ob contactuum frequentiam percipiens tandem aliquando, gratia Dei movente, amicaliter allecta, de vita christianorum et religione, bene disposita, conversationem incipiet.

Ipsi laici adoptantes veri catechistae efficiuntur, dum vita, exemplo, verbo et adiutorio suo, sunt efficaces adiutores sacerdotum in praeparatione neoconversorum.

Post baptismum vero, pars adoptans opus incoeptum continuabit usque dum pars adoptata suo tempore novas familias alias ipsa adoptaverit.

Ad hanc adoptionem exercendam, pueri et iuvenes ardoribus pleni, sunt valde propensi, ideoque tum in familia, tum in scholis, tum in associationibus utiliter propagatur. In voto mihi est ut in n. 39, pag. 27, lin. 34, post verba: « in scholis excitando », addatur « non credentes spiritualiter adoptando », vel alia similia.

IV. *De quibusdam citationibus vel referentiis S. Scripturae.* 1. Pag. 7, lin. 12, supprimatur referentia ad *Act.* 26, 28: non enim est ad rem.

2. Pag. 7, lin. 14, deleantur verba « Qui omnia creavit ». Haec incisio est repetitio rei immediate affirmatae: « per quem fecit et saecula ». Immo videtur non concordare cum stylo scripturistico, qui habitualiter creationem ad Patrem refert, non Filio (cf. *Io.* 1, 3; *1 Cor.* 8, 6; *Col.* 1, 16; *Hebr.* 1, 2, ...). Item sacra Liturgia: « Per quem haec omnia... bona creas... ». In textu citato (*Eph.* 1, 10) subiectum est Pater, non Filius, nec habetur « denuo ».

3. Pag. 7, lin. 28, deleatur referentia ad *Hebr.* 9, 28: ibi agitur de Christo glorificato, non incarnato. Melius esset ref. ad *2 Cor.* 5, 21.

V. *De quibusdam expressionibus.* N. 7, pag. 9, linn. 31, 32. Ob maiorem textus claritatem, proponere audeo ut dicatur: « Ut hoc propositum Dei ad

effectum deducatur, activitas missionalis Ecclesiae absolute necessaria dicenda est ».

Cap. II, n. 10, pag. 11, lin. 7. Loco « alii vero notitiae ipsius Dei extranei manent », melius esset ut dicatur: « alii autem notitiae veri Dei extranei manent ». Ratio est quia apud populos non christianos adhuc viget fortiter sensus « Sacri » quo agnoscunt praeter mundum humanum, existere alium vel alios mundos suprahumanos, qui possunt intervenire in vita humana. Hic sensus denotat fidem in numen superius quod licet confuso modo, identificari posset cum divinitate, iuxta sensum philosophicum.

VI. *De obligatione mali vitandi.* Parentum est, in educatione, filiis indicare bonum ut faciant et malum ut vitent. Ecclesia, populi Dei Mater et Magistra debet in educatione christiana, fidelibus illud facere et hoc non omittere. Christus ipse et apostoli idem fecerunt. In nostro schemate, mihi videtur Concilium oportere, in suo pastorali munere, non solum bonum monstrare, sed etiam aliqua mala vitanda indicare quae maxime suis filiis nocere possint, ut ignorantiam religiosam, odium et vindictam et praesertim communismum atheum.

a) Ignorantia religiosa est causa fere omnis apostasiae, vel indifferentismi: Deus Pater saepe reducitur ad modum et mensuram humanam, tamquam famulum potentem, promptum ad exsequendos ordines hominum, ideoque reiiciendus est cum invocantem non exaudit.

b) Odium et vindicta. Vera caritas est virtus germane christiana et exsecutione difficillima, ideoque inde ab initio conversionis, necesse est ut illa inculcetur profunde in cordibus ut omnia odia et vindictae omnimode eradicentur.

c) Communismus est maximus omnium inimicorum nominis christiani. Etenim Deum destruit in quantum potest et omnibus modis perniciosis et larvatis, odium inter fratres excitat, dignitatem humanam inhumane calpestat, divisionem inter hierarchiam et fideles suscitat, omnes res sacras denigrat. Quot christifideles et homines bonae voluntatis in eius laqueos inciderunt!

Magno in voto est ut in schemate de his malis clare indigitetur ut omnes maiori cum cautela ab eis caveant. Nonne stradalis politia ita facit, indicativas tabulas in locis periculosis ponentes ut vehiculae et pedibus incedentes caute procedant in via?

92

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Circa singula capita schematis decreti *de activitate missionali in Ecclesia,* quod puto omnino laudandum, cum praebeat fundamenta doctrinalia, quae activitati missionali Ecclesiae subsunt, et de opere missionali ordinate et

complete tractet, aliqua tantum animadvertenda censeo ad schema ipsum clarificandum et perficiendum. Liceat ergo mihi ea quae sequuntur adnotare.

1. In cap. I, a n. 2 ad n. 5, textus concisiori forma redigendus esset. Sunt utique, ea quae dicuntur, vera et pertinentia. Si tamen decretum hoc, uti omnia documenta conciliaria, in contextu totius Concilii consideratur, aliqua supervacanea et redundantia apparent. Hac sane ratione existimo concisiorem formam esse adhibendam.

2. In cap. II, nn. 11-12, agitur de dialogo cum non christianis et de praesentia caritatis uti de praeambulis evangelizationis. Et sunt quidem. Absque ullo dubio activitas missionalis ad Evangelium omnibus gentibus praedicandum hodie moveri debet in ambitu humanarum relationem christianos inter et omnes homines, omnes populos, omnes culturas et religiones, in sincera aestimatione personae humanae eiusque manifestationum et debita reverentia habita pro vestigiis et nucleis veritatis, ubicumque sint, quae certo Summae et Aeternae Veritati testimonium reddunt. Hoc nihilominus significare non potest praeambula illa semper et ubique praecedere et praeparare debere evangelizationem. Habent ergo valorem generalem, qui respicit sive praesentiam actuosam christianorum in mundo sive opus evangelizationis in tota sua amplitudine spectatum. Praeterea, cum relationes christianorum cum non christianis per se ad evangelizationem non ordinentur, quamvis finis ultimus christianorum operum missionarius et apostolicus sit; ad necessariam ipsarum relationum libertatem affirmandam et ad operis evangelizationis, ex alia parte, pariter necessariam libertatem tuendam, opportunum erit declarare dialogum et praesentiam ius et officium esse christianorum quin eo ipso responsabilitas Ecclesiae implicetur.

3. Quae in eodem cap. II, n. 15, linn. 11-12, per incisum dicuntur, quod est: (fidelium congregatio) « divitiis culturae propriae gentis praedita », amplius et clarius veniunt hic affirmanda. Puto enim quod omnibus hodie persuasum sit opus missionale, sive quoad methodologiam sive quoad ipsam Evangelii praesentationem, ad divitias culturae uniuscuiusque gentis maxime attendere debere ne iis, qui ad Evangelium vocantur, non necessaria imponantur et quasi extra vel quandoque contra legitimos sui populi mores et traditiones ponantur. Quamvis hoc clare affirmetur cum, in cap. III, de formatione spirituali et morali necnon doctrinali missionariorum agitur (nn. 23-24), opportunum puto et hic explicitius esse dicendum, non tantum per incisum.

4. In cap. III, n. 21, legitur: « Quare per Spiritum Sanctum, qui charismata prout vult ad utilitatem dividit, *peculiarem* vocationem missionariam in cordibus singulorum inspirat etc. ». Ita videtur quod quaestio tangatur utrum inter vocationem sacerdotalem et vocationem missionariam existat specifica differentia et aliquomodo detur solutio, quod hic neque necessarium neque opportunum est. Ergo, meo iudicio, loco « peculiarem vocationem missionariam » melius est dicere: « vocationem missionariam ».

5. Cum in cap. IV agitur de ordinatione activitatis missionalis, nescio utrum Concilium determinare possit, uti in n. 27 habetur, praesertim vero

post constitutam Synodum Episcoporum, quid coetus seu Consilium Centrale Summi Pontificis tractare debeat. Posset ergo affirmari curam Evangelium ubique terrarum annuntiandi ad corpus Episcoporum pertinere et *optare* quod Episcoporum Synodus possit activitatis missionalis specialem rationem habere.

Quae autem de constitutione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide dicuntur certo actuali compositioni Dicasteriorum Romanae Curiae non respondent. Nescimus ceterum quaenam erit Curiae reformatio. Quae ergo habentur a linn. 17-22 pag. 22: « Hoc dicasterium constituatur membris selectis ex omnibus illis qui in opere missionali collaborant etc. » vel auferenda vel modificanda videntur.

6. Non videtur denique ordinem, quem cap. V sequitur in missionalibus officiis enumerandis, plene manifestum facere officium primarium missionale in Ecclesia sive collegii episcoporum sive singulorum episcoporum. Cum mandatum praedicandi Evangelium omni creaturae apostolis eorumque successoribus a Christo Domino commissum fuerit, hoc affirmandum esset iam in introductione cap. V, ubi dicitur totam Ecclesiam missionariam esse et opus evangelizationis officium esse Populi Dei fundamentale. Ergo post « fundamentale », in lin. 8 pag. 24, addi possit: « sub ductu Pastorum, quibus mandatum praedicandi Evangelium omni creaturae a Christo commissum fuit ».

93

Rev.mus P. D. DAMIANUS NICOLAU ROIG
Praelatus nullius Huamacucianus

In lin. 31 n. 6 dicitur nuncupari missiones incepta peculiaria quibus Ecclesia munus penetrationis christianae erga populos vel coetus *nondum credentes* exequitur ...

In lin. 35 « apud gentes in quibus *nondum radicata* est ».

Sunt in America Latina praelaturae nullius in quibus certe factum est id quod in lin. 8, eiusdem numeri dicitur: « Immo quandoque, post feliciter inchoatam progressionem regressum iterum deplorare cogitur ».

Haec ultima verba, regionibus, quibus nonnullae praelaturae recenter creatae constant, plene applicari possunt.

Certe qui populos harum praelaturarum visitet, templa multa contemplans, florentem ibi religionem iudicabit. At, proh dolor: non ita est.

Ex illa antiquitus florente Ecclesia nihil nisi templa clausa vel diruta remanent.

Nulla omnino fides de veritatibus revelatis invenitur. Nihil sciunt neque ideo credunt de gratia, de sacramentis, de confessione, de Eucharistia, de matrimonio, de Trinitate; « neque si Spiritus Sanctus est » sciunt.

Id unum credunt, se esse catholicos. Unum faciunt: Filios baptizari curant. Nihil amplius.

Si baptismum desiderant pro filiis suis, superstitione quadam usque nunc movebantur: ne fulgura ipsis noceant. Nihil noverunt de gratia baptismi; nullam orationem recitare valent; neque signum crucis facere sciunt.

Ideo quaero: Potestne dici ibi Ecclesiam radicatam esse?

Praeterea, istae regiones ideo derelictae fuerunt quia pauperrimae sunt, sine communicationibus, sine illis vitae mediis quae alibi abundant. Generatim incolae non sunt propietarii sed tantum conductores parvae terrae portionis.

Quae cum ita sint, praelaturae istae, *de facto,* vere missionalia, non autem *de iure* ita considerantur.

Ideo nihil erat pro istis praelaturis de magna collecta quae ubique terrarum quolibet anno fit pro Missionibus.

Vellem ergo ut praelaturae quae sunt in America Latina uti Missionales declarentur vel saltem ut ipsis collectae pro Missionibus pars aliqua quotannis concedatur secus doctrina Concilii praxi Ecclesiae non conformis apparebit.

* * *

Quaestio utrum Praelaturae quae sunt in America Latina missiones dici possint necne, non a Concilio sed a S. C. de Propaganda Fide cum S. C. Consistoriali solvenda videtur.

Nunc ad S. C. Consistorialem pertinent quia ex parte alicuius Dioeceseos factae fuerunt.

S. Congregationem De Propaganda Fide has Praelaturas ut terram Missionum adoptare posse indubium est nam conditiones definitionis missionis quae in n. 6 schematis de activitate missionali, linn. 30 et ss., datur, in huiusmodi Praelaturis inveniri fatendum est.

In loco citato missiones nuncupantur « incepta peculiaria quibus Ecclesia munus penetrationis christianae erga populos vel coetus *nondum credentes* exequitur ».

Atqui incolae praelaturarum Americae Latinae generatim *non credentes* sunt. (Loquor praesertim de praelaturis quae sunt in Peruvia).

Verum est fere omnes incolas earum regionum baptismum in infantia recepisse, sed, cum nullam omnino de doctrina christiana instructionem habuerint, nihil de ea cognoscunt, nihil credunt.

Si baptismum pro filiis petere solent, idea moventur prorsus singulari, scilicet ne fulgura ipsis noceant. Nihil de gratia sanctificante, de peccato originali, de sacramentis confirmationis, poenitentiae, eucharistiae, matrimonii et sic de ceteris noverunt.

Explicatio tantae ignorantiae haec esse videtur. Scholae recentissime creatae sunt et neque litteras neque doctrinam christianam antea discere poterant.

Praeterea, per longissima tempora, propter sacerdotum penuriam, communicationum defectum et earumdem regionum paupertatem, populi isti practice derelicti manserunt. Si aliquando aliquis sacerdos eos visitabat, quod

quam rarissime fiebat, fere totum tempus in pueris baptizandis insumere solebant.

Ceterum nobis plane compertum est morem illis gentibus fuisse ut sacerdotem pro pueris baptizandis tantum adirent, numquam pro missa audienda, quam uti rem illius qui eleemosynam pro ea celebranda dederat considerabant et ita sacerdotes sine auditorio inveniebantur.

Alia ratio haec est quod sacerdotes populos invisere solerent diebus tantum festi patronalis in quibus ludi, choreae et alia oblectamenta erant quae gentem totam in se convertere solent.

Nec illud praetereundum est quod sacerdotes plerumque, debitae formationis carentes, per dies visitationis inebriabantur.

Adde quod eos ut patres filiorum, quos hic et illic genuerant, populi omnino noverant, quod certe eos a sacerdotibus audiendis non parum avertebat.

Quae cum ita sint, in veritate esse videntur illi qui huiusmodi praelaturas terram missionis esse defendunt, nam de facto *non credentes* sunt.

At cum schema *de activitate missionali,* lin. 21 n. 6, dicat: « Ecclesiae tunc est iudicare utrum hae conditiones activitatem eius missionalem denuo requirant », credo nihil esse in schemate, quoad hoc, inmutandum aut addendum.

Quaestio ergo de praelaturis Americae Latinae, utrum missiones sint necne, a S. C. de Propaganda Fide una cum S. C. Consistoriali solvenda videtur.

De facto, quod certe praetereundum non est, S. C. de Propaganda Fide, easdem praelaturas aliquomodo iam adoptavit, nam et ipsis subsidium quotannis dandum statuit.

94

Exc.mus P. D. PETRUS CAELESTINUS NKOU
Episcopus Sangmelimaensis

Vellem brevissimam animadversionem de oecumenismo in nostro schemate facere.

Schema placet. Et gaudeo quod illud, quamvis quasi casu et per transennam, bis in cap. II mentionem de oecumenismo facit. Attamen haec mentio non adhuc sufficit.

Etenim, secundum non-christianorum (sive paganorum sive non-credentium) sententiam, et quidem rectam sententiam, unum ex maioribus scandalis, — et potest etiam dici maximum scandalum —, quod illis christiani praebent; unum e potentioribus obstaculis quae evangelizationi opponuntur, non videtur esse tam fames, nec morbi, nec analphabetismus, — quae tamen gravia sunt obstacula —, nec etiam, sub respectu proprie christiano, difficultas credendi et secundum fidem christianam vivendi: sed potius intima et etiam publica divisio discipulorum Christi.

Hac dolenda christianorum divisione, privantur pagani et non-credentes illa praeclara luce unitatis, qua veritas christiana praefulgere deberet. Et pro ipsis paganis enim, veritas una et unica esse debet. A fortiori signo unitatis quasi circumfulgi in evangelizando deberet illa veritas Christi (« ut unum sint, ut credat mundus » ...), cum illa veritas Christi sit revelatio unius Patris, unius Filii, uniusque Spiritus Sancti necnon et unius Ecclesiae Christi. Dissensiones ergo nostrae in credendo, veritatem cuius testi sumus profitendo, graviter offendunt.

Ideoque omnia conamina ad tollendum hoc obstaculum in percipienda catholicitate veritatis Christi; omnia conamina ad restaurandam unitatem omnium christianorum, non solum cum doctrina Christi componunt, sed etiam ab Ipso Christo explicite requiruntur et a corde suo quodammodo promanant: « Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint ... ut credat mundus quia tu me misisti » (*Io.* 17, 20-21). Quo verius una fit Ecclesia, eo melius annuntiatur Evangelium. Si ergo « Unitatis redintegratio inter universos Christianos promovenda unum est ex praecipuis Sacrae Oecumenicae Synodi Vaticanae II propositis » (Decretum *de Oecumenismo,* 1), labor oecumenicus eadem necessitate gaudet ac labor evangelizationis vel Ecclesiae Missionariae.

Quis ergo posset dicere aut etiam cogitare activitatem oecumenicam necessariam esse tantum regionibus dilaceratis saecularibus et diuturnis, dissentionibus religiosis, aliis autem regionibus aut secundariam et quodam modo obsoletam vel artificialem esse? E contra nemo officio missionali vere et profunde fungi potest quin etiam signum unitatis praebere studeat. Deficiente enim illo signo unitatis efficacitas veritatis quasi morbo laetali afficitur. Oecumenismus ergo non est quid accidentale, nec autem theoreticum, sed pertinet ad medullas ipsius activitatis missionalis ubique terrarum.

Hic aspectus, essentialis quidem, non sufficienter a nostro schemate tangitur. Secundum doctrinam decreti *de Oecumenismo* in claram lucem poni debet, in primo capite, inter principia doctrinalia activitatis missionalis, et fortasse in quinta paragrapho quae tractat de missione Ecclesiae. Quae quidem paragraphus, sicut a multis iam dictum est, penitus recognosci debet etiam respectu exigentiarum Oecumenismi.

95

Exc.mus P. D. ADOLFUS ALEXANDER NOSER

Episcopus tit. Hierpinianensis, vic. ap. Portus Alexii

Schema *de activitate missionali Ecclesiae* valde placet. Unam tantum emendationem proponere volo (salvo semper meliori iudicio). Agitur de cap. V, de Cooperatione. Expresse dicitur « gravissimam » (esse) penuriam sacerdotum qua evangelizatio multarum regionum impeditur » (pag. 25, n. 36, lin. 42). Insuper, in singulis numeris est sermo de oratione et de vocationibus excitan-

dis. Sic: n. 34, linn. 25-27; n. 35, lin. 8; n. 36, linn. 30-31; n. 37, lin. 28; n. 38, linn. 6-9; n. 39, lin. 33 (et linn. 17-20). In his omnibus autem potius agitur de mediis humanis adhibendis ad vocationes excitandas, etsi mentio orationis fit quasi transeunter.

Sed « cum Deus sit qui rogatus mittit operarios in messem suam » (pag. 27, n. 38, lin. 8) agnoscendum est vocationes esse ex maxima parte donum Dei. Unde legimus quod Iesus, misertus turbis, dicens discipulis suis: « Messis quidem multa, operarii autem pauci », non statim exhortatus est: « Ite, colligite messem », vel « Quaerite operarios » sed simpliciter « Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam » (*Mt.* 9, 36-38).

Unde primo loco Dominum messis exorandum est ut ipse mittat operarios, i. e. dat vocationes missionarias, ut tollatur ista « gravissima penuria ». Ipse qui dixit: « Rogate Dominum messis » etiam promisit: « Omnis qui petit, accipit: et qui quaerit, invenit: et pulsanti aperietur » (*Mt.* 7, 8).

Unde bonum videtur exhortari omnes fideles ad istam cooperationem maximi momenti ad vocationes missionarias impetrandas. Proinde, propono ut in « Introductio » post lineam 6, addatur brevis paragraphus ad hunc finem, sic vel similiter:

Cum autem Dominus Iesus, misertus turbis, non est exhortatus apostolis ad strenue laborandum, ad evangelizandum, sed potius ad rogandum « dominum messis ut operarios mitteret in messem suam » Sacrosancta Synodus miserta immensa multitudine gentium adhuc in tenebris et umbra mortis sedentium propter paucitatem missionariorum, enixe exorat omnes fideles ut instanter et perseveranter cum fiducia preces fundant, tum publice (Oratio Communis) et privatim ut Dominus messis mittat operarios in messem suam « quia albae sunt iam ad messem » (*Io.* 4, 35).

96

EXC.MUS P. D. GODEFRIDUS OKOYE
Episcopus Portus Harcurtensis

On the whole this schema merits praise. But in my humble opinion there are some defects that need to be corrected.

In the first place, as Bishop Nagae pointed out, the schema speaks almost exclusively from the point of view of the missionaries and their own home Churches and Institutes, to the neglect of the points of view of the local clergy and the new members of the Church that are converted by the activity of the missionaries. These relatively new members of the Church must be made to realise that now as members of the "populus Dei" they must play their full part, each according to his state in life, in the work of the Church, that being converted they must convert their brethren, that they are as full members of the Church as the missionaries that converted them,

that the Catholic Church belongs equally to them as it belongs to the missionaries. This is necessary in order to remove the false impression often created by which the Church is looked upon as an *imported religion,* the *"white man's religion",* or, as the communists term it, *"another arm of imperialism"* or *"agent of imperialism".*

Therefore a paragraph, or even a whole chapter should be added to show the new converts that the Catholic Church belongs to them and to their country just as it belongs to the missionaries and their homeland. In other words, they must be convinced that the Catholic Church is just as "native" in the country of the converts as it is in Rome, or Paris, etc. It should not therefore be looked upon as a *"foreign religion",* as many often call it.

The text for this reason should stress the formation of local clergy as the *most urgent and primary duty* of the missionary. The missionary Institutes therefore should devote more attention to finding vocations in the mission territories themselves than they do to finding them in their homelands. The question of the local clergy is *a prime necessity* in the missions especially today when practically all the mission lands are becoming politically independent. It is the local clergy that can best deal with their home governments. They it is that can best understand their people and, all else being equal, best convert their own people and do pastoral work among them and consolidate the work of the missionaries.

The schema should at this point refer to the directives of the Popes and the Sacred Congr. de Prop. Fide which repeatedly recommend that suitable local priests should be given posts of responsibility. Again this is of vital importance in the mission countries today where the new governments generally look upon the missionaries with suspicion, and, in some places, with downright hostility, as the missionaries know very well from experience. The answer then is to place the local clergy or laymen in the front line while the missionaries help from behind. Such a step will give the lie to the false propaganda which the communists are spreading directly or indirectly against the missionaries in these new emergent countries today.

A word of advice to the individual missionary may also be in order here. He should be very supernatural in his outlook and very selfless in his motives and actions, so that he may not mar the very good work he has done; so that he may not be building with one hand and pulling down with the other. He should be particularly careful in the matter of racial discrimination. The least manifestation of this, especially today when people are so conscious of the dignity of the human person and of the equality of all men as men, will mar a whole piece of good work done with the utmost heroism. This will even turn souls away from Christ. On the other hand, one act of the charity of Christ *in practice* is worth more than a hundred sermons on the subject without practice. The people must be able to see Christ in the missionary who preaches Christ. The missionary by his actions will either draw the people to Christ or else repel them from Him.

Another great reason for the urgency in the proper formation of local priests is the question of liturgical adaptation. It goes without saying that this can first be done by the local clergy themselves. Therefore instead of the missionary Institutes trying to train all « experts » from their homelands to work in the missions, let them where possible choose suitable local priests and give them the necessary training, for example, in music, in catechetics, in moral theology, etc. With the background knowledge of their own local traditions, customs, music, language, and their own people, these local priests will certainly know better than the missionary priests what types of their local music, etc. are to be adopted or adapted into the service of the Church.

What is said here about the *urgency* of forming local clergy holds good also about the question of the establishment of the Religious Life. The sooner the people have their own priests, their own brothers and sisters, the better for the Church in that country. This is the teaching of the Popes, but it must be admitted that it has not always been given the attention it deserves and that the Church has suffered and is still suffering in many places as a consequence. Therefore let this S. Synod point out emphatically here in this schema on the missions that this is *the most urgent and primary duty* of the missionaries and missionary Institutes.

97

EXC.MUS P. D. MICHAEL OLÇOMENDY
Archiepiscopus Malacensis-Singaporensis

1. Textus nimis abstractus est et caret vigore et dynamismo.

2. Textus S. Scripturae raro citantur; referentia tantum fit et sensus datur.

Textus Scripturae, speciatim verba Christi, specialem virtutem et gratiam habent. Ergo cur citentur ipsi textus S. Scripturae sicut factum est in schematibus *de Ecclesia, de accommodata renovatione vitae religiosae* et *de ministerio et vita presbyterorum*; sicut factum est in schemate *de apostolatu laicorum*.

3. Ad n. 7, cap. I. *a*) Primo dicatur necessitas evangelizationis vel activitatis missionalis, antequam mentio fiat de salute eorum qui salvari possunt « etiamsi Evangelium non audierint ».

b) Affirmetur clare et fortiter necessitas fidei, ergo praedicationis directae, ad salutem. Iuxta S. Scripturam: « Haec est vita aeterna, ut cognoscant Te, Pater, et quem misisti Filium tuum ». S. Paulus (*Rom.* 10, 9-10): « quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris... ». « Quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo autem invocabunt in quem non

crediderunt? aut quomodo credent in quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est: quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bonum... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei ».

« Praedicate Evangelium omni creaturae ».

« Ite et docete omnes gentes... qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui non crediderit, condemnabitur ».

S. Paulus: « Vae mihi si non evangelizavero » (*1 Cor.* 9, 16).

Hoc faciendum est ab Ecclesia usque ad totam conversionem mundi. « Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen sub caelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri » (*Act.* 4, 12).

4. Actio missionalis urgens est. Multitudo infidelium de die in diem auget. Nunc 2.000.000 hominum non cognoscunt salvatorem Iesum Christum.

5. Ad n. 14 cap. I. Non videtur imponenda mora ante admissionem in catechumenatum et ut habeant prius fidem; sed sunt admittendi quando serio hoc postulant. Debent cognoscere veritates de Christo, de eius vita et doctrina ut possint credere.

6. De Missionariis. Mentio specialis fiat de sororibus, fratribus et laicis qui tam preciosam et indispensabilem auxilium missionibus praestant.

7. N. 21. Dicendum est in aliqua paragrapho de obligatione pro sacerdotibus et religiosis autochtonis strenue laborandi ad evangelizationem infidelium nationis suae.

8. Ad n. 16, ubi fit sermo de clero locali, non est mentio seminariorum et noviciatuum. Dicatur clare de obligatione gravi 1) pro episcopis habendi in territorio suo seminarium saltem minus et regionale ad promovendum vocationes sacerdotales autochtonas; 2) pro superioribus religiosorum creandi novitiatus pro formatione religiosorum et religiosarum ex ipsa dioecesi.

98

REV.MUS P. D. IANUARIUS PAULUS PALATHURUTHIL
Ordinarius praelaturae Chandaensis

Liceat mihi de art. 2 cap. II duas animadversiones facere:

1. Videtur momentum annuntiationis Christi, de qua lin. 1 par. 13 loquitur, multo magis sublineari debere.

Credo ad apostolatum inter non-christianos summopere conferre diffusio cognitionis Christi historici. Dico historicum, sensu hodiernae theologiae biblicae: facta et dicta Christi, ut apostoli ea, in luce resurrectionis, nuntiaverunt, et in Evangeliis continentur.

Experientia docet haec in non-christianos profundam impressionem defigere. In eo inveniunt solatium, inspirationem ad altissima humana idealia, normam quae vitam socialem regere debet, nempe actuosa caritas. Omnes

enim homines, sive culti sive rudi, in Chistum historicum sic praesentatum personalem accessum facilius invenire possunt.

In schemate *de divina revelatione* praeclara dicta sunt de Sacra Scriptura linguis modernis spargenda. Quae per prius de christianis dicta videntur, non minus de non-christianis valent. Impense ergo curemus ut praesertim Evangelia, in quam plurimis linguis translata, inter eos uberius devulgentur. Sane hoc aliquatenus fit, sed multo amplius fieri deberet. Quanta pecunia operibus, utilibus quidem, apostolatus indirecti impenditur. Quam parum, comparative sumptum, tribuitur huic apostolatui quam maxime directo!

Oportet tota missio una quasi obsessione penetretur: Christus! Nos repetemus cum Paulo: « Non iudicavi me scire aliud inter vos nisi Iesum Christum ».

Hoc spiritu imbuti, missionarii novo ardore et efficacia in evangelizatione adlaborabunt. Saepe variis operibus obruti, ad extra impressionem dant systema quoddam valde complicatum repraesentandi. Si nil aliud sciunt nisi Christum, hoc in totum opus missionale sanam simplificationem inducet et proinde maiorem dynamismum.

2. Secunda animadversio est intime connexa cum priori. Existunt in multis regionibus missionum nonnulli homines qui iam Christum noverunt et erga eius Personam et doctrinam, immo erga Ecclesiam sympathiam et reverentiam sentiunt, quin tamen se communitati christianae formaliter adiungere velint. Atqui hanc partem iam praeevangelizatam gregis Christi quasi ignorare videmur. Non datur in terminologia iuridica vel liturgica verbum ad eos designandos. Baptismate aggregatos vocamus christifideles, initiatos vero catechumenos, et quomodo vocabimus hanc extensionem Ecclesiae: sympathisantes et Christi admiratores?

Expedit ut eorum specialem curam habeamus. Non tantum quia oportet, sit venia verbo, de "public relations" Ecclesiae curare. Non tantum, etsi iam maioris momenti est, quia per mediationem eorum, facilius Ecclesia collaborationem, in dies magis necessariam, cum coetibus hominum bonae voluntatis instituere potest: sed quia iam quodammodo Christi sunt.

Utique quandoque inspirantur mentalitate quam reprobamus, ut fit apud hinduistas qui syncretismo indulgent. Sed si Christus dicere potuit: « qui non est adversum nos, pro nobis est », a fortiori pro Christo est qui eum admiratur et honorat.

Ideoque formae aptae quaerantur, quibus sympathisantes illi Ecclesiae sociantur, ad quorum actualem et visibilem participationem in vitam Ecclesiae, gratia Christi peractam, nos constanter laboramus et patienter expectamus.

Sic peculiaris erga eos responsabilitas pastorum et fidelium fovebitur. Et etiam maiore acuitate ponetur quaestio: cur hi homines, qui, Christum admirantur et imitantur, non possunt adduci ad Christi Ecclesiam? Huius dolendi phaenomeni profunda investigatio fieri oportet. Sane pro bona parte ipsis non-christianis debetur, eorum prae-conceptionibus et pressioni sociali.

Etiam imperfectiones humanae membrorum communitatis christianae eam haud raro minus attractivam reddunt. Debetne autem hic investigatio sistere? Quomodo iudicandum de ipso nostro systemate rituum et consuetudinum, de praesentatione culturali christianismi?

Sane utopicum est ad simplicitatem Ecclesiae primitivae redire velle. Ecclesia historiam habet cui renuntiare non potest. Sed si unice de Christo plene communicando solliciti simus, quanto facilior fieret simplificatio et adaptatio et absorptio culturarum in Christum de quibus in sequentibus paginis huius schematis feliciter saepe loquitur.

Conclusio. 1. Magis convenit huic documento ut mentio fiat de necessitate Christum historicum annuntiandi per uberiorem diffusionem Evangeliorum inter non-christianos in linguis regionalibus.

2. Idem dicendum de aliis publicationibus eiusdem tenoris.

3. Quaedam vera et efficax coordinatio et proportio indicetur inter annuntiationem Christi directam et indirectam.

4. Instituatur quoddam vinculum permanens inter Ecclesiam et non-christianos Sacras Scripturas legentes et amantes.

99

Exc.mus P. D. EDMUNDUS PEIRIS
Episcopus Chilavensis

Schema hoc mihi placet. Multa enim utilissima maxime praeconibus Evangelii in breve contracta hic inveniuntur. Attamen, ut habitudo Ecclesiae ad culturam vel litteras moresque non-christianorum imprimis in activitate sua missionali clarius efficaciusque evadat et crimen simulationis identidem ab inimicis nostris assignatum de medio tollatur, quaedam hic dicere et proponere veniam humiliter peto.

Historia enim missionum christianarum demonstrat duplicem fuisse habitudinem missionalem ad gentes evangelizandas: unam apostolicam, alteram (ut ita dicam) colonialem. Apostolica habitudo eorum fuit, qui Christi mandato, ut euntes in mundum Evangelium omni creaturae praedicarent, semper intenti, atque sui suorumque obliti, populo evangelizando sese devoverunt. Quo tempore apostoli ad Gentes Evangelii lumen protulerunt, exorta quaestione utrum observationes Mosaicae neoconversis imponendae essent an non, Petrus per visionem in Ioppe illuminatus, controversiam in Concilio Ierosolymitano dirimit. Inquit enim, « Qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum sicut et nobis » (*Act.* 15, 8). Sic ergo demonstravit Christi Evangelium non esse Iudaicae gentis asseclam prosapiamque sed lumen ad salutem omnium gentium. Ibi non est Iudaeus et Gentilis, circumcisio et praeputium, Barbarus et Schytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus (*Col.* 3, 11).

Paulus Apostolus scripsit sic ad Romanos: « Gentes quae legem non habent naturaliter ea quae legis sunt faciunt... testimonium reddente illis conscientia ipsorum » (*Rom.* 2, 14. 15). Ipse ergo Athenis cum philosophis disputans eorum litteras non sprevit, sed potius ex libro Arati poetae « Phenomenes » textum laudavit. Cum eruditi litteris Graecis et Latinis fidem amplexerunt veterum suorum sapientiam in servitium Dei veri instruentes, doctrinas christianas melius explicaverunt et philosophiam christianam elaboraverunt. Sic enim fecerunt Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Athanasius et Basilius apud Graecos, et Hieronymus, Lactantius, Ambrosius, Augustinus multique alii apud Latinos. Cum anima humana sit naturaliter christiana, sapientiam ethnicorum non spernendam esse iudicaverunt. En quod Augustinus scripsit de Hortensio Ciceronis: « Ille vero liber mutavit affectum meum et ad Te ipsum, Domine, mutavit preces meas et vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi omnis vana spes et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili et surgere coeperam ut ad Te redirem » (*Conf.* Lib. 3 cap. IV). Quam multa ex non-christianorum litteris et moribus antiquis exculta, in liturgia tum Graeca tum Latina, invenimus! Graecos ex Oriente quosdam ritus mutuos sumpsisse et victorem suum Latii locupletasse quis ignorat? Nonne Doctor Angelicus philosophiam suam perennem ex studio Aristotelis elaboravit?

Litteras ergo et culturam non-christianorum ubicumque invenimus, contemnere nobis non licet. Meminisse iuvabit Concilii Vaticani I verba: « Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse » (Sess. 3, cap. II). Apostolica vero habitudo missionalis naturam humanam ut opus Dei a Verbo Incarnato nobilitatum esse recognoscens, quaecumque vera, quaecumque bona, quaecumque pulchra non-christianorum culturae ut antelucanum fulgoris Fidei vel praeparationem evangelicam habebat, et in servitium Dei adaptabat. Quod Ecclesia catholica semper approbavit et prosecuta est.

Habitudo autem colonialis eorum est, qui culturae imperiique suae gentis tam conscii sunt, ut dum Evangelium Iesu Christi praedicarent mores suos aliis imponendos esse putarent. Neo-conversos suos numquam perseveraturos nisi tota ipsorum vita, natura moresque ab antiqua (ut aiunt) superstitione funditus evellerentur, sincere credebant. Neophytis ergo non tantum communicationem in divinis cum non-christianis prohibuerunt, sed et de fama litterarum morumque paternorum detraxerunt. Hunc in modum communitates efformatae, saepe saepius genti suae seiunctae et societati maiorum alienae evaserunt. Exitus autem luctuosus nunc in quibusdam regionibus olim imperio Occidentali subiectis sed nuperrime autonomiam civilem assecutis, clare apparet.

Certum est Indos et Seres vel Cinenses ab antiquissimis temporibus doctissimos libros non paucos possedisse, et in illis multa de revelatione primitiva et ad praeparationem evangelicam utilia. Verumtamen, veterum suorum

sapientiam neglexerunt. Interim vero eruditi acatholici ex Occidente libris istis studuerunt, in linguas occidentales traduxerunt et commentariis in tramitem rationalisticum elaboratis ornaverunt. Nunc vero iuvenes ex Oriente opera haec discunt et omnes religiones contemnunt. Sint lacrimae rerum!

Labores antecessorum nostrorum in missionibus sincere laudamus et aerumnas quas passi sunt pro Evangelio gratissimo animo recolimus. Si forsitan in sua agendi ratione aliquando erravissent, non ex sententia sed ex ignoratione, quidem inculpabili. Sed errores maiorum sint instructio nostra. Humillime ergo propono:

1. Ut instituatur, potius in alma Urbe, schola ubi sacerdotes ex missionibus idonei, litteris, moribus et philosophiae gentium suarum profunde non ex compendiis et commentariis sed ex fontibus ipsis studeant. Institutum tale pro studiis saecularibus exstat in Universitate Londinensi, in Anglia, cui nomen "The School of Oriental and African Studies". Sic sane propositum in pag. 15, linn. 16 ss. efficacius evadet.

2. Ut, ad tramitem paragraphi sequentis eiusdem paginae, qui ex regionibus missionum ad studia Romam petant, sint soli sacerdotes et quidem praxim aliquam pastoralem habentes. Omnes norunt quod experientia docti et conditionibus varietatibusque gentis suae versati plus proficiunt ex studiis in Urbe quam alumni qui cursum ecclesiasticum illuc incipiunt.

100

Exc.mus P. D. ANDREAS PERRAUDIN
Archiepiscopus Kabgayensis

Nomine conferentiae episcoporum de Rwanda et Burundi loquor. Schema *de activitate missionali Ecclesiae* generatim sumptum nobis valde placet. Commissioni de missionibus maximas gratias agimus pro labore peracto textuque nobis proposito. Laeto gratoque animo qua par est reverentia accepimus hunc textum novum ut dignum activitate missionali.

Laude digni sunt qui partem doctrinalem schematis paraverunt. Etenim fundamentum theologicum activitatis missionalis bene intelligitur eo quod in lucem optime ponitur propositum Dei Patris, missio respectiva Filii et Spiritus Sancti, necnon et missio ipsius Ecclesiae.

Itaque activitas missionalis, sensu theologico sumpto, est unica et nulla indiget distinctione. Ad circumstantias autem practicas quod attinet in quibus peragitur, haec activitas bene explanatur cum notione magis theologica missionis ut sit activitas connaturalis totius Ecclesiae.

In n. 7 schematis describuntur variae rationes activitatis missionalis. Quater mentio facta est rationis ultimae quae est fundamentum omnium aliarum, scil. gloria Dei procuranda. Nobis magis placeret si haec ratio enuntiaretur modo explicito initio paragraphi, in quantum est ratio ultima et finis ultimus totius activitatis missionalis.

Cap. II « De ipso opere missionali » et cap. III quod de missionariis tractat nobis generatim placent. Attamen in numero vicesimo secundo ubi agitur de spiritualitate missionaria, nihil, proh dolor, dicitur de episcopo qui est centrum et cardo apostolatus in sua dioecesi.

Optamus insuper ut melius componatur quae dicuntur pag. 15 linn. 29-32 de studiis superioribus perficiendis a clero locali cum iis quae dicuntur cap. III n. 24, linn. 35-42 de peritorum opere praestando a missionariis. Adest aliquod disaequilibrium inter ea quae dicuntur de clero locali et ea quae de missionariis dicuntur. Textus adeo componatur ut clare appareat quod nullum munus reservetur missionariis. Nunquam fiat acceptatio personarum, sed in omnibus ante oculos habeatur finis communis quod est instauratio regni Dei et in omnibus muneribus adsit fraterna collaboratio. Eadem mente ducti dolemus quod in his capitibus nihil explicite dicatur de relationibus et problematibus collaborationis clerum localem inter et missionarios. Necesse nobis apparet ut in luce ponatur haec ipsa collaboratio eiusque conditiones, v. g.: respectus mutuus, dialogus incessans, humilitas, complementaritas, servitium mutuum. Unitas etenim maxime efficitur vera collaboratione in uno opere evangelizationis quo omnes sacerdotes, sive sint diocesani sive regulares aut locales vel aliunde venientes, quasi unum constituunt presbyterium sensu dato in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Hoc magni est momenti in regionibus nostris ubi saepe sacerdotes locales parvi adhuc sunt numeri, ita ut sacerdotes institutorum maiorem partem habeant in ministerio pastorali.

In cap. IV schematis loquitur de ordinatione activitatis missionalis. Nobis valde placent quae dicuntur de dicasterio de Propaganda Fide in n. 27 dummodo inter membra selecta huius dicasterii adsint qui actu in terris missionum laborant.

Quoad problema autem de quibus in numeris duodetrigesimo et trigesimo, scil.: de ordinatione locali necnon et de coordinatione activitatis Institutorum, nos censemus quod valde insufficienter tractantur. Hic enim agitur de quaestionibus maximi momenti, nempe de Episcopo ut Rectore et Centro unitatis in apostolatu diocesano et, practice, de antiquo et obsoleto iure commissionis. Hae quaestiones, perdifficiles quidem, tam gravis momenti sunt ut solvi nequeant aliquibus debilibus propositionibus fere nihil solventibus.

Omnino necesse est ut novum et completum ius de hac materia saltem delineatur a Concilio. Quaestio eludi nequit.

De his quae ad cap. V spectant, nempe de cooperatione totius Ecclesiae in opere missionali, unum tantum dicere volumus: efficiantur ea quae ibi scripta sunt! Venerabiles Patres! liceat mihi aliqua imagine uti: milites sumus, ut dicitur, praeliantes propter Regnum Dei! Sed mirum et inauditum est quod milites ipsi continuo modo a praelio regredi debeant eo fine ut sibimetipsis munitiones, arma aliaque ad bellum necessaria actuose et inquiete quaerant. Haec tamen est nostra situatio, immo et ipsi episcopi missionarii coacti sunt mendicare ut necessaria ad opus evangelisationis perficiendum

inveniant. Cooperatio de qua in cap. V ad hoc tendere debet ut necessaria nobis sponte perveniant, modo quidem magis fraterno quam paternalistico, non sicut mendicus a divite, sed sicut frater a fratre iuvatur sciente cui credidit.

Venerabiles Patres, uti diximus initio nostri sermonis, schema nobis placet, quamquam optamus ut perficiatur sensu in hoc interventu exposito.

101

EXC.MUS P. D. URBANUS M. PERSON

Episcopus tit. Cymaeus, vic. ap. Hararensis

Pag. 19, lin. 15, addatur sequens: ... inhaerens vestigiis S. Pauli apostoli qui fuit primus ad gentes missus.

Il manque dans le schéma une invitation à tous les missionnaires à suivre la méthode et l'exemple de Saint-Paul qui fût le premier envoyé « ad gentes ». Et quelle est la méthode de St. Paul? Elle peut se résumer en deux points:

1. *Un zèle à toutes épreuves*: Paul n'a qu'une pensée: proposer le message du Christ. « Malheur à moi si je ne propose pas l'évangile. Voilà pourquoi Paul a été appelé. Tout le reste ne compte pas. Seul compte proposer l'évangile de Jésus-Christ. Paul ne s'embarasse de rien d'autre.

Tous les missionnaires devraient avoir cette vocation toujours présente à leurs yeux et éliminer de leur vie quotidienne tout ce qui ne conduit pas à ce but. Que de forces perdues dans des suppléances, dans d'inutiles disputes entre évêques et religieux ..., entre évêques et fidèles de rites différents ... Que de temps passé à des occupations matérielles, tout particulièrement à chercher de l'argent ...

Saint Paul saisit toutes les occasions de proposer l'évangile. Aucune trace de fausse honte, de syncrétisme. « Et tous les jours il discutait sur la place publique avec tous ceux qu'il rencontrait » (*Act.* 17, 16 sq.).

A l'exemple de Paul le missionnaire doit être un opportuniste, saisir toutes les « opportunités », les discerner, les utiliser au maximum.

2. *Un respect profond des personnes*: Paul a la certitude absolue de posséder la vérité. Il déteste l'erreur. La vue d'Athènes remplie d'idoles le saisit d'indignation (*Act.* 17, 16). Cependant il les loue de leur sentiment religieux (*Act.* 17, 22). Il sait que tout sentiment religieux est digne de respect, il représente un effort de l'homme pour s'élever.

Paul respecte toutes les civilisations. Il est prêt à épouser toutes les formes de vie ... Il est juif mais il se fait gentil. Le boire, le manger, le vêtir ... il les accepte pour être en tout comme les indigênes.

Comparez à cela l'attitude des portugais débarquant à Goa en 1525. Ils trouvent devant eux la statue de Lakshmi. Ils s'en emparent, la réduisent

en poudre et organisent une cérémonie pour jeter cette poudre dans la mer.

Depuis cette époque le mouvement missionnaire a été imbu de cet esprit des conquistadores. Nous avons présenté le message évangelique sans aucun égard pour les religions ou les civilisations existantes.

Avec l'évangile nous avons présenté la civilisation occidentale. La méthode a réussi en Amérique où les civilisations ont été balayées. Un bien ou un mal, qui le sait? « Dummodo annuntietur Christus » dirait Saint Paul. Qu'une civilisation vive ou meurt, peu lui importe, pourvu que le Christ soit annoncé.

La méthode n'a pas réussi en Asie. Nous avons perdu l'Inde et avec l'Inde nous avons perdu l'Asie. L'Eglise en Asie est une église préfabriquée. Sommes-nous en train de perdre l'Afrique? Ne sommes-nous pas tentés d'y répéter la même faute?

Il est urgent pour tous les missionnaires de revenir à Saint-Paul et de méditer ses méthodes ...

102

Exc.mus P. D. PAULUS PETRUS PINIER

Episcopus Constantinianus

Pag. 7, n. 5, linn. 26-29: post « actu praesens » addatur: « actu praesens fit, ut vivat inter eos in spiritu veritatis, secundum verbum Christi dicentis: " Filius hominis venit non ministrari sed ministrare ", ut cooperetur cum eis in conatibus ad conditionem humanam meliorandam, et ad patrimonium culturale semper promovendum, ut instauretur cum eis in campo religioso cum conscientia et libertas personalis semper honorentur, dialogus fraternus ducens ad actiones communes per quas problemata mundi solventur et, gratia Dei, ad unitatem fidei, quando Deus voluerit et quomodo voluerit, secundum consilium a saeculis in Deo absconditum. Sic fit ut eos praedicationi, sacramentis ... ». *Ratio*: in contactu cum multis, non potest immediate loqui de praedicatione et sacramentis. Lectio nostri textus non debet ponere obstacula ad evangelizationem.

Pag. 11, art. 1. Titulus sic: De dialogo et de caritate. *Ratio*: dialogus et caritas non sunt tantum praeambula fidei.

Pag. 14, n. 15, lin. 10: post verbum: fervet, addatur: « Cum missionarius, — presbyter, religiosus, laicus — ligatus sit cum coetu hominum vel natione, ad quem missus est ab Ecclesia, horum diversorum coetuum sociologicorum vel nationalium mediator fit ». *Ratio*: necesse est affirmare mediationem missionarii.

[*Subscripserunt etiam*] M. Callens, prael. Tunis; B. Lacaste, ep. Oran; G. Jacquier, ep. tit. Sufasar.

103

Exc.mus P. D. ANTONIUS POMA
Episcopus Mantuanus

Sub respectu doctrinali schema nostrum deficiens videtur duplici ratione. Ille autem duplex defectus sanari deberet in nova redactione n. 7.

1. In initio huius numeri affirmatur Deum salvare posse homines viis sibi notis, quin Christum et Ecclesiam cognoscant. Affirmatio haec est vera, sed complemento indiget. Secundum enim doctrinam constitutionis *de Ecclesia* tenere debemus omnes homines, qui salvi fiunt, salvari a Christo, omnium Redemptore (non est in alio aliquo salus), et etiam salvari ex eo quod ad Ecclesiam, saltem aliquo modo, pertinent. Nullus ergo salvatur sine Christo; nullus etiam salvatur simpliciter extra Ecclesiam. Revera, ut quis a Christo obiective salvetur, non requiritur necessitate absoluta ut Christum subiective cognoscat; et pariter, ut quis ad Ecclesiam pertineat, non est absolute necessarium ut ei plene et visibiliter incorporetur. Sed nexus, quem iam cum Ecclesia habet, de se tendit ad plenam incorporationem, et homini illi ius confert ut Ecclesiam a Christo fundatam cognoscat; huic iuri officium respondit pro Ecclesiae filiis ut Ecclesiam notam faciant iis qui eam nondum cognoscunt, quamquam ad eam iam pertineant.

2. Schema nostrum ignorat et sub silentio simpliciter praeterit hoc factum quod activitas missionalis non tantum ab Ecclesia catholica exercetur, sed etiam ab aliis Ecclesiis vel communitatibus a communione catholica seiunctis. Tale silentium de facto tanti momenti non est opportunum. Necessarium est de non-catholicorum missionali activitate verbum facere, non tantum ut factum agnoscatur, sed ut de eo iudicium proferatur. Affirmandum etiam videtur multorum christianorum missionalem activitatem sub impulsu Spiritus Sancti oriri, ideoque positive ordinari ad multorum hominum salutem.

Rogo igitur ut de his duabus veritatibus ratio habeatur in retractatione n. 7, vel in alio aptiori schematis loco.

104

Exc.mus P. D. HIERONYMUS RAKOTOMALALA
Archiepiscopus Tananarivensis

Loquor nomine conferentiae episcopalis Madagascar.

Schema in genere nobis placet. Putamus tamen ad eius perfectionem, praeter alias animadversiones accuratissime iam factas, duas proponere, unam scil. circa n. 16 de clero locali, alteram vero circa cap. V de cooperatione.

1. *Circa n. 16 de clero locali.* Expressio « clerus localis » sat ambigua est. Etenim designare potest omnes illos presbyteros qui non ex aliunde

veniunt, sed sunt in propria patria. Vel dioecesani vel religiosi sunt. Putamus quod ad mentem schematis, agitur hic de clero dioecesano quippe qui constituit cum episcopo velut cardinem ecclesiae particularis seu dioecesis. Optandum est ergo ut, claritatis simul ac uniformitatis causa, schema *de activitate missionali Ecclesiae* in n. 16 utatur iisdem vocabulis quibus schema *de pastorali episcoporum munere* in n. 28.

2. *Circa cap. V de cooperatione.* Fere unanimi sententia iam a Concilio declaratum est episcopos omnes unum collegium constituere et in solidum responsabiles esse totius Ecclesiae per mundum dispersae. Nunc necesse est istud optimum principium in praxim deducere.

Responsabilitas erga Ecclesiam universalem, sane maximus honor est, sed imponit etiam obligationes quas integre, ut par est, acceptare debemus. Ea quae schema nostrum de hac re dicit in nn. 19 et 36, bona quidem sunt sed complenda et clarius exprimenda. Oportet enim ut episcopi antiquarum ecclesiarum aut regionum progressarum adiuvent collegas episcopos « Tertii mundi » et quidem modo efficaci et stabili, non solum ex caritate sed etiam ex iustitia: ipsa collegialitas requirit ut media necessaria ad dilatandam Ecclesiam et ad praedicationem Evangelii quibus alii abundant, aliis praestentur qui eisdem carent.

Ista media duplicis generis sunt: operarii missionarii et subsidia:

a) *Ecclesiae tertii mundi indigent missionariis, praesertim sacerdotibus.* Ad haec usque tempora, solum Instituta religiosa missionarios mittebant. Quod quidem laudandum est, et optatur ut magis ac magis faciant. Nunc autem temporis, ex principio collegialitatis deduci potest quod ipsae Ecclesiae particulares, i. e. dioeceses, missionarios suos mittere debent. Ecclesia ut dicitur, natura sua missionaria est. Quomodo tamen fit ut tantummodo sex per centum (6%) ex suis sacerdotibus laborant ad propagationem Evangelii inter non-christianos? Illud vero opus, ut ait Ioannes XXIII, prae ceteris maioris momenti est et perficiendum sine mora.

Aequa et rationabilis repartitio cleri, problema quidem sat complicatum est et sub multis respectibus considerandum, sed serio et modo practico solvendum in spiritu collegialitatis.

Ad solutionem fortasse iuvabit meminisse quod ipsum bonum sive physicum, sive morale, sive spirituale sacerdotis persuadere possit ut uni parocho committantur plures simul ex istis minusculis paroeciis trecentorum vel etiam ducentorum fidelium. Tunc dioecesis facile disponere potest de numero maiori sacerdotum ad suum munus missionarium obeundum. Ad eumdem finem obtinendum, plures sacerdotes qui in propria patria munera non sacerdotalia exercent, cooperatores episcoporum melius fient eundo in vineam longinquam Domini.

Ipsa magna et non raro extrema necessitas missionum, de qua saepius locutum est et quae commemoratur in nostro schemate requirit ut plures mittantur sacerdotes, et si ad tempus mittantur, valde optandum est ut dioeceses originis securam reddant successionem illorum qui in patriam rever-

tuntur. Mittere « aliquos sacerdotes » et « ad tempus » ut habet schema in n. 36, valde insufficiens est.

b) *Ecclesiae tertii mundi indigent subsidiis.* Ut novellae ecclesiae possint vivere et crescere, urget necessitas illis dandi subsidia sufficientia. Obligatione sublevandi inopiam missionum, sane tenentur omnes fideles quorum mens adducenda est ad suas faciendas, necessitates Ecclesiae universalis, iuxta haec verba S. Pauli: « Vos estis corpus Christi et membra de membro », « et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra ». Idem apostolus monet « ut non sit schisma in corpore sed idipsum pro invicem sollicita sint membra ».

Sed praeprimis tenentur illa obligatione ipsi episcopi quibus incumbit ex officio collegialitatis illa « sollicitudo omnium Ecclesiarum » de qua ait apostolus gentium.

Ad quod munus rite implendum, fortasse eis necessarium erit ut aliquam partem reddituum dioecesis quotannis Congregationi de Propaganda Fide sponte offerant... Recentiores Status Africae et Asiae modo efficaci et continuo adiuvantur ad propriam conditionem meliorem cito reddendam, a quibusdam Europae et Americae Statibus qui non dubitant notabilem partem reddituum nationalium quotannis assignare ad sustentandas Organisationes Internationales ut sunt F.A.O.; O.M.S.; F.E.D.; FEDOM; UNESCO; UNICEF etc. ... Unde fit ut tales Organisationes habeant praegrandem copiam pecuniae expeditam ad prosequendum suum opus humanae solidarietatis.

E contra, missiones catholicae et novellae Ecclesiae languescunt in expectatione distributionis pecuniarum quae, titulo eleemosynae, in aliquibus nationibus catholicis collectae sunt, die illa dominica sic dicta « die Missionum ».

Tandem liceat nobis animadvertere quod non paucae ex organisationibus nostris, indigent completa revisione et quoad formam et quoad spiritum. Dolendum enim videtur quod Organisationes catholicae vel Organisationes episcopales nolint sustentare laborem missionarium, proprium Ecclesiae et occupentur in iis quae propria sunt Statui, ut promotio socialis, amelioratio agriculturae...

Considerandum insuper est quod talia subsidia pro rebus socialibus, possunt in deteriorem partem accipi vel interpretari a Statu qui, ut iam evenit, putat esse aemulationem cum ipso istum incursum in campum qui potius sibi quam Ecclesiae competit.

105

EXC.MUS P. D. ALBERTUS GAUDENTIUS RAMOS

Archiepiscopus Belemensis de Pará

Me patienter audite nomine 77 locuturum de praeambulis evangelizationis. Brevis ero.

1. Titulus « De praeambulis » duabus rationibus non placet:

a) quia, quamvis in relatione contrarium dicatur, non sufficienter aufertur idea de aliquo stadio, chronologice, evangelizationem antecedente;

b) quia, voces « praeambula evangelizationis » memorant illa notissima verba « praeambula fidei » quibus praeambulis certa fides semper praestanda est, dum, e converso, in praeambulis evangelizationis, adesse debet maxima libertas.

Tituli multi propositi sunt, sed fere omnibus iidem defectus sunt; unde forsan quod invenitur in pag. 35 nostri libelli, alinea 1, sit omnibus praeferendus: « de penetratione christiana ».

Agitur enim, ut in n. 11 et 12 prostat, de vera penetratione (italice penetrazione, infiltrazione vel aliquid simile) et de christianizatione, sed potius ratione finis, et finis operantis quam ipsius operis. Unde par. 2 postea, rectius agere posset de evangelizatione.

Sed de titulo satis! Ad materiam. Tota, fuse, diffuse atque confuse tractata videtur. Nam, si prae oculis habemus textum pag. 8 missionem definientem (« munus penetrationis christianae intra non credentes ») non amplius subsistit ratio distinguendi ista praeambula fidei ab ipso opere evangelizationis: *a*) quia ambo sunt « munus penetrationis christianae »; *b*) quia filii, qui in n. 12 nominantur, cum de terra missionis agatur, debent esse necessario ipsi missionarii et non alii, uti posset, primo ictu, deduci ex lectione textus; *c*) quia principia tradita sub nn. 11 et 12 sunt valde bona et valida in omni tempore et loco evangelizationis. Utinam missionarii semper fecissent quae in hoc pulcherrimo numero statuuntur: forsan plures fratres haberemus hodie in fide, et Ecclesia victimas plurimas non lugeret!

Ex quibus omnibus deducitur sat magna confusio adesse in textu.

Conclusio: ex nn. 11 et 12 fiant unicus numerus sub titulo: « criteria generaliora et practica activitatis missionalis Ecclesiae » et in eo firmetur quod in praefatis nn. 11 et 12 dicitur, scilicet: *a*) de testimonio caritatis praebendo per activitatem non semper directe missionariam; *b*) de testimonio veritatis praebendo non tantum per respectum sed per assimilationem valoris positivi culturae et traditionis populi evangelizandi.

[*Subscripserunt etiam*] *Cf. pag. 207.*

106

Exc.mus P. D. LEONARDUS IOSEPH RAYMOND

Archiepiscopus Nagpurensis

Nomine hierarchiae Indianae et aliorum episcoporum ex missionibus.

Cap. I. Ad praecavendum periculum ne instantia operis missionarii diminuatur in dies propter quasdam tendentias hodie prolatas. Sunt theologi quidam qui ita exaggerant valores religiosos in religionibus non-christianis acceptos, ut videantur diminuere necessitatem operis evangelizationis. Insistendum igitur est in textu quod est revera unica oeconomia salutis, Christus, ad quem omnes ordinantur. Hoc nimirum patet ex actis Concilii iam publicatis, sed monitum requiritur ex parte Concilii, ne hi theologi nimium progrediantur et zelum missionariorum diminuatur.

107

Exc.mus P. D. ALTINUS RIBEIRO DE SANTANA

Episcopus Sadabandeiropolitanus

Nomine *Conferentiae Episcopalis Angolanae.*

Laudes quae iam tributae sunt commissioni pro novo schemate *de activitate missionali Ecclesiae* meas facio et speciali modo exaltare vellem principia doctrinalia quae apprime in capite initiali ita condensantur ut, cum eis quae his diebus dicta sunt, Theologiae Missionali quasi summam praebeant. Quae, ad perficiendum schema, animadvertere audeo, potius ad ordinationem activitatis missionalis sese referunt.

1. Et primo quidem ad ipsam ordinationem generalem de qua agitur in n. 27. Votum toties expressum de integra Ecclesiae activitate missionali uni tantum supremo organo subiicienda feliciter in schemate suum invenit locum. Hoc sane omnino necessarium est si conatus novi et in totali dimensione Ecclesiae facere volumus ut, sicut Summus Pontifex in hac aula dixit, « Nova muniantur itinera, novae rationes excogitentur, nova contentio alacris instimuletur ». Virium dispersiones nimiae et normae particulares sat variae, valde nocuerunt, saeculis praeteritis, fini Missionum qui, uti recte in schemate compendiatur, est dilatatio seu plantatio Ecclesiae apud gentes in quibus nondum radicata est.

In hunc finem omnes vires et energiae Ecclesiae colligendae sunt et in contextu doctrinae theologicae in hoc ipso Concilio confirmatae et promulgatae, vix admitti potest existentia institutorum missionariorum, speciatim mulierum, quae solum in territoriis uni tantum Dicasterio Romano, ceteroquin de Ecclesia optime merito, subiectis laborare sese disponunt, ac si aliae

missionariae circumscriptiones extra ecclesiam catholicam remanerent. Alia sunt quae solummodo tali vel tali Congregationi Religiosae affidatis in territoriis suam praestant adiutricem operam.

Ita, aliquando evangelizando opportunitates, quae nunc providentialiter adsunt et forte non amplius exstiturae sunt, non rite profitentur, magno cum nocumento causae Missionum.

Quare, haec Sancta Synodus, expressio maxima Ecclesiae missionariae, clare et fortiter exprimat votum suum universas vires Ecclesiae, personarum et subsidiorum, ita colligendi et ordinandi ut eas adimpleatur ubi maiores adsunt necessitates et ubi opportunitates Ecclesiam dilatandi ullam moram in earum usu permittit.

Itemque, Instituta omnia Missionalia, sive virorum sive mulierum, invitet, ad sua statuta, si opus fuerit, adaptanda, ut, nullo facto discrimine inter territoria a diversis Dicasteriis pendentia vel huic vel illi Congregationi concredita, et visione totali Ecclesiae missionariae prae oculis habita, suam offerant benevolam operam, sive sponte, sive mediante Ordinarii invitatione, ut investigabiles divitias Christi, per totum orbem terrarum evangelizare possimus. Hoc eodem sensu organa et media communicationis socialis Sanctae Sedis laborare certo studebunt.

Etenim, rebus sicut nunc stantibus, partiales tantum rationes statisticae et notitiae diffunduntur et vera imago universi laboris Ecclesiae missionariae non praebetur.

De hoc voto mentio in schemate fieri potuisset.

2. Alia animadversio n. 30 respicit, nempe « de coordinatione activitatis Institutorum ».

Sed antea verbum quoddam gratitudinis dici sinatur sive commissioni pro Institutorum Missionariorum recta et opportuna exaltatione, sive ipsis institutis pro labore expenso, magno cum ardore et devotione.

In schemate relinquitur conferentiis episcopalibus munus proponendi novas normas, a Sancta Sede probandas, circa relationes inter Ordinarios locorum et Instituta Missionalia. Talis solutio parum placet, cum variationibus exponatur quaestio quae, in linea gerendi, saltem pro eodem Instituto, fere eamdem solutionem invenire debet.

Quaedam ergo generaliores normae ab ipso Concilio promanandae sunt, ut basis pro conferentiarum propositionibus.

Haec enim principia conferentiae conditionibus concretis sui territorii applicabunt et sic, ex una parte, quaedam communis directio habebitur quae nullo modo diversitati locorum opponatur et, ex alia parte, ut a Suprema Auctoritate promanantia, facilem assensum utriusque partis obtinebunt.

Ita, labor noster non tantum in proponendis et studendis altioribus doctrinalibus thematibus evolvetur sed, uti eminenter pastoralis et practicus, in ipsa missionali activitate Ecclesiae constanter exprimetur.

108

EXC.MUS P. D. VIDO M. RIOBÉ
Episcopus Aurelianensis

In titulo addatur: ad Gentes. Sic melius apparet obiectum schematis.

Prooemium et cap. I. Pag. 5, n. 1, lin. 2: Addatur: Ecclesia natura sua apostolica et ex intimis propriae catholicitatis exigentiis ... *Ratio*: necesse est mentionem facere de apostolicitate.

Pag. 5, n. 1, lin. 8: Verbum « novo » deleatur. *Ratio*: in textu doctrinali ambiguitas habetur quoad naturam novitatis.

Linn. 8-11: Emendatio: « In praesenti autem rerum ordine, ex quo nova exsurgit humanitatis condicio, Iesus Christus, Dominus mundi, omnem creaturam per Ecclesiam suam, sal terrae et lucem mundi (*Mt.* 5, 13-14) salvat et renovat, ut in Ipso, omnia instaurentur et omnes homines unam familiam unumque populum Dei constituant ». *Ratio*: Christus ipse auctor missionis est. Ita excluditur conceptio missionis extrinseca et missio ut mysterii salutis pars integrans apparet.

Lin. 13: Addatur: missionalis activitatis totius Ecclesiae principia delineare. *Ratio*: activitas missionalis totius Ecclesiae est.

N. 2, lin. 23: post: « nos » addere: « a peccato liberatos ad Secum ... ». *Ratio*: non potest sermo haberi de Proposito Dei quin de Redemptione quaestio fiat.

Lin. 26: post: « homines » addere: « personaliter sed non singillatim ». *Ratio*: falsus collectivismus excludendus est. Unusquisque a Deo personaliter diligitur.

Pag. 6, n. 3, lin. 9: rectius legere: eosque a peccato liberandos componendam... *Ratio*: eadem ut in pag. 5, n. 2, lin. 23.

Pag. 6, n. 3, § 2, linn. 27-28: deleatur: « et pauperes » at post: « absque tamen peccato (cf. *Hebr.* 4, 15; 9, 28) », addatur: « talique praedilectione cum pauperibus et peccatoribus, a mundo reiectis et despectis, conversatus est ut pro omnibus amoris Dei manifestatio omnique creaturae signum salutis factus fuerit. De seipso enim ». *Ratio*: Christus non tantum miseram hominum conditionem assumpsit, sed etiam cum pauperibus et peccatoribus conversari voluit. Ita signum salutis pro hominibus factus est.

Pag. 7, n. 4, lin. 16: emendatio proposita in n. 4 schematis *de activitate missionali Ecclesiae*.

Linn. 1-3: Ad hoc autem perficiendum misit Christus Spiritum Sanctum a Patre, qui salutiferum opus suum intus operaretur, et Ecclesiam suam ab intus ad sese dilatandam moveret.

Linn. 10-16: Procul dubio antequam Christus glorificaretur Spiritus Sanctus operabatur ubique, permultis hominibus, praesertim Israeliticis prophetis et sapientibus, infundens sapientiam et virtutes hosque ad futurum

Messiam praeparans. Die tamen Pentecostes in discipulos supervenit, ut cum eis maneret in aeternum (cf. *Io.* 14, 16), Ecclesia coram multitudine manifestata est, diffusio Evangelii exordium sumpsit, et tandem praesignata est unio populorum in Fidei catholicitate, per Novi Foederis Ecclesiam, quae omnibus linguis loquitur, in caritate omnes linguas intelligit et amplectitur, et sic Babelicam dispersionem superat.

Linn. 3-9 ampliatae: Illa quidem Pentecostali effusione non exaruit fons omnibus Gentibus apertus. Spiritus enim adhuc in non-christianis efficit omnimodam praeparationem Evangelicam eosque ut praedicatum audiant Evangelium inducit. Sed Ecclesiam potissimum pervadit atque ad opus Missionale incitat et confortat.

Ipse enim, theologalium virtutum septemque donorum ope, animos apostolico zelo incendit. Ipse in fidelium cordibus « secundum Deum postulat » (*Rom.* 8, 27) pro missionariis et evangelizandis hominibus (cf. *2 Thess.* 3, 1; *Col.* 4, 3; *1 Tim.* 2, 1-4 ...). Ipse testimonium Christo resuscitato reddit, cum in vita christianorum « fide quae per caritatem operatur » (*Gal.* 5, 6), « Spe vitae aeternae » (*Tit.* 1, 2; cf. *1 Thess.* 1, 6-10) diversisque fructibus cordis ab ipso liberati (*Gal.* 5, 22-23; cf. 5, 13-18), tum in actuositate proprie missionali et in verbo Dei audacter prolato (cf. *Act.* 4, 8 ss.; *Mt.* 10, 20; *Io.* 15, 26-27). Ipse Ecclesiae unitatem a qua tantopere pendent Evangelici testimonii fructus, servat laesamque restaurare conatur (*Eph.* 4, 4). Ipse Christi Corpus Ecclesiale, ut munus impleat, « donis hierarchicis et charismaticis instruit » (cf. const. *Lumen Gentium,* n. 4) Missionalia instituta vocationesque excitans et apostolorum successores eorumque cooperatores assistens et regens.

Ipse tandem fidem in auditoribus suscitat, in catechumenis auget, in Baptizatis, Verbi ac Sacramentorum ope, fructiferam et missionariam facit, donec illos Christi gloria resuscitatos clarificat. *Rationes*:

1. *Ordo materiae*: 1) conspectus historicus; 2) potius praesens opus Spiritus Sancti intra et extra Ecclesiam.

2. Linn. 10-16 superius translatis, magis explicite dicitur de opere Spiritus praechristiano; *discipulos* substituitur pro *apostolos* ne missionalis inspiratio videatur apostolis duodecim reservari.

3. Linn. 3-9 postpositae valde ampliandae videbantur, utpote abstracto et exsangui modo tractabant de praesenti opere missionali Spiritus Sancti.

Pag. 7, n. 5, linn. 18-19: textus *Mt.* 26, 18-19 et *Mc.* 16, 15 expressis verbis citentur. *Ratio*: hi textus essentiales sunt ad missionem vere concipiendam.

N. 5, linn. 19-20: sic mutetur textus: Quod munus post eos haereditavit *Ecclesia per ordinem episcoporum,* una cum Successore. *Ratio*: necesse est nostrum textum cum de Ecclesiae constitutione concordare.

Pag. 7, n. 5, linn. 21-22: deleatur Ecclesia tota et dicatur: « In exsequendo vero hoc mandato unusquisque fidelium cooperatur secundum locum ». *Ratio*: consequentia modificationis praecedentis.

Linn. 28-30: deleatur: « in unitate Ecclesiae quae est Populus Dei, Corpus Christi et Spiritus Sancti templum ». *Ratio*: linn. 19-20 cum constitutione *Lumen Gentium* et in particulari cum n. 17 consonare debent. In qua mutatione implicantur aliae modificationes. Post verba mysterium Christi (linn. 28-30) non est necesse aliquid addere.

N. 5, § 2, linn. 31-37: textus propositus mutetur in sequens: « Quod Christi mysterium Ecclesia omni tempore facit mundo praesens. Ideoque missa est ad omnes, et per prius ad pauperes, ad quos per prius Christus missus est. Ut sit praesens in mundo pro salute eius, Ecclesia debet in omnibus similis fieri iis quibus Christus ipse similis factus est, id est pauperibus, humilibus et eis qui in umbra mortis sedent, sic participans semper mysterium Crucis. Ita ambulaverunt omnes Apostoli, qui tribulationibus multis adimpleverunt ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 2) ». *Rationes*:

1. Sequentia propositionum melior apparet cum continuo loquetur de mysterio Christi.

2. Textus propositus intendit tantum ad moralem Christi imitationem a Domini missis faciendam (« via paupertatis, servitii », etc.), cum mysterium pauperum ontologice includetur in mysterium salutis, id est in mysterio Christi in fine paragraphi praecedentis citato.

3. Necesse est tam fundamentum quam terminum activitatis missionalis Ecclesiae indicare.

Pag. 8, n. 6, lin. 30: loco « nondum credentes » dicatur « nondum christianos ». *Ratio*: multi sunt credentes (e. g.: Muslim, Iudaei) et tamen indigent missione Ecclesiae.

Pag. 8, n. 6, linn. 33-38: hae lineae sic mutentur: « Incoepta pecularia quibus Ecclesia munus penetrationis christianae praesertim erga populos vel coetus nondum christianos exsequitur, communiter « Missiones » nuncupantur, per activitatem proprie missionalem perficiuntur et plerumque exercentur in certis territoriis a S. Sede agnitis. Finis enim proprius activitatis huius missionalis est dilatatio seu plantatio Ecclesiae apud gentes vel coetus in quibus nondum radicata est, ita ut Ecclesiae autochtonae particulares ubique in mundo condantur, viribus quidem propriis ac maturitate praeditae, cum hierarchia propria et instrumentis christianae vitae plene ducendae quasi affinibus sicque fiant spiritualiter verae manifestationes Christi mysterii ». *Rationes*: lin. 30: additio: « praesertim » necessaria apparet ne nimis coarctetur ipsa missionalis activitas. Non possumus ignorare necessitatem fere extremam tot Ecclesiarum particularium.

Lin. 31: « christianos » melius quam credentes, quia Muslim vel Iudaei sunt credentes.

Lin. 35: « vel coetus ». Harmonizatio cum lin. 31.

Lin. 36: deleatur verbum: sufficiens. Lin. 38: deleantur verba: et sufficienter. Nam notiones: sufficiens vel sufficienter claritate deficiunt. Insuper

praesentia Ecclesiae non est tantum praesentia hierarchiae sed debet apparere ut spiritualis praesentia mysterii Christi.

Pag. 9, n. 7, linn. 3-35: propositio paragraphi 7 emendandae (rationes et necessitas missionalis activitatis). *Ratio* huius missionalis activitatis non unice ex aeterna salute uniuscuiusque hominum evangelizandorum procuranda sumitur. Etenim:

1. Deus Pater omnia per Filium creavit et redemit « in laudem gloriae Ipsius » (*Eph.* 1, 9-14; cf. *Col.* 1, 15-20) et in eodem Filio novo scil. Adam, omnia vult recapitulare ut sit Ipse « omnia in omnibus » (*1 Cor.* 15, 28). Cum autem nonnisi per homines sibi incorporatos novus Adam illud suum munus plene exsequatur, summopere ad divinum consilium adimplendum refert ut omnibus, per Evangelii praedicationem et fidei sacramenta, innotescat illud consilium. Unde Ecclesia mandatum a Domino suscepit omnes homines vocandi ut Christo adhaerentes se et cetera omnia Ei subiiciant (cf. *Lumen Gentium,* par. 34-36 et 38). In omnes lucem a Christo acceptam respergit ut et omnes illa mundum universum irradient (cf. *2 Cor.* 3, 16 - 4, 6).

Consilium Creatoris, hominem ad imaginem et similitudinem suam condentis revera adimpletur, cum omnes homines, in Christo per Spiritum Sanctum regenerati, unanimiter gloriam Dei speculantes, dicere poterunt « Pater noster ». Quod quidem plene fieri non potest, nisi divinum amorem in Christo crucifixo agnoverint (cf. *Rom.* 5, 5-11; 8, 31-39; *1 Io.* 4, 7-16). Unde Apostolis praecepit idem Christum Evangelium suum omni creaturae praedicare (*Mc.* 16, 15; cf. *Mt.* 28, 18-20).

Ad huius igitur dominici mandati exsecutionem impellit tum « oboedientia fidei » (*Rom.* 16, 26) tum caritas in Deum.

2. Si vero ad Ecclesiam attendatur, quatenus Corpus est Christi organicum, Paulus Apostolus docet omnia eius membra toti corporis singulisque aliis membris valde prodesse, immo necessaria esse (*1 Cor.* 12). Quamdiu ergo multi ab hoc corpore alieni manent, qui ad illum divina vocatione ordinati sunt, tamdiu membris actualibus desunt illa bona quae a ceteris hominibus accipere deberent, fructusque omnium investigandas et exhibendas divitias, sive ad multiformem exsequandam missionem.

Quod detrimentum non despiciendum quidem ubi de singulis agitur gravissimum agnoscendum est ubi de integris populis nondum conversis eorumque culturis agitur, siquidem quaevis cultura humana, Revelatione illustrata et Redemptione sanata ac elevata, fructus proprios gratiae divinaeque gloriae gignere debet (*Lumen Gentium,* 17) et quandoque diversos divini mysterii aspectus plenius detegit. Non certe ipsa Revelatio nec eius substantialis acceptio in Ecclesia crescere adhuc potest, sed progressus datur dogmaticus et theologicus, necnon spiritualis, ad quem diversae culturae humanae conferre possunt.

Si ergo Ecclesia plenitudinem suam non potest, nisi eschatologice, attingere, in praesenti tamen tempore crescere debet et ad illam plenitudinem indesinenter tendere (cf. *Eph.* 4, 11-16; *Lumen Gentium* 48). Quod non

fiet, nisi alios homines evangelizando. Unde ad activitatem missionalem impellit spes communitatis christianae.

3. Ipsis tandem non-christianis summi momenti est Evangelii receptio. Ecclesia quidem tenet Deum viis sibi notis homines ad Fidem adducere posse, sine qua impossibile est Ipsi placere etiamsi Evangelium non audierint. Hi tamen homines quamvis a non-christianis religionibus iuvari possint ad Deum aliquatenus cognoscendum Eiusque legem vita sua complendam, adhuc diversis obscuritatibus et ambiguitatibus, nonnullis etiam gravibus tum religiosis tum moralibus erroribus detinentur ne vocationi suae plene respondeant; non sine salutis aeternae periculo. Ea egent libertate qua Christus, qui est Veritas, nos liberavit (cf. *Io.* 8, 32; *Gal.* 5, 1).

In praesenti potissimum mundi statu, triplici modo urget eorum spiritualis egestas:

a) Ut atheismo grassanti resistere possint maxime praestat ut plenam accipiant cognitionem Dei plene personalis, transcendentis amantissimique Patris, ac proinde libertatis humanae fontis humanarumque personarum auctoris, non autem adversarii.

b) Ut haec maior hominum pars, quae gravissima inopia laborat, desperationis tentationes superare possint, opus est quidem ut a ditioribus adiuventur, sed etiam ut christiana spes, cuius adhuc expertes sunt, illis proponatur.

c) Ut pax, ad quam omnes anhelant, ab omnibus accipi et procurari possit, ad inconcussum pacis fundamentum, qui deus omnium Pater est, per Evangelium accedendum est.

Unde patet activitatem missionalem fraterna caritate imperari.

Rationes: falsa oppositio habetur inter, ex una parte, aeternam salutem (linn. 3-16), et, ex altera parte propositum Dei, unum Populum efformandi (linn. 17-30). Cf. *1 Thess.* 4, 3: Insuper nihil dicitur de voluntate Dei, homines perfectos esse, scil. plene sanctificatos, quod haberi non potest sine praedicatione Evangelii et sacramentis.

Explicite referatur ad const.: *Lumen Gentium,* n. 14 ut sic plene affirmetur quadruplex illa necessitas praedicationis, fidei, baptismi et Ecclesiae, quae res inter se intime connectuntur. Ubi unum ex his elementis, scil. praedicatio vel baptismum desunt, habetur suppletio. Fides potest esse implicita, baptismum in voto, et sic iam aliquis ad Ecclesiam pertinet. Primo clare affirmetur non dari hominibus alia salus nisi in Christo Iesu, *Act.* 4, 12. Ubi deest praedicatio et plena praesentia Ecclesiae quae est oeconomia normalis, a Deo volita, gratiae habentur suppletionis, quod est quid abnormale provisorium. *Rationes*: debet activitas missionalis ex ipso proposito Dei deduci. Ita necessitas Ecclesiae apparet in plena luce evacuaturque falsa oppositio supracitata.

Lin. 34: ad hoc opus perficiendum Ecclesia suapte natura urgetur: necessitas et incumbit (*1 Cor.* 9, 16). Corpus enim Christi mysticum ad suum

proprium incrementum viros indesinenter colligit et ordinat (cf. *Eph.* 4, 11-16), et spiritus sanctus Christi discipulos, cuiuscumque sint communionis, impellit ut, communi conatu, omnes quippe baptizati, coram gentibus in mutua aestimatione, Evangelii testimonium reddant, eiusque spei quae non confundit (Decretum *de Oecumenismo,* n. 12). *Ratio*: necesse est aliquid dicere de oecumenismo, in schemate de activitate missionali. Urget haec quaestio.

Pag. 9, n. 8, lin. 35 usque ad pag. 10, lin. 15: totus numerus deleatur. Nn. 7 et 9 ad invicem cohaerent. N. 7 est introductio ad n. 9. Si tamen hic numerus manet, faciendae sunt sequentes emendationes.

Pag. 9, n. 8, lin. 39: legere: « Christus, Deus verus et homo verus, perfectio ... ».

Pag. 10, n. 8, linn. 6-7: legere: « quod primo de personis valet, sed etiam ex consequenti de diversis bonis mundi huius ... ». *Ratio*: nam res non eodem modo habetur. Personae proprie sanctificantur. Res temporales, in suo ordine manentes, a gratia evangelica sanantur et inspirantur ex derivatione.

Pag. 10, n. 9, lin. 22: pro « perficit », rectius: ad effectum deducit et perficit ...

Pag. 10, n. 9, linn. 22-26: denuo scribentur. Nam: linn. 22-24: non ... tantum: formulatio negativa est valde infausta, dum agatur de summa realitate in terra. Quid altius quam Evangelium et sacramenta?

Pag. 10, n. 9, linn. 24-26: « sed quidquid ... restituit »: *a*) si agatur de valoribus naturalibus, tantum disponunt ad Christum; *b*) si agatur de gratia, derivatur a Christo et verbum « restituit » non convenit. Mutentur sic: « Per verbum praedicationis Christum sic annuntiat et per celebrationem sacramentorum, praesertim sanctissimae Eucharistiae, Ipsum praesentem reddit; insuper dum omnem gratiam a Christo derivatam ad suum fontem reducat, eam plene fructificare permittit ita ut quidquid veritatis et gratiae iam apud gentes quasi secreta Dei praesentia inveniebatur, a contagiis malignis liberet et Auctori suo Christo restituat.

Pag. 9, nn. 7-8, linn. 1-42 et pag. 10, nn. 8-9, linn. 1-39: paragraphorum ordo 7-8-9 sic mutetur. Post paragraphum 7 debet immediate sequi par. 9. In fine erit locus par. 8, si manet.

Cap. II. Pag. 11, n. 10, lin. 10: emendatio: Christifideles, ut omnibus mysterium salutis vitamque a Deo allatam offerre possint, ad fraternam vitam inter omnes hos coetus vivendam vocantur, et sic Ecclesia omnes hos coetus assumit et elevat eodem motu. *Ratio*: motus incarnationis implicat assumptionem et elevationem. Non est simplex motus insertionis in mundum.

Pag. 11, n. 11, lin. 15: post: « testimonio verbi », addatur: « virtutem Spiritus Sancti, a quo per confirmationem roborati sunt ». *Ratio*: necesse est mentionem facere de Spiritu Sancto.

Pag. 12, n. 12, lin. 16: post « exoptant », addere « seclusa omni confusione inceptis ... ». *Ratio*: necesse est periculum confusionis removere.

Pag. 12, n. 12, lin. 18: post: « promoventur » addatur: in hoc opere impendendo christifideles gratuitum testimonium caritatis Patris reddant, docente Domino ignorare debere sinistram quid faciat dextera (cf. *Mt.* 6, 3). *Ratio*: puritas et gratuitas intentionis et spiritus servitii ad imitationem Dei firmiter affirmari debet, cf. *de apostolatu laicorum,* n. 8, pag. 25, linn. 25-40, ubi agitur de actione caritativa.

Pag. 12, n. 13, lin. 34: post: per domos (*Act.* 20, 20), addatur: « ut ait apostolus: Vae mihi si non evangelizavero (*1 Cor.* 9, 15) et Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? (*Rom.* 10, 14; cf. *Act.* 5, 42; *1 Cor.* 1, 23; *Gal.* 1, 15) ». *Ratio*: virtutem Verbi Dei debemus solemniter proclamare.

Pag. 12, n. 13, lin. 40: addatur: Conversio est transitus a vetere homine ad novum hominem in Christo perfectum, qui per mysterium mortis et resurrectionis exercetur, implicans modificationem morum et mentalitatum. Qui transitus cum suis socialibus implicationibus manifestus debet apparere, et in catechumenatu progressive evolvitur. *Ratio*: nova paragraphus ad conversionem pertinens, de qua debemus manifestare quid sit, necessaria est.

Pag. 13, n. 13, lin. 5: pro: « De libertate », legere: « De libera indole ... ». *Ratio*: Haec libertas non affirmatur erga Deum, sed erga quamcumque auctoritatem humanam.

Pag. 13, n. 14, lin. 11: addatur: « Antequam ad catechumenatum perveniant, multi manent audientes ut testatur experientia christiana ». *Ratio*: existunt ab initio Ecclesiae in praeparatione catechumenatus audientes id est cupidi certiores fieri de vita christiana quin sciant si ad conversionem pervenerint.

Pag. 13, n. 14, lin. 12: post verbum: « Ecclesia », addatur: « in persona Patrini qui ad ministrum sacrum dixit ».

Pag. 13, n. 14, lin. 14: post verba: « et tirocinium sat longum » addatur: « Patrino cum patientia iuvante ».

Pag. 13, n. 14, linn. 13-14: verba: « non est ... expositio, sed » deleantur. Legere: « qui est totius vitae ... ». *Ratio*: doctrina est pars essentialis. Nam fides, quae est ex auditu, est initium salutis.

Pag. 13, n. 14, lin. 18: pro « populi Dei », legere: « Ecclesiae ».

Lin. 24: post: « ut animos catechumenorum », addatur: « a patrino prudenter traditorum ».

Lin. 28: post verba: « a tota communitate fidelium » addatur: « praesertim a patrinis ... ».

Lin. 32: post verba: « cooperari, et sic fiant (vice sua) » addatur: « Patrini Fratrum adhuc in tenebris degentium ». *Ratio*: institutio patrini est magni momenti.

Pag. 14, n. 15, linn. 7-8: emendatio: « Ipsa enim sacrificio eucharistico mundum incessanter in oblatione sua portat, ut cum Christo ad Patrem transeat ». *Ratio*: Ita intentio textus melius explicatur.

Pag. 14, n. 15, lin. 18: « fratres a se separatis ». Lin. 21: post « indifferentismi » addere: « vel confusionismi quam ». *Ratio*: tale periculum etiam existit. Post: « communi », addere: « pro quanto datur professione ... ». *Ratio*: quia haec communis professio fidei non semper existit.

Pag. 14, n. 15, lin. 30: post: « omnino », addere: « amorem hominum universalem promoveant ». *Ratio*: necesse est affirmare positive amorem universalem.

Linn. 34-35: « quae vocatione divina inter viros mulieresque ex ipsa fidelium congregatione ».

Pag. 14, 15, n. 15: hic necessario desideratur novus numerus de laicatu explicite loquens. Quandoque sermo fit de communitate fidelium, v. g. nn. 14, 15, 19, citando textus const. *Lumen Gentium*: De laicis quaestio fit in n. 39 ubi de cooperatione tractatur, sed permixtim « de laicis sive advenis sive autochtonis ». Certe agitur de catechistis, sed quasi completum silentium de necessitate apostolatus laicorum, de eorum proprio munere de formatione membrorum A. C., de eorum responsabilitate in Ecclesia et in mundo. Relate ad *Princeps Pastorum,* cuius dimidia pars de laicis tractabat, nn. 24-52, textus noster recessum dolendum constituit.

Pag. 15, n. 16, lin. 25: addatur: « semper tamen maneant in communione cum valoribus universalibus a traditione Ecclesiae communicatis ». *Ratio*: particularismus ubique renascitur. Itaque necesse est ut declaretur quanti momenti sunt valores universales. Periculosum est in diversitates culturarum semper insistere, quin affirmetur simul universalitas.

Pag. 15, n. 16, linn. 29-32: lin. 29: verba « ut clerus localis... idoneus evadat », deleantur, et lin. 32: post: « perficiant » addatur: « ita ut ex clero locali inveniantur sacerdotes ad ministeria maximi momenti adimplenda et ad problemata difficillima apostolatus solvenda idonei. Insuper Universitates et Instituta superiora in ipsis nationibus condentur ». *Ratio*: textus valde insufficiens, dum parvi facere videatur munus cleri localis, relate ad missionarios de quibus habetur, pag. 20, n. 24, linn. 35 s. Universitas in ipsa natione est scopus laudabilis quia sic dependentia ab aliis minuitur ac problemata melius solvuntur.

Pag. 15, n. 16, lin. 33: « cursus renovationis biblicae, doctrinalis... ». *Ratio*: oblivio illius aspectus mira est.

Pag. 15, n. 16, lin. 42: post verbum: caritativis, addatur: « vel etiam professionem saecularem cum apostolica responsabilitate aut opere exercentes ». *Ratio*: hi sunt maximi momenti.

Pag. 16, n. 17, linn. 19-22: deleantur: Non est Ecclesiae sustentationi catechistarum providere, formationi tamen debet providere. Possunt linn. 21-22 servari, si deleatur « et sustentationi ».

Pag. 16, n. 17, lin. 23: « Si... fundetur » deleatur. *Ratio*: directores nationales Operis Pontificalis de Fide Propaganda hoc respuerunt, cf. *Acta Pontificalium Operum,* 1964, pag. 7. Ratio allata erat: opera non sunt mul-

tiplicanda. Insuper Concilium non potest ferre normas nimis particulares. quae vel inopportunas esse forsan apparebunt.

Linn. 28-29: verbum: « canonica », deleatur. *Ratio*: haec expressio in schemate *de apostolatu laicorum* explicite respuitur, cf. pag. 57, ad n. 24, F. Documenta conciliaria concordare oportet.

Pag. 16, n. 18, lin. 40: addatur: « in vitam religiosam *christianam* assumi... ». *Ratio*: sic clarius res dicitur, cum hae traditiones iam « religiosae » sint.

Pag. 17, n. 18, lin. 9: addatur: « Omnes prae oculis iugiter habeant vitae contemplativae exemplar, S. Theresiam a Iesu Infante, principalem Patronam Missionum ». *Ratio*: connexio missionis et vitae contemplativae debet affirmari.

Pag. 17, n. 19, linn. 10-17: deleatur haec paragraphus, in qua oppositio apparet inter plantationem Ecclesiae et autonomiam illius Ecclesiae; in qua etiam vocabulum ambiguum et obscurum remanet (quid est « certa meta », « quadam stabilitate »).

Pag. 17, n. 19, lin. 33: loco « perfecta erit » dicatur: melius exprimetur. *Ratio*: has Ecclesias antea in communione perfecta cum tota Ecclesia non esse est theologice falsum. Insuper haec expressio adhibetur in decreto de Oecumenismo pro « Ecclesiis a nobis seiunctis » (n. 3: « In quadam cum Ecclesia catholica communione, etsi non perfecta constituuntur »).

Pag. 18, n. 19, lin. 4: verba: « ita ut... valeant » deleantur. *Ratio*: hodie interdependentia omnium Ecclesiarum ut factum et quidem faustum habetur. Unde suiipsius sufficientia ut finis praesentari nequit.

Pag. 18, n. 20, lin. 8: legere: « *E*cclesiae ». In omnibus textibus deberet scribi: *E*cclesiae.

Lin. 18: post « consignata » addere: « ab Ecclesiae Doctoribus explicata... ». *Ratio*: Ecclesia etiam doctrinam theologicam accumulavit.

Linn. 19-20: legere: « habita sapientiae populorum... ». *Ratio*: ne leviter tractetur de difficillimo problemate relationis inter philosophiam et philosophiam perennem. Dantur et diversitas et unitas humanae mentis.

Linn. 27-29: legere: « Novarum denique Ecclesiarum particularium, suis traditionibus exornatarum, locus plene apparebit in ecclesiastica... ». *Ratio*: quia hunc locum habent inde ab initio.

Pag. 18, n. 20, linn. 29-30: loco « integro... praesidet », legere: « Petro universo caritatis coetui praesidente ». *Ratio*: ad meliorem unitatem sermonis.

Pag. 18, n. 20, lin. 30: addatur: « Optandum est ergo ut conferentia episcopalis intra limites uniuscuiusque magni territorii socio-culturalis, inter se ita coadunentur ut communibus consiliis hoc aptationis propositum concordi anima persequi valeant ». *Ratio*: necesse est manifestare coordinationem conferentiarum episcopalium.

Cap. III. Pag. 18, n. 21, linn. 35-38: post verbum: « dividi (*1 Cor.* 12, 11) » sic mutentur: « vocationem missionariam in Ecclesia inspirare

numquam desinit. Simulque Ordines ac Instituta religiosa munus evangelizationis ad totam Ecclesiam pertinens, directe vel indirecte et suum, immo quandoque quasi proprium, officium suscipiunt ». *Ratio*: a) peculiaris vocatio ad missionem pro multis venit mediante obedientia religiosa. Quandoque activitas non directe missionaria, vel vita pure contemplativa (S. Theresia ab Infante Iesu) ad intentionem missionem offertur; *b*) evangelizatio omnimoda est missionaria. Quandoque indirecte v. g. docendo, aliquis missioni participet; *c*) plurima instituta habent activitatem missionariam ut *partem* essentialem sui muneris.

Pag. 19, n. 22, lin. 14: legere: « et, praeter peccatum et errores, similem... ». *Ratio*: forsan haec praecisio est necessaria relate ad certas recentes deviationes.

Pag. 20, n. 23, lin. 4: paragraphus sic mutetur post verbum: « mittitur (cf. 2 *Cor.* 4, 10 ss.) »: « Huius vitae apostolicae exemplar colat B. Virginem Mariam, Reginam Apostolorum seu Matrem Ecclesiae, quae, cum apostolis ante diem Pentecostes, precibus suis imploravit donum Spiritus et quam missionaria et catholica Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, filiali pietatis affectu tanquam matrem amantissimam prosequitur ».

Pag. 20, n. 24, lin. 31: forsan sufficit legere: « secundum suas traditiones ». *Ratio*: non omnes hae traditiones sacrae dici possunt.

Pag. 20, n. 24, linn. 35 ss.: denuo scribantur, quia haec officia non solis missionariis reservantur, dum n. 15, linn. 29-32 rite affirmetur clerum localem ad omnia munera ecclesiastica destinari.

Cap. IV. Pag. 22, n. 27, linn. 17-22: alia versio introducatur: « In decisionibus huius dicasterii partem activam habeant repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant: episcopi ex toto orbe, quicumque est ritus, necnon moderatores institutorum et operum pontificalium hi omnes statutis temporibus convocandi, supremam gubernationem totius operis missionalis participent ».

Pag. 24, n. 32, linn. 1-6: sic mutetur: « Cum rectum et ordinatum exercitium actuositatis missionariae requirat ut operarii evangelici ad munera sua, praesertim ad dialogum cum religionibus et culturis non-christianis rite praeparentur et adiuventur, omnino necessaria est scientifica investigatio variarum conditionum in quibus activitas missionalis in unoquoque magno territorio socio-culturali versatur. Ad hos fines assequendos, unitus et ordinatus labor requiritur Institutorum quae sequuntur:

a) Instituta superiora ad profundiorem culturarum et religionum cognitionem promovendam quae diversis spatiis et coetibus culturalibus correspondent. Quae Instituta intendunt tum praeparare dialogum cum nonchristianis (cf. supra n. 11), tum inquirere in vias quibus reflexio theologica indoli et ingenio populorum respondeat (cf. supra n. 20).

b) Instituta superiora pro collaboratione praestanda ad progressum populorum in rebus oeconomicis et socialibus. Finis eorum est scientifica et

technica formatio eorum qui huic operi periti ex christiana responsabilitate adlaborare cupiunt.

c) Pro Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis constitutis vel condendis in novellis Ecclesiis, conferentiae episcopales statuta et rationem studiorum accommodatam praeparent, quae ab Auctoritate Apostolica approbanda vel confirmanda sunt.

d) Instituta superiora missiologica, pastoralia, catechetica et liturgica variis in locis iam existentia, intimius et arctius inter se in favorem Missionum collaborent. Similia Instituta et Centra, conditionibus loci adapta, in missionibus quaeque promoveatur, quae mutuo sibi assistant et ab Institutis superioribus maiore experientia et mediorum copia gaudentibus, ultro adiuventur ».

Cap. V. Pag. 24, n. 34, lin. 13: mutetur sic: « Ipsi per Baptismum incorporati, per Confirmationem roborati, necnon per Eucharistiam nutriti omnes fideles... ». *Ratio*: necesse est fundamentum sacramentale missionis manifestare.

Lin. 21: legere: « fervor in Dei dilectione et servitio... ». *Ratio*: non tantum servos, sed amicos...

Pag. 25, n. 36, lin. 21: legere « Ecclesiarum... ». Lin. 29: legere: « inter infirmos, pauperes et pueros ».

Pag. 26, n. 36, lin. 2: post verbum: « laborent », addatur: « Ad hanc operam, sacerdotes qui sese considerant idoneos, se sponte offerant ». *Ratio*: ad hoc vocantur tam episcopi mittendo, quam sacerdotes sponte respondendo. Haec affirmatio posset etiam sub n. 37 venire.

Pag. 26, n. 36, lin. 14: addatur: « Cooperatio inter episcopos novellarum Ecclesiarum et episcopos veterum Ecclesiarum debet institui ut iuventur omnes qui ut laborent vel ut studeant veniunt in nationes magis evolutas et qui alienati ab aliis societatis coetibus saepe manent ».

Pag. 26, n. 36, lin. 34: addatur: « Omnes sacerdotes, sive in praedicatione, sive in sollicitudine pastorali, christifideles veram conditionem ».

Pag. 26, n. 36, lin. 36: « Professores Universitatis in tradendis ». *Ratio*: melior apparet sequentia propositionum.

Pag. 27, n. 38, lin. 13: post: « in Christo », addere: « necnon sensus magnitudinis Dei inter... ». *Ratio*: quia purus sensus Dei in vita contemplativa nutritur.

Lin. 26: pro: « utilis », melius: « fructuosa ».

Pag. 27, n. 39, lin. 30: sic mutetur: « Per baptismum in Ecclesia incorporati, sacramento Confirmationis perfectius Ecclesiae vinculantur, speciali Spiritus Sancti robore ditantur (Const. *Lumen gentium,* n. 11). Sic laici suscipiunt derivationem Sacerdotii Christi ad aedificandum Corpus cuius membra sunt.

* * *

Cap. II, art. 3. N. 18 bis, pag. 17, lin. 10 (numerus novus):

N. 18 bis (*De apostolatu laicorum fovendo*). Si onus fidei disseminandae cuilibet discipulo Christi pro parte sua incumbit et si multi homines nonnisi per vicinos laicos Evangelium audire et Christum agnoscere possunt, hoc cum maxima urgentia valet in locis ubi Ecclesia in cunabulis est. Praeterea Ecclesia tantummodo vere fundata est, plene vivit et Christi signum est quando cum Hierarchia laicatus veri nominis exstat et laborat. Tandem Evangelium non potest radicibus infigi in ingenio, vita, cultura et labore alicuius populi sine actuositate apostolica laicorum. Ideo in fundatione Ecclesiae maxime attendendum est ad laicatum constituendum.

Inceptis apostolicis laicorum, evangelizatio, nuntium Christi scilicet et testimonio vitae et verbo, in condicionibus saeculi completur; lux, caritas ac vita Christi totam vitae institutionem pervadunt et in dies magis transformant; non tantum singuli homines, sed etiam mentes collectivae, mores, instituta et ambitus vitae spiritu christiano informentur; quidquid boni in corde menteque hominum vel in propriis ritibus et culturis populorum seminatum invenitur, in opere evangelizationis a destructione infausta protegitur, melius dignoscitur, sanatur, elevatur et consummatur ad gloriam Dei et beatitudinem hominum; ipsa communitas christiana vividior efficitur. E contra, hac operositate apostolica laicorum deficiente, vita socialis aliena a Christo manat, christianismus in superficie stat, et neophytis quasi impossibile est christianos remanere.

Christifideles laicos Pastores iuvent ut magis magisque suarum responsabilitatum apostolicarum conscii fiant, ut eos in totius populi Dei solidarietate Pastorum unione exerceant, ut in omnibus eventibus, condicionibus et vitae problematibus lumine Evangelii inspicere, iudicare et agere discant: ita cohaerentia vitae cum fide lux mundi efficientur et, testimonio vitae et verbi, Christum nuntiabunt.

Servatis ergo Pastorum et laicorum vocationibus et responsabilitatibus propriis, apostolatus laicorum peculiari urgentia promovendum est, ad mentem Constitutionis *Lumen gentium* et Decreti *de apostolatu laicorum*; speciatim Actio Catholica, saepe a Summis Pontificibus et episcopis commendata, ratione habita ingenii et condicionum populorum quam maxime promovenda est. Ita tota Ecclesia novella testimonium vivens et praeclarum Christi eiusque salutis secundum suam missionem reddere poterit.

N. 15, pag. 14, lin. 37: addere: « ... diaconorum et catechistarum operositasque apostolica laicatus ».

N. 19, pag. 17, linn. 23-24: addere: « familiae per vitam vere christianam seminaria evadunt apostolatus laicorum et vocationum sacerdotalium et religiosarum ».

N, 21, pag. 18, lin. 35: addere: « peculiarem vocationem missionariam, tam laicalem quam sacerdotalem et religiosam, in cordibus... ».

Ratio: visionem nimis clericalem Ecclesiae schema praesentat, nec satis insistit de apostolatu laicorum et de laicatus momento. Ideo hae emendationes proponuntur.

109

Exc.mus P. D. IACOBUS RYAN

Episcopus tit. Margenis, prael. null. Santaremensis

Gratissimi esse debemus erga commissionem conciliarem quae laudabili nisu principia doctrinalia praeposuit activitati missionali Ecclesiae.

Priores quattuor paragraphi cap. I eximia sunt. Liceat tamen nobis dicere quantum nos fefellerit lectio par. 5-6.

Singulae sententiae pulcherrimae sunt. Sed omnia ita incomposita et confusa ut uterque paragraphus fere nulla gaudeat claritate.

Si materia aliquantum contrahatur, paululum emendetur et melius distribuatur, haud difficile est clare ac distincte proponere: *a*) in n. 5 munus missionale Ecclesiae a Christo intentum ac concreditum; *b*) et in n. 6 activitatem vere missionalem, prout ab omnibus intelligitur, scil. activitatem propriam Missionum Exterarum.

Munus missionale Ecclesiae et activitas missionalis sunt etenim duae notiones omnino distinctae, licet inter se arcte coniunctae.

N. 5. Sententia princeps huius paragraphi, recte prodiens ex supra dictis, haec esse deberet: propter generale munus a Christo sibi commissum, Ecclesiae est *a*) et curam pastoralem habere de iis qui iam in Christi ovile vivunt; *b*) et per apostolatum adducere in Ecclesiae caulas ceteros omnes qui adhuc foris sunt.

Hinc optime perficeretur paragraphus his verbis ipsius schematis (pag. 7, linn. 17-23): « In exsequendo vero hoc mandato Ecclesia tota cooperatur, unusquisque secundum locum, officium et gratiam in Corpore ». Quae esset optima conclusio quintae paragraphi.

N. 6. Transitus deinde fiat a generali missione Ecclesiae ad activitatem missionalem proprie dictam, de qua est sermo in n. 6.

Quam maxime expedit ut haec paragraphus ab ipsa definitione missionis initium faciat.

Prorsus relinquenda videtur illa descriptio Missionis quae in n. 5 legitur (pag. 7, linn. 23-30), pulcherrimis utique composita, sed omnino ambigua, ideoque nullo modo probanda veluti clara et distincta notio Missionis a Patribus conciliaribus vehementer postulata, ut ipse illustrissimus Relator memoravit (Relatio super schema decreti, pag. 5, linn. 6-12).

Definitio autem habetur clara et distincta in ipso n. 6 (pag. 8, linn. 30-33), sed — proh dolor! — est notio inexplicabiliter et indebite restricta ad populos vel coetus non credentes.

Inexplicabiliter et indebite quia haec notio, prout iacet, *a*) adversatur liberalitati ipsius schematis in ipso n. 6 clare manifestae (pag. 8, linn. 19-20); *b*) adversatur cursui historiae: cum innumerae dioeceses missionariae et vicariatus et praefecturae apostolicae ab ipsa Sacra Congregatione de Propaganda Fide creatae sint in America Latina (ergo: non apud populos non credentes) in hoc saeculo, immo pleraeque earum in novissimis decenniis huius saeculi! *c*) et adversatur rei et veritati: Nos, praelati nullius in Regione Amazonica, opus missionale facimus in difficilioribus regionibus, quibus desunt itinera, torridus aer debilitat, alimenta deficiunt, morbi multiplices grassant. Neque nostro arbitrio aut humano consilio has inhospitas oras petimus, sed « a legitima auctoritate missi », ut dicitur in schemate (n. 21, pag. 19, linn. 2-3). Qui nomine ac munere missionariorum honorantur et ius habent ut in schemate hoc germana claritate eorum quoque activitas recognoscatur.

Oramus ergo et obsecramus ut perficiatur clara et distincta notio Missionis quae habetur in n. 6. Iam de hac re propositiones latae sunt ab aliis Patribus, quibus assentimur toto corde.

Post definitionem merito in schemate explicatur finis proprius activitatis missionalis, scilicet dilatatio seu plantatio Ecclesiae: pag. 8, linn. 33-38.

Ad claritatem autem huius paragraphi multum praestat ut aperte dicatur quod activitas missionalis exerceri debet

1. ante omnia et potissimum in terris in quibus Christus nondum agnitus est ut divinus mediator Dei et hominum atque unicus salvator eorum;

2. sed etiam in illis regionibus ubi Ecclesia catholica, ob tam lugendas divisiones in Christi Corpore, efficaci praesentia destituitur (sicut v. g. in tota Scandinavia);

3. necnon denique in aliquibus regionibus, quae catholicae nuncupantur, ubi tamen Ecclesiae particulares nondum aut non amplius, ob magnum defectum cleri nativi aut ob immaturitatem christianae vitae, vitalitatem normalem ex seipsis, propriis viribus, manifestare valent.

Par. 6 proinde perfici poterit optimis rationibus in ipsa schematis paragrapho iam contentis (pag. 8, linn. 38-42 et linn. 14-19).

[*Subscripserunt etiam*] *Cf. pag. 207.*

110

Exc.mus P. D. LUCAS AUGUSTUS SANGARÉ
Archiepiscopus Bamakoensis

Introduction: Au chapitre IV du schéma *de activitate missionali Ecclesiae,* il n'est pas fait mention suffisante de la situation nouvelle créée aux Missionnaires et à leurs Instituts par l'érection de la Hiérarchie et

la prise en charge des responsabilités par des Evêques Résidentiels, que ceux-ci soient autochtones ou étrangers.

En son paragraphe 30, le schéma semble appréhender toute directive en la matière. Il se contente de préconiser un arrangement à l'amiable entre les Conférences Episcopales et les Instituts Missionnaires, avec l'approbation du Saint-Siège. Il y a là pourtant un problème extrêmement important pour l'avenir des Missions. Aussi il me paraît nécessaire que le Concile l'aborde franchement et donne les orientations fondamentales. Qu'il me soit donc permis de livrer ici quelques réflexions là-dessus.

Les Relations entre Evêques Résidentiels et Instituts Missionnaires sont dominées par: 1) l'exercice du « Ius Commissionis » qui donne aux Instituts Missionnaires certaines prérogatives devant normalement relever de l'autorité épiscopale; 2) les pouvoirs des Supérieurs Religieux dits « Régionaux »; 3) le « besoin immense » qu'ont les Nouvelles Eglises Particulières, d'un clergé diocésain dans son statut comme dans sa mentalité.

Du « Ius Commissionis ». Le problème canonique du « Ius Commissionis » doit être règlé en premier lieu; et cela en fonction des lumières théologiques apportées par la Nouvelle Constitution Conciliaire sur l'Eglise.

Historiquement, tant que le rôle du Collège des Evêques n'avait pas encore été mis en valeur, le Souverain Pontife était considéré comme le *seul Evêque* de tous les pays où la Hiérarchie n'avait pas encore été régulièrement instaurée. Ne pouvant en assumer la responsabilité par lui-même, il se déchargeait de cette tâche immense, sur des Instituts Missionnaires auxquels il confiait des territoires à évangéliser. Il leur reconnaissait un certain « monopole » sur ces territoires. Dans l'ordre de la Juridiction, il s'engageait (moralement) à traiter tous les problèmes importants concernant ces territoires, par le canal des Maisons Généralices. Il s'engageait en particulier, à ne nommer comme Chefs de Mission que des membres de la Société responsable, sur présentation des Supérieurs Majeurs.

Parmi les Chefs de Mission, les uns n'étaient pas revêtus de caractère épiscopal; les autres étaient évêques, mais avaient nom de « Vicaires Apostoliques ».

Le titre des « Vicaires Apostoliques » était celui d'une Eglise Ancienne et non celui du Territoire qu'ils administraient comme « délégués du Pape », dans une certaine dépendance de la Maison Généralice de leur Institut respectif. De la sorte, ils étaient soustraits de l'emprise des Pouvoirs Politiques.

Les Instituts Missionnaires, comme tels, se sentaient donc le droit et le devoir de donner à l'ensemble de leurs membres et pour l'ensemble des régions confiées à leur zèle, des ordres, des consignes, des conseils, sur tous les plans (évangélisation, pastorale, vie matérielle, etc.).

Alors que cette situation ne semble pas poser de difficulté majeure dans le cas où le Chef de Mission était un simple prêtre, il est moins sûr qu'il n'y avait pas déjà un problème pour le cas du « Vicaire Apostolique », même

avant Vatican II. En effet, le Concile de notre siècle n'a rien innové; il a seulement mis en évidence une doctrine contenue dans la Révélation, et pratiquée dans l'Eglise depuis les origines (cf. Discours de Paul VI, lors de la promulgation de la Constitution sur l'Eglise).

L'Episcopat a toujours été un sacrement; et la réception de ce sacrement a toujours agrégé l'Evêque au Collège Episcopal, dès lors qu'il est en communion avec le Souverain Pontife.

Vraiment Evêques, les « Vicaires Apostoliques » jouissaient donc des droits inhérents à leur caractère épiscopal. Avec le Pape, ils étaient responsables solidairement de toute l'Eglise: ce qui, d'après le Concile Vatican II, est la conséquence directe de la Collégialité Episcopale (cf. Nouvelle Constitution *De Ecclesia,* cap. III, n. 23, § 2).

Dès lors, on en arrive à cette situation pour le moins étrange, où un Evêque, de droit responsable de l'évangélisation du monde, en union avec le Souverain Pontife, délègue ce droit, toujours en union avec le Saint Père, à un Institut Missionnaire. Et cela a pour effet de le priver d'un pouvoir inhérent à son caractère épiscopal, alors que ce pouvoir lui sera ensuite, en quelque sorte, remis, plus ou moins amputé, par le dit Institut Missionnaire.

Telle était la situation des « Vicaires Apostoliques ». Le moins qu'on puisse dire est qu'elle était théologiquement obscure, même si elle était canoniquement claire, du fait que la Hiérarchie n'étant pas instituée, les « Vicaires Apostoliques » n'étaient pas sacrés au titre d'une Eglise Particulière. Ils étaient pourtant bel et bien Evêques, sacramentalement et collégialement!...

En tout cas, à l'heure actuelle: d'une part, les notions de sacramentalité de l'Episcopat (cf. Nouvelle Constitution *De Ecclesia,* cap. III, n. 21) et de Collégialité Episcopale (n. 23) ayant été précisées par le Concile Vatican II; d'autre part, l'instauration de la Hiérarchie Résidentielle et la nomination d'Evêques non-membres des Instituts Missionnaires ne permettant plus le maintien d'une telle situation, le « Ius Commissionis » doit être « aménagé ». Il ne saurait plus être la charge pastorale d'une Eglise Particulière, charge qui revient de droit à l'Evêque Résidentiel.

La solution ne consisterait-elle pas dans le changement du « Ius Commissionis » en un « Mandat de Service » que recevrait tel ou tel Institut Missionnaire, de la part de la Sacrée Congrégation « De Propaganda Fide » (Organe Principal du Corps Episcopal, pour le Missions), pour venir en aide à un Evêque Résidentiel dans un territoire de Mission?

Des pouvoirs des Supérieurs Religieux « Régionaux ». A côté de la question du « Ius Commissionis » qui ne saurait plus être autre chose qu'un « Mandat de service », il y a celle concernant les pouvoirs des Supérieurs Religieux, dits « Régionaux ».

C'est là sans doute l'un des nœuds du problème des Relations entre Evêques Résidentiels et Instituts Missionnaires.

D'après Vatican II, un Evêque Résidentiel est seul responsable du gouvernement de l'Eglise Particulière qui lui est confiée, nonobstant la diversité des Familles Spirituelles vivant sur son territoire. Or, qu'on le veuille ou non, actuellement, parce que le clergé des diocèses en Pays de Mission est principalement composé de Religieux ou « Assimilés », l'autorité de l'Evêque est souvent et sérieusement partagée. Et la dualité des pouvoirs qui ressort de ce fait scandalise parfois les fidèles, comme elle est mal interprêtée par les Chefs Civils.

Si l'on « durcissait » le côté religieux de la vie des Missionnaires et renforçait les pouvoirs des Supérieurs Régionaux, pour, en quelque sorte, donner une personnalité collective à l'Institut Missionnaire face à l'Evêque, on ne ferait que « brouiller les cartes ». Plus ou moins consciemment, chaque fois qu'une difficulté surgirait, les Missionnaires auraient tendance à se retrancher derrière le Supérieur Régionaux, posant à chaque fois sur le plan des rapports Hiérarchie-Institut des problèmes qui sont, au fond, ceux des rapports interpersonnels Prêtre-Evêque.

L'accent mis sur le côté religieux de leur vie qui les place dans « l'Etat de Perfection », pourrait avoir aussi pour résultat de faire admettre par les Missionnaires le primat de l'appartenance à leur Institut sur l'engagement au service d'un diocèse de Mission qui manque de clergé diocésain.

Il me semble donc qu'une certaine renonciation au rôle d'autorité des Supérieurs Religieux Régionaux dans les Nouvelles Eglises Particulières où les Religieux constituent le gros du clergé, serait souhaitable, « servatis stricte servandis ».

Le Schéma *De activitate missionali Ecclesiae* reconnait bien, dans son préambule, qu'à l'heure actuelle, « surgit un nouveau visage de l'humanité ». Les Pays de Mission ne font point exception à cette transformation universelle. Comme « à temps nouveau organisation nouvelle », il est évident qu'une sérieuse modification des structures missionnaires de l'Eglise s'impose aujourd'hui, « ad maiorem Dei gloriam ».

Du besoin vital d'un Clergé Diocésain dans les Nouvelles Eglises des Missions. Un troisième aspect du problème des Relations entre Evêques Résidentiels et Instituts Missionnaires: le « besoin vital » des Nouvelles Eglises Particulières quant au Clergé Diocésain.

Dans les pays autrefois remis à la responsabilité des Instituts Missionnaires, si le Royaume du Christ a fait d'immenses pas, il demeure encore « en voie de développement ». Les Nouvelles Eglises Particulières confiées à des Evêques Résidentiels pleinement responsables, souffrent cruellement d'un manque de « prêtres diocésains ». Pour bon nombre d'entr'elles, la difficulté provenant de l'insuffisance du clergé autochtone ne sera pas résolue avant de nombreux décades, rien que pour les paroisses déjà existantes.

En vertu de la Collégialité Episcopale, tous les Evêques du monde se doivent de venir au secours de ces Nouvelles Eglises pauvres (cf. Nouvelle Constitution *De Ecclesia,* § 23). Ce fut déjà l'appel du Pape Pie XII dans

l'Encyclique *Fidei donum.* Plusieurs Evêques ont répondu généreusement, en acceptant de détacher de leurs prêtres en service temporaire dans les Nouvelles Eglises en question. Mais cette solution, du moins telle qu'elle est vécue actuellement et probablement de par sa nature même d'aide momentanée, n'est pas suffisante. Il faut à chaque Nouvelle Eglise Particulière des pays de Mission un clergé stable, permanent, qui accepte de la considérer comme *leur Eglise.* Il faut des prêtres missionnaires qui, nonobstant leur appartenance à tel ou tel Institut, consentent volontiers de constituer un clergé que j'appellerais « quasi-diocésain », comme de prendre intégralement l'Evêque du lieu comme *leur Evêque.*

En effet, sans clergé diocésain, un Evêque ne peut pleinement remplir son rôle de responsable tel que le définit la nouvelle Constitution Conciliaire sur l'Eglise.

Jusqu'à Vatican II, on avait trop souvent isolé le pouvoir du Souverain Pontife de celui du Collège des Evêques, alors qu'il en est le lien ou la tête et n'existe pas sans lui, bien qu'il n'en dépende pas... De même, on avait isolé le sacerdoce de l'Evêque de celui du Prêtre; et il ne manquait pas de théologiens qui se demandaient ce que la Consécration Episcopale pouvait bien ajouter à l'Ordination Sacerdotale. La Constitution *De Ecclesia* vient de dissiper tout doute en la matière. C'est le sacerdoce de l'Evêque qui est premier: le sacerdoce du prêtre en est la participation et le prolongement, tenant sa valeur et son efficacité de cette connexion qui relie sa mission à celle de l'Eglise Catholique (cf. *De Ecclesia,* §§ 25 à 28). Selon donc le Concile Vatican II, un Evêque Résidentiel, revêtu de la plénitude du Sacerdoce du Christ, a normalement pour collaborateurs des prêtres incardinés à son diocèse, des prêtres dont le sacerdoce découle du sien et par qui il exerce sa charge pastorale. Il est père de ses prêtres; il est responsable d'eux, comme étant les premiers membres de son peuple, au plan spirituel, au plan de la formation, au plan de l'évangélisation, au plan temporel.

Certes, le Clergé de l'Evêque peut-être « Religieux » ou « Assimilé aux Religieux »; et la nouvelle Constitution *De Ecclesia* le déclare bien (§ 26). Mais dans ce cas, en raison de l'Ordre et du Ministère, il doit s'articuler sur le Corps des Evêques.

Cela pose déjà un problème dans les diocèses où les Religieux sont une minorité, comparée à la masse du clergé diocésain ou séculier. A fortiori, ce problème existe, si on pose que tout, ou du moins la grande majorité du clergé du diocèse, appartient à des Communautés Religieuses diverses, toutes plus ou moins « exemptes ». L'Evêque ne risque-t-il pas de devenir une espèce d'arbitre entre les équipes sacerdotales ayant chacune ses règles de vie, ses supérieurs réguliers, ses rapports et compte-rendus à ses supérieurs.

Qui ne voit que, pour être un peu différent, le problème est aussi réel, si tout le clergé du diocèse, ou du moins une grande partie, relève d'une

unique Congrégation Missionnaire, surtout si cette Congrégation a exercé la charge pastorale dans le pays depuis des décades? Il arrive alors, bien souvent, que l'Evêque ait quelque peine à être vraiment responsable sur tous les plans où le Concile estime qu'il doit l'être. Et les gens de l'extérieur remarquent bien cela.

Chaque Institut Missionnaire ne devrait-il pas réétudier sa spiritualité pour voir comment y intégrer, sans lui faire perdre sa spécificité, les éléments fondamentaux d'une spiritualité ecclésiale et apostolique de prêtres consacrés au ministère paroissial en communion intime avec l'Evêque dont leur sacerdoce est le prolongement et relie leur mission à celle du Christ et de l'Eglise?

S'agissant de l'évangélisation, à l'heure actuelle où bien des méthodes anciennes sont à reviser, un Evêque Africain serait-il vraiment responsable dans son diocèse, si l'ensemble de son clergé appartient à un Institut Missionnaire qui a ses habitudes pastorales mûries et souvent importés dans le pays à partir d'expériences faites ou vues ailleurs?

Quant au gouvernement de son diocèse, un Evêque serait-il vraiment responsable si, pour les nominations de l'ensemble de son clergé, il doit sans cesse se référer à l'avis d'un supérieur religieux qui ne fait pas partie de son conseil, avec cette alternative peu réjouissante: ou de voir ses projets remis souvent en question, ou de passer outre et de s'aliéner une autorité religieuse qu'il n'a point intérêt à contrarier? Serait-il vraiment responsable si, pour le « bien de l'Institut », on peut lui enlever, même après préavis, un prêtre de valeur sur lequel il avait misé pour son Apostolat?

Ce sont là quelques exemples. Ils ne constituent point des doléances. Ils tendent simplement à montrer que lorsque l'ensemble du clergé d'un diocèse est « Religieux » ou « Assimilé aux Religieux », comme c'est souvent le cas dans plusieurs Nouvelles Eglises Particulières des Pays de Mission, cela ne va pas sans poser quelque difficulté à l'exercice normal de la charge pastorale de l'Evêque. Ils veulent être aussi des éléments de réflexion, en vue d'une meilleure adaptation au sein des Nouvelles Eglises Particulières des Missions.

Certes, en l'affaire il faut que l'Ordinaire du lieu, évite ce que j'appelerais « Episcopalisme » (exagération des pouvoirs de l'Evêque). Mais il faut également que les Instituts Missionnaires acceptent: une certaine reconversion de leurs structures et une certaine reconversion de quelques mentalités.

Je ne saurais terminer sans faire totalement mien ce que d'autres Evêques des Pays de Mission diront « in aula conciliari », au sujet de l'œuvre admirable réalisée par les Instituts Missionnaires en Afrique, au sujet de l'immense dette de reconnaissance que leur doit chacune de nos Nouvelles Eglises Locales. J'ajoute que les Instituts Missionnaires sont irremplaçables, au stade où nous en sommes.

111

Exc.mus P. D. VICTOR SARTRE
Archiepiscopus tit. Beroensis

Nomine plurium episcoporum, praesertim ex Africa Centrali, loquor. Non est cur repetam laudes quae iuste meritoque schemati nostro datae sunt. Tantum de mandato Christi apostolis tradito animadversiones proponere velim.

Textus de Missione Ecclesiae in cap. I, n. 5, est valde insufficiens. Cum mandatum Christi sit maximi momenti sive pro fundamento sive pro exercitio activitatis missionalis, necesse est hoc punctum magis extollere ita ut prospiciatur vis et amplitudo et urgentia verborum Domini. Unde propono:

1. Ut textus S. Matthaei (28, 18-20), qui proprie proclamat voluntatem Christi et Missionem Ecclesiae in mundo, integre citetur: « Data est mihi omnis potestas ... Euntes ergo docete omnes gentes ... Ecce vobiscum sum usque ad consummationem saeculi ».

2. Ut statim explanentur sensus et pondus illius solemnis mandati. Nam ex hoc textu patet quod Ecclesia iam ab exordiis et usque ad finem mundi missionem Christi continuat, tenetur omnes homines evangelizare. Itaque activitas missionalis est omnino necessaria: Ecclesia Christi concipi nequit absque activitate missionali. Munus maximum, munus praestantissimum apostolorum et populi Dei consistit in praedicatione Evangelii et extensione Corporis Christi usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi.

3. Coordinentur et componantur in n. 5 argumenta passim in cap. I et speciatim in n. 7 adhibita circa mysterium salutis. Etenim mysterium salutis a saeculis in Deo absconditum, ab ipso Filio Dei revelatur in mandato missionali, quia mandatum Christi non solum refertur ad consilium divinum, sed est proclamatio sollemnis voluntatis Dei qui vult omnes homines salvos fieri.

4. Plantatio Ecclesiae visibilis, quae est finis activitatis missionalis, ad illud consilium divinum et ad mandatum Christi referri debet. Nam quando Missiones progrediuntur et Ecclesiae particulares fundantur, ex una parte salus hominibus affertur, ex altera parte ipsae Ecclesiae particulares fiunt *signum* seu manifestatio ipsius mysterii salutis in mundo. Eo ipso apparet quod impletur consilium Dei in salutem peccatorum.

Textu sic emendato momentum et pondus verborum Christi melius, ut mihi videtur, intelligi possunt et necessitas ac urgentia missionum clarius prospiciuntur.

112

EXC.MUS P. D. FELIX SCALAIS
Archiepiscopus tit. Aquensis in Nimidia

1. *De prooemio.* In prooemio clare definiatur obiectum schematis. Manet enim aequivocatio inter missionem Ecclesiae sensu generico et missionem sensu specifico. « Ecclesia missionaria est natura sua » dicitur in cap. I. Vox « missionaria » sicut vox « missio » duplici sensu accipi potest: generico scil. et specifico. Missio Ecclesiae sensu generico significat illius munus annuntiandi evangelium « omni creaturae » sive ministri huius missionis operam exerceant apud propriam gentem sive apud exteros. Est genus proximum conceptus missionis. Hoc genus proximum autem contrahitur ad speciem per differentiam specificam quae est separatio ministrorum missionis a propria communitate sive haec sit patria ut ad « missiones exteras » tendant sive sit propria communitas fidelium ut « missionibus internis », ut aiunt, operam dent. Addita hac differentia specifica generi proximo devenitur ad missionem sensu specifico a. v. fit transitus a genere proximo ad speciem. Ecclesia natura sua missionaria est in utroque sensu. At in nostro schemate agitur de specie et non de genere proximo. « Segregate mihi Paulum et Barnabam ad opus ad quod assumpsi eos » (*Act.* 13, 2).

Nisi aequivocatio tollatur periculum adest ne vocationes missionariae in sensu specifico minuantur progressive.

2. *De cap. I et II.* Duo haec capita carent afflatu dynamico. Pauciora omnino enim dicuntur de necessitate Ecclesiae et baptismi ad salutem necnon de necessitate praedicationis. Item pauciora dicuntur de summa egestate spirituali qua laborant non-christiani.

A) Mandatum Christi Domini vix in memoria revocatur n. 5, linn. 18 et 19. Solum citatur mandatum *Mt.* 28, 19-20 et quidem incomplete. De *Marco* 16, 15-16 notatur tantummodo referentia dum ibi expresse dicitur: « praedicate evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit salvabitur, qui vero non crediderit condemnabitur ».

N. 7 paragr. 1. Ibi praesertim insufficienter omnino sermo fit de necessitate Ecclesiae; immo videtur minui et hoc propter modum structurae pericopis. Inprimis enim ponitur possibilitas salutis extra Ecclesiam et deinde tantum sermo fit de huius necessitate. Linn. 5-7 legimus: « Ecclesia enim tenet Deum viis sibi notis homines ad Fidem adducere posse, sine qua impossibile est ipsi placere, etiamsi Evangelium non audierint ». Deinde affirmatur necessitas fidei per praedicationem Ecclesiae suscitatae. Ponatur prius absoluta necessitas Ecclesiae ut via normalis salutis, deinde dicatur his vel similibus verbis « licet Ecclesia teneat Deum viis sibi notis ... etc. ».

Item plus aequo minuitur valor aeternae salutis procurandae ut motivum missionis dicendo negative linn. 3 et 4: « ratio huius missionis non

unice ex aeterna salute uniuscuiusque hominum evangelizandorum procuranda sumitur ». Schema debuisset affirmare talem salutem aeternam esse rationem et quidem magnam missionis licet non sit unica.

B) De summa egestate spirituali non-christianorum vix timida allusio fit n. 7, lin. 15. Citari potuisset *Eph.* 2, 1 s. Nonne haec egestas unum ex praecipuis motivis est zeli missionarii?

C) Pauciora dicuntur de necessitate praedicationis ad non-christianos. Haec est tamen explicitum mandatum Christi: « Docete omnes gentes » « praedicate evangelium ». « Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicatione » (*Rom.* 10, 14). Non sufficit testimonium caritatis si tale testimonium non explicatur praedicatione.

D) De urgentia praedicationis ad non-christianos nihil dicitur. Nonne quaedam data statistica quibus ostenderetur disproportio inter incrementum catholicorum et non-catholicorum alere potuissent zelum missionariorum et valide cooperare ad vocationes excitandas?

Immo talis urgentia videtur potius minui quando cap. II n. 11 et 12 longior sermo fit de praeambulis fidei ac si semper et ubique longius tempus decurrere deberet antequam Christus directe gentibus annuntietur. Quae in his numeris dicuntur vera quidem sunt sed dicatur directam evangelizationem pari gressu non raro procedere posse.

De catechumenatu. N. 14, linn. 11 et 12 legimus: « Qui fidem acceperunt a Deo per ecclesiam, liturgicis caeremoniis admittantur ad catechumenatum ». Nimiae severitatis est dicere non-christianos iam fidem habere debere antequam ad catechumenatum admittantur. Sufficit ut quodammodo Deo placere velint, a. v. ut habeant intentionem obiective rectam. Haec est ceteroquin praxis ordinaria missionariorum. Notetur insuper catechumenatum proprie dictum ordinarie praecedi a tempore plus vel minus longiore quod « postulatus » denominatur.

Ibidem cum nimia instantia sermo fit de cunctationibus antequam baptismum conferatur. Verum quidem est catechumenatum esse tirocinium vitae christianae sed ne inducantur missionarii ad nimiam severitatem et ad longiorem dilationem baptismi. Religiosa institutio neophytorum post baptismum compleri potest et debet sicut et modus sese christiane gerendi.

De libertate conversionis. N. 13 linea 5: « De libertate huius conversionis constare debet ». Verum quidem est sed forsan cautius dici potuisset ne forsan gubernium inimicum Ecclesiae ius sibi vindicaret de hac libertate iudicandi. Haec verba supprimi possent. Sufficiunt enim quae deinde dicuntur: « Ecclesia severe prohibet ne quis ad fidem amplectendam cogatur vel artibus importunis inducatur aut alliciatur ». Vel dicatur: « De libertate huius conversionis Ecclesiae constare debet ».

[*Subscripserunt etiam*] A. Jacques, ep. Boma; B. Mels, arch. Luluabourg; G. Kettel, ep. Kabinda; D. Catarzi, ep. Uvira; U. Morlion, ep. Baudouinville; E. Van den Bergh, ep. Budjala.

113

EXC.MUS P. D. PAULUS LEO SEITZ
Episcopus Kontumensis

Le schema peut être utilisé comme base de discussion; mais il est à souhaiter pour la Mission de l'Eglise qu'il soit sérieusement amendé en vue d'acquérir rigueur et concision - rigueur parce qu'il est encore trop dépendant d'idées reçues et conditionné par des situations de fait; concision pour être clair et utilisable. L'un et l'autre seront obtenus notamment par une meilleure articulation sur la Constitution *Lumen Gentium.*

Le *titre* est ambigu: il pourrait laisser croire qu'il s'agit d'une activité *à part* dans l'Eglise, à côté de la Liturgie ou de la Pastoration d'autant plus que c'est l'optique générale depuis ut certain temps (les missions comme service « de frange »); le schema s'en défend certes, mais l'esprit de renouveau doit informer aussi le vocabulaire.

Comme le Christ envoyé du Père l'Eglise est envoyée; son activité « missionnelle » n'est pas une de ses activités, mais son activité propre qui se spécialise en raison des situations humaines.

Il serait peut-être plus rigoureux de parler de *de Ecclesia ad gentes missa, de divina missionis institutione, de missione Ecclesiae* (ex mandato Christi) (ad gentes coadunandas), ...

§ 1, lin. 2: compléter: Ecclesia *natura sua apostolica et* ex intimis proprie *catholicitatis* exigentiis ...

Lin. 13: missionalis activitatis *totius Ecclesiae* (*istae*) principia delineare...

§ 2, 3, 4: homologues des § 2, 3, 4 de *Lumen Gentium* qu'ils reprennent avec d'autres mots et étirent en longueur. On dit que des missionnaires auraient demandé cette reprise pour avoir un tout sous la main, sans nécessiter le recours à *Lumen Gentium* qu'ils ne liront pas ... Ce n'est pas flatteur! Ce calcul serait en tout cas indigne du Concile qui n'a pas à se répéter mais à *articuler* ses travaux les uns sur les autres. C'est d'autant plus important pour notre sujet que l'institution de la Mission est inséparable de l'institution de l'Eglise et que l'agent premier en est le Collège apostolique. C'est cela qu'il fallait souligner en articulant le Décret sur la Constitution, non en démarquant la constitution dans le décret; c'est d'ailleurs là une des causes du manque de rigueur du schema.

Ces trois § peuvent tenir en quelques lignes: lignes 17 et 18 de la page 5, lignes 16, 30, 38 de la page 6, lignes 6 à 9 de la page 7, et on enchaîne le § 5 en le rattachant explicitement au § 17 de *Lumen Gentium.* Cela mettrait en valeur ce § 5 qui est bon, neuf, source de tous les développements subséquents (notamment Missio Ecclesiae continuet Christi missionem et: hereditavit Ordo episcoporum).

§ 6: le début est très bon, avec la progression Ordre des Evêques — coopération de toute l'Eglise — mission unique diversifiée par les situations.

Les lignes 30 ss. (page 8) sont moins heureuses: on retombe dans une conception plus classique que théologique de la Mission, limitée d'une part à certains groupes humains, d'autre part à certaines régions géographiques; cette conception réflétait une situation de fait qui se modifie rapidement; définir ainsi les limites de la Mission n'est déjà plus exact aujourd'hui.

Populos nondum credentes ... outre que la formule est ambiguë (v. g. Juifs et Musulmans sont des croyants) — il vaudrait mieux dire *non christianos* —, elle ne tient compte que du fait de *groupes* humains non encore touchés par l'évangélisation, laissant de côté cette diaspora païenne qu'on trouve partout et qui est bien aussi objet de la Mission. Si l'activité missionnaire de l'Eglise vise également ces masses ouvrières, imbriquées dans les masses bourgeoises des paroisses, mais où la semence évangélique n'est pas plantée, il faut le dire à cet endroit du développement; il serait regrettable de rétrécir ici la notion de Mission qui s'était ouverte depuis le début du schema.

Il en va de même par conséquent des « territoires de mission »; il y en a encore certes, au sens où on l'entendait, mais la prolifération en pays « chrétiens » de masses pauvres qui n'ont jamais été christianisées (plutôt que « devenues païennes ») et les mouvements de population font qu'on ne peut plus localiser géographiquement l'exercice de l'activité missionnaire.

Par conséquent la notion de Fin de la Mission est aussi à revoir. La fin serait atteinte quand l'Eglise aurait pris racine? mais quand a-t-elle pris racine? quand est instituée une hiérarchie indigène ou bien plutôt quand les structures humaines sont christianisées? La fin serait atteinte quand l'Eglise locale se *suffirait* à elle-même? (le mot est employé deux fois, lignes 36 et 38); mais aucune Eglise ne se suffit, elle a (ontologiquement) besoin de toutes les autres. Si l'activité missionnaire est connexe à la nature de l'Eglise (ligne 39, qui contredit ce qui précède) alors la fin de la Mission n'est atteinte qu'à la Parousie; et comment en douter? C'est bien ce qui ressort du § 9, d'une toute autre facture.

Il est par contre heureux de distinguer l'activité missionnaire de l'œuvre œcuménique (lignes 42 ss.).

§ 7: On mêle convenance et nécessité; on commence par reconnaître à Dieu le pouvoir (sic) de sauver qui Il veut, même sans évangélisation explicite; mais, dit-on, cela va incomparablement mieux avec la lumière de l'Evangile (ce n'est pas le motif de la Mission!). Ensuite seulement on parle de la volonté divine que l'homme soit sauvé par la foi et, à l'alinea suivant, du dessein divin de rassemblement dans le Christ (fin à laquelle est ordonnée la Mission) et enfin de la nature même de l'Eglise Corps du Christ vivant et croissant — il fallait commencer par là, sans oublier l'ordre exprès du Christ.

En raison de ses confusions et de ses lacunes ce § est à refondre. La nécessité de l'activité missionnaire n'est pas à « dire » (page 9, ligne 32), elle est à reconnaître et à manifester. On pourrait procéder ainsi:

a) Jésus a donné l'ordre aux XII (et nécessairement à leurs successeurs) d'aller évangéliser le monde entier; en fondant l'Eglise il fonde la Mission (après cela il n'est plus question de se demander si elle est nécessaire);

b) de par sa nature l'Eglise est nécessairement et toute entière missionnaire: elle est le Corps du Christ qui croît jusqu'au Christ total, son activité est celle même du Christ qui agit en elle, du Christ envoyé et envoyant;

c) par le Christ, Révélateur du Père, nous connaissons le dessein divin de rassemblement des hommes dispersés en un Peuple de Dieu; c'est le drame de l'économie du salut. La Mission s'adresse donc à tous les hommes et est ordonnée à leur récapitulation dans le Christ (cf. *Lumen Gentium* § 17: « pour que le monde entier en tout son être soit transformé en peuple de Dieu »);

d) de par une loi interne de cette économie du salut, culminant en le Mystère de l'Incarnation, la divine volonté salvifique universelle réclame des signes (c'est donc beaucoup plus que pour « faciliter » l'illumination des hommes). Il est du dessein même de Dieu que Son action salvifique se manifeste par des signes. C'est ainsi que l'Eglise réalise sa Mission en étant l'Epiphanie du dessein divin, le signe visible d'une communion partiellement effectuée et toujours ouverte.

On pourrait encore expliciter dans le sens de ce développement: le système sacramentaire est pour l'humanité sujette des sacrements signe efficace de la grâce christique; pour l'humanité non actuellement sujette des sacrements la Mission de l'Eglise doit être ce signe (par l'amour fraternel visible) et la rencontre effective du Christ en son Corps ecclesial — c'est la note caractéristique de la présence des chrétiens dans le monde (et tout spécialement de ceux qui sont engagés dans les œuvres du Monde) dont les gestes d'amour effectif doivent être autant de signes de grâce pour les non-chrétiens, signes de l'activité du Christ dans toute l'Humanité, révélation de la présence déjà active du Christ, actualisation permettant la réponse concrète de l'homme.

Cf. E. Schillebeeckx: « Cette activité de la grâce ecclésiale du Christ dans toute l'humanité doit elle-même également obtenir une forme visible, notamment dans l'activité missionnaire de l'Eglise. Et ceci signifie en outre que, dans la confrontation historique de l'Eglise avec l'Humanité, les hommes de l'Eglise eux-mêmes doivent vivre exemplairement, prototypiquement et en fait cette abondance d'amour, cette abnégation de leur propre vie au profit des autres » (in Concilium, n. 1, page 76).

L'activité missionnaire de l'Eglise pour une part recouvre l'activité commune de l'Humanité qui a mission de s'achever dans la communion à laquelle elle est appelée; par là elle rencontre tous les efforts des hommes dans le sens communautaire (= ecclésial) — d'où des interférences sur le plan des œuvres sociales et autres —, par là elle est plus ouverte à tout le Peuple chrétien (même à ceux qui sont sur la frange) que le ministère de pastora-

tion. D'autre part elle s'adresse aux hommes qui ne sont pas présentement sujets des sacrements institués, mais en référence cependant à ces sacrements car ceux-ci sont actes du Christ et toute grâce est christique; par là l'activité missionnaire de l'Eglise est signe concret de l'activité du Christ au delà de la Liturgie ecclésiale.

§ 8: La formulation des dernières lignes gagnerait à être revue: certes l'Evangile est ferment de liberté, de progrès et de paix; mais il faudrait éviter de paraître s'adresser des compliments, à une heure où des chrétiens sèment la guerre dans le monde, utilisent les hommes comme des objets et gardent encore les richesses du monde pour eux.

§ 9: Bon et utile; s'accorderait bien au § 7 revu comme ci-dessus; on pourrait ainsi se passer du § 8.

§ 10: présente encore la Mission comme une manifestation, ce qui est heureux; précise aussi que la Mission ne s'adresse pas qu'aux païens mais aussi aux indifférents et aux athées.

Page 11, ligne 10: « inserere » ce terme est impropre pour définir l'action missionnaire de l'Eglise dans les peuples quand on la compare au mouvement même (eodem motu) de l'Incarnation. Christus non se inserit natura humana sed assumpsit et elevavit. Dire plutôt: Ecclesia ... omnes hos *coetus assumit et elevat eodem motu* ...

§ 11: il y a d'excellentes choses, notamment laete et reverenter detegant semina Verbi — transformationem profundam — et la mention du monde de la science et de la technique que la Mission ne doit pas ignorer.

Mais l'enchaînement des idées n'est pas rigoureux et rend le § confus. On commence par dire: Ecclesia praesens esse incipit per suos filios ...: mais qui sont ces *filios?* d'où viennent-ils? on semble supposer une communauté chrétienne déjà présente, participant aux *commercia et negotia* de la société, capable de repérer des semences de Verbe ... S'agit-il de laïcs qui témoignent? de missionnaires? Les lignes 19 à 28 (page 11) ont pour seul sujet exprimé *ipsi,* se rapportant à ces *filios* « spontanés », et à la fin du § on les dit envoyés (mittuntur). On commence par être envoyé avant d'être « présent ».

Il faudrait recomposer ce § en signalant d'abord l'envoi et en y distinguant l'envoi explicite du missionnaire et l'envoi implicite de tout baptisé où qu'il se trouve. Ensuite on pourrait envisager les divers cas de commencement: laïcs chrétiens en groupe ou isolés (cf. Frumentius en Ethiopie) au cœur de masses païennes, premiers missionnaires envoyés à un peuple non encore évangélisé, sans oublier le cas du missionnaire envoyé seul et le premier, ce qui le laisse dans l'impossibilité pendant longtemps de manifester l'amour fraternel *entre chrétiens.*

Il conviendrait aussi de ne pas majorer la part du « dialogue » dans la pré-évangélisation (ligne 31); certes il est bien question du témoignage de la vie, du spectacle des bonnes œuvres (lignes 15 et 16), et le § suivant est consacré à la charité, mais il faudrait articuler ces aspects d'une même œuvre

et se défier des mots à la mode (un décret conciliaire n'est pas une Encyclique). Jusqu'à présent les Occidentaux en Asie ont fait beaucoup plus par leurs actes que par leurs discours (en fait souvent des monologues incompris): ces « actes » désignant l'exemple de vies missionnaires et aussi l'influence des techniques occidentales. Les hommes ont besoin de voir nos signes, de manger notre pain, de sentir notre amour; et tout cela ne se dit pas, mais se fait.

On pourrait introduire une formulation de ce genre: Comme le signe liturgique complet, la Mission est une parole ajoutée à un geste pour que ce geste soit situé (explicitement et pédagogiquement) dans une économie de salut et référé à la personne du Christ Sauveur que nous devons appeler par son nom; le geste est essentiel, la parole lui donne sa signification (cf. actes symboliques des prophètes, signes donnés par Jésus).

§ 12: sous le titre présence de la Charité on passe de l'exemple de la charité du Christ aux œuvres économiques et sociales; certes ces dernières peuvent être faites par amour, il demeure que la charité du Christ n'a pas cet aspect qui n'est pas une « technique » missionnaire mais a sa place dans le schema XIII. Serait-il trop difficile de mettre en valeur la *pauvreté* missionnaire et son primat? d'enseigner l'absolue originalité unique, de la charité évangélique?

La Mission s'adresse au cœur de l'homme, s'intéresse à ce qu'il pense et produit pour trouver ce cœur dont elle quête l'éveil. Quand l'homme se sentira aimé, rendu aimable il deviendra aimant: ce sera sa réponse, qui l'axera sur son Dieu; alors la Mission aura été efficace.

Que mon prochain ait faim de pain matériel, je peux lui en donner sans en faire un homme; qu'il ait soif de la Parole de vérité, je puis la lui dispenser sans en faire un homme. Qu'il soit même trop faible ou trop triste pour prendre mon pain ou recevoir ma parole, ou bien que moi je sois trop pauvre pour lui donner l'un et trop malhabile pour lui adresser l'autre, je pourrais, en le regardant avec mon cœur, triste avec lui, fatigué avec lui, réveiller un sentiment en lui, faire s'élever son cœur: l'éveil de l'homme. Un animal, une plante même, s'apprivoise avec plus de sentiment que de procédés, a fortiori un petit d'homme s'éduque avec plus d'affection que de vitamines — c'est celle-là qui lui manque le plus, et c'est aussi celle-là que l'Eglise peut manifester sans concurrencer personne; l'Eglise n'a ni le temps ni les moyens de se faire belle pour plaire au Monde, mais sa tendresse doit être un Esprit qui le pénètre de partout.

Page 12, ligne 19: Ecclesia nullo modo vult suam operam imponere ... Est-il vraiment utile de dire cela? ce serait humiliant. Si on parlait évangéliquement de la charité (cf. supra), cette formule serait superflue (on la retrouve dans le schema XIII ...).

§ 13: il est très heureux de parler de la *conversion,* cœur de l'action missionnaire; si denses que soient les formules proposées dans le schema, le sujet est d'une telle importance qu'il convient d'être moins laconique.

Le mouvement a peccato ad Deum gagnerait à être précisé (ne serait ce que parce que sous cette forme il ne peut être dit en bien des langues); *la conversion est passage a vero homine ad novum hominem in Christo perfectum, passage réalisé par un mystère de mort et résurrection* (cf. ligne 19 à 21, page 13), *passage qui implique un retournement, un changement complet dans les habitudes de vie et dans la façon de penser, passage qui doit être manifeste* (valeur de témoignage déjà de l'attitude du néophyte) *qui a des dimensions sociales* (réclame une conversion des structures), *passage progressivement réalisé notamment pendant le temps du catéchuménat* (ce qui amène le § suivant).

De plus il ne serait pas inutile de préciser que ce n'est pas le missionnaire qui convertit, ni l'homme qui se convertit tout seul, mais que *Dieu a l'initiative,* que *la conversion est d'abord une grâce* qui, comme toute grâce, *requiert la coopération de l'homme.*

On ne saurait être trop précis sur ce sujet capital, que le Concile ne traite pas ailleurs — et quel Concile en a déjà traité?

§ 14: ce § est bon, témoigne d'un renouveau manifeste; mais dans le développement de cet article 2 il manque une étape, de grande importance pour qui a la pratique de ce genre de ministère: le catéchumène est un homme qui accepte la conversion, il s'engage; avant de pouvoir le faire il doit savoir ce qui l'attend, il doit agir en connaissance de cause, il doit avoir entendu; c'est pourquoi on est *audiens* avant d'être catechumenus.

On pourrait dire ceci: Entre la situation dans l'infidélité et le catéchuménat l'institution d'un groupe d'*audientes* est un usage traditionnel dans l'Eglise; sa pratique, sous une forme ou sous une autre, est indispensable à cette étape de l'activité missionnaire. Les *audientes* sont des hommes de bonne volonté qui acceptent de s'informer du christianisme, sans savoir si cela les conduira à la conversion, simplement par loyauté, pour ne pas refuser une lumière qui peut modifier leur vie. Ils peuvent continuer à pratiquer leur religion, l'instruction visant notamment à leur faire prendre conscience de ce qu'ils font alors. Ils constituent entre les chrétiens et les non-chrétiens (dont ils sont) une frange, un troisième terme, qui favorise les contacts (cette institution est particulièrement précieuse dans les cas de résistance collective à la christianisation).

Qui a l'expérience de l'œuvre catéchuménale s'apercevra de plus qu'au § 14 manque un élément actif de première importance: il n'est pas fait mention du *parrainage.* Il est indispensable de situer le parrain tout au long de la démarche que suit ce §.

Qui fidem a Deo acceperunt per Ecclesiam *in persona patrini qui ad ministrum sacrum duxit* ... et tirocinium sat longum *patrino cum patientia juvante* ...

... ut animos catechumenorum, *a patrino prudenter traditorum,* componat ad celebrationem ...

Initiatio ... a tota communitate fidelium, *praesertim a patrinis,* procuranda est ...

Catechumeni discant ... actuose cooperari, *et sic fiant* (vice sua) *patrini fratrum adhuc in tenebris degentium.*

§ 16: on a rassemblé là la matière d'un bon numéro; des précisions sont encore souhaitables:

Que la formation des prêtres doive être faite à la lumière de la Révélation concernant le mystère du salut, on s'en doute bien, et pas seulement dans les jeunes Eglises. Comme dans toute l'Eglise on manque de directives courageuses et nouvelles à ce sujet, on aurait pu saisir cette occasion de dessiner les grandes lignes d'une formation sacerdotale pour aujourd'hui, orientée sur une sainteté courageuse au delà des dévotions et une culture théologique profonde au delà des philosophies surannées et des formulations scolaires.

Les lignes 16-28 (page 15) contiennent bien des précisions quant à la prise de conscience de la mentalité propre et même à un jugement à porter dessus (cognoscant et iudicare valeant); mais cela risque d'être entendu dans un sens unilatéral. Dans cette formation adaptée il faut se garder de favoriser un particularisme isolant, surtout à une époque où ce particularisme se réveille au plan politico-social fermant de jeunes nations à un humanisme universel, en même temps qu'une culture commune tend à se former dans le monde (cf. § 20 infra).

Lignes 29-32: bon à dire, à condition de revoir la forme et de complémenter: plutôt que « etiam exteris » (31) *maxime exteris,* et qu'on nous fasse grâce de ce terme païen, prétentieux et ambigu pour désigner Rome, reliquat d'un impérialisme temporel diamétralement opposé à l'esprit de la Mission de l'Eglise.

« Omnia munera ecclesiastica »: n'a-t-on donc pas pensé à la charge missionnaire et à l'envoi dans les Instituts missionnaires donnant cette formation spécifique?

Lignes 37 ss.: le diacre vient bien à sa place ici, encore ne faudrait-il pas omettre que sa fonction le situe d'abord à côté du prêtre à l'autel, comme l'Eglise d'Orient l'a compris et pratiqué.

§ 17: bon § sur les catéchistes, sauf une incise très discutable (lignes 19 à 22). Que les catéchistes doivent avoir une situation décente, que la sécurité sociale leur soit assurée, cela ne fait aucun doute; autre chose est d'en faire des fonctionnaires à la charge de l'Eglise. Se rend-on compte des sommes fabuleuses sont il faudrait disposer continuellement pour assurer un traitement digne à tous les catéchistes du monde? Un traitement régulier assuré par l'Eglise ne se conçoit que dans le cas de catéchistes employés à plein temps; le cas peut se présenter quoique ce semble devoir être l'exception dans les « pays de mission » qui se trouvent être surtout des pays agricoles où la fonction du catéchiste ne peut guère s'exercer qu'une fois la journée de travail finie. Le catéchiste peut souvent se livrer à la même activité que

ses catéchisés et donc avoir les mêmes sources de revenus (culture, artisanat) ou encore être fonctionnaire de l'état (instituteur, infirmier, facteur, météorologiste, agent des travaux publics, etc. ...) — ce qui lui assurera un traitement supérieur à celui que l'Eglise pourrait lui donner, mais qu'il ne lui revient pas de donner.

A l'heure où l'on envisage — encore timidement en attendant d'être pressé par les circonstances — le travail des prêtres, on ne va pas instituer un corps de fonctionnaires de l'Eglise, parents pauvres coupés du monde dans lequel ils doivent vivre. Dans une société de type communiste (situation qui risque d'être celle de tous les pays de mission) la solution envisagée ci-dessus est la seule viable.

Par contre la formation des catéchistes requiert des subsides auxquels toute l'Eglise doit contribuer.

Lignes 28 à 30: la restructuration du corps des catéchistes peut être l'occasion d'une ouverture de la liturgie à des situations nouvelles (célébration de l'envoi du catéchiste) ainsi que d'un élargissement de la notion de ministère qui assouplirait la distinction trop exclusive entre ministres et peuple de Dieu, introduirait des femmes dans le ministère, et présenterait un avantage œcuménique certain. Ce point doit être souligné et le travail post-conciliaire doit élaborer des directives pratiques.

§ 18: il est indiscutable que les jeunes Eglises doivent donner naissance à un style propre de vie religieuse et que les religieux missionnaires ne doivent garder que l'essentiel de leur style spécifique; mais il ne faut pas perdre de vue un autre aspect, qui peut être concrétisé par un exemple: quand elles ont le choix entre des maisons religieuses autochtones et des maisons étrangères (Chanoinesse de St Augustin notamment) qui n'ont pas changé un iota à leur règlement occidental, les familles les plus simples confient leurs enfants de préférence aux secondes afin qu'ils reçoivent une éducation qui leur fera dépasser leur condition présente et les rapprochera des autres hommes. Pour la vie religieuse comme pour le reste l'originalité souhaitable n'est pas celle que donne un particularisme folkloriste mais celle qui marque un humanisme de valeur universelle.

§ 19: sur tout ce § pèse une gêne qui le rend peu clair, diffus, au point de nécessiter une nouvelle rédaction; cela vient non seulement de ce qu'on prétend opposer plantation d'une Eglise et autonomie de cette Eglise, mais encore de ce qu'on cherche une limite à partir de laquelle le but de la Mission serait atteint parce que cette Eglise se suffirait à elle-même. D'où ces termes, si vagues qu'ils rendent l'énoncé inutile, « *certam* » *metam,* « *quadam* » *stabilitate,* et l'ambiguité (déjà relevée plus haut) de l'auto-suffisance. A la ligne 36 (page 17) on semble même définir la jeune Eglise comme une Eglise qui mendie — mais combien de vieux diocèses pauvres en sont là!

En restant dans cette optique on ne pourra en sortir; l'enracinement d'une Eglise est progressif et ne connait pas de fin; il n'y a pas de seuil à partir

duquel une Eglise pourrait s'émanciper et la Mission ne saurait cesser avant la Parousie.

On pourrait conserver les deux alinea des lignes 18 à 34 en laissant de côté ce qui supposerait un critére d'autonomie. Le § 20 d'ailleurs, qui est bon et d'une toute autre facture, en dit bien suffisamment à ce sujet, avec plus de précision et de fermeté.

§ 21: « peculiarem vocationem », « speciali vocatione »: cela ne signifie pas grand'chose si ce n'est précisé, or ce l'est insuffisamment; et il convient de ne pas faire du missionnaire un être à part (problème des vocations).

Il serait plus profitable de parler, au sujet du missionnaire, d'un *mode absolu de réaliser la vocation missionnaire de tout chrétien, par la consécration de son existence au service exclusif de la Mission de l'Eglise* — tout comme le religieux réalise de façon absolue la vocation à la sainteté évangélique de tout chrétien par la consécration de son existence mise dans un état d'anticipation du Royaume. Le religieux et le missionnaire se mettent dans une situation telle qu'ils ne peuvent plus faire autrement que de prendre à la lettre l'appel de Jésus à la perfection et à la mission.

A legitima auctoritate missi (page 19, ligne 3): autant ne rien dire; c'est pourtant là que doit porter principalement la réforme en vue d'une nouvelle impulsion missionnaire de toute l'Eglise. Le missionnaire de 1965 ne sait pas très bien qui l'a envoyé et le schema reflète cette incertitude au lieu de la résoudre. C'est pourtant le moment et le lieu d'affirmer sans détours que l'envoi vient de l'Evêque, *en articulant ici le corps des missionnaires sur le corps des Evêques* qui a la charge de l'évangélisation du monde. C'est sur ce point surtout que le décret sur l'activité missionnaire de l'Eglise a son utilité et peut inspirer la réforme qui s'impose.

Il est bien question des Evêques au chap. IV *de ordinatione* (où l'on passe tout de suite à P. F.) et au chap. V *de cooperatione* (§ 36), mais entre le chap. sur l'œuvre missionnaire et le chap. sur les missionnaires (qu'on ne sait à quoi raccrocher) il manque une articulation: l'envoi. L'existence du missionnaire est conditionnée par le Collège apostolico-épiscopal; avant ce chap. III il faudrait donc intercaler un nouveau chap. pour en traiter (quitte à réduire les chap. IV et V actuels qui ne sont que des conséquences de ce nouveau chap.-clef); on suivrait ainsi l'ordre des principes doctrinaux du chap. I et on serait à l'aise pour situer missionnaires et Instituts. Faute de quoi on fait encore de la Mission de l'Eglise une affaire à part qui se traite entre une Congrégation romaine et des missionnaires quasi exempts.

Du Collège apostolico-épiscopal la Mission tient son institution même, du Souverain Pontife coordination et juste répartition des efforts. Les Apôtres n'en ont pas la charge sans Pierre, ni Pierre sans les Apôtres. Une disposition préalable est la *confiance réciproque* dans l'application du principe de subsidiarité, mais en sorte que soit réformée la situation de fait actuelle où les missions constituent une œuvre à part. La Mission ne sera effectivement

l'Œuvre fondamentale de toute l'Eglise que si elle est fidèle à son institution première, donc issue du Collège apostolique *complet.*

Proposition de *chapitre intercalaire* entre de ipso opere et de missionariis.

L'Ordre des Evêques et la Mission de l'Eglise. La succession des Apôtres. De la constitution *Lumen Gentium* doit découler une réforme de l'institution présente de la Mission pour la rétablir et la relancer comme œuvre de toute l'Eglise par son collège apostolique.

Les Apôtres ont été envoyés par le Christ à toutes les nations (L. G. § 19); le Christ leur prêche la parole de Dieu par ses Pontifes (§ 21); le soin d'annoncer l'Evangile sur toute la terre revient au corps des pasteurs qui unissent leurs efforts et fournissent à la Mission ses ouvriers (§ 23).

Il n'y a donc pas d'autre institution à la Mission que celle du Collège apostolique; l'Ordre des Evêques, qui lui succède, est le premier agent de la Mission de l'Eglise, porte la responsabilité du recrutement des missionnaires et les envoie canoniquement au nom du Christ.

Le recrutement des ouvriers apostoliques. Le recrutement des ouvriers de la vigne appartient en propre au Maître du champ qui manifeste cette vocation per l'appel de l'Evêque. En confiant l'Eglise et sa Mission au collège des Apôtres le Christ Jésus leur a donné la charge de se trouver des collaborateurs. Cette charge de pourvoir la Mission du personnel nécessaire, œuvre suprêmement apostolique qui prime toute autre, repose sur l'Ordre des Evêques qui ne peuvent la laisser à l'initiative d'Instituts particuliers.

Pesant cette responsabilité à l'échelle mondiale, les Evêques encourageront les meilleurs de leurs jeunes chrétiens à souhaiter l'envoi missionnaire et à s'y orienter pratiquement; ils inviteront aussi leurs prêtres à envisager ce ministère supérieur; et ce avec la pleine confiance que cette ouverture du diocèse à la Mission universelle de l'Eglise sera un facteur de multiplication des vocations sacerdotales.

Un certain quota d'ouvriers apostoliques à fournir pourrait être fixé à chaque diocèse en proportion de ses possibilités.

Les aspirants missionnaires, recrutés par les Evêques, seront dirigés par ceux-ci vers les Instituts spécialisés chargés de leur formation.

L'envoi par l'Evêque. Comme le Père envoie le Fils, son Verbe, l'Evêque envoie le missionnaire, au nom du Collège qu'il personnifie en cette situation, exerçant ainsi la plénitude de sa fonction épiscopale.

Le missionnaire reçoit l'ordination sacerdotale et l'envoi en mission de son Evêque d'origine qui fait ainsi de lui un coopérateur de son ordre pour le service de la Mission de l'Eglise.

Jésus, Sauveur universel, est toujours aussi Jésus-de-Nazareth; la loi d'incarnation reçoit ici comme application l'incardination du missionnaire à son diocèse d'origine, avec le presbyterium duquel il gardera toujours un lien, tout en étant généreusement donné au diocèse de destination.

L'Evêque « a quo » n'envoie pas en « mission » en général, mais à un autre évêque (« ad quem »), envoi canonique qui constitue l'envoyé en une

sorte d'incardination seconde, à temps ou à vie selon les dispositions du partant et les besoins de l'Ordinaire du lieu de destination.

(Note: le *schema decreti de ministerio et vita presbyterorum,* au § 9, préconise un assouplissement de la notion juridique d'incardination afin de mieux répondre aux besoins de l'Eglise et de sa Mission; ce serait le moment d'étudier les modalités d'une double incardination, faisant du missionnaire un lien vivant, une articulation organique de l'Eglise, bien préférable à la fiction juridique d'excardination pour incardination en un autre diocèse).

De l'Evêque qui reçoit. L'Ordinaire du lieu de destination reçoit le missionnaire au sein de son presbyterium. Il le destine selon les besoins de son diocèse, de préférence aux païens ou selon la spécialité de l'envoyé.

Conscient du sacrifice consenti par le diocèse d'origine comme par le missionnaire il entourera celui-ci d'une particulière affection paternelle qui lui facilitera l'adaptation à sa nouvelle famille et lui permettra de donner toute sa mesure.

On pourrait concevoir un contrat entre les deux évêques relativement à l'entretien du missionnaire, aux services qu'il est apte à rendre et à la durée de sa mission.

Ainsi sur les plans sacramentel, canonique et pastoral tout se passe(rait) entre évêques, avec un organisme centralisateur, ce qui est normal quand il s'agit de l'Œuvre apostolique par excellence.

Ceci établi on peut reprendre le déroulement du Décret, avec plus d'aisance en même temps que de rigueur. Au § 21 on remplacerait alors « a legitima auctoritate missi » par *missi ab ordinario loci unde oriundi sunt* ...

§ 22: similem sese reddere eis ad quos missus est (ligne 14): on voit bien ce que le rédacteur a voulu dire, et qui est à dire, mais on ne peut le laisser sous cette forme ambigüe. Se rendre semblable quant à l'extérieur? oui si cela découle naturellement d'une attitude plus profonde, sinon c'est de l'hypocrisie. Se rendre semblable quant à la mentalité? ce pourrait être dégradation du missionnaire par acculturation à l'envers. Il vaudrait mieux dire: se rendre proche, le plus proche possible, jusqu'à se mettre à la place de l'autre pour le comprendre de l'intérieur, non pour penser comme lui; et donc éviter tout signe de différenciation inutile, tout ce qui fait barrière, sans cacher pour autant des différences essentielles, ce que le missionnaire apporte de neuf et dont l'autre a le droit de profiter (non seulement au plan de la foi mais aussi de la culture humaniste).

Audeat loqui (ligne 18): c'est certes à dire, en pourrait même souligner davantage la *parrèsia* de l'Apôtre. Il convient de *supprimer* « prout oportet » en contradiction avec opportune et importune (*2 Tim.* 4, 2).

Coadunent (ligne 31): c'est là un des points qui restent à étudier précisant les relations entre l'Ordre des Evêques et les groupes de Missionnaires.

§ 23: le § n'apporte pas grand'chose de neuf; ce qui est dit là est valable pour tout clergé, y compris l'adaptation aux mœurs. L'essentiel peut être dit dans le § 22, insistant sur le respect de tout homme et de toute

culture de la part du missionnaire qui se fait tout à tous, et aussi sur la *parrèsia* à l'exemple de St Paul; en ajoutant que le missionnaire doit être formé à ce respect et à cette audace (ce qui est d'ailleurs un truisme) et que cette formation revient aux Instituts missionnaires.

Quaelibet officia (p. 19, ligne 37): cela est à nuancer et se rapporte d'ailleurs au sujet du § suivant.

§ 24: contient beaucoup de bonnes choses qui gagneraient à être mieux agencées.

Lignes 32-33: linguas ediscant... ita faciliorem...: ce « faciliorem » est trop peu dire d'une conditio sine qua non; il suffit de supprimer ce mot.

Ligne 36: vel alias Facultates: de quoi s'agit-il?

§ 25: l'essentiel sur les Instituts peut être dit dans le dernier alinea du § précédent (praeparentur apud Instituta), le reste est inutile. Un décret conciliaire n'adresse pas des compliments pour le passé, mais oriente le travail pour l'avenir.

Ligne 11: territoria a Sancta Sede commissa: cela réflète une situation de fait, du passé, aujourd'hui anachronique; la Mission ne saurait plus être une affaire se traitant entre le St-Siège et des Instituts, par dessus l'Ordre des Evêques.

Ces deux §§ 24 et 25 pourraient être repris comme suit:

De praeparatione apud Instituta. Le travail missionnaire exige une formation du clergé diocésain ordinaire; cette formation spécifique est la charge propre de l'Institut missionnaire. La fonction formatrice de l'Institut doit être reconnue tellement indispensable qu'aucun prêtre ne parte en mission sans être passé par un Institut.

En plus de la formation que doit recevoir tout clergé — et qui sera avantageusement donnée dans un séminaire diocésain (ou interdiocésain) — la Mission réclame une formation spécifique:

a) formation missionnaire générale: étude approfondie et méditée du mystère de la Mission; analyse de l'économie révélée du Salut sous le double aspect de la pédagogie divine progressive et de l'universalisme grandissant; étude de l'histoire de l'Eglise missionnaire des Apôtres à nos jours (y compris Orthodoxes et Réformés) avec analyse des méthodes employées et étude critique des expériences et échecs; notions de base d'histoire des religions; première étude d'ensemble de la région de destination (apprentissage de la langue et initiation aux coutumes).

b) Formation spécialisée: selon leurs dons et aptitudes certains sujets reçoivent de l'Institut la formation technique que réclame leur spécialité: pastorale liturgique (en vue de l'application de la réforme conciliaire aux conditions particulières de tel peuple et à ses traditions rituelles); exégèse biblique (en vue de la traduction de l'Ecriture); catéchèse (en vue de la prédication et formation des catéchistes); sciences humaines (ethnographie, sociologie).

(*N. B.*: Dans le cas du missionnaire-spécialiste l'envoi — et donc incardination seconde — pourrait être fait à l'Eglise en tel pays [où cette spécialité s'exercerait] en la personne du président de la Conférence épiscopale).

Pour cette formation spécialisée les Instituts missionnaires collaborent avec des institutions de techniciens (Instituts d'ethnologie, Universités).

L'Institut reçoit aussi des prêtres autochtones des Eglises auxquelles se destinent ses missionnaires afin de former en eux des missionnaires autochtones (pour les païens de leur pays ou des régions voisines) ou des spécialistes.

L'Institut reçoit encore, afin de leur donner au moins une partie de la formation spécifiquement missionnaire, des laïcs désireux de se donner à temps ou à vie au service de la Mission..

Les Instituts missionnaires se diversifient par la spécialisation qu'ils donnent à leurs sujets qui ne peut être que limitée à certaines régions de culture plus ou moins homogène, donc premièrement selon la diversité de ces cultures, et secondairement selon la technique à mettre au service de la Mission (v. g. Institut missionnaire d'exégètes-linguistes préparant des équipes de traducteurs de la Bible).

Ayant formé les aspirants missionnaires l'Institut les présente à leur Evêque d'origine qui les envoie en tenant compte de la formation spécifique reçue (offre) et des besoins de la Mission (demande) communiqués par le Conseil central d'évangélisation. Et ainsi on enchaîne avec le § 27.

Le § 26 qui en fait se réfère à la coopération (collaborare, ligne 24; cooperentur, ligne 28) donc au chap. V, n'est pas à sa place ici et peut être supprimé.

§ 27: ce § contient la matière d'un réajustement de P. F.; on pourrait l'ordonner avec plus de rigueur.

La formulation des lignes 32 à 37 (page 21) manque de clarté; on ne voit pas de rapport immédiat entre le fait que la charge d'évangéliser appartient au corps des Evêques et la nécessité d'un Conseil central. On pourrait dire: La charge d'évangéliser sur toute la terre appartient au corps des Evêques. Chacun de ceux-ci ne peut connaître la totalité des situations et des besoins missionnaires, lesquels se trouvent naturellement centralisés dans la tête de ce corps: le successeur de Pierre. Le Souverain Pontife, premier responsable de la Mission de l'Eglise, ne peut assumer seul cette coordination, il le fait par un Conseil, composé donc principalement d'Evêques.

La matière des lignes 1 à 16 (page 22) reste à ordonner et à hiérarchiser, ce qui pourrait être fait ainsi: En raison de la variété de ses attributions, la Congrégation P. F. se composera: *principalement* d'un Conseil émanant de l'Ordre des Evêques, comportant également les Supérieurs d'Instituts missionnaires. Ce conseil est chargé de résoudre les problèmes que pose la Mission de l'Eglise dans le Monde, de juger des moyens à prendre, répartir les ouvriers apostoliques en confrontant l'offre et la demande (cf. supra), créer de nouveaux diocèses, diviser des diocèses existants, orienter la for-

mation des missionnaires et mettre au point la réforme des Instituts; *secondement* d'un Secrétariat, composé de techniciens (laïcs notamment), pour les questions juridiques, économiques et financières, l'information et la propagande. Ce secrétariat sera en relation avec les O.C.I., l'Apostolat des laïcs, le Secrétariat pour les non-chrétiens, le Secrétariat pour les non-croyants, le Secrétariat pour l'unité; *troisièmement* d'un *Bureau d'études et de recherche missionnaire* composé de spécialistes (missionnaires expérimentés notamment) en missiologie, ethnologie, histoire des religions, philosophies comparées, en vue d'une pénétration intelligente et de la conversion des cultures.

Le Conseil se réunit périodiquement, le Secrétariat et le Bureau sont permanents. (Faute de préciser ainsi les grandes orientations d'une réforme le décret risque de rester dans les généralités qui ne font et ne feront rien avancer — on peut supposer d'ailleurs que les Pères conciliaires ne voudront pas se séparer sans avoir fixé les directives que réclame l'avenir de la Mission).

§ 28: on sent dans ce § et les suivants toute la distance qui sépare un projet « schématique » d'un texte conciliaire qui a affronté l'aula, les discussions et leurs modi. Il faut avoir le temps d'étudier ces questions et le faire avec les intéressés. On souhaite notamment que le texte soumis finalement aux votes soit plus précis afin de ne pas rester lettre morte.

Ligne 34: Episcopi... du lieu de destination? semble-t-il. Questions se référant au sujet de ce §: de l'utilisation des missionnaires; demande de missionnaires, de spécialistes; relations avec les Evêques « a quo ».

§ 29: questions s'y référant: mise en commun du travail de recherche; situation des missionnaires dont la spécialité s'exerce sur toute une région; apostolat auprès de groupes humains à cheval sur plusieurs diocèses.

§ 30: le titre du § est ambigu, s'oppose mal au titre du suivant et peut détourner l'attention du véritable sujet traité: des rapports entre Instituts missionnaires et Hiérarchie — le § 31 traitant des rapports des Instituts entre eux.

Une gêne pèse sur le développement parce qu'on n'a pas distingué les Instituts de prêtres séculiers et ceux de religieux (le § 31 semble bien n'envisager que les religieux); or leur situation est très différente par rapport à la Hiérarchie.

De plus nous nous trouvons ici dans un cas où les rédacteurs du schéma ont vu le sujet à traiter, ont senti qu'un réajustement s'impose en deux directions (primat du corps des Evêques et cessation du ius commissionis), mais n'ont pas pu s'engager sur la voie des directives précises d'où la formule (lignes 24-26) remettant l'affaire aux bons soins des Conférences épiscopales. Cependant on ne saurait en rester là; certes le décret ne peut donner le détail de la forme de ces relations entre Instituts et Ordre des Evêques, mais il doit en souligner le principe structurant — ce qui se trouverait fort simplifié si on intercalait le chapitre proposé sur l'Ordre des Evêques, découlant directement de *Lumen gentium*.

a) L'Institut missionnaire de prêtres séculiers a pour raison d'être la formation des missionnaires, il n'a pas à intervenir sur le terrain où s'exerce l'activité du missionnaire — ceci relevant de l'autorité des Ordinaires. L'Institut forme les sujets que leur confient les Evêques et les remet, formés, à leur disposition.

L'Institut n'a pas besoin d'être soustrait à la juridiction ordinaire pour être au service de toute l'Eglise en la personne du Souverain Pontife; il ne se situe pas sur le plan de cette distinction puisque les prêtres qu'il forme ne sont articulés sur le corps des Evêques que pour le service de la Mission, ne sont ordonnés par un Evêque que pour être envoyés à un autre.

Les Instituts missionnaires *religieux,* surtout s'ils sont exempts, sont régis selon les normes des religieux, notamment en ce qui concerne leurs rapports avec la Hiérarchie.

b) Le ius commissionis cesse peu à peu et ne sera pas renouvelé; il n'y aura plus de territoires confiés à des Instituts, en raison du primat de juridiction du corps des Evêques et de leur charge de l'évangélisation du monde.

Quand l'Ordinaire du lieu juge que telle activité missionnaire n'a plus de raison d'être (progrès de l'évangélisation, croissance du clergé local) il peut demander aux missionnaires de se porter vers une région (de son diocèse) encore païenne ou de remplir un service spécialisé que son clergé local ne peut encore assurer (mais ce n'est pas aux missionnaires de se « tailler » un secteur où ils soient quasi autonomes).

L'Ordinaire traite avec des missionnaires, sur place; les questions plus importantes sont traitées au sommet, au Conseil central d'Evangélisation, où se retrouvent Evêques « a quo » et « ad quem » et les Supérieurs d'Instituts.

§ 31: Des membres de plusieurs Instituts *religieux* peuvent se rencontrer sur un même territoire parce que leur principe de diversification réside dans leur style propre de vie, dans leur façon de réaliser la perfection évangélique; leurs supérieurs confèrent pour coordonner leurs efforts.

Par contre, si on reconnaît que les Instituts missionnaires de prêtres séculiers ne se diversifient que par la spécialisation de la formation selon les régions auxquelles se trouvent destinés les sujets qu'ils forment, alors on ne peut en trouver plusieurs en action sur un même territoire; si le cas se présentait il faudrait procéder à une nouvelle répartition. Les responsables locaux (ou régionaux) des groupes de missionnaires confèrent non pas avec les supérieurs *religieux* mais avec les divers conseils diocésains (pastorale, liturgie, évangélisation, catéchèse) où l'Ordinaire les convie (ce dernier point relevant du § précédent).

Les lignes 34 à 39 pourraient être développées comme suit:

Du motif de diversification des Instituts doit découler une mise en question de leur actuelle diversité afin de la confronter aux besoins réels de la Mission.

Les Instituts missionnaires peuvent collaborer sur plusieurs terrains;

parmi toutes les branches de la formation missionnaire il en est qui ne sont pas relatives à une région du globe mais nécessaires à étudier par tous; en ces cas on procédera à un regroupement de l'enseignement; les Instituts se communiquent leurs expériences et les résultats de leurs travaux de recherche; pour ne pas disperser leurs efforts les Instituts (de même langue) travailleront à grouper leurs publications, ce qui leur permettra d'en améliorer la qualité; enfin les Instituts étudieront ensemble comment se réformer en s'articulant mieux sur les structures de l'Eglise afin d'être l'instrument juste du Corps des Evêques dans leurs charge de l'évangélisation du monde.

§ 32: le titre est ambigu; le Concile n'a pas à statuer sur les relations entre Instituts scientifiques, mais entre Instituts missionnaires et Instituts scientifiques, laquelle question n'est pas à sa place dans ce chap. IV mais se trouve traitée plus haut au sujet de la formation du personnel missionnaire.

§ 35: specialem servare coniunctionem cum missionariis ex ipsa communitate: il vaudrait mieux dire en quoi cette conjonction consiste et comment elle s'exprime — certes une telle formulation vague peut être aisément votée, mais elle ne sert à rien.

La réalité de la conjonction réside dans le fait que le missionnaire originaire de cette Eglise locale fait toujours partie de son presbyterium; sa manifestation peut être la prise en charge matérielle du missionnaire par sa communauté d'origine (cf. infra).

§ 36: ce § pourrait être considérablement réduit, tout en acquérant de la force, si un chapitre sur l'Ordre des Evêques était intercalé comme signalé ci-dessus.

En se référant à ce chapitre-clef (dont la nécessité s'est fait combien de fois sentir) il suffirait de dire ici que l'*Evêque, principal agent de la Mission, donne l'impulsion missionnaire à son diocèse par l'enseignement, la prière et les gestes — notamment en recrutant dans le diocèse le personnel missionnaire* (en fait de « vocationes ad Instituta missionalia *libenter* fovere », ligne 32!) *parmi les laïcs ou le clergé qu'il dirige sur les Instituts de formation appropriés* (ce qui en dit plus long que « debita praeparatione », ligne 43); l'Evêque estime le quota qu'il peut fournir, la question est ensuite discutée au Conseil central d'évangélisation. Les questions d'adoption et de jumelage, très discutables, ne peuvent en tout cas pas être laissées à la fantaisie d'un chacun mais relèvent aussi de ce Conseil qui les étudiera.

Le moyen le plus concret pour un diocèse de participer à l'activité de ses missionnaires est de pourvoir à leur entretien sous la direction de l'Evêque: ce serait beaucoup plus efficace que de vagues déclarations et exhortations en vue de subventions pour « les missions » (« varia media subveniendi », page 26, ligne 10).

N. B.: Il faut, à ce sujet, dégager l'Œuvre missionnaire d'un brouillard qui l'obscurcit et l'empoisonne: l'argent. Combien de missionnaires ont-ils manque du nécessaire? Il n'est même pas rare que l'un ou l'autre puisse

se payer une automobile personnelle. Les 9/10 des richesses du monde se trouvent dans les pays d'origine des missionnaires; c'est la répartition qui doit en être réorganisée, in capite. Par contre combien de chrétiens croient avoir satisfait à leur obligation missionnaire de baptisés en donnant une obole aux quêtes pour « les missions ». Le problème n. 1 de la Mission n'est pas la finance, ni même un personnel suffisant; mais il est bien la formation de ce personnel, d'où une réestimation du rôle indispensable des Instituts missionnaires.

§ 37: c'est l'occasion de souligner que, si les missionnaires se consacrent exclusivemente au service de la Mission, toute existence sacerdotale a une dimension missionnaire (du fait de son articulation sur le corps des Evêques) et que le premier souci de tout prêtre est justement la brebis qui n'est pas dans le bercail — et il s'en trouve au moins quelques unes (quand ce n'est pas la majorité) dans toutes les paroisses.

§ 38: des longueurs inutiles (notamment p. 27, lignes 1-5) (encore des compliments pour des mérites passés!).

Ligne 11: ubi fieri potest... Le § 18 était autrement plus énergique: vita contemplativa *ubique instauretur*. Il y a au moins un manque de coordination interne dans le schéma.

Religieux de vie active: il est bon de les inviter à la Mission, mais on ne peut se passer de leur recommander alors la *préparation* spécifique.

Instituts séculiers: plutôt que quatre lignes de généralités, envisager ici les deux problèmes principaux que posent ces Instituts (à orientation missionnaire):

a) pléthore de bonne volonté laïques et d'Instituts nouveaux, mais à côté de cela on manque de tels laïcs sur le terrain même de la Mission. S'impose un travail d'organisation, de répartition, d'équilibrage de l'offre et de la demande;

b) nécessité d'une formation spécifiquement missionnaire pour ces laïcs (qui pourront la recevoir dans les Instituts missionnaires, comme il a été signalé plus haut).

Conclusion: on peut discuter de l'utilité d'une telle exhortation finale; il y en a assez tout au long du schéma.

114

EXC.MUS P. D. OSCAR SEVRIN
Episcopus tit. Mossinensis

Cap. I. *Titulus*: Ab aliquibus proponitur novus titulus, ad vitandum verbum: missionale; qui non placet: nec non christianis, nec novellis Ecclesiis. Quaestio saltem commendatur attentioni commissionis ...

Reflexio aliqua generalis. Variae personae dixerunt schema parum loqui

de baptismo et Ecclesia visibili. Addiderunt: Interdum totum contineri videtur in annuntiatione Evangelii et suscitatione fidei ... Revera talis modus videndi et loquendi esset omnino incompletus, cum Ecclesia a Christo fundata sit simul populus et compages in quam quis, si potest, visibiliter ingredi debet per sacramenta, baptismi et alia. Cf. *Lumen Gentium,* n. 9: ex aqua et Spiritu; n. 14: idem; n. 31: incorporati per baptismum; n. 64: praedicatione et baptismo. Etiam et antea: ambo mandata missionaria loquuntur modo coniuncto de: crediderit et baptizatus fuerit, et de: docere, baptizantes ... Feliciter, textus schematis de his rebus clare dicit in pag. 7, linn. 26-30 et in nn. 14 et 15.

Attamen duo passus postea recensebuntur, quae meliorari posse videntur: pag. 5, lin. 7; pag. 5, lin. 29.

Pag. 5, lin. 7. Post: « annuncietur », addatur: « et stabiliatur ». *Motivum*: Ut bene apparet ex ipso textu S. Augustini, activitas missionaria *non* est tantum: annuntiare veritatem, sed et: gignere Ecclesias. Hoc clarius indicandum venit iam ab initio, ne offeratur idea nimis restricta missionis, quae postea corrigeretur in nn. 5 et 6. Statim dicatur totum id quod essentiale est, praesertim si ad hunc finem unum verbum satis sit!

Pag. 5, lin. 15: tollatur: « tam ». Motivum: verbum « praeclara » (cum praefixo: prae!) videtur sufficiens, et remanet magis modestum.

Pag. 5, lin. 18: verbum: « procedat » minus placet. Motivum: in vocabulario classico, reservatur personis divinis, nec potest applicari Ecclesiae nisi in sensu multum vago et ambiguo. Ad tollendam ambiguitatem (et ad vitandam falsam argumenti « apparentiam » quod extraheretur ex illa pura putaque homonymia), dicatur simplicius: « initium sumat ex », vel « originem habeat in ».

Pag. 5, lin. 21: notatio reciproca: Ne dicatur quod Filius et Spiritus Sanctus a Patre originem ducunt (quod verbum sane admitti posset) sed clarius et pressius: « procedunt ». Motivum: claritas et consistentia vocabulorum.

Notetur insuper quod Filius et Spiritus Sanctus non eodem modo « procedunt » (ut forsan quis intelligere posset ex brevissima formula hic usurpata), sed (ut omnes sciunt) Filius a Patre, Spiritus a Patre et Filio (vel: per Filium). Forsan bonum esset rigorem expressionis hic melius servare. Motivum: Totum ratiocinium est delicatum; immo forsan iterum elaborandum. Servetur ergo, prae omnia, rigor verborum et idearum.

Pag. 5, lin. 29: loco « in unum », ponatur vel addatur: « in unam ecclesiam ». N. 2: Totum ratiocinum in pag. 5. Ratiocinium non videtur stringens. Quia Ecclesia oritur ex missionibus Filii et Spiritus Sancti, concludere (probabiliter) possumus eam esse missam (sed quo sensu?), sed non immediate eam esse missionariam sensu classico et activo verbi huius. Etenim ex his missionibus oritur totum esse et quaevis actio Ecclesiae ...

Ad conclusionem attingendam, ostendendum est non tantum Ecclesiam oriri ex missionibus illis quasi passive, sed motum dynamicum ipsum harum

missionum participare propter caritatem sic ei infusam, qua ille Populus Dei fit populus Filiorum, dynamice viventium ad Propositum Patris adimplendum.

Liceat proponere formulam brevem etsi paululum magis elaboratam: « cum ipsa, ex missione Filii missioneque Spiritus Sancti orta, et divina caritate mota, vivat in Propositum Patris adimplendum. Hoc enim, etc. ».

Pag. 7, lin. 22: loco: « cooperatur », ponatur: « cooperari debet ». Motivum: Hic non enuntiatur, eheu, factum acquisitum, sed munus adhuc explendum!

Pag. 8, lin. 7: post verbum: « sed », inseratur: « in hoc statu terrestri peccatis et imperfectionibus, tum christianorum tum aliorum hominum, maxime impedita ». Motivum: agnitio nostrae debilitatis!

Pag. 8, lin. 22: loco: « missionalem », dicatur: « directe (vel specifice, vel proprie) missionalem ». Motivum: In initio paragraphi, « activitas missionalis » signat omnes varias condiciones missionales; in lin. 22, non sic, sed tantum activitatem denuo susceptam inceptionis seu plantationis. Quod aliquo verbo clare indicari debet.

Pag. 10, linn. 17, 18, 19: ponatur post linn. 20 et 21. Motivum: linn. 20-21 aliquam propositionem generalem exprimunt cuius linn. 17, 18, 19 sunt revera aliquod consectarium seu corollarium.

Pag. 12, lin. 5: « Sed etiam, in signum adventus Regni, curans etc ... ». Motivum additionis: Sic indicatur clare quomodo opera misericordiae nullo modo procedant ex motivo tactico, nec tantum ex philanthropia pure terrestri, sed ex visione pleniore Regni, in quo opera illa externa sunt signa advenientis Regni interni: « Ut sciat mundus quia Filius potestatem habet dimittendi peccata, dixit paralytico: Surge et ambula » ...

Cap. II. Pag. 12, lin. 6: post: « Ecclesia », inseratur: « per filios suos ». Motivum: In hoc stadio, nondum iungitur Ecclesia cum hominibus non christianis directe et proprie, sed christiani singuli, vel saltem qui nondum perceptuntur ut unicus populus Dei.

Pag. 12, linn. 33-39 (initium n. 13): concordes sumus cum variis aliis episcopis in affirmando hanc paragraphum de Christi annuntiatione esse nimis brevem et nimis debilem sed remittimus ad propositiones ab his aliis episcopis factas, vel faciendas.

Pag. 13, lin. 5: tollatur sententia: « De libertate huius conversionis constare debet ». Motiva: 1) Nil affert bene praecisum quod non dicatur in sententia sequenti, clara, et servanda. 2) Verbum « constare » magnum periculum secum fert, scil.: Gubernia hostilia, hoc verbo uti possent ad « inquisitiones » suas officiales legitimandas (ut iam fuerunt in India, v. g. Nyogi, Report, vel in regionibus musulmanis).

Pag. 14, lin. 32: inter penultimum et ultimum paragraphum, addatur sequens paragraphus: « Non sufficit autem ut populus christianus praesens sit et constitutus in aliqua gente, nec sufficit ut apostolatum exempli exerceat. Eo constituitur, eo praesens est ut concivibus non-christianis Christum verbo et opere annuntiet eosque iuvet ad plenam Christi receptionem ».

Deinde ponatur ultima paragraphus sicut in textu. Et denique addantur sequentia: « Omnes ceteroquin fideles laici, cuiusvis status vel aetatis, sese habeant tanquam ad apostolatum et ad Ecclesiae extensionem destinatos, vi sui baptismatis et suae confirmationis, et secundum uniuscuiusque opportunitatem, praesertim ad totius mundi et suae societatis consecrationem, cui, modo speciali, dedicantur.

Pag. 15, lin. 8: « gerenda, sine consideratione commodi proprii aut familialis ». Motivum: Vinculatio sacerdotum ex consideratione familiae est res nota in Africa et Asia, sicut non deest in Occidente. Cum illa « libertas » etiam commendetur « missionariis » (cf. pag. 19, lin. 9), hic commendari potest sacerdotibus localibus, in descriptione cleri idealis.

Pag. 16, lin. 35: « Congregationes religiosae »: Expressio non est sufficiens. Etenim plures ex maioribus coetibus missionariorum proveniunt non ex congregationibus sed ex Ordinibus. Ponatur: *Instituta religiosa* (cf. titulum exactum in n. 25).

Pag. 16, lin. 38: tollatur: « suo ». Motivum: 1) est verbum redundans et inutile; 2) inducit lector ad cogitandum de solis « religionibus » autochtonis, dum certum est commendationem dirigi ad omnia instituta in missionibus laborantia, etiam si sedes centralis, vel membrorum origo sint extraneae.

Pag. 17, nn. 19 et 20: tum vocabularium, tum redactio harum partium est fluens et haesitans.

Titulus articuli loquitur de: *Ecclesia particularis*. Subtitulus n. 19 loquitur de: *Ecclesia localis*. Ipse textus de Congregatio fidelium sub ductu episcopi proprii. Postea, quaestio fit de: Ecclesia novella. Iterum de: congregatio fidelium, quin scimus utrum talis congregatio *una* sit etiam *una* ecclesia novella, vel forsan una Ecclesia novella constat ex pluribus congregationibus, ex pluribus Ecclesiis particularibus, etc. ...

Codex cognoscit: Ecclesia peculiaris, i. e. congregatio fidelium ab uno Episcopo dependens, quod est clarum. Sed quid designat Ecclesia localis? Probabiliter idem ac Ecclesia peculiaris ... Sed quid tunc Ecclesia particularis? An est una Ecclesia peculiaris seu localis? Aut forsan complexus Ecclesiarum peculiarium (sensu stricto)? ... Et tunc qualis est limes huius complexus? Provincia ecclesiastica? Natio? collectio nationum, collectarum propter affinitates vel propter exiguitatem spatialem uniuscuiusque? ...

Cum annotationibus E. D. van Valenberg, proponimus: Ecclesiae particulares, ad mentem constitutionis *de Ecclesia*. Sed tunc textus debet definitionem Ecclesiae particularis elucidare.

Coetus Superiorum quibus praesidet. E. D. van Valenberg proponit novum textum inserendum tanquam n. 19 bis, in quo clare affirmatur et ipsas Ecclesias novas officio missionario teneri tum erga suum populum tum erga mundum. Illa insertio omnino opportuna videtur et inserenda.

Cap. III. Liceat nobis hic ponere aliquam notam ampliorem de modo quo consideratur: Clerus localis in schemate. Quomodo haec nota connectatur cum cap. III, mox apparebit.

A variis personis querelae exortae sunt quia in schemate non datur clero autochtono locus sufficiens, amplitudine, dignitate et responsabilitate.

In n. enim 16, clerus autochtonus non apparet nisi ut obiectum quasi passivum pro conatu missionariorum externorum « de clero locali constituendo ». Et tolli saltem debet verbum: « attamen », quod videtur annuntiare quasi aliquam concessionem. Illa exegesis certe est falsa sed occurrere potest ... Ponatur e contra: « insuper », vel: « immo ».

Similiter, in toto cap. III, de quo nunc, omnia conscripta esse videntur supponendo missionarios esse quasi per identitatem solos exteros et quidem sacerdotes; qui textum legit, difficile eum intelliget etiam de sacerdotibus autochtonis, immo de non-sacerdotibus, quicumque sint, si excipis unum locum.

Saepe dicunt aliqui: sacerdotes locales non habere spiritum missionarium, vel: Fratres et Sorores nimis concludi in domibus, nec exercere apostolatum. Et fit ut illi et illae, cum non considerentur « veri missionarii », etiam non agant ut veri missionarii. Cui culpa tribuenda est? ...

Insuper doctrina pontificalis de hoc puncto est clara et textus non potest eam paululum oblivisci.

1. *Sacerdotes locales sunt veri missionarii*: Filii tui, India, administri tibi salutis, iam incudebat Leo XIII in numismate de Kandy Seminario. Et postea omnes Pontifices proclamaverunt sacerdotes locales dignitatem, naturam et obligationes missionariorum habere. Cf. BENEDICTUS XV (*A.A.S.*, 1919, 445); PIUS XI (*A.A.S.*, 1926, 75 et 77); PIUS XII (*A.A.S.*, 1951, Ev. Praec.), etc.

Ergo quae de formatione missionaria in schemate dicuntur clare et perspicue et explicite etiam ad sacerdotes locales dirigi debent.

2. *Non-sacerdotes ad extensionem Regni collaborantes in loco sunt veri missionarii*: Sane nullus christianus, interrogatus, hoc denegabit. Sed debetibus officialibus, quasi oblitos fuisse Fratrum et Sororum, sint exteri, sint locales. Textus schematis illam oblivionem reparare debet et ita loqui ut clare appareat tanquam destinatus omnibus missionariis, non tantum intentione sed et redactione sua. Secus iterum Fratres et Sorores, ut interdum cum tristitia notant, videbuntur parvi fieri et considerari tantum « per analogiam ».

Conclusio practica de cap. III. Iam ab initio, poni potest aliqua nota quae dicet: In textu huius capitis, sub verbo: missionarius, regulariter intelligendi veniunt omnes illi qui extensioni Ecclesiae in populis non-christianis totam vitam suam consecrant, sint autochtones vel extranei, sacerdotes vel non-sacerdotes: Fratres, Sorores, Laici.

Pag. 19, lin. 3: « Exeunt in locum »: vitetur illa nota geographica quae non pertinet ad essentiam rerum. Ponatur: « conentur in loco quem », etc.

Pag. 19, lin. 30: « Missionarios et missionarias ».

Pag. 19, lin. 38: « alienis populorum ». Tollatur; « alienis ».

Pag. 20, lin. 1: « vir orationis ... ». Ponatur: « homo orationis ».

Pag. 20, lin. 10: « ad varias gentes ... ». Ponatur: « ad non-christianos coetus ».

Pag. 20, lin. 28: « in terris ad quas mittentur ... ». Ponatur: « in ipso apostolatus loco ».

Pag. 21, lin. 4: « ad gentes misso ... ». Ponatur: « inter non-christianos laboranti ».

Forsan profundiores mutationes fieri deberent. Sed mutationes parvae hic propositae difficultates maiores evacuabunt ...

Cap. V. N. 33. Agitur hic de cap. V, in Introductione, ubi dicitur: « Cum tota Ecclesia sit missionaria et opus evangelizationis officium Populi Dei fundamentale, etc. » ...

Sane illa sententia bene intelligi potest. Sed etiam sensu vago et exaggerato, quod vitandum videtur.

1. Quid est evangelizatio? Conatus precum et sacrificiorum? Bonum exemplum? Actio catholica? Profectio ad non-christianos in consecratione totali vitae totius? Deputatio sacerdotalis ad ministerium in paganos? ... Respondebit quis: Haec omnia ... Sed rogabitur: An Populus Dei ad haec omnia destinatur, immo an hoc habeat ut officium fundamentale?

Ad claritatem, proponimus textum minus abruptum: « opus evangelizationis, secundum circumstantias, dona et vocationem uniuscuiusque sit officium », etc.

2. Quomodo intelligendum est verbum: « officium fundamentale » in linguis modernis ad vitandam ambiguitatem? An hoc significat, v. g. in lingua gallica: *le* devoir fondamental vel *un* devoir fondamental? in lingua anglica: *the* fundamental duty vel *a* fundamental duty. Si intenditur: Le devoir fondamental, rogatur probatio ... Si intenditur: Un devoir fondamental, hoc non apparet ex textu.

Censemus documenta Concilii debere procedere prudenter et clare in declarationibus de rebus novis et magni momenti ...

Forsan proponi potest: « sit inter officia maxime fundamentalia ».

Pag. 25, lin. 13: hic alludit textus ad gemellagium parochiarum et dioecesium. Illa praxis, in se pulchra et quae saepe habet optimos effectus exponitur tamen, ut omnia incepta humana, aliquibus periculis; scil.: timetur ne interdum intentiones magis generaliores apostolatus missionarii minus adiuventur ab illis dioecesibus quae sunt praecise inter magis capaces et magis generosae. Suggeritur ut tale periculum praecaveatur, dicendo: « coniunctionem servare, ratione semper habita necessitatum generalium Ecclesiae et mundi ».

Pag. 26, lin. 3: nonne addi possit sententia sequens: Ad sacerdotes plures liberandos, qui penuriam sacerdotalem regionum aliarum sublevare possint, considerent episcopi nonne sit possibile in sua dioecesi plures paroecias minimas et vicinas unius tantum sacerdotis curae concredere.

Pag. 26, lin. 17: n. 37 in initio. 1. « Servitium », lingua latina, non significat: service, sed: servitude, slaverness, schiavitù ... Valde pulchra mu-

tatio esset et quidem omnino biblica recurrere ad verbum: « ministerium ». Cf. Veni ministrare; sit sicut minister; opus fac evangelistae, ministerium tuum imple ...

2. « Missio Ecclesiae »: est expressio generalis quae complectitur tum conservationem tum propagationem fidei et Ecclesiae. Hoc apparet ex constitutione *de Ecclesia* pag. 10, lin. 8. Ad designandum specifice laborem propagationis fidei et Ecclesiae non sufficit, ut bene notatur in n. 6 huius ipsius schematis de activitate missionali. Ergo usus huius expressionis ambigua remanet. Ponatur forsan: « In ministerium Evangelii », vel: « in ministerium expansionis Ecclesiae ».

N. 38: ille numerus est ambiguus: loquitur simul: et de Institutorum membris in missionibus degentibus vel in missionem mittendis, et de membris quae in patria sunt et remanebunt, sed missiones adiuvare debent. Primi sunt missionarii et pertinent ad cap. III. Alii non, et pertinent huic capiti. Unde: Numerus iterum conscribendus videtur clarius.

Pag. 27, linn. 36 s., n. 39: paragraphi huius numeri, quae incipiunt cum verbis: « In terris autem Missionum » usque ad finem capituli, loquuntur de *missionariis* laicis stricte dictis et pertinent ad cap. III (Praeter, forsan, « Particulari ... praeparando »).

Pag. 28, linn. 26 s.: *conclusio*: citatio finalis posset forsan meliorari et ampliari: « Tale erit, usque ad ultimum terrae et usque ad consummationem saeculi nobile totius Ecclesiae officium, mortem et resurrectionem Domini praedicare eiusque effectus ad omnes homines extendere, ut in Christo omnes vivificentur, sicut et in Adamo omnes moriebantur. Deinde veniet finis cum Christus regnum tradiderit Deo et Patri ut sit Deus omnia in omnibus (cf. *1 Cor.* 15, 22-26).

* * *

In congregatione diei 8 octobris, R. D. MacCauley, ep. Fort-Portal (Uganda) intervenit ut in schemate *de activitate missionali Ecclesiae,* mentio fieret de Beata Maria Virgine, de qua omnia alia documenta loquuntur.

Proposuit duas additiones faciendas ad hunc finem attingendum, scil. — si bene audivimus — unam in n. 18 et alteram in n. 21.

Illa propositio videtur optima et ei assentimus, secundum verba quibus expressa fuit in aula conciliari.

115

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Circa n. 27, pag. 22, linn. 17-22. Grato animo agnoscimus schema valde in melius mutatum esse et in genere placere. Deo volente fieri potest magna charta missionum ex qua initium sumet cooperatio totius Ecclesiae ad adimplendum magno animo testamentum Christi. Nam multis in terris opus

evangelizationis exiguum tantum initium sumpsit et magnus labor restat qui non nisi mediis valde adauctis absolvi poterit.

Nomine conferentiae Indiae emendationem proponere liceat in n. 27 paragrapho tertia et quarta, vel in textu novo iam in relatione proposito.

Hic agitur de ordinatione generali operis missionalis, ad quam perficiendam unum proponitur Dicasterium competens nempe « de Propaganda Fide », a quo dirigantur necnon coordinentur ubique terrarum, opus missionale et cooperatio missionaria. Itaque necesse est ut hoc dicasterium sit tam instrumentum administrationis quam organum directionis dynamicae quod utatur methodis scientificis et instrumentis huius temporis conditionibus aptatis, ratione semper habita investigationis hodiernae theologicae, methodologicae et pastoralis missionariae.

Quae definitio dicasterii optime datur in textu sed descriptio constitutionis supradicti dicasterii, ut in par. tertia, pag. 22, linn. 17-22 vel nunc in relatione proposita, iuxta modum tantum placet. Huius enim dicasterii constitutio talis esse debet ut: *a*) sit vere competens, *b*) hodiernis complexis rerum adiunctis aptatum, *c*) veram connexionem efficiat cum missionariis in terris missionum laborantibus.

Iamvero constitutio, ut in textu praesenti vel in relatione descripta, non videtur talis esse ut dicasterium vere competens, aptatum et coordinans efficiatur. A quo participantes seligendi sint non dicitur, nec cuius nomine locuturi sint indicatur. Quae quaestiones tamen magni sunt momenti.

Quare alia constitutionis descriptio proponitur: « In votis est ut hoc Dicasterium constituatur e delegatis omnium illorum qui in opere missionali collaborant: episcopi totius orbis, quicumque sit eorum ritus, ab ipsorum conferentiis episcopalibus praesentati, necnon Moderatores Institutorum missionalium et Operum Pontificalium. Hi omnes, statutis temporibus convocandi, supremam gubernationem operis missionalis participent. Quantum fieri potest, eorum in Dicasterio munus ad certum annorum numerum limitetur ».

d) Praeterea in quarta paragrapho post verba « consultorum peritorum permanens », addantur sequentia « quibus adiungantur aliqui missionali experientia praediti. Cuius secretariatus », etc.

Rationes sequentes addere liceat:

a) quod attinet ad designationem membrorum: vere repraesentent Ecclesiam missionalem et eius nomine loqui possint. Quod si numerus membrorum non nimis ampliandus videatur, possint e diversis nationibus delegati vicissim cooptari, ita tamen ut variae mundi partes semper repraesententur;

b) quod attinet ad limitatum tempus in munere: sic vitatur sclerosis et semper renovatur contactus cum realitate vivente Ecclesiae missionalis.

Utraque stipulatio analoga est modo quo Summus Pontifex voluit constitui Synodum Episcoporum.

116

EXC.MUS P. D. IOSEPH STREBLER
Archiepiscopus tit. Nicopolitanus in Epiro

Schema novum *de activitate missionali Ecclesiae* missionariis in genere valde placet, quia Missionem universalem Ecclesiae principiis theologicis rite ostendit et considerat activitatem missionalem Ecclesiae sensu traditionali.

Omnibus notum est quod Sancta Mater Ecclesia, ad implendum mandatum divinum adducendi genus humanum ad agnitionem Iesu Christi — per plura saecula elapsa — Instituta religiosa vel missionalia — tamquam socios elegit, ipsisque opus evangelizationis in certis regionibus commisit; sed sic agens, partem principalem, scil. *regimen missionis* sibi retinuit, ab Instituto adiutore generosum tantum auxilium exoptans operariorum et mediorum ad opus exsequendum.

Instructio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 8 decembris 1929, Institutis Missionalibus clare principia iuris commissionis expandit, illisque notitiam dedit se nullo modo, alicui Instituto regionem aliquam evangelizandum committens, intendisse ullum terrae tractum, *plane et omnino* relinquere curis illius Instituti.

Operarii evangelici missi sunt ab Ecclesia ad novas ecclesias plantandas, — principaliter instituendo clerum indigenam — quo facto et Hierarchia erecta, naturale est quod novellae communitates christianorum clero, e propriis popularibus delecto, creditae sint.

Quando hoc accidit, ius commissionis in favorem Instituti Missionalis cessat et universa Missionis cura et obligationes unice novo Ordinario loci reservantur, uti Codex Iuris communis praecipit.

Attamen Ecclesia enixe desiderat ut Missionarii in suo campo laboris remaneant, et novis condicionibus cum clero indigena, toto corde et vera caritate fraterna, ad salutem animarum se devoveant.

Praevidens hanc diem, Sanctissimus Pater, Papa Pius XII, in encyclica *Evangelii Praecones* iam dixit: « Religiosum Institutum cuius sodales dominicum agrum suo profuso sudore proscindendum curarunt, cum ex mandato Sacri Concilii catholicae propagandae Fidei, vineam ab se excultam ac iam uberibus refertam fructibus, aliis agricolis concredit, non eam necesse est omnino derelinquat, sed rem utilem ac consentaneam egerit, si novo episcopo, ex populo delecto, adiutricem operam suam praestare perrexerit. Sicut enim in ceteris omnibus catholici orbis dioecesibus, plerumque religiosi sodales Ordinario locorum Antistiti adiumento sunt, ita pariter in Missionum regionibus, etsi ex alia orti sunt gente, veluti auxiliatores copiae, sanctum certare certamen non desinent » (*A.A.S.*, 1951).

Simili modo, recentius amantissimus Pater, Papa Ioannes XXIII, in encyclicis litteris *Princeps Pastorum* dixit: « Christianorum communitates qui-

bus adhuc Missionales suam praestant navitatem, quamvis iam a propria Hierarchia regatur, eorum etiam nunc opera profecto indigent, qui hac de causa ex aliis nationibus advenerunt, sive ob territorii amplitudinem, sive ob christifidelium marescentem numerum, sive denique ob ingentem multitudinem eorum, qui nondum Evangelii doctrina exculti sunt » (*A.A.S.,* 1959, p. 839).

Haec doctrina Summorum Pontificum, in n. 25 novi schematis laudabiliter enuntiata est sed melius esset — mihi humillime videtur —, si verba ipsa in textu verbatim apparere possint, cum exhortatione finali huius numeri, fortiter invitante Instituta Missionalia ad fraternam cooperationem cum clero indigena, vel curam animarum gerendo, vel munera specialia ad bonum commune Ecclesiae novellae persolvendo, quia in omnibus missionibus Missionarii adhuc apprime necessarii manent.

Relationes novas Ordinarios Missionum inter et Instituta Missionalia ardenter desiderantur, quia antiquae normae saepe non amplius conveniunt.

Elementa essentialia ad hanc reordinationem perficiendam, ad levandas dubitationes, haesitationes et incertitudines, quae animorum dissentiones creare possint, partim in Instructione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide iam citata, partim in novis textibus decretum *de accommodata renovatione vitae religiosae* et *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* inveniuntur, ubi legimus: « Omnes quidem presbyteri, sive dioecesani, sive religiosi, unum sacerdotium Christi cum episcopo participant et exercent, ideoque Ordinis episcopalis providi cooperatores constituuntur » (n. 28).

Maxime in Missionibus, omnes sacerdotes in servitio Ecclesiae particularis, unum constituunt presbyterium atque unam familiam, cuius pater est episcopus.

Urgentis necessitatis nobis videtur ut principium solidum huius collaborationis inter Ordinarios Missionis et Instituta Missionalia in textu Magnae Chartae de activitate missionali Ecclesiae clare et breviter saltem exponetur in fine n. 25.

Optandum est ut navitas horum Institutorum in certis territoriis per Mandatum Officiale a Sancta Sede subsignatum consecretur, ut stabilitas laboris missionariorum, in condicionibus novis, ita consecretur, ut missionarii ipsi et Ordinarius loci sine angustia sint de futuro et Superiores Maiores facilius novas vocationes pro missionibus invenire et aptius praeparare possint.

Sine aliqua missione canonica novi generis, loco Iuris commissionis, nec Instituta Missionalia, nec novellae Ecclesiae, sanam securitatem et stabilitatem habere possunt, quae ad progressum missionum indispensabiles sunt.

Opus evangelizationis mundi non privatum, sed opus Sanctae Sedis et corporis episcoporum est, qui totam responsabilitatem habent operariorum et mediorum Missionum; quapropter missionarii ab Ecclesia missuri sunt ut opus Dei et Ecclesiae in fide et oboedientia gaudenter suscipere et adimplere possint, ut nuntii Christi.

117

EXC.MUS P. D. ARTURUS SZYMANSKI RAMIREZ

Episcopus S. Andreae de Tuxtla

Schema, valde melius quam quod nobis oblatum est anno transacto, nam carnibus revestitum et sanguine vivificatum, adhuc perpoliendum videtur ut lacunae tollantur quae in eo apparent.

Liceat mihi unam ex his vestrae considerationi proponere: In schemate e fundamentis theologicis et principiis doctrinalibus devenitur, logice, ad tractandam activitatem missionalem totius Ecclesiae. At in applicatione principiorum praetermittitur quaedam activitas missionalis notatu digna: Schema, mea sententia, deberet loqui, claris et praecisis verbis, de regionibus quae, etsi fides in eis iam abhinc longo tempore plantata est et hierarchia constituta, apparent ut terrae missionis et revera tales sunt. Sic schema agere deberet non modo de statibus inceptionis et novitatis seu iuventutis Ecclesiae sed etiam de eius statu regressionis seu infirmitatis aut periculi mortis. Sunt nempe plures dioeceses in mundo hodierno in quibus inveniuntur nuclei indigenarum seu autochtonorum (*indígenas* hispanica) qui nondum credentes sunt, et vivunt saepe sine baptismate, saepe autem, etsi baptizati, omnino ignorantes veritatum fundamentalium fidei cum non habeant aliquem qui eis praebere possit cibum Verbi Dei. En factum missionale omnino clarum.

Hoc problema, quod meo iudicio grave admodum est, habetur in perpluribus regionibus habitis ut catholicis, v. g. in America Latina, et extenditur plus quam quod de eo cogitatur in Europa et in aliis mundi plagis. Ut non vestram attentionem taedio afficiam unice afferam breve datum Mexici, nationis catholicae nostrae Americae: In eo, etsi diversa scala, invenitur problema indigenarum in 50% (quinquaginta per centum dioecesium) scil. in 28 (duo de triginta) et cum duplici motivo gravitatis: Hae sunt dioeceses pauperiores et cleri penuria laborant. Hic, ni fallor, est novus aspectus problematis missionalis prae oculis habendum in schemate cum sit problema plurimorum episcoporum hic praesentium qui, humiliter dico, non gaudentes corona missionariorum revera missionarii sunt una cum suo presbyterio.

Haec proferre ausus sum cum videam messem Domini nostris in regionibus et operarios petentem et periclitantem, et haec dicens non praetermitto incepta episcoporum aliarum nationum ut Germaniae, Hispaniae, Italiae in favorem harum dioecesium. Ast haec frequenter ad realitatem non perveniunt ob penuriam, qua patiuntur episcopi. In hoc conquerimur una cum clarissimo relatore: « Quomodo fieri potest ut in eodem Collegio quidam sint vere opulentes, quidam mendicantes » et nos sentimus viciniores iis qui sunt in prima acie missionali et cum quibus portamus pondus vere activitatis missionalis.

Noster angor accrescit cum videmus sectarios non fratres separati, qui

veniunt ad nostras debiles et pauperrimas communitates indigenarum et eas spe lucri et male loquendo de Ecclesia catholica ad suos errores alliciunt.

Unde humiliter postulo: 1) ut in schemate clare agatur de hoc novo aspectu problematis missionalis Ecclesiae; 2) ut quando ordinetur labor missionalis totius Ecclesiae, ut in schemate manifestatur, non obliviscantur hae regiones.

Sic robustior fieret congregatio christiana his in locis e quibus maius et efficacius exire debet adiutorium in favorem missionum exterarum, et haberemus responsionem vere ecclesialem tum pro sacerdotibus tum pro fidelibus nostrarum dioecesium qui, tale problema videntes et sentientes in carne propria, saepe conqueruntur eo quod, etsi missiones ab ipsis oratione et ope adiuventur, illi nihil obtineant in favorem suorum infidelium.

118

Exc.mus P. D. MESROB TERZIAN
Episcopus tit. Comanensis in Armenia

Liceat mihi gratias agere exc.mae commissioni quae paravit schema decreti *de activitate missionali Ecclesiae* in hac nova versione quae valde placet pro principiis doctrinalibus atque structura logica textus et totum ibi inclusum quod complectitur praeparationem ad evangelizationem, praedicationem, catechumenatum, formationem communitatis christianae, Ecclesias locales, missionarios, coordinationem activitatis missionariae atque cooperationem missionariam.

Attamen mihi videtur utile proponere quasdam notulas de Auctoritate Suprema, de oecumenismo, circa aliquas « inadvertentias » atque de fine missionalis activitatis:

A) Oportet, ubi res naturaliter postulat, loqui de capite apostolorum atque de Summo Pontifice, de eius Supremo Magisterio, de eius beneplacito, de eius suprema Gubernatione. Itaque

1. Pag. 5, lin. 4 dicatur: « Ipsi apostoli, duce Petro ... vestigia Christi sequente ».

2. Pag. 7, lin. 20 legatur: « Ordo episcoporum sub ductu Romani Pontificis ».

3. Pag. 17, linn. 18-19 declaretur ita: « Vita Populi Dei maturescere debet ... ad normas Supremi Magisterii renovandae ».

4. Pag. 18, linn. 8-9 scribatur ita: « Ecclesiae novellae in Christo radicatae atque Petri apostolorumque fundamento superaedificatae ... ».

5. Pag. 21, lin. 35 addatur pericopa ut ita legatur: « Coetus seu Consilium Centrale, si ita placuerit Summo Pontifici, inter generalis momenti negotia ... ».

6. Pag. 26, lin. 6 scribatur: « Conferentiarum episcopalium est, sub ductu Romani Pontificis, negotia moderari quae ad ... ».

B) Loquendo de spiritu oecumenico caveatur ne ansa detur ad diminutionem zeli praedicationis Fidei catholicae neque nutriatur « arrogantia » quorumdam protestantium « fanaticorum », speciatim ne indifferentismo faveatur per sequentia verba: « Spiritus oecumenicus nutriatur inter neophytos, qui probe aestiment fratres separatos esse Christi discipulos, baptismate regeneratos, perplurium bonorum Populi Dei consortes » (pag. 14, linn. 17-19).

Itaque magis insistendum est in transcendentia, in veritate Religionis Christianae atque magis urgendus est zelus missionarius catholicorum.

C) Humiliter puto perficiendas esse quasdam « deficientias » ex inadvertentia:

1. Pag. 8, lin. 41 legatur ita: « Ex quo patet activitatem missionalem intime cum ipsa natura connexam esse Ecclesiae, cuius catholicam unitatem dilatando perficit, cuius apostolicitate sustentatur, cuius Hierarchiae collegialem affectum exercet ... ». Etenim Ecclesia non est collegium, sed Hierarchia est collegium.

2. Pag. 10, lin. 21 scribatur: « Missio igitur ... manifestatio seu Epiphania atque adimplementum in mundo et in historia ». Nam debemus non solum propositum Dei manifestare, sed etiam, alacriter laborare ut per evangelizationem, per praedicationem Fides Christiana communicetur atque propositum Dei adimpleatur.

3. Pag. 11, linn. 1-2 addatur « et communicandum » ita ut legatur: « Ecclesia a Christo missa ad caritatem Dei omnibus hominibus et gentibus manifestandam et communicandam ». Ratio sicut supra.

4. Pag. 12, lin. 21, addantur verba « atque Revelationem Divinam eis communicet ». Itaque scribatur: « ... ut Deo adiuvante, caritate et fideli servitio, hominibus ministret atque Revelationem Divinam eis communicet ».

5. Pag. 15, linn. 29-30, addantur verba « instruantur clerici in superioribus institutis externis ». Legatur ita: « Attamen, ut clerus localis ad omnia munera ecclesiastica magis magisque idoneus evadat, instruantur clerici in superioribus institutis exteris atque seligantur sacerdotes ... ». Ceterum iam, ex tempore, ita fit in Urbe atque in aliis civitatibus.

6. Pag. 22, linn. 20-22, ita mutentur ut legatur: « Hi omnes, statutis temporibus convocandi, collegialiter sub auctoritate Summi Pontificis, supremae gubernationi totius operis missionalis cooperentur. Etenim suprema gubernatio missionum est unius Summi Pontificis; atque membra selecta de quibus supra, cum non efforment collegium episcopale totum, nonnisi cooperatores sunt Supremi Hierarchae.

D) Certe finis, ratio missionalis activitatis est principaliter Gloria Dei atque salus animarum. Itaque cum pag. 9, linn. 3-5 dicitur « Ratio huius missionalis activitatis non unice ex aeterna salute uniuscuiusque hominum evangelizandorum procuranda sumitur », ibi loquendum etiam de Gloria Dei,

ita ut illa propositio legatur ita: « Ratio huius missionalis activitatis principaliter ex Gloria Dei atque ex aeterna salute uniuscuiusque hominum evangelizandorum procuranda sumitur ».

Itaque in paragrapho sequenti (pag. 9, lin. 17) loco « maxime » consequenter adoperandum est verbum « etiam », ita ut legatur: « Ratio missionalis activitatis Ecclesiae etiam deducitur ex proposito Dei, cui Christus oboedienter ... ».

119

Exc.mus P. D. HYACINTHUS THIANDOUM

Archiepiscopus Dakarensis

De schemate quod nunc *de activitate missionali Ecclesiae* inscribitur et Patrum iudicio submittitur, nihil dicendum est, nisi bonum. Attamen, tres observationes attentioni vestrae proponere vellem.

Ad 1. Pag. 9, n. 7. « Rationes et necessitas missionalis activitatis ».

Paragraphus illa, quae de rationibus et necessitate missionalis activitatis agit, uti lapis angularis totius nostri schematis haberi potest. Sed argumentum praeeminens et centrale huius quaestionis, propositum Dei, scil., omnes homines, per Christum salvandi, ad effectum adducendum, quod est sine dubio, ratio principalis et primaria activitatis missionalis Ecclesiae, nec videtur in suo loco positum, nec sufficienter evolutum.

Ratio illa non legitur quidem nisi in lin. 17. Deberet sane in principio huius numeri poni et, solum postea, media a Deo electa ad consilium suum exsequendum, Praedicatio, Fides, Baptismus. S. Paulus enim, in sua epistola ad Romanos (10, 13-15) ait: « Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? »

Propono, ergo, ut ordo propositionum huius paragraphi logice invertetur. In primis, absolute affirmetur necessitas activitatis missionalis, sicut in linn. 30-34 legitur, et ad calcem, tantum, humili meo iudicio, reponantur considerationes quae, in primis lineis huius articuli inveniuntur.

Ad 2. Pag. 11, n. 11. « De dialogo cum non-christianis ».

Discussio acerrima et felix exitus suffragationis die 27 habitae, super textum *de libertate religiosa* clare manifestarunt cuius ponderis esset haec quaestio oculis Patrum. Ex quibus patet, etiam, momentum actuale dialogi inter Ecclesiam et non credentes.

Dialogus, ut fructuosus sit et efficax, multas conditiones exigit, praesentiam praesertim et contactum inter colloquentes. Conditiones illae, quas Paulus VI, in Encyclica sua *Ecclesiam suam* clare et distincte enumeravit, nullibi in textu nostro inveniuntur. Nemo est qui non videat opportunitatem et utilitatem talis recordationis in hac paragrapho, ut nexus illius decreti

cum aliis documentis conciliariis, nempe *de Ecclesia in mundo hodierno* et *de libertate religiosa* manifeste appareat.

Insuper, in multis regionibus Africae, fideles, pusillus grex in massa non-christianorum perditus, sensu minoritatis et complexu inferioritatis laborant, qui dialogum difficillimum reddunt. Quare insistere debemus et sententiam inculcare catholicis nostris: ad dialogum nempe instituendum, nec vim nec numerum requiri sed potius qualitates animi, conscientiam scil., maturitatem et sensum responsabilitatis.

Ad 3. Pag. 12, n. 13. De evangelisatione et conversione.

Valde optandum esset ut duo vocabula hic usitata, evangelisatio et conversio, breviter sed clare definientur. Saepissime de evangelisatione abusive loquitur ad res significandas quae nihil habent commune cum evangelio seu nuntio salutis.

In hac paragrapho, de necessitate evangelisationis et conversionis, simul et de libertate religiosa disseritur. Ad tollendam oppositionem et contradictionem, quae in verbis latent, oportet ut expositio nostra non sit ambigua.

Debemus fortiter affirmare missionis necessitatem et evangelisationis urgentiam; et in hoc n. 13 esset bonum inserere verba Pauli VI, ad Coetum Trium Operum Pontificalium Missionariorum, 14 maii, in Vaticano unitum. Dicebat enim in lingua gallica: « La Mission, c'est à dire l'effort apostolique pour offrir à tout homme, à chaque peuple, la lumière de l'évangile, la mission est nécessaire, aujourd'hui comme hier, aujourd'hui plus qu'hier. Ce service de la vérité chrétienne, ce ministère du salut, confié par le Christ aux apôtres, et, avec eux, au peuple de Dieu, est urgent; il est nécessaire ... ».

Et simul instanter rogare debemus evangelii praeconibus ut revelatio illa, doctrina catholica, evangelium, quamvis necessarium et in se immutabile, ad mentem novam populorum, in praedicatione sit perfecte adaptatum. In paedagogia Christi et apostolorum nullo modo potest esse inter evangelisationem et libertatem oppositio.

Patres venerabiles, schema decreti *de activitate missionali Ecclesiae* quod nobis hodie proponitur, potest ut basis discussionum admitti et, post minimas emendationes, ad unanimitatem approbari. Plurimas et maximas gratias agimus membris commissionis « de Missionibus », commissio quae tandem edidit textum perpulchrum, Ecclesia et missionariis omnibus dignum.

[*Subsignaverunt etiam*] A. Diurat, ep. Bouaké; J. Ammisah; J. Lesourd, ep. Nouna; G. Biard, ep. Mopti; E. Kwaku, ep. Abenguru; P. Kelleter; G. Bertrand; A. Konings; E. Durrheimer, ep. Katiola; R. Ndudu, aux. Boma; Y. Plumey; J. Martin, ep. Bururi; P. Leclerc, arch. Segou; A. Gonçalves do Amaral, arch. Uberaba; C. Dupuy, arch. Albi; G. Beck, arch. Liverpool; J. Strebler, arch. tit. Nicopoli di Epiro; J. Perrot, ep. San; J. Bretault, ep. Koudougou; E. Courtois, ep. Kayes; J. Coudray, praef. ap. Kankan; N. Boucheix, ep. Porto Novo; J. Etrillard, ep. Gagnoa; L. Agboka, ep. Abomey; A. Essuah, ep. Kumasi; P. Dery, ep. Wa; E. Mabathoana; G. de Morais, arch. Juiz de Fora; J. Byrne, arch. Dubuque; A. Pangrazio, arch. Gorizia; P. Sfair, arch. tit. Nisibi; J. Cirarda, ep. tit.

Drusiliana; A. Kozlowiecki, arch. Lusaka; A. Tarantino, ep. Arua; J. Fady, ep. Lilongwe; Ch. Msakila, ep. Karema; C. Davies, praef. ap. Ngong; M. Otunga, ep. Kisii; A. Butibubage, aux. Mwanza; E. Mchonde, ep. Mahenge; A. Delisle; O. McCoy, ep. Oyo; J. Jobidon, ep. Mzuzu; M. Mihayo, arch. Tabora; E. Lawton; R. Pailloux, ep. Fort Rosebery; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; D. Durning, ep. Arusha; U. Morlion, ep. Baudouinville; L. Sangaré, arch. Bamako; J. Van Cauwelaert; J. Burimba, ep. Goma; J. Malula, arch. Leopoldville; F. Van den Bergh, ep. Budjala; J. Nkongolo, adm. ap. Bakwanga; Th. Kuba, ep. Mahagi; G. Ramanantoanina, arch. Fianarantsoa.

120

Exc.mus P. D. DANIEL TJI HAK SOUN

Episcopus Woniuensis

Ad perficiendum schema *de activitate missionali Ecclesiae* velim facere aliquas animadversiones, quae praesertim respiciunt ad practicas applicationes principiorum.

Schema nostrum fere silentio praeterit de materialibus mediis disponendis, quae sunt conditio sine qua non ut effectus producatur activitatis missionalis in terra Missionum. Dictum quidem est in cap. II, art. 3, pag. 14, linn. 31-32: « Communitas christiana inde ab initio ita efformari debet ut suis necessitatibus, in quantum fieri potest, ipsa providere queat ». ... Hoc est valde optabile, sed in multis pauperibus regionibus quasi impossibile est providere necessitatibus suis. Petitio enim contributionis materiae obstat eis pauperibus ab amplectenda fide catholica. Et dabit pauperibus impressionem quod Ecclesia catholica est tantum pro divitibus, qui sunt nonnumquam minus parati ad Evangelium obsequendum.

Etiam in art. 4, pag. 17, linn. 38-39, ita dicitur: « Ea subministrent adminicula, quae Ecclesia localis incremento vitaeque christianae maturitati praeprimis inserviant ». Sed non praebet quomodo haec subsidia materialia debeant procurari et distribui secundum exigentias uniuscuiusque Ecclesiae localis.

Schema nostrum egregie loquitur de necessitatibus formandi communitates christianas, constituendi clerum localem, instituendique catechistas etc., sed novellae Ecclesiae non valent ipsae providere his omnibus necessitatibus; quapropter undique auditur iste clamor: « Adiuva nos! ».

Et quidem omnes missiones adiuvantur a Sacra Congregatione de Propaganda Fide sub forma subsidii ordinarii et extraordinarii, et quaedam missiones adiuvantur directe a quibusdam Ecclesiis adultis. Data occasione, gratos animi sensus profundos exhibemus omnibus benefactoribus generosis. Huiusmodi subsidia valde utilia, sed non sunt sufficientia pro sustentatione et maturatione et dilatatione Ecclesiarum novellarum.

Iamvero nemo non novit quod principalis occupatio et aerumna episcoporum in terra Missionum est quomodo sustineat suam missionem et un-

denam inveniant subsidia pro incremento necessaria, ita ut cogerentur proh dolor! ad quaerendas eleemosynas quasi mendici facti. Mendicare quidem non erubescunt pro Christo animarumque salute, timent tamen ne detrimentum patiantur in munere pastorali hanc ob rem.

In aliquibus regionibus missionalibus, favente Deo, conversiones numerosae habentur. Constructa iam ecclesia, catechumeni veniunt a semetipsis; sed quomodo possit missio pauper novam ecclesiam constituere! Et in communitatibus christianis sudore et labore missionariorum fundatis idem oritur problema: pro institutione enim catechetica sive puerorum sive catechumenorum adultorum... pro actione catholica... pro variis reunionibus... non habentur locus nisi ipsa parva ecclesia et modestum presbyterium!

Item pro sustentatione catechistarum et sororum religiosarum, qui adiuvant missionarium, eadem difficultas oeconomica occurrit.

Uno verbo, in aliquibus missionibus copia evangelizationis matura et abundans, sed non habentur media et subsidia.

Pro solutione huius problematis oeconomici propono, ut maior accentus ponatur eis quae exposita sunt in n. 35, pag. 25, linn. 11-15. Ubi dicitur perutile esse servare specialem coniunctionem inter paroeciam aut dioecesim aliquam Missionum et communitates regionum catholicarum.

Mihi liceat loqui de hac coniunctione particulariter in rebus materialibus, quae iam in aliquibus locis in praxim deducta est: scilicet aliqua dioecesis in Missionibus adoptatur ab aliqua dioecesi adulta, ita ut profunda cognitio mutua ac cooperatio intima tam spiritualis quam materialis habeatur per frequentes communicationes sive clericorum sive laicorum.

Ex hac agendi ratione emolumenta utrique parti obtinentur:

a) Parti scilicet adoptatae: 1) episcopi possunt totos sese dare in adimplendis muneribus pastoralibus, sine nimia sollicitudine materiali. 2) Vitari possunt inutilia expensa pro colligendis eleemosynis et perditio temporis.

b) Parti adoptanti: 1) episcopi adultarum Ecclesiarum liberantur a molestiis provenientibus ex quaestibus numerosis variarum missionum. 2) Per talem coniunctionem melius promovetur dialogus fidelium inter Missiones et Ecclesias adultas, quarumque fideles melius intelligent necessitates Missionum, et consequenter, experientia teste, magis firmentur in sua fide necnon spiritu Missionali totius Ecclesiae.

c) Utrique parti. Per hanc coniunctionem promovetur cognitio totius humani generis fraternitatis praesertim christianorum, quae tantopere inculcatur in praesenti Concilio.

Haec coniunctio debet initiari sub cura paterna Sacrae Congregationis de Propaganda Fide cuiusque supervigiliantia continuari, insuper dictum Dicasterium deberet moderari ad evitandas difficultates, si quae exoriuntur.

Meo humili iudicio haec methodus simul cum Operibus missionariis universalibus, quae actualiter diriguntur a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, est valde efficax medium procurandi multo maius subsidium pro Acti-

vitate Missinali Ecclesiae quam hucusque per adoptiones libere factas inter aliquas dioeceses procuratum est et sic spero fore ut Christus ubique terrarum praedicetur et in Ipso homines unam familiam unumque populum Dei constituant.

121

EXC.MUS P. D. ALFONSUS M. UNGARELLI

Episcopus tit. Azurensis, prael. null. Pinerensis

Ex hoc vere novo ac funditus meliori schemate plura omnino placent: attamen omittendae non videntur duae magni momenti animadversiones: A) de missionum perfectiore notione et de obiectivo criterio ad eas dignoscendas; B) de unico dicasterio pro omnibus ac solis « Missionibus ».

A) Animadversio prior: *de Missionum perfectiore notione...* Dynamicus conceptus Missionis prout ex principiis theologicis optime c. I, n. 5 deducitur minime ignorare aut excludere videtur aspectum magis territorialem ac iuridicum, quinimmo aliquo modo in illo iam includitur.

Cf. n. 25, pag. 21, lin. 3; n. 27, pag. 21, lin. 38; n. 38, pag. 27, lin. 19, ubi de Missionibus; ac praesertim n. 26, pag. 26, lin. 2, necnon n. 38, pag. 27, linn. 11-12 ubi explicite agitur *de terris seu locis Missionum.*

Cf. etiam discrimen clare affirmatum (n. 39, pag. 27) inter terras missionum (lin. 36) et terras iam christianas (lin. 31), quin indicetur vera differentia inter eas.

At quaenam est correlatio huius territorialis conceptus Missionis ad conceptum dynamicum, seu ad Ecclesiae missionem eiusque missionalem activitatem, prout in n. 5 describitur?

Cum enim in n. 6 (pag. 8, linn. 30-32) asseratur quod incoepta particularia, quae communiter « Missiones » nuncupantur « plerumque in certis territoriis exercentur », schema omnino supponere videtur, ad territorium missionale constituendum, simplex activitatis missionalis exercitium in eodem non sufficere.

Sponte ergo quaestio oritur, cur una regio prae alia missionis terra censenda sit, cum in utraque missionalis activitas exerceatur?

Recte quidem in schemate statuitur « Ecclesias » hac de re esse iudicandum » (n. 6, pag. 8, lin. 21) atque agit « de territoriis a S. Sede agnitis » (n. 6, pag. 8, lin. 33), nullibi tamen indicantur criteria secundum quae tale agnitionis iudicium fieri debeat.

Cui omissioni omnino consulendum est, ne, ob prolixas orituras controversias, certa territoria auxilio priventur, quo ad vitam christianam plene ducendam prorsus indigent.

Hac in re difficultates plures fore sponte vanae fient, si, quoad missionalem activitatem in determinatis territoriis exercendam, clarius distinguatur inter universalis Ecclesiae debitum seu officium missionale et Ecclesiae particularis seu localis munus.

Quousque enim ipsa particularis Ecclesia plene constituenda obiectum primarium missionalis activitatis permanet, eo magis ut missionale habendum erit territorium ipsum, in quo activitas illa exercetur.

Duo magni momenti prae oculis habenda hac in re: I. Dari possunt Ecclesiae minoritariae — quae scil. nec medietatem habitantium superant, ut est in Statibus Foederatis Americae — tam florentes quoad personas, instituta ac media, ut etiam magnam opem ad exteras regiones generose afferant: territoria haec, evidenter, missionalia censeri non possunt.

II. Fieri potest, e contrario, in terris fere penitus a catholicis habitis, ut Ecclesiae particulares — ob adiuncta peculiaria diversa adhuc in statu « evangelizationis » permanentes nec seipsas regere sufficienter possint: terrae huiusmodi, quamvis catholicae nuncupatae, ob earum plures carentias, missionales censeri debent.

Liceat ad claritatem quaedam afferre exempla hinc inde desumpta:

a) *Oceania*: *Guam*: Vicariatus Apostolicus: 53.161 habitantes fere omnes catholici. Ex cleri autochtoni defectu est territorium missionale.

b) *Africa*: 1. *Port Victoria* (dioecesis sub dicione S. C. de Prop. Fide): 43.702 habitantes fere omnes catholici, iam a saeculo praeterito conversi, nuperrime tantum quosdam sacerdotes e proprio gremio proferre coeperunt.

Quid de hac iam florenti Ecclesia, si — per impossibile — Missionarii O.F.M. Cap. Helveticae Provinciae (cui ipsae Seycellae insulae concreditae sunt) ex abrupto deessent?

2. *Reunion* (dioecesis): 367.086 habitantes fere omnes catholici. Ex cleri nativi defectu dioecesis ipsa sub S. C. de Propaganda Fide dicione manet.

3. *S. Iacobi Capitis Viridis* (dioecesis): 213.694 habitantes fere omnes catholici, quia in Ecclesia catholica baptizati, se, proh dolor, maxima ex parte dechristianizati, quia ob adiuncta adversa, evangelizatio compleri non potuit et autochtonus clerus deest.

c) *America Latina*: 1. *Caiennensis* (dioecesis sub S. C. de Prop. Fide dicione): 35.000 habitantes catholici fere omnes, absque autochtono clero.

2. *Amazonica Regio*: Km^2 7.000.000 (toti Australiae aequivalens). Administrative pertinens Venetiolae, Columbiae, Peruviae ac Brasiliae, incolas fere omnes catholicos habet, quia catholice baptizatos. Clerus nativus abest nec facile in proximum tempus sperare licet.

Regio enim colonizari coepta est tantum a paucis decenniis per spontaneam et inordinatam immigrationem nucleorum rudis ac mixtae stirpis quibus, utique, plerumque inest Baptismus, qui tamen quasi penitus ignoratur in se, in causis et in consectariis.

Ecclesiastice Regio ipsa complectitur 40 praelaturas nullius sub S. C. Consistorialis dicione positas et simul 35 vicariatus apostolicos, necnon 9 praefecturas apostolicas S. C. de Prop. Fide dicione: hae omnes circumscrip-

tiones, ob parem fere absolutam cleri autochtoni inopiam, a S. Sede variis Missionariis Institutis commissae sunt.

Ex his omnibus facile concludi potest territorii missionalis descriptionem, quae prostat n. 6, pag. 8, linn. 30-33, bis peccare:

1. Ob nimiam coarctationem ipsius missionalis activitatis, quae tantum « ad populos vel coetus nondum credentes » indebite reduceretur.

a) Variis enim exemplis, facile ex omnibus mundi partibus multiplicandis, clare ostenditur schema ignorare non posse necessitatem fere extremam tot Ecclesiarum particularium, quae derelinquere fas non est, etsi ipsarum regionum incolae fere omnes Christo adhaerent. Secus ipsa laudata schematis liberalis indoles inopinate pessumdaretur.

b) Notandum praeterea: *Pastoralis renovatio,* quae merito inter praecipuos praesentis Concilii fines celebratur, non obstare sed potius favere debet claro et constanti historiae cursui.

Ex elencho, enim, qui in fine huius notae subiungetur, clare patet inde a praeterito saeculo uniformis praxis S. C. de Propaganda Fide, quae, caritate Christi compulsa, proprias multiplicat sollicitudines erga plures Americae Latinae regiones nondum plene « evangelisatas ».

Sine dubio igitur talis veluti traditio plusquam saecularis, utpote realitati historicae ac geograficae respondens, in ipso conciliari decreto peropportune consignabitur.

2. Ob confuse subintellectam criterii obiectivi indicationem ad alicuius territorii « missionalitatem » agnoscendam. Dum enim schema proclamat missionalem activitatem « in certis » territoriis exerceri, eadem territoria *incerta* relinqueret, notam obiectivam non subiungens explicita ad eadem dignoscenda atque agnoscenda.

Ad priorem defectum eliminandum sufficiet insertio verbi « praesertim » post verba « penetrationis christianae » (lin. 30).

Ad alterum defectum item eliminandum, omnino iuvabit verbum « certis » sic explicitum ac... certius reddere: « (in territoriis) insufficienti Ecclesiae praesentia laborantibus... ».

Praestabit forte demum periodum sequentem praecedenti, cuius ideam opportune evolvit, colligare ope particulare *enim.*

Ad propositae emendationis claritatem, textus integer, uti desideratur, continuo hic subiicitur: « Incoepta peculiaria quibus Ecclesia munus penetrationis christianae praesertim in populis vel coetibus nondum credentibus exsequitur, communiter "Missiones" nuncupantur, per activitatem proprie missionalem perficiuntur ac exercentur in territoriis inconsistenti Ecclesiae praesentia laborantibus, normaliterque uti tales a S. Sede agnitis ». Finis *enim* proprius, etc.

B) Animadversio altera: *de dicasterio unico.* Unitas seu unicitas dicasterii pro omnibus « Missionibus », quae in schemate clare consignatur (cap. IV, n. 27) prorsus laudanda est veluti opportuna innovatio pastoralis in missionali activitate.

Historice enim patet nec semper nec omnes revisiones peractas et receptas esse, etiam quando conditiones integre evolutae sunt...

Quapropter hodie quoque indicari possunt plura « anacronisma »: territoria, scil., eaque non parva, seu Ecclesiae sufficienter instructae personis ac mediis eiusdem loci, quae tamen remanent statice, veluti per inertiam, sub ditione missionum dicasterii.

Perplura, e contrario, territoria multipliciter personis ac mediis propriis carentia, nullam aut fere nullam relationem dicunt ad suum connaturale dicasterium.

Hac in re, ut clarum est, competentiae notioni *staticae* ac *perpetuae,* notio *dynamica* ac *periodica* succedat oportet: ita ut mutata reali conditione territorii alicuius, etiam relativum Dicasterium mutetur.

Quae omnia ad *unguem* praestabunt quidem Organa post-conciliaria.

Quibus tamen: 1) Ad facilius iter sternendum: ac 2) ad perutile caritatis servitium toti Ecclesiae praebendum; 3) ut nihil subtrahatur Ecclesiis egentioribus; et simul 4) vividior fiat apostolatus in ipsis Ecclesiis evolutis, paucissima verba loco apto proponuntur inserenda:

Additio altera: cap. IV, n. 27, pag. 21, lin. 35: post « Pro omnibus Missionibus » ponatur « toto tempore quo tales merito haberi debeant, ac pro tota missionali activitate in Ecclesia, unius tantum, etc. ».

Nomine Praelatorum nullius in Brasilia, quibus adhaerent plures episcopi residentiales necnon plerique praelati nullius, vicarii et praefecti apostolici ex aliis Americae Latinae Nationibus.

Addidit elenchum circumscriptionum Americae Latinae.

* * *

Desideratur congruus textus inserendus in cap. V schematis decreti, qui extollat *partes iuvenum in cooperatione missionali.* Rationes autem huius voti sunt quae sequuntur:

1. Iuvenes facilius meta ideali alliciuntur quam alii, et praesertim fraternitate universali humana. At missiones revera talem metam praebent.

2. De medio iuvenum vocationes missionales expectandae sunt. Utile erit proinde eos iam ad problemata missionalia attrahere.

3. De facto, inter ipsos praesertim varii generis incepta pro missionibus et circa missiones florescunt. Conferantur circuli missionales, « Lega Missionaria Studenti » (LMS), « Centro Educazione Missionaria » (CEM), "Catholic Students' Mission Crusade" (CSMC), et similia ubique terrarum.

4. Educatio missionalis totius populi Dei, de qua n. 34 schematis agit, hinc initium sumere debet, ubi revera futuri cives societatis humanae educantur et membra adultioris Ecclesiae post-conciliaris.

Nomine Praelatorum nullius in Brasilia.

122

EXC.MUS P. D. GERARDUS VALENCIA CANO

Episcopus tit. Rhesainensis, vic. ap. Bonaventurensis

Iuxta schema *de activitate missionali Ecclesiae,* activitas missionalis ad totam Ecclesiam attinet « licet non eodem pro rerum conditione modo exerceatur. Distinctiones proinde, quae in missionali Ecclesiae activitate agnoscendae sunt, non sumuntur ex intima natura ipsius missionis, sed ex conditionibus in quibus missio haec exercetur », ut in n. 6, pag. 7-8 dicitur, ubi etiam a quo pendent hae conditiones exprimitur.

« Incepta (enim) peculiaria (in) quibus Ecclesia munus penetrationis christianae erga populos vel coetus nondum credentes exsequitur " missiones " nuncupantur, per activitatem proprie missionalem perficiuntur et plerumque exercentur in certis territoriis a S. Sede agnitis », n. 6, pag. 8, linn. 30 ss.

Haec territoria « a S. Sede agnita et quae communiter "missiones" nuncupantur », a Sacr. Congr. de Prop. Fide pendent, cum ab illa instructiones, facultates subsidiaque accipiunt.

Attamen quaedam exstant territoria ecclesiastica quae, quamvis sub iure commune sese regunt, de facto proprie missiones sunt tam ob magnam egestatem quam ob incipientem fidem populorum. Haec territoria absolute necesse est ut a Sacr. Congr. de Prop. Fide adiuventur.

Libenter agnoscimus in schemate de sacro dicasterio de Propaganda loquendo, haec statui: « In partem huius dicasterii vocentur repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant: episcopi ex toto orbe, quicumque eorum ritus, necnon moderatores Institutorum et Operum Pontificalium. Hi omnes statis temporibus convocandi supremam gubernationem totius operis missionalis participent ». Textus emendatus. Vide relationem pag. 11. Attamen hoc non sufficit; nam:

a) relationes seu informationes cuiuscumque territorii perfectiores erunt quando a coetibus interregionalibus conficiantur;

b) normae seu decisiones a Suprema Auctoritate Missionali editae minus particulares evadent, unde necessitas alicuius coetus pro coordinandis negotiis de re missionali pro regionibus seu nationibus similibus.

In n. 29 eiusdem cap. IV dicitur: « Conferentiae episcopales communi consilio quaestiones graviores et problemata urgentia tractent (i. e. de Missionibus), quin tamen differentias locales negligant ... Et eiusmodi cooperatio pro opportunitate etiam inter diversas conferentias episcopales instituantur ».

Cum hae conferentiae episcopales, de quibus in n. cit. in regionibus sic dictis « Tertii Mundi » partim a iure communi, partim vero a Sacra Congr. de Propaganda Fide pendeant, activitas missionalis totius nationis vel regio-

nis potiori modo ab ipsis Ordinariis Missionum exerceri debet, omnibus Episcopis cooperantibus. Quae activitas ut efficacior evadat in collaboratione cum iis omnibus missionariis similibus in adiunctis implicatis exerceatur.

Unde *conclusio*: in cap. IV, ubi de coordinatione missionalis activitatis agitur, convenientia seu necessitas coordinationis interregionalis, etiam et internationalis circumscriptionum missionalium exprimatur, ita ut communi consensu, praecipua problemata seu quaestiones ad res missionales pertinentia discutiantur et pro ipsis opportuniores solutiones proponantur.

Altera ex parte. Inter opera ad quae Patres Concilii Vat. II mentes convertunt, praesertim eorum qui labore missionali vacant, ea sunt quae ad novas methodos sese referunt. Imprimis ea quae de inquisitione anthropologica atque de linguis addiscendis agunt. Nam novis methodis adhibitis efficacior apostolatus evadere potest. Etenim. 1. In memoria revocare oportet Institutum Anthropologicum PP. Verbi Divini, duce viro notissimo Patre Schmidt, magnam laudem toto orbe terrarum obtinuisse, editis investigationibus cultus religiosus primitivorum populorum, vere scientifico modo detectus est. Plurima ex praedictis inquisitionibus prodierunt volumina quibus novi ordines investigationum scientificarum ad vitam traducti sunt.

Cur illam activitatem, maiore organizatione proposita non transferre liceat ad Centrum vere Internationale Missionum, id est ad hanc urbem Romae, intime connexum cum missionibus catholicis totius orbis? Uberiores enim fructus prodirent non tantum in ampliore segete scientifica colligenda, sed etiam in praeparandis animis missionariorum methodis modernioribus instructis.

Quapropter liceat nobis Patribus conciliaribus votum proponere quo Centrum Anthropologiae methodo vere scientifico pertractandae Romae instituatur ubi inquisitiones anthropologicae totius Mundi Missionalis prodeant.

2. Quaedam non spernenda revolutio scientifica in linguis addiscendis electronicis methodis adhibitis peracta est. Nam ope instrumentorum ad vocem humanam perpetuo conservandam technice coadiuvantium facilior transmissio et iterata repetitio doctrinarum religiosarum peragitur et miro modo missionariorum solertia roboratur.

Proinde liceat etiam nobis proponere erectionem Instituti Internationalis Romae perficiendum ad linguas quae in Missionibus totius orbis requiruntur addiscendas, sive agatur de modernis linguis saepe adhibitis sive de linguis propriis indigenarum gentium.

Haec duo Instituta scil. Anthropologicum et Linguisticum in unum coalescere oportet sub directione dicasterii de Propaganda Fide, et sustentari eo modo quo Sancta Sedes indicet.

Divina Providentia cuius est Ecclesiae incremento media apta suppeditare, in dies lucidiore fulgore apparebit quando haec Institutio scientifica modernis mediis instructa maximum laudem mereri conspiciatur.

[*Subscripserunt etiam*] V. Roig y Villalba, vic. ap. Valledupar; A. Muñez Duque, arch. Nueva Pamplona; A. Cuniberti, vic. ap. Florencia; J. Giraldo Res-

trepo, ep. Pasto; M. Medina, ep. Montería; C. Crous y Salichs, vic. ap. Sibundoy; M. Solà, ep. tit. Colofone; J. Coronado Caro, praef. ap. Ariari; H. Correa Yepes, praef. ap. Mitu; R. Zambrano, ep. Facatativá; R. Sarmiento Peralta, ep. Ocaña; A. Ocampo Berrio, arch. Tunja; J. Franco Arango, ep. Buitama; J. Florez, ep. Ibahué; B. Alvarez, ep. Pereira; M. Builes, ep. Santa Rosa de Osos; A. Rubio Diaz, ep. Sonsón; A. Duque Villegas, arch. Manizales; B. Arrango, ep. Barranca; P. Rivera Mejía, ep. Socorro y San Gil; G. Posada Peláez, vic. ap. Istimina; J. Lopez, arch. Cartagena in Colombia; H. Rueda Hernández, ep. Bucaramanga; A. Castro Becerra, ep. Palmira.

[*Cf. pag. 207*].

123

Rev.mus P. D. HENRICUS ALEXANDER VALLEJO BERNAL
Praefectus ap. Tierradentroensis

1. *Ad Prooemium,* lin. 6: Ubi dicit: « Ad eorum successores pertinet », melius esset dicere: « Eorum successorum ius et officium est... », ut non tantum ius sed etiam obligatio pro omnibus episcopis clare affirmetur in ipso prooemio.

2. Ad cap. I, n. 3, pag. 6, lin. 10: Oratio illa: « Deus... in historiam hominum manifeste intrare decrevit mittendo Filium suum in carne nostra », sensui ambiguo locum dare potest, ita ut excludatur interventus divinus manifestus in historia hominum ante Incarnationem. Interventus autem divinus in historia et quidem manifestus, cum ipsa creatione incipit. Ideo, alia formula non ambigua ponatur.

3. Ad cap. I, n. 5, pag. 7, lin. 25: Post verba: « in Christum non credentibus », addatur: « vel non plena fide credentibus », ut notio missionalis activitatis non reducatur tantum ad missiones inter non credentes.

4. Ad cap. I, n. 6, pag. 8, lin. 36: Supprimatur verbum « particulares », quod etiam sensui ambiguo locum dare potest, praecipue ex falsa tendentia ad constitutionem ecclesiarum nationalium.

5. Ad cap. II, art. II, n. 14, in fine, linn. 33 s.: Improprium videtur loqui de « statu iuridico » catechumenorum. Etenim: quatenus non baptizati statum civitatis non habent in Ecclesia, eiusdem non sunt subditi nec subiecti legis mere ecclesiasticae. Dicatur potius quod in novo Codice clare determinentur « privilegia » catechumenorum et quidem ex ratione unionis in fide, spe et caritate. Opportunum etiam videtur quod talia privilegia extendantur ad infantes parentum catholicorum qui, sine culpa parentum, absque baptismate decedunt, e. g. privilegium sepulturae in loco sacro. Hic habetur problema pastorale alicuius momenti (cf. can. 1239).

6. Ad cap. II, art. III, n. 16, pag. 14: Quae in toto hoc numero dicuntur, plus minusve iterum veniunt in n. 24 (de formatione doctrinali). Optandum est ut repetitiones inutiles vitentur.

7. Ad cap. II, art. IV, pag. 17: Etiam in rubrica huius capitis vitetur verbum « particularibus ».

8. Ad cap. III, n. 21, pag. 18: Recte potest loqui de vocatione missionaria « peculiaris » vel « specialis »? Adhuc: illa vocatio « peculiaris » reponi potest in « inspiratione » Spiritus Sancti? Si pro ipsa vocatione ad sacerdotium communiter admittitur quod non requiritur nulla inspiratio specialis et illa tantum reponitur in idoneitate simul cum vocatione externa ab episcopo facta, non videtur quidem quod pro vocatione missionaria talis « inspiratio » vel « specialis vocatio » requiratur, eo magis quod omnes: episcopi, sacerdotes, religiosi, laici ad missiones vocantur. Ideo, opportunum esset ut doctrina in n. 21 contenta, accuratius revisetur et cum maiore claritate et proprietate exprimatur.

124

Exc.mus P. D. CAROLUS IOSEPH VAN MELCKEBEKE

Episcopus Nimsciianus

N. 27. Cum a quatuor saeculis Sacra Congregatio de Propaganda Fide (cui decursu temporum Secretariatus Generales Operum Pontificalium necnon Agencia Fides adiuncta fuerunt) sit Dicasterium competens pro omnibus muneribus indicatis pag. 22, linn. 3-11, loco votum « sit » ponatur factum « est ».

Pag. 22, lin. 1. Hoc dicasterium, salva auctoritate Summi Pontificis pro organizatione Curiae Romanae, servet formam et organizationem praesentis S. Congregationis de Propaganda Fide, quatenus auctoritatem exercet munereque fungitur laborandi ad utilitatem apostolatus Missionum.

Attamen, ut valor et efficacia laboris S. Congregationis de Propaganda Fide augeatur, « in partem huius dicasterii vocentur repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant: episcopi ex toto orbe, quicumque est eorum ritus, necnon Moderatores Institutorum et Operum Pontificalium. Hi omnes, statutis temporibus convocandi, suprema gubernatione — i. e. Summum Pontificem et S. Congregationem de Propaganda Fide —, totius operis missionalis participent » (Emendatio proposita a commissione pro missionibus).

Repraesentantes supra dicti solum periodice congregari possunt, et tantum per tempus determinatum.

Nec praetermittatur Synodum Episcoporum, a Summo Pontifice constituendam, et ipsam collegialiter de rebus missionum consuli posse vel de ipsis, consentiente Summo Pontifice, decernere.

Proinde nequeunt repraesentantes locum tenere S. Congregationis de Propaganda Fide (ut videtur propositum fuisse verbis « Hoc dicasterium constituatur..., ad pag. 22, linn. 17-23), quae per totum annum laboribus occupata evidenter manet.

Insuper, ut munus S. Congregationis de Propaganda Fide efficaciter adimpleatur:

Pag. 22, lin. 5: Post verba « ... necnon nuntia de missionibus », addatur: « ab Ordinariis ipsis, vel a Superioribus Missionis directe missa ad supradictum dicasterium ». (*Ratio*: nuntia missa a Repraesentantibus Sanctae Sedis charactere officiali ordinarie gaudent, multoties tradita sunt sub secreto).

Pag. 22, lin. 6: Post verba « ... necessitate vel utilitatis », addatur: « ut hoc effici possit, necesse est S. Congregationem de Propaganda Fide gaudere vera auctoritate ut novis coetibus missionariis, sacerdotibus, fratribus vel sororibus, committere valeat apostolatus campos in quibus necessitas activitatis missionalis praesertim inter non-christianos magis urgetur ».

(Exemplum: sunt missiones « à la mode », quae quamvis copia missionariorum est relative abundans, multum attrahunt novos coetos missionariorum [v. g. Japon], et aliae missiones ubi mirabiliter multiplicantur conversiones, operarii autem pauci remanent [v. g. Corea]).

Pag. 22, lin. 11: Post verba « ... necessitatis vel utilitatis », addatur: « Ut necessitates reales alicuius missionis recte aestimari possint, omnino oportet ut S. Congregatio de Propaganda Fide certior fiat tam de redditibus alicuius missionis quam de subsidiis independenter a S. Congregatione de Propaganda Fide datis ab organis caritativis vel assistentiae financiariae aut adiumenti materialis ».

(Inter alia organa: Misereor in Germania; National Catholic Welfare Committee in New York; Caritas Catholica; Relief and Refugee Committee, London; Mujeres de Acción Católica, Madrid, etc.).

Pag. 22, lin. 24: Post verba « ...peritorum permanens », addatur: « inter quos adsint missionarii aliqui matura experientia laborum diversorum in terris missionum ornati ».

125

Rev.mus P. D. LEO VOLKER
Superior generalis P.A.

Maxime obstupefacti sumus de textu, sic dicto emendato a commissione pro missionibus, qui publici iuris factus est in relatione super schema decreti *de activitate missionali Ecclesiae,* sub titulo: « emendatio proposita a commissione pro missionibus » (cf. Relatio, pag. 11).

Hic enim textus totaliter mutat ipsam emendationem a commissione unanimiter approbatam, cuius substantiam ipsam evacuat.

Textus emendatus a commissione approbatus: « In *decisionibus* huius dicasterii partem *activam habeant* repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant: episcopi ex toto orbe, quicumque est eorum ritus, necnon moderatores Institutorum et Operum Pontificalium. Hi omnes statutis temporibus convocandi, supremam gubernationem totius operis missionalis participent ».

Textus in relatione editus: « In partem huius dicasterii vocentur repraesentantes selecti... » etc.

Rogatur ergo ut textus restituatur prout a commissione approbatus fuit, vel, si haec redactio non placet, alia versio introducatur, v. g.: « In quantum hoc dicasterium supradictam exercet functionem directionis et coordinationis operis missionalis universalis, ipsi adiungentur de iure repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant: episcopi ex toto orbe, quicumque est eorum ritus, necnon moderatores Institutorum missionalium et Operum Pontificalium. Hi omnes, ubi agitur de illa directione et coordinatione generali, una cum membris dicasterii supremam gubernationem exercent ».

[*Subscripserunt etiam*] A. Lanctot; J. Ogez; J. Prévost; Ch. Himmer; J. Martin, ep. Bururu; J. Gahamanyi, ep. Butaré; E. Makarakiza, ep. Ngozi; J. Tscherrig, ep. tit. Nefeli, H. van der Burgt, arch. Pontianak; A. Van den Hurk, arch. Medan; P. Grimm, ep. Tsinchow; J. Larrañaga, ep. Pingliang; M. Ntuyahaga; J. Sibomana, ep. Ruhengeri; L. Fey; G. Huyghe, ep. Arras; Asrate Mariam.

126

REV.MUS P. D. ATHANASIUS WELYKYJ

Superior gen. Ord. Basil. S. Iosaphat

Schema decreti de quo nunc disceptatur — in genere placet, ob suam simplicitatem, claritatem, linearitatem expositionis, formae et loquelae. Missionalium Episcoporum et Praelatorum, qui hanc Aulam condecorant et sua scientia et experientia missionali ditant, est hanc chartam magnam laboris et activitatis missionalis Ecclesiae ad perfectionem conducere ceterisque Patribus Concilii securam ad probationem exhibere.

Schemate attente considerato, unum tantum vestrae considerationi proponere audeo, spectans cap. II, et in specie n. 20.

Cap. II describitur modo historico et reali progressio maturationis regionum et populorum, ubi missio christiana actu exercetur et Ecclesia Christi plantatur. Gressus et elementa huius maturationis et plantationis bene exponuntur et describuntur, aptaeque dantur dispositiones et directivae. Totus hic processus maturationis intimae connectitur, ad mentem decreti, cum realitate ethnica, culturali, sociali populorum et regionum, ubi Ecclesia plantatur, crescit et maturat. Ultimus quasi gressus invenitur in iis, quae dicuntur in n. 20, nempe « de diversitate in unitate », ubi legitur: « hoc agendi modo... vita cristiana ingenio indolique cuiusque culturae accommodabitur, traditiones particulares cum propriis cuiusque familiae gentium dotibus luce Evangelii illustratis, in unitatem catholicam assumentur. Novae denique Ecclesiae particulares, suis traditionibus exornatae, locum suum habebunt in ecclesiastica communione, integro manente Primatu Petri Cathedrae, quae universo

caritatis coetui praesidet ». Et in hoc puncto et caput secundum et progressus maturationis terrarum missionis abrumpitur.

Patres venerabiles, ignoscatis me dixisse: progressus maturationis hic abrumpitur, quia puto, revera agi de abruptione; deficit enim ultimum verbum quod dici debuit. Ecclesiae hae novellae revera in communionem ecclesiasticam catholicam, maturitate obtenta, per portam quasi lateralem, et non principalem admittuntur, sola ratione quod serius prae aliis in Vineam Domini operarii vocatae sunt a Domino. De quonam agitur?

Ecclesiae Orientis et Occidentis, quae primis saeculis nostrae aetatis christianae in Vineam Domini seu Ecclesiam Christi sunt vocatae, per portam principalem et sollemniter in communionem ecclesiasticam sunt ingressae, decretum *de Ecclesiis Orientalibus Catholicis,* in tertia sessione nostri Concilii promulgatum, in n. 2 dicit: « Sancta et catholica Ecclesia quae est corpus Christi Mysticum, constat ex fidelibus, qui eadem fide, iisdem sacramentis et eodem regimine in Spiritu Sancto organice uniuntur, quique in varios coetus hierarchia iunctos coalescentes, particulares Ecclesias seu ritus constituunt ... Huiusmodi particulares Ecclesiae, tum Orientis tum Occidentis, licet ritibus, ut aiunt, nempe liturgia, ecclesiastica disciplina et patrimonio spirituali partim inter se differant, aequali tamen modo concreduntur pastorali gubernio Romani Pontificis ... Eaedem proinde pari pollent dignitate, ita ut nulla earum ceteris praestet ratione ritus, atque iisdem fruuntur iuribus et tenentur obligationibus ... ».

Talis est, Venerabiles Patres, ingressus per portam principalem in communionem catholicam, a nostro ipso Concilio sollemniter reseratus Ecclesiis tum Orientis tum Occidentis! Cur, sero venientibus sine culpa populis et regionibus Africae, Asiae vel Oceaniae portam hanc regiam obseratam praebemus? Et eos invitamus ut per portam lateralem servitii, absconditam, incommodam vel nimis angustam in communionem catholicam intrent?

Patres Venerabiles, fraterne, sincere nostro decreto iungamus oportet in fine capitis secundi sequentem sollemnem declarationem et assicurationem et quasi obligationem conciliarem: « Declarat Sancta Oecumenica Synodus Vaticana Secunda nihil neque ex doctrina, neque ex traditione et historia obstare quominus tempore debito debitaque adhibita prudentia et matura praeparatione, alii etiam ritus seu Ecclesiae particulares in Ecclesia Christi exsurgant floreantque, unde universalitas Ecclesiae magis magisque eluceat, bonoque animarum earumque saluti aptius fieret provisum ubicumque terrarum ».

Aliis verbis sollemnem demus assecurationem Ecclesiis noviter plantatis vel plantandis et maturantibus se posse et debere ingredi in communionem ecclesiasticam catholicam capite elato et per portam principalem et exornatam modo et in forma afra, sinensi, india vel malesia. Ecclesia enim Christi, quae est Ecclesia euns seu missionalis, et non sedens et expectans et privilegiis historice acquisitis fruens, admittit et admittet, pari iure et plena aequalitate, ut praeter antiquas Ecclesias particulares Orientis et Occidentis,

seu praeter ritum Romanum seu latinum, Alexandrinum, Antiochenum, Constantinopolitanum seu Byzantinum, Chaldaeum vel Armenum exsurgant, crescant et floreant alii ritus Afrorum, Sinensium, Indiorum, Malesiorum aliorumque, qui in unitate fidei, sacramentorum, regiminis et communionis, ius habent propriis uti liturgiis, peculiaribus regi disciplinis et proprio frui patrimonio spirituali et culturali, utpote « quae moribus suorum fidelium magis sint congruae atque ad bonum animarum consulendum aptiores videantur » (decr. *de Eccl. Orient.,* n. 5).

Dicamus ad instar eorum quae diximus praeterita sessione de Orientalibus: « Sciant ac pro certo habeant omnes Afri, Sinenses, Indii, Malenses aliique, se suos legitimos ritus liturgicos suamque disciplinam efformatam vel adhuc efformandam semper servare posse et debere saeculis futuris, et utinam, gloriosis et felicioribus.

127

Exc.mus P. D. HERMANNUS WESTERMANN

Episcopus Sambalpurensis

Nomine 71 episcoporum emendationem proponere liceat in n. 27, paragrapho tertia et quarta, vel in textu novo in relatione proposito.

Hic agitur de ordinatione generali operis missionalis, ad quam perficiendam unum proponitur dicasterium competens, nempe « De Propaganda Fide », a quo dirigantur necnon coordinentur, ubique terrarum, opus missionale et cooperatio missionaria. Itaque necesse est ut hoc Dicasterium sit tam instrumentum administrationis quam organum directionis dynamicae quod utatur methodis scientificis et instrumentis huius temporis conditionibus aptatis, ratione semper habita investigationis hodiernae theologicae, methodologicae et pastoralis missionariae.

Quae definitio dicasterii optime datur in textu, sed *descriptio Constitutionis* supradicti Dicasterii, ut in paragrapho tertia, pag. 22 linn. 17-22 vel nunc in relatione proposita, iuxta modum tantum placet. Huius enim dicasterii Constitutio talis esse debet ut: *a*) sit vere competens, *b*) hodiernis complexis rerum adiunctis aptatum, *c*) veram connexionem efficiat cum missionariis in terris missionum laborantibus.

Iamvero Constitutio, ut in textu praesenti vel in Relatione descripta, non videtur esse ut dicasterium vere competens, aptatum et coordinans efficiatur. A quo participantes seligendi sint non dicitur, nec cuius nomine locuturi sint indicatur. Quae quaestiones tamen magni sunt momenti.

Quare alia Constitutionis descriptio proponitur: « In votis est ut hoc Dicasterium constituatur e delegatis omnium illorum qui in opere missionali collaborant: episcopi totius orbis, quicumque sit eorum ritus, ab ipsorum conferentiis episcopalibus praesentati, necnon moderatores Institutorum missionalium et Operum Pontificalium. Hi omnes, statutis temporibus convo-

candi, supremam gubernationem operis missionalis exerceant. Quantum fieri potest, eorum in dicasterio munus ad certum annorum numerum limitetur ». Retineatur verbum « exerceant », quia expressio « participent » videtur nimis generalis. Melius retineatur propositio originalis: « supremam gubernationem exerceant ». *d*) Praeterea in quarta paragrapho post verba « consultorum peritorum permanens » addantur sequentia: « Quibus adiungantur aliqui missionali experientia praediti. Cuius secretariatus etc. ».

Rationes sequentes addere liceat:

a) Quod attinet ad designationem membrorum Dicasterii: vere repraesentent Ecclesiam missionalem et eius nomine loqui possint. Quod si numerus membrorum non nimis ampliandus videatur, possint e diversis nationibus vicissim cooptari, ita tamen ut variae mundi partes semper repraesententur.

b) Quod attinet ad limitatum tempus in munere: sic vitatur sclerosis et semper renovatur contactus cum realitate Ecclesiae missionalis. Hoc fiat secundum analogiam cum Synodo Episcoporum nuper a Summo Pontifice instituto.

[*Subscripserunt etiam*] A. Patroni, ep. Calicut; O. Sevrin, ep. tit. Mossina; L. D'Mello, ep. Ajmer and Jaipur; L. Raymond; R. D'Mello, ep. Allahabad; Mar Athanasios, ep. Tiruvalla; B. D'Souza, ep. Mangalore; G. Alapatt, ep. Trichur; J. Boerkamp, praef. ap. Kashmir and Jamma; Albanus de Swarbrick, praef. ap. Jullundur; J. Fernandes, arch. Delhi; J. Mendonça, ep. Tiruchirapalli; L. Tigga, ep. Dumka; L. Picachy; Fr. Simons, ep. Indore; A. Wildermuth; E. Pinto, ep. Ahmadabad; Januarius; St. Tigga, ep. Raigarh-Ambikapur; A. D'Souza, arch. Calcutta; E. D'Souza, arch. Bhopal; G. Bernarding; W. Duschack, vic. ap. Calapan; Th. van den Tillaert; J. Wiesen; K. Weber; L. Arkfeld; P. Sani; A. Thyssen, ep. Larantuka; M. Könner; J. Van Cauwelaert, ep. Inongo; J. Adam, arch. Libreville; F. Cléret de Langavant, ep. tit. Mactaris; J. Wolff, arch. Diego Suarez; H. Véniat; P. Nkou, ep. Sangmelima; A. Loucheur, praef. ap. Bafia; V. Sartre, arch. tit. Beroe; L. van Heygen, ep. Doumé; A. Maanicus, ep. Bangassou; P. Dalmais, arch. Fort Lamy; L. Chambon, ep. Bossangoa; A. Tsiahoana, aux. Diego Suarez; S. Gaumain, ep. Moundou; A. Hubert, vic. ap. Eliopoli in Egitto; J. Coucherousset, arch. Bangui; J. David, ep. Majunga; A. Messmer, ep. Ambanja; P. Bouckaert, ep. Popokabaka; A. Lefebvre, ep. Kikwit; A. Angelelli, ep. tit. Listra; M. Blanchoud, ep. Rio Quarto; A. Raeymaeckers, ep. tit. Aperle; L. Manayakkara, ep. Kandy; G. Dayez, Congr. Belg. O.S.B.; Cl. Van Hoeck; L. Nagae, ep. Urawa; E. Zoghby; J. Nkongolo, adm. ap. Bakwanga; G. Dupont, ep. Pala; L. La Ravoire Morrow, ep. Krishnagar; L. Volker, P. A.; J. Zoa, arch. Youandé; M. Quéguiner M.E.P.

128

Exc.mus P. D. BERNARDUS YAGO
Archiepiscopus Abidjanensis

Ad n. 35. Quamquam membrum sum commissionis de missionibus intervenio tamen, rogans ut par. 4, n. 35, pag. 25, deleatur aut mitigetur. *Ratio* sequitur:

Hic textus adhuc servat notionem gemellationis (seu gallice « iumellage, i. e. actus quo aliqua communitas antiquioris christianitatis speciali et exclusivo modo communitatem iuniorem adoptat). Quam notionem commissio aliquomodo reiecerat, petens ut verbum « gemellatio » a schemate deleatur. Quin vero ipsum verbum in textu appareat, res ibidem clare exprimitur, ita ut quaero num utile sit verbum delere, si res, cum omnibus suis periculis, maneat.

Etenim idea in paragrapho expressa timorem aliquem afficit multis inter patres qui subsidia recipiunt per pontificalia opera pro missionibus. Auctor textus rationes huius timoris ipse bene sentit cum putat se eum pacare, insertis verbis sequentibus lin. 11: « dummodo ne negligatur opus missionale universale ».

Verius est dicere haec verba inserta non solutura esse difficultates quae ex gemellatione sine dubio orientur si per conciliarem textum ipsa ex iure fiet.

Meam mentem bene percipite: etenim non condemno vincula fraternae amicitiae quae nascuntur ex natura, sive inter hunc et illum episcopum, sive inter hunc et illum presbyterum atque eorumdem dioeceses aut paroecias. Talia vincula iam existunt et in votis est ut multiplicentur, sed haec vincula spontanee nascuntur circumstantiis datis.

Debetne hoc concilium ad minima sic descendere ut artificialiter vincula creet et cautionem abusibus et difficultatibus gemellationis aliquo modo det.

Hoc dico quia gemellatio qualis in aliquibus regionibus in praxi viget, graves difficultates in se fert:

1. Gemellatio anarchiam introducit in distributione opum ad missiones dicatarum, eo quod haec subsidia non iam distribuuntur iuxta rationem, secundum urgentiae et veram necessitatum hierarchiam. V. g., una paroecia vel una dioecesis pluries gemellatur dum altera numquam ulla gemellatione gaudet. Pauperiores paroeciae aut dioeceses, quae in urgentissimis necessitatibus versantur, nequeunt gemellari nisi cum paroeciis et dioecesibus, quae ipsae sine opibus sunt.

2. Gemellatio individualismo coetuum favet. Homines enim natura proni sunt ut primo cogitent de sua familia et gente. Nonne igitur Concilium, si forte gemellationes probaverit, limitabit christianorum visionem intra fines propriae paroeciae potiusquam eos aperiet in fines Ecclesiae universalis? Possum quidem casus dicere in quibus quidam christiani renuerunt se sub-

sidia dare alicui dioecesi seu paroeciae aut operi, arguentes illam dioecesim, paroeciam aut opus non commissum esse episcopo, presbytero aut laico suae regionis.

3. Propter tales errores, gemellatio mihi videtur fieri quasi nova forma colonialismi, ita ut in ipsis actibus caritatis, quidam, male intenti, opus paternalisticum aut neo colonialisticum subodorabunt. Etiam si casus rari sunt, in detrimento tamen veniunt fraternarum rationum quas, e contra, gratiarum actione Ecclesiarum missionalium roborari oporteret; quia subordinatio et dependentia, in qua gemellatio ponit donorum receptores, quosdam humiliare possit.

Omnibus his causis perpensis, rogo ut quartus paragraphus paginae vigesimae quintae deleatur vel saltem mitigetur modo sequenti: « Aliquando utile erit, dummodo ne negligatur opus missionale universale atque vitetur omne periculum particularismi racialis vel paternalismi ».

Suppressionem vel saltem hanc mutationem eo vehementius rogo quo beneficia, ab auctoribus schematis quaesita, possunt debentque obtineri: 1) per meliorem educationem fidelium ad modum eleemosynae faciendae; 2) secundo, per distributionem subsidiorum magis harmonizatam donatorum psychologiae.

Meliorem educationem dico, quia, ad efficacem applicationem decretorum concilii, erit nostri, inter nostra officia, post concilium, laborare ad Populum Dei educandum secundum decreta a nobis scripta et suffragatione accepta. Quoad praesens schema, nostri erit docere populum christianum quomodo christiane eleemosynam daturus sit, scilicet cum discretione, cum largitate, ut membrum Ecclesiae, non ut membrum paroeciae aut dioeceseos. Nostri erit, si opus sit, in mente eius revocare verba Domini: « Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua ».

Distributionem magis psychologicam dico. Hic, mihi sinite ut exemplum afferam. Maius seminarium in litore eburneo subsidia ordinaria et extraordinaria a Germania accipit, Sacra congregatione de propaganda fide monente. Sic praecise sciunt benefactores cuinam operi concretae sua dona dentur et generositas sua stimulatur; dum receptores sciunt quibus benefactoribus debitores fiant pro talibus inceptis et sua gratiarum actio roboratur. Puto hunc modum agendi subsidiorum distributioni magis aequae et minus anarchicae favere.

Etenim donum, per organismum officialem Ecclesiae aliquo modo transiens, mihi videtur purificari simulque ecclesiale potius fieri, quin vetatur ne fiant humana vincula in gratiarum actione, in generositate et in amicitia inter dantes et recipientes. Nonne hoc quaeritur ab auctoribus schematis?

Addimus gemellationem paulatim nocere posse pontificalibus operibus missionalibus quae, sua internationali indole, nullam suspicionem in se ferunt, et in quibus episcopi missionarii spem fundant.

Quaestio est sic renovandi pontificia opera pro missionibus ut efficaciora fiant. Quaestio non est creandi nova opera similia vel etiam opposita.

Si vobis placuerit, per modum disgressionis, idem dicere possim de seminariis pro missionibus creatis vel creandis ab episcopis individualiter aut collective sumptis.

Opinor ego, multique episcopi missionarii opinantur, haec seminaria pro missionibus destructura esse veras vocationes missionales atque minus efficacia futura esse quam instituta missionalia. Quaestio nunc est suscitandi et dirigendi vocationes missionarias ad instituta quae iam sunt, non quidem creandi altera opera quae essent ad disperditionem roboris et pecuniae. Instituta missionalia sese renovare et suo tempori aptare oportet. Hoc admitto. Nonne tamen haec renovatio post concilium, totius Ecclesiae officium erit?

[*Subscripserunt etiam*] Paulus card. Zoungrana, arch. Ouagadougou; D. Youngbaré; E. Kwaku, ep. Abengourou; P. Redois, ep. Natitingou; L. Agboka, ep. Abomey; A. Dupont, ep. Bobo-Dioulasso; J. Lesourd, ep. Nouna; E. Durrheimer, ep. Katiola; J. Etrillard, ep. Gagnoa; E. Courtois, ep. Kayes; J. Coudray; J. Strebler, arch. tit. Nicopoli de Epiro; J. Essuah, ep. Kumasi; P. Rouanet, ep. Daloa; J. Perrot, ep. San; G. Champagne, ep. Tamala; A. Konings, ep. Keta; J. Bretault, ep. Koudougou; D. de Montclos, ep. Sikasso.

129

Exc.mus P. D. ASRATE M. YEMMERU
Archiepiscopus Neanthopolitanus

Au nom de la Conférence épiscopale d'Ethiopie et de plus de 70 évêques.

Le schéma *de l'activité missionnaire de l'Eglise* mérite d'être loué et approuvé.

Qu'il me soit permis au nom de la conférence épiscopale d'Ethiopie d'exprimer quelques réflexions et observations.

Tout d'abord nous l'Eglise d'Ethiopie qui peut revendiquer d'être parmi les plus anciennes d'Afrique, nous voulons dire notre reconnaissance profonde à tous les missionnaires du monde. Grâce à eux la lumière du Christ éclaire la route des hommes et donc celle de l'histoire.

Il n'y a pas de déterminisme historique, mais il y a des hommes qui avec la grâce de Dieu peuvent orienter vers l'espérance, la vie et la joie, la montée humaine dans l'histoire.

Grâce en particulier aux missionnaires évêques, prêtres, religieux, sœurs, laïques cela est possible et devient une réalité constatable. Sans cet effort l'athéisme *pseudo-scientifique* éteindrait la lumière de Dieu qui brille au fond des âmes et briserait l'élan de l'humanité qui attire l'Amour du Père des Cieux.

Depuis près de deux millénaires beaucoup ont quitté leur patrie et tant d'êtres et de choses aimés pour cette seconde patrie qu'est le peuple à évangéliser et ont planté l'Eglise avec leur sang.

Ce témoignage permanent de l'Eglise des martyrs est une réalité d'au-

jourd'hui aussi. L'Eglise de la passion, dans *l'intrépidité de la Foi* assure à l'Eglise de l'expansion missionnaire les grâces de la montée... et à l'Eglise des premières fondations lucidité et générosité.

Comme nous percevons sous l'influx de l'Esprit Saint cette symbiose qui révèle en un synchronisme harmonieux les merveilles de Dieu partout à la fois en unité convergente!

Ensuite il apparaît évident que le Verbe Incarné, en envoyant ses missionnaires, leur demande d'épouser tout le milieu à évangéliser, hormis le péché.

Cette loi de l'adaptation a joué d'abord en la Personne du premier Missionnaire qu'est le Christ Jésus, mais elle a été la loi fondamentale de la première génération chrétienne avec le Concile de Jérusalem et au cours des siècles les Papes l'ont toujours rappelée. Et l'évocation des noms de St Grégoire le Grand, des SS. Cyrille et Frumance et plus récemment des Ricci, De Nobili suffit ici.

Il est un point toutefois qui dans le schéma reste précaire. Pourquoi la multiplicité des rites, et surtout un effort de latinisation est-il encore poursuivi en les régions de rite oriental?...

Nous avons le plus grand respect pour tout rite de notre mère l'Eglise, comme dans une famille tous les enfants ont le droit au même amour. Mais là où il est possible d'unifier, pourquoi ne pas coordoner les efforts? Le rite copte est sans aucun doute le plus ancien d'Afrique. Pourquoi dans les régions où il est vraiment en harmonie avec le génie du peuple comme en Ethiopie ne pas le développer et éviter ainsi la concurrence auprès des mêmes âmes qui risquent d'être désorientées.

Il y a là matière à reflexion et à nuances dans le schéma lui-même... Nous aussi nous souhaitons que pour l'évangélisation du monde cesse le scandale de la division des chrétiens.

Le monde chrétien attend cette grâce de Dieu et est prêt à faire les efforts nécessaires. Que les organisations missionnaires projettent la lumière sur ce point essentiel aussi pour l'avenir de l'évangélisation.

[*Subscripserunt etiam*] H. Cahsay; M. Person; F. Abraha; H. Ghedighian; F. Janssen; Z. Testa.

130

CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE SEPTEMTRIONALIS

Cap. I, n. 3, pag. 6, lin. 27. Sic amplificetur sententia « Assumpsit... etc. »: « Assumpsit integram humanam naturam qualis apud nos miseros invenitur, absque tamen peccato (cf. *Hebr.* 4, 15; 9, 28), praediligens pauperes et cum peccatoribus conversatus, ita ut pro omnibus amoris Dei manifestatio omnique creaturae signum salutis fuerit. De seipso enim... ». *Ratio*: plerique homines ad quos mittuntur missionarii pauperes sunt vel « peccato-

res ». Expedit in hoc schemate clare meminisse habitudinem Christi Salvatoris erga eosdem homines.

Cap. I, n. 5, pag. 7, linn. 29-37: *a*) lin. 29: deleantur verba « quae est populus... templum ».

b) Linn. 31 ss. Textum propositum mutandum esse ut sequitur: « Quod Christi mysterium Ecclesia reddit praesens mundo omni tempore. Ideoque missa est ad omnes et prius ad pauperes, ad quos primum Christus missus est. Ut sit praesens mundo pro eius salute, Ecclesia debet in omnibus similis fieri Christo qui ipse similis factus est pauperibus et humilibus. Et sic participat semper mysterio Crucis. Ita ambulaverunt omnes apostoli qui tribulationibus multis adimpleverunt ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24) ».

c) Deleatur lin. 37. *Ratio*: 1) textus propositus inaccurate elaboratum est; 2) textus propositus intendit tantum ad moralem Christi imitationem a Domini missis faciendam (« via paupertatis, servitii » etc.), cum mysterium pauperum ontologice includetur in mysterium salutis, i. e. in mysterio Christi in fine paragraphi praecedentis citato; 3) necesse est tam fundamentum quam terminum activitatis missionalis Ecclesiae indicare.

Cap. II, n. 18 bis, pag. 17. Adiiciatur numerus novus: N. 18 bis. (De apostolatu laicorum fovendo). « Si onus fidei disseminandae cuilibet discipulo Christi pro parte sua incumbit et si multi homines nonnisi per vicinos laicos Evangelium audire et Christum agnoscere possunt, hoc cum maxima urgentia valet in locis ubi Ecclesia in cunabulis est. Praeterea Ecclesia tantummodo vere fundata est, plene vivit et Christi signum est quando cum Hierarchia laicatus veri nominis exstat et laborat. Tandem Evangelium non potest radicibus infigi in ingenio, vita, cultura et labore alicuius populi sine actuositate apostolica laicorum. Ideo in fundatione Ecclesiae maxime attendendum est ad laicatum constituendum.

Inceptis apostolicis laicorum, evangelizatio, nuntium Christi scilicet et testimonium vitae et verbi, in condicionibus saeculi completur; lux, caritas ac vita Christi totam vitae institutionem, primum familiam, pervadunt et in dies magis transformant; non tantum singuli homines, sed etiam mentes collectivas, mores, instituta et ambitus vitae spiritu christiano informantur; quidquid boni in corde menteque hominum vel in propriis ritibus et culturis populorum seminatum invenitur, in opere evangelizationis a destructione infausta protegitur, melius dignoscitur, sanatur, elevatur et consummatur ad gloriam Dei et beatitudinem hominum; ipsa communitas christiana vividior efficitur. E contra, hac operositate apostolica laicorum deficiente, vita socialis aliena a Christo manet, christianismus in superficie stat, et neophytis quasi impossibilis est christianos remanere.

Christifideles laicos Pastores iuvent ut magis magisque suarum responsabilitatum apostolicarum conscii fiant, ut eas in totius populi Dei solidarietate et Pastorum unione exerceant, ut in omnibus eventibus, condicionibus

et vitae problematibus lumine Evangelii inspicere, iudicare et agere discant: ita cohaerentia vitae cum fide lux mundi efficientur et, testimonio vitae et verbi, Christum nuntiabunt.

Servatis ergo Pastorum et laicorum vocationibus et responsabilitatibus propriis, apostolatus laicorum peculiari urgentia promovendum est, ad mentem Constitutionis *Lumen gentium* et decreti *de apostolatu laicorum*; speciatim Actio Catholica, saepe a Summis Pontificibus et episcopis commendata, ratione habita ingenii et condicionum populorum quam maxime promovenda est. Ita tota Ecclesia novella testimonium vivens et praeclarum Christi eiusque salutis secundum suam missionem reddere poterit ».

Addenda: n. 15, pag. 14, lin. 37: « ... diaconorum et catechistarum operositasque apostolica laicatus ».

N. 19, pag. 17, linn. 23-24: « familiae... seminaria evadunt apostolatus laicorum et vocationum sacerdotalium et religiosarum ».

N. 21, pag. 18, lin. 35: « ... peculiarem vocationem missionariam, tam laicalem quam sacerdotalem et religiosam, in cordibus singulorum... ».

Ratio: visionem nimis clericalem Ecclesiae schema praesentat, nec satis insistit de apostolatu laicorum et de laicatus momento. Ideo has emendationes proponuntur.

131

CONFERENTIA EPISCOPORUM ZAMBIAE

I. *In genere*:

1. Schema in sua forma nunc proposita in genere approbatur. Placent imprimis: *a*) ideam missionis cum bono fundamento theologico expositam adeo fortiter propugnari, ut novus impulsus missionarius sperandus sit; *b*) ideam Ecclesiarum particularium et adaptationis missionariae tanta vi proponi; *c*) in organisatione missionaria novas vias quaeri, quae nimium centralismum arcent.

2. Defectus quosdam, vel pericula quaedam cum novo schemate data monere liceat: *a*) textus aliquomodo longus quandoque fere verbosus est. Post mutilam formam « Propositionum » 1964, schema nostrum in periculum prolixitatis incidere videtur; *b*) periculum alicuius idealismi seu perfectionismi missionarii datum esse videtur, ita ut schema realitate superari vel everti possit. Ita non satis ratio haberi videtur *novae culturae universalis* nunc celerrime sese evolventis, sicut in schemate XIII bene ostenditur. Principium adaptationis, proh dolor, sero in historia Missionum conscium factum, tali cum accentu proponitur, ut huius culturae universalis parum respectus habeatur. Studium schematis XIII novos aspectus schemati decreti *de activitate missionali Ecclesiae* afferre potest et debet. In terris quoque missionum omnia fere problemata mundi hodierni quae in schemate XIII exponuntur, apparent, utique cum specifico aspectu nationum sese evolventium.

II. *In specie*:

Cap. I, art. 5, pag. 7: In explicanda missione Ecclesiae procedatur ab idea « Populi Dei », sicut in constitutione *de Ecclesia* evolvitur et in cap. V huius schematis exhibetur. Ita conceptio nimis hierarchica activitatis missionalis Ecclesiae evitari potest.

Conceptus « missionis » in art. 5 et 34 sub diverso sensu adhibetur:

a) in sensu oeconomiae trinitariae: sermo est de « missione » Filii et Spiritus Sancti;

b) tunc de missione sermo fit in sensu « communi », qui tamen in schemate exhibetur ut sensus « proprius » id quod retinendum est.

Necessitas activitatis missionalis ex una parte petitur ex firmitate summi propositi divini salutiferi, ex altera parte ex necessitate Ecclesiae visibilis. Quod ultimum tamen non satis clare et firmiter expressum est.

Cap. II, pag. 11:

1. *In genere* bonum est optimasque ideas proponit, quae tamen maxime missionarios attingunt, ita ut melius in *directorio missionariorum* ponendae esse videantur.

2. *In specie*: *a*) in quaestione de adaptatione maior distinctio fiat inter campos diversarum culturarum, inter Orientem et Occidentem; *b*) art. 12, pag. 12, v. 26: « non enim quaerunt progressum et prosperitatem mere terrenam hominum ... ». Quamvis verba per se recta sint, tamen nationalistae in terris sese evolventibus inde ansam sumere possunt affirmandi Ecclesiam esse contra progressum et prosperitatem. Diversi fines missionis ergo melius et cautius coordinentur; *c*) art. 17, pag. 16: officium Catechistarum maximi est et erit momenti. Meminisse tamen iuvabit diversos typos esse « Catechistarum », et Institutum ipsum in sat rapida esse evolutione. Inde maiores consequentiae pro formatione et sustentatione et positione sociali catechistarum expectandae sunt; *d*) art. 18: distinctio inter illos qui « Essentialia institutionis monasticae elementa retinentes » et alios « qui ad antiqui monachismi simpliciores formas redeunt »: clarius exponatur. Principia in hac paragrapho exposita bona sunt, at quid de praxi? Impressio alicuius idealismi nimis abstracti evitetur; *e*) art. 20, pag. 18, v. 15: quae hic habentur, simplicius exprimantur. Loco « necesse est » dicatur « optandum est ». Omnibus patet quanta hic a Missionibus et pro Missionibus postulantur!

Cap. III: art. 22, pag. 19, v. 9: « et quidem per totam vitam ». Postulatum hoc: *a*) non congruit cum illis, quae in art. 36, pag. 26, v. 1: dicuntur de sacerdotibus, qui « generatim ad tempus » mittuntur, neque applicari potest ad laicos, qui ad tempus missi, missionibus optimum adiutorium praestant; *b*) hoc « ad vitam » saepissime a voluntate Superiorum pendet; *c*) per se virtualiter (ut consequentia) inest in descripta deditione totali, quae pro missionibus postulatur.

Art. 24, pag. 20: *a*) quae pro formatione missionariorum postulantur certe pro iis plene tantum applicari possunt, qui in specialibus Collegiis vel Facultatibus pro missionibus praeparantur. Quamvis optima dicantur, species idealismi et perfectionismi non satis evitatur; *b*) v. 34: post « aditum inveniant » addatur: « Auctoritas vero competens *omnibus,* qui Missiones petunt, congruum tempus ad linguas ediscendas concedat ».

Cap. IV: art. 27, pag. 21, v. 33 et ss.: articulus hic cum sua delineatione activitatis missionalis ordinandae et regendae maiores difficultates praebet. Una, sed sat ampla auctoritas competens creatur, quae opus missionale dirigat:

1. *Aut Consilium Centrale Summi Pontificis* cum Summo Pontifice ut Capite sit Auctoritas *directiva* et *legislativa,* cui dicasterium de Propaganda Fide tamquam organum *exsecutorium* inserviat.

Quod magis corresponderet conceptioni *Collegialitatis* Episcopatus, uti in constitutione *de Ecclesia* exhibetur, ubi explicite de responsabilitate Collegii Episcoporum pro universa Ecclesia sermo est.

Si haec solutio, quae sub aspectu dogmatico omnino commendanda esse videtur, placet, verba quae in fine incisi 4, pag. 22, v. 21-22, habentur, ad incisum 1, pag. 21, v. 34, ducantur, ita ut legendum sit: « ... coetus seu Consilium Centrale Summi Pontificis ... activitatis missionalis, maximi sanctissimique Ecclesiae muneris, plenam suscipiat responsionem.

Collegialiter sub auctoritate Summi Pontificis, supremam gubernationem totius operis missionalis exerceat.

Cui Consilio Centrali Summi Pontificis dicasterium de Propaganda Fide ut organum exsecutivum et informativum accedat ».

Tunc incisa 2, 3, 4, pag. 21, v. 38 usque ad pag. 22, v. 22, mutari deberent.

Secretariatus Consultorum Peritorum permanens suas partes in Consilio Centrali Summi Pontificis habere posset.

2. *Aut dicasterium « de Propaganda Fide »* sub auctoritate Summi Pontificis potestatem tum directivam tum exsecutivam accipiat, et in hoc casu: *a*) constituatur ex membris selectis, ut enumerantur in inciso 4, pag. 22, v. 17 et ss.; *b*) accedat Secretariatus Consultorum vere peritorum, bene selectorum, permanens.

Tunc Consilium Centrale Summi Pontificis non amplius « specialem » (pag. 21, v. 36) rationem activitatis missionalis habeat.

Art. 30, pag. 23, v. 10: quid intelligatur sub « Associationibus Ecclesiasticis » clarius exprimatur.

Cap. V: art. 36, pag. 26, v. 1: loco « generatim ad tempus », dicatur: « saltem ad tempus ».

Art. 37, pag. 26, v. 15 et ss.: quoad officium missionale sacerdotum, in nota mentio fiat schematis *de ministerio et vita presbyterorum,* art. 9.

Art. 38, pag. 27, v. 25: quaeritur, cur relate ad Instituta Saecularia de « auctoritate Conferentiarum Episcopalium » sermo sit, idque in oppositione ad Instituta Religiosa?

Deest paragraphus specialis de cooperatione inter dioeceses vel inter communitates christianas in terris missionum.

[*Subscripserunt etiam*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis; Guido del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis; Timotheus O'Shea, ep. Livingstonensis; Firminus Courtemanche, ep. de F. Jameson; Adolphus Fürstenberg, ep. Abercornensis; Renatus Pailloux, ep. de Fort Rosebery; Iacobus Corboy, ep. Monzeensis; Clemens Chabukasansha, ep. Kasamaensis; Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramittenus; Rupertus Hillerich, praef. ap. Solweziensis.

132

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Animadversiones generales. Hoc schema omnino laudandum est quia eius materia ex rectis principiis tractatur, et insuper materia illa secundum varias in mundo condiciones bene per capita divisa est.

Sequentia autem in hoc schemate adhuc in melius emendari posse videntur:

1. In animas eorum hominum qui postea hoc decretum legent, tam credentium quam Evangelio non adhaerentium, ex aliquibus verbis et dicendi modis forsitan falsa orietur opinio circa finem et methodos activitatis missionalis Ecclesiae. Condiciones definitas inspicientes, praesertim in nationibus sese evolventes quae dicuntur, quaestio oritur an hic illic rectus tonus adhibitus sit, ita ut hoc decretum omnium diversorum hominum animos movere possit. Occasio nobis tribuatur plura capita prius in genere indicare et postea aliquas emendationes proponere.

2. In eam sententiam duci videmur, ut tota missionalis activitas soli hierarchiae concredita sit, dum populus Dei ad solam cooperationem cum illa vocatur. Haec autem sententia non plene consonare videtur sensui verborum quae in constitutione *de Ecclesia* de hac re dicta sunt. Cf. animadversiones speciales ad nn. 1, 4, 5, 6.

3. Videtur hoc schema de activitate missionali proficisci ab illa sententia quae dicit activitatem missionalem imprimis munus esse missionariorum exterarum gentium. Hisce autem diebus a pluribus nationibus — maxime in illis quae dicuntur sese evolventes — omnis ab exteris activitas non adeo benigno vultu accipitur. Mentio itaque magis fieri deberet de propria animi dispositione ad Ecclesiam autochtonam condendam. Cf. animadversiones speciales ad nn. 6, 15.

4. Prudenter videtur nobis loquendum esse de relatione Ecclesiarum localium in statu efformationis ad Ecclesiam universalem, ne opinio oriatur

quod omnes conformari debent uni illi Ecclesiae utut ab annis et apud alias gentes figuram determinatam iam accepit. Cf. animadversiones speciales ad n. 15.

5. Quamvis pluries et reverenter sermo fiat de diversis hominum culturis, tamen illarum culturarum finis non alius esse videtur quam ut ab Ecclesia absorbeantur, et non ut per Evangelium eleventur ad statum perfectiorem, etiam ad gentium beatitudinem. Cf. animadversiones speciales ad nn. 6, 18.

Animadversiones speciales. N. 1, pag. 5. Proponere liceat ordo inversus linearum ne in eam sententiam duci videamur totam missionalem activitatem soli hierarchiae concreditam esse. Nomen « Ecclesiae » linea secunda totam Ecclesiam significat, i. e. tum hierarchia tum fideles. Huic sententiae linea octava addenda est quae dicit: Ecclesia est sal terrae etc. In his duabus sententiis enim nomen « Ecclesiae » eandem habet vim. Nempe nonnisi tota Ecclesia capax est ad omnem creaturam renovandam.

Post haec dicendum erit quod in hoc mandato generali adimplendo locus peculiaris reservatur auctoritati, quae ab Apostolis transit ad episcopos. Non rectum quoque videtur generationem Ecclesiarum Apostolis tantum adscribere (linn. 5-6). Tali modo enim animi intentus nimis coarctatur ad munus ipsius hierarchiae. Ratio huius inversionis datur in linn. 15-16 schematis ubi expressis verbis declaratur: ut « populus Dei » regnum Christi ubique diffundat.

N. 4, pag. 7, lin. 11. Dicitur « in apostolos supervenit » dum Acta narrant Eum in omnes congregatos *discipulos* supervenisse (*Act.* 2, 3-17). Recte S. Leo Magnus citatur, qui tamen non « Apostolos » nominat, sed « discipulos » (nota 7).

N. 5, pag. 7, lin. 17. Idem forsitan dici posset de conclusione e verbis Christi tracta (apud Matthaeum et Marcum), quibus mandatum suum undecim apostolis dedit. Ex his verbis non patet munus quoad activitatem missionalem primo loco hierarchiae datum esse et secundo tantum loco christifidelibus tamquam hierarchiae auxiliaribus. In constitutione *de Ecclesia* enim legimus n. 17: « Quod solemne Christi mandatum annuntiandi veritatem salutarem *Ecclesia* ab Apostolis recepit adimplendum usque ad ultimum terrae ». Et in nostro schemate dicitur: « Missio ergo Ecclesiae adimpletur operatione qua populus Dei... in Christum non credentibus pleno actu praesens fit » (n. 5, pag. 7, lin. 23) atque: « Cum haec missio Ecclesiae continuet et propaget ipsius Christi missionem... » (ibid., lin. 31).

Rectius itaque dici posset *totam* Ecclesiam a Christo mandatum et missionem recepisse. Qua ratione fit ut Hierarchia, cui absque ullo dubio, ex ipsius Ecclesiae structura hierarchica, auctoritas et vigilantia in Christi mandato exsequendo commissae sunt, potestatem habeat fideles mittendi *quia* ipsi fideles ut populus Dei mandatum acceperunt, quod mandatum pro eis certam definitamque realitatem assumit in omnibus et singulis mandatis quae ab Hierarchia procedunt.

N. 6, pag. 7, lin. 38. Redactio textus ad eandem difficultatem (cf. n. 5) inducere videtur.

N. 6, pag. 8, linn. 10 ss. Uno simul numero loqui volumus de aliquibus vocabulis quae passim in hoc schemate adhibentur quaeque omnia originem ducunt ab imagine « plantationis ecclesiae ».

Illa vocabula, fusius interpretata, sequentibus locis inveniri possunt:

Pag. 8, lin. 12: penetrat, radices agit, substantia assumitur. Pag. 8, lin. 30: munus penetrationis. Pag. 8, lin. 33: plantatio ecclesiae, radicata est. Pag. 18, n. 20: succum trahit, transformat, sibique assimilat.

Talia vocabula temporibus hodiernis iam non sunt recte adaptata.

Vocabula illa profecto recte interpretari possunt. Attamen vocabula illa parum dicunt de parte quam conversi ad fidem ipsi afferunt ita ut Ecclesia in eorum regionibus nascatur et crescat.

His terminis finis ultimus activitatis missionalis Ecclesiae ex una tantum parte elucubratur et, secundum nostram opinionem, modo angusto elucidatur. Ideo termini illi etiam componi nequeunt opinionibus hodiernis de methodis qui ad finem activitatis missionalis ducunt. Etenim nostris diebus de dialogo cum non-christianis saepius sermo est (vide cap. II huius schematis); tamen vocabulis nuper indicatis Ecclesiam non satis humilem se praebere videtur in colloquio cum illis qui Evangelio non adhaerent.

Ut praedictis difficultatibus mederi possimus, textus de quibus agitur hoc modo componi posse duximus:

Pag. 8, lin. 12: « Quod autem ad homines, coetus et populos attinet, eos gradatim appropinquat et ad colloquium invitat, sperans ut annuntiatio evangelica ita ab eis suscipiatur ut ipsi cum omnibus suis facultatibus ad catholicam plenitudinem perveniant ».

Lin. 21: verbum « videre » pro verbo « iudicare » substituatur.

Lin. 30: « munus evangelizationis erga populos vel coetus nondum in Christo credentes... ».

Hic insuper nomen « in Christo » inseritur quia dubium est an coetus omnino non credentes revera adsint. Qua ratione etiam in pag. 11, linn. 7-8 verba: « alii notitiae ipsius Dei extranei manent » potius deleantur.

Lin. 33: « Finis proprius activitatis huius missionalis est notam facere Ecclesiam Christi ut universale salutis sacramentum apud gentes quibus nondum praesentem se habuit, ita ut homines ad fidem conversi, ad Ecclesiam appositi (*Act.* 2, 41) ipsi constituant ecclesias autochtonas particulares ubique in mundo, viribus autem propriis ... ».

Pag. 18, n. 20, linn. 5 ss.: « Semen quod est Verbum Dei, germinans in terra bona, rore divino irrigata, succu eius nutritur; et ita crescit ut denique fructum multum afferat ».

Lin. 11: « Ipsae e suorum populorum consuetudinibus et traditionibus, sapientia et doctrina, artibus et disciplinis, ea omnia mutuantur, non tantum ne bona illorum pereant sed sanentur, et eleventur ad gloriam Dei et beatitudinem illorum » (cf. *Lumen Gentium,* n. 18).

Textus praecedentes, ex diversis numeris desumpti, unam simul difficultatem effecerunt, ideoque de iis omnibus simul locuti sumus.

Nunc autem ordinem schematis iterum sequemur.

N. 7: consentimus interventioni exc. Domini Geise nomine Conferentiae Episcoporum Indonesiae factae.

N. 13, pag. 12, lin. 38: verbum « humanas » pro verbo « spirituales » substituatur.

Nn. 13-14: conceptio hic exposita videtur substantialiter approbanda. Quaedam tamen sunt omnino corrigenda.

N. 13, pag. 12, linn. 36-37: textus describere intendit quamdam fidem initialem, quae admissionem ad catechumenatum praecedere debet. Verba autem in textu adhibita, scil. « credentes ad Dominum convertantur, Eique sincere adhaereant », talia sunt, ut proprie significent ipsam fidem iustificantem (cf. *1 Cor.* 6, 17). Qui talem fidem manifestaret, mox potius esset baptizandus (cf. *Act.* 10, 47).

Adhibeantur ergo verba, quae significant agi de fide inchoante, analogo modo quo Tridentinum dicebat « diligere incipiunt » (Dz-S 1526/798). In hoc sensu theologia scholastica quandoque adhibet verbum « pius credulitatis affectus » sed in documento ecclesiastico, ex quo desumitur, significat ipsam fidem iustificantem (Arausicanum II, Dz-S 375/178). Idem valet de « initium fidei » (ibid.). Scribatur ergo: « ut non-christiani, Spiritu Sancto cor ipsorum aperiente, *initiis* fidei ad Dominum converti *incipiunt,* Eique adhaerere *desiderant,* qui etc. ». Deinde pag. 13, lin. 1 scribi potest: « Quae initialis conversio *talis sit,* ut homo percipiat etc. ».

N. 14, pag. 13, linn. 14-15: non placent verba: « tirocinium sat longum, quibus discipuli cum Christo suo Magistro coniunguntur ». Etenim:

1. Duratio catechumenatus per se mensuranda est secundum dispositionem catechumeni, quamquam indoles populi et circumstantiae etiam respici possunt.

2. Catechumenatus non est proprie coniunctio cum Christo (sententia redolet opinionem personalem Clementis Alexandrini), quae fit per fidem, caritatem, baptismum et eucharistiam (cf. Tridentinum, Dz-S 1531/800). Scribatur ergo: « admittantur ad catechumenatum, *pro personarum dispositione et regionum circumstantiis protrahendum;* qui non est mera dogmatum praeceptorumque expositio, sed totius vitae christianae institutio *ac quoddam* tirocinium, quo discipuli Christum Magistrum *sequi assuescant* ».

N. 15, pag. 14, lin. 3: « Missionarii tales suscitent fidelium congregationes ... » ratione habita animadversionis de qua supra, potius dicendum: missionarii suscitent fideles ut congregationes efforment quae ...

Lin. 14: associationes erigantur, potius: *associationes et coetus erigant laici* per quos eorum apostolatus ...

Lin. 17: Spiritus oecumenicus nutriatur inter neophytos, potius: *spiritum oecumenicum inter se evolvant neophyti,* qui ...

Lin. 31: communitas efformari debet, potius: *Communitas christiana inde ab initio mentem foveat ut suis ...*

Lin. 33: ad Ecclesiae plantationem potius: *ad ecclesiae efformationem* (incrementum; augmentum; progressus).

N. 16, pag. 15, lin. 5: ubi Ecclesia primo plantatur; potius: *ubi ecclesia primo se offert;* praesens fit.

N. 18, pag. 16, lin. 31: inde a periodo plantationis, potius: *primae originis.*

Lin. 35: plantationem Ecclesiae adlaborantes, potius: *praesentationi ecclesiae adlaborantes.*

Pag. 17, lin. 5: ditissimam traditionem sui Ordinis implantare satagunt, potius: *ditissimam traditionem sui Ordinis offerre satagunt.*

N. 19, pag. 17, lin. 10: opus plantationis ecclesiae, potius: *opus evolutionis Ecclesiae.*

N. 20, pag. 18: cfr. n. 6 supra.

N. 22, pag. 19, lin. 9: verba: « et quidem per totam vitam » delenda videntur ut discriminantia e. g. sacerdotes qui ab Episcopo suo ad tempus ceduntur.

Lin. 26: non est evidens quare oboedientia virtus peculiaris ministri Christi vocatur. Missio enim ultimo non radicatur in praecepto Patris sed ex « fontali amore » seu caritate Dei Patris procedit (n. 1 huius schematis).

Lin. 35: « laeto animo » virtutem heroicam insinuat; scribatur: *patienti animo.*

N. 27, pag. 22, lin. 2: a quo dirigantur necnon coordinentur. Verba haec videntur nimis autonomiam episcoporum coarctare; scribatur: *iuventur et coordinentur.*

N. 38, pag. 27, lin. 6: instituta vitae contemplativae ss.: enumerantur tribulationes, sed non eorum testimonium vitae et opera apostolica quae cum indole instituti congruunt.

Loco conclusionis quae iacet, dicatur: Patres Concilii una cum Romano Pontifice, in Spirito Sancto congregati, gravissime sentientes officium Regni Christi ubique diffundendi, omnibus Evangelii praeconibus eorumque adiutoribus gratos animi sensus exhibent, eos magni aestimant et admiratione habent dignos. Quae verba peculiari ratione dicta sint ad eos, qui portaverunt pondus diei et aestus (cf. *Mt.* 20, 12) et per totam noctem laborantes nihil vel parum ceperunt (cf. *Lc.* 5, 5); ad pastores percussos, quorum gregum oves dispersae sunt (cf. *Mt.* 26, 31); ad operi missionum deditos, quorum ecclesias in barathrum silentii inveniuntur demersae.

Hos omnes Domino commendant ut « fortes in fide » (*1 Petr.* 5, 9), « spe gaudentes » (*Rom.* 12, 12), « in caritate radicati et fundati » (*Eph.* 3, 17), secundum Apostolum Gentium stabiles sint et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor suus non erit inanis in Domino (cf. *1 Cor.* 15, 58). Siquidem « patientiae Salvatoris nostri habentes documenta » (cf. *Miss. Rom.* oratio II dominicae Passionis), verbi Domini erunt memores: « Amen, amen, dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram,

mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert » (*Io.* 12, 24 s.).

Ceterum, licet in cordibus suis sententia Apostoli gentium resonet: « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus » (*1 Cor.* 3, 7), nihilominus qui « pro nomine eius profecti sunt » (*3 Io.* 7) sciant eumdem Apostolum laudare evangelizantes pacem, evangelizantes bona (cf. *Rom.* 10, 15), et Dominum ipsum polliceri eis qui omnia in hoc saeculo propter regnum Dei et propter Evangelium reliquerunt, in saeculo futuro vitam aeternam (cf. *Lc.* 18. 29 s.; *Mc.* 10, 29 s.). *Ratio*: quia pauca verba quae nunc in schemate de Evangelii Praeconibus dicuntur, nimis avide sonant.

133

PLURES EXC.MI PATRES CONCILIARES

A

Pag. 13, lin. 29: hic sermo est de catechumenis qui « inde ab initio sentiant se esse *membra* Populi Dei ». *Attamen*: in constitutione dogmatica *de Ecclesia* data opera et magna cum cura evitatus est terminus « membrum » in eiusdem applicatione concreta ad illos qui aut baptizati non sunt aut baptizati vivunt extra Ecclesiam visibilem supra Petrum eiusque successores fundatam.

Non ergo convenit ut contra explicitum intentum constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* terminus « membrum » in decreto *de activitate missionali Ecclesiae* dicatur de illis qui adhuc catechumeni sunt et ergo non iam per baptismum in Ecclesiam incorporati.

Dicatur ergo potius « sentiant se pertinere ad Populum Dei » vel aliquid simile.

Pag. 16, lin. 34: agens de vita religiosa promovenda — quod sane placet — schema *de activitate missionali Ecclesiae* functionem vitae religiosae in Ecclesia describit et in hoc contextu statuit: vitam religiosam *praeprimis* lucide manifestare et significare intimam vocationis christianae naturam. *Attamen*: petentibus multis centenis Patribus conciliaribus ex priore quodam schemate *de Ecclesia* data opera expuncta est expressio quod « vita religiosa *imprimis* valorem signi habet » (cf. Relatio de n. 44, D: schema constitutionis *de Ecclesia,* anno 1964, pag. 163, D, 162 C et praesertim Relatio Generalis, ibid., pag. 173, 4).

Haud ergo convenit ut contra explicitam intentionem constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* in decreto *de activitate missionali Ecclesiae* adhuc dicatur vitam religiosam praeprimis habere valorem manifestandi et significandi.

Aptiores descriptiones facile hauriri poterunt ex textu definitivo cap. VI constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* vel ex prologo et textu schematis *de accommodata renovatione vitae religiosae* ».

Pag. 19, lin. 9: hic res ita proponuntur ac si homo qui vocationem missionariam habet, illa *per totam* vitam vocatur.

Attamen in eodem decreto *de activitate missionali Ecclesiae,* et quidem in pag. 26, lin. 1, sermo fit de illis sacerdotibus et aliis qui laudabiliter pro tempore aliquot annorum ad terras missionum proficiscuntur ut ibi Ecclesiae serviant. Sed rectum non esse videtur ut illis generosis viris denegetur quaelibet vocatio stricte dicta missionaria. Necessarium ergo esse videtur ut haec apparens contradictio duorum locorum eiusdem decreti eliminetur, et quidem hoc modo ut doctrina in pag. 19, lin. 9 proposita ita modificetur ut sententia theologice perfecte respectabilis de vocatione temporanea ad ministeria missionaria congrue servetur.

[*Subscripserunt*] P. Perantoni, arch. Lanciano; R. Guilly, ep. Georgetown; P. Muñoz Vega, coad. Quito; B. Chiriboga, ep. Latacunga; A. Garcia Rodriguez, vic. ap. Tucupita; R. Bogaert, ep. Roseau; Ch. Gachet, ep. Castries.

B

Ut melius describatur vera et integra natura Pontificalium Operum Missionalium, censeo art. 36, par. 3, linn. 35-38 in pag. 25 schematis ita perficiendum esse: « Episcopi erit ... opera Institutorum Missionalium apud suos fideles promovere, sed praesertim Opera Pontificalia Missionalia. Istis enim Operibus iure primus locus concedi debet quippe quae media sunt tum ad catholicos inde ab infantia sensu vere universali et missionario imbuendos, tum ad excitandam et ordinandam efficacem collectionem subsidiorum in bonum omnium Missionum pro cuiuscumque necessitate sub ductu dicasterii de Propaganda Fide ».

[*Subscripserunt*] A. Tedde, ep. Ales et Terralba; Fr. Cogoni, ep. Ozieri; A. Mennonna, ep. Nardò; J. Olivotti, aux. Venezia.

C

N. 16, *de clero locali constituendo.* Libenter et cum gaudio, secundum textum schematis, gratias agimus pro vocationibus sacerdotalibus ex ipsis novellis communitatibus ita emanatis ut ex suis membris proprios habeant ministros, in clero « locali ».

Vocabulum tamen « localis » implicat, de facto, simul vocationes in dioecesi incardinandas et vocationes in Institutis religiosis exercendas. Ex quo quaedam ambiguitas videtur procedere, in quantum non explicite alluditur ad implantationem localem dioecesanam. Attamen opportunum videtur novellas ecclesias, saltem in processu temporis, ad structuram dioecesanam cum clero « locali » incardinato pervenire, et non tantum ex Institutis religiosis assumpto, ut plene « localis » appareat communitas christiana.

Propter quod quamdam clausulam additam proponimus, in fine paragraphi pag. 15, lin. 3: « ... proprios habent ministros .. ita ut novellae eccle-

siae structuram dioecesanam cum suo clero paulatim habeant, sicut in Ecclesia universali ».

[*Subscripserunt*] J. Nuer, ep. Assiut; Cl. Rolland, ep. Antsirabé; R. Ramanantoanina, arch. Fianarantsoa; L. Sangaré, arch. Bamako; A. Gonçalves do Amaral, arch. Uberaba; G. de Morrais Penido, arch. Juiz de Fora; H. Thiandoum, arch. Dakar; J. Wolff, arch. Diego Suarez; G. Raballand, ep. tit. Eguga; A. Tsiahoana, aux. Diego Suarez; J. Etrillard, ep. Gagnoa; D. Yougbaré; L. Baccino, ep. San José de Mayo; J. David, ep. Majunga; F. Rajaonarivo, ep. Miarinarivo; B. Ratsimamotoa, ep. Morondava; J. Perrot, ep. San; G. Ukec, ep. Bunia.

D

Ad n. 7. Hic numerus nimis extollit valorem doctrinae secundum quam quidquid boni et veri in ritibus gentium invenitur a Deo datum est ut tandem vitam habeant.

Talis ratio agendi gentes in erroribus eorum confirmat quippe qui cogitent religionem suam eiusdem valoris ac Evangelium esse. Ac si ita res se habent, cur ritus ac cultus patrum suorum relinquent in quibus salutem consequi possunt?

In pag. 9 igitur deleatur sententia prima par. 7: « Ratio ... sumitur ».

De cetero sensus huius sententiae prout in textu latino prolatus difficile intelligitur.

Insuper in lin. 6 post verbum « homines » inserantur verba « ignorantes Evangelium sine culpa eorum ». Ita in lucem ponetur Evangelii necessitas saltem obiectiva ad salutem et textus perfectius cum constitutione *Lumen Gentium* concordabit. Ibi enim in par. 16 dicitur: « Qui... Evangelium Christi, eiusque Ecclesiam sine culpa ignorantes... aeternam salutem consequi possunt».

Christus sane quando apostolis suis mandavit: « Praedicate Evangelium omni creaturae » aliquid amplius intendit quam nudam errorum et ignorantiae gentium discussionem.

Ad n. 9. Similiter ex pag. 10, par. 9, linn. 22-27 delenda sunt verba: « Non enim per verbum » etc. usque ad « amatum efficiatur et », ita ut ista sententia a verbis « quidquid boni » etc. incipiat.

In lin. 29 post verba « non pereat sed » inseratur: « aestimanda est tanquam praeparatio ad Evangelium ». Hoc modo iterum schema a constitutione *Lumen Gentium* sustinebit: vide ibi par. 16, ubi dicitur « quidquid boni vel veri apud illos invenitur ab Ecclesia tanquam praeparatio evangelica aestimatur » et ita pondus boni in ritibus gentium praesentis quasi esset salutis medium diminuetur.

[*Subscripserunt*] D. Ekandem; L. Olu Nwaezeapu, ep. Warri; O. McCoy, ep. Oyo; E. Peiris, ep. Chilaw; J. Ryan; P. Kelly, ep. Benin City; Ch. Heerey, arch. Onitsha; J. Hagan, ep. Makurdi; Th. McGettrick, ep. Ogoya; J. Moynagh, ep. Calabar; J. Aggey, arch. Lagos; E. Lawton; A. v. d. Bronk, ep. Parakou; N. Grimley, vic. ap. Cape Palmas; W. Mahoney, praef. ap. Ilorin; R. Finn, ep. Ibadan; J. Reddington, ep. Jos; W. Field, ep. Ondo.

CONGREGATIO GENERALIS CXLIX

14 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXLIX
14 octobris 1965

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis S. Concilii*:

Celebratur hodie congregatio generalis 149, quam moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

In hac congregatione, Patres venerabiles, prosequentur suffragationes circa schema declarationis *de educatione christiana*. Manent adhuc quattuor suffragationes. Postea incipiet suffragatio super schema declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas*. Attamen, quando cogniti erunt exitus suffragationum circa schema declarationis *de educatione christiana* — si exitus omnes fuerint positivi — em.mi moderatores statuunt esse faciendam, versus horam 11,30 circiter, suffragationem super integro. Ergo interrumpentur suffragationes quoad aliud schema, et postea prosequentur uti patet.

Crastina prosequentur suffragationes quoad schema declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas* et, cum cogniti fuerint exitus, si fuerint positivi, procedetur crastina etiam ad suffragandum totum textum.

Communico vobis, Patres, exitus reliquarum suffragationum heri factarum circa schema declarationis *de educatione christiana*:

Suffragatio 388:

Patres praesentes votantes		2.063
Dixerunt	*placet*	1.961
	non placet	99
	placet iuxta modum	3

Suffragatio 389:

Inter Patres praesentes		2.040
Dixerunt	*placet*	1.956
	non placet	79
	placet iuxta modum	2
Suffragia nulla		3

Suffragatio 390, ultima heri facta:

Inter praesentes Patres et votantes		2.083
Dixerunt	*placet*	1.977
	non placet	102
	placet iuxta modum	2
Suffragia nulla		2

Ergo omnes suffragationes hucusque factae exitum dederunt positivum.

In hac congregatione incipiet disceptatio de schemate *de ministerio et vita presbyterorum,* circa quod loqui petierunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochiae Maronitarum in Libano; Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Beniaminus de Arriba, arch. Tarraconensis in Hispania; Ferdinandus Quiroga, arch. Compostellanus in Hispania (Santiago de Compostela); Paulus Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; Paulus M. Richaud, arch. Burdigalensis (Bordeaux) in Gallia; Ioannes Colombo, arch. Mediolanensis (Milano) in Italia; exc.mi ac rev.mi DD. Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis (Mondoñedo) in Hispania; Ioannes Guyot, ep. Constantiensis (Coutances) in Gallia; Aloisius Henríquez, ep. aux. Caracensis in Venezuela; Antonius Santin, ep. Tergestinus in Italia; Narcissus Jubany, ep. Gerundensis in Hispania; Michaël Miranda, arch. Mexicanus in Mexico; Franciscus Franić, ep. Spalatensis (Split) in Iugoslavia; Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia; Philippus Nabaa, arch. Berytensis (Bairut) in Libano; Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio (Namur); Stanislaus Brzana, ep. aux. Buffalensis (Buffalo) in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Alexander Renard, ep. Versaliensis (Versailles) in Gallia; Titus Mancini, ep. aux. Portuensis in Italia; Aloisius Tomé, ep. Mercedensis (Mercedes) in Argentina.

Patres venerabiles, lego vobis textum suffragationis 391. Videatis pag. 13, n. 8 [*cf. pag. 240-241*]. *Placet* an *non placet,* Patres?

Moderator: Incipit disceptatio super schema *de ministerio et vita presbyterorum.*

PATRUM ORATIONES
(*De ministerio et vita presbyterorum*)

1

EM.MUS P. D. PAULUS PETRUS CARD. MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Venerabiles Patres,

Schema *de vita et ministerio presbyterorum* placet et divitiae spirituales permultae in eo inveniuntur. Liceat tamen mihi aliquas animadversiones hic afferre.

1. Hoc schema mentalitatem occidentalem considerat, quin, exceptis aliquibus rapidis affirmationibus secundae partis, de modo vivendi orientalium presbyterorum ...[1] quaedam, consideratione digna, dicat ...[2]

2. Schema adhuc laborat, multis in locis, et etiam in contextu generali, iuridismo. Loquatur frequentius oportet de Spiritu Sancto, anima ministerii presbyteralis et vitae spiritualis auctore. Missio sacerdotalis manifestatur in textu magis in organisatione exteriori quam in transformatione vitae hominum, secundum mysterium mortis et resurrectionis Christi. Notio sacri et sacralitatis non elaboratur ut realitas quae omnem activitatem humanam circumdare et penetrare debet, immo ut realitas quae structuras humanas ipsas autonomas, ut scientiam, oeconomiam, etc. profundius mutet.

3. Schema videtur in principiis intemporalibus sistere, quin ad conditiones reales humanitatis huius temporis adveniat, quin ad vitam quotidianam concretam presbyterorum intendat. Testimonium est primo et per prius missio sacerdotis, cuius ministerium varias modalitates induere potest. Ideoque non video cur in schemate missio presbyterorum quasi restringitur ad solos christianos. Participando vero unicum sacerdotium Christi et missionem Ecclesiae fundamentalem, debet testimonium sacerdotis ad omnes homines sese extendere.

4. Oportet clarius monstretur relatio inter fidem et sacramentorum administrationem. Sacramenta sunt, ut dicit S. Augustinus, fidei sacramenta. Ideoque notetur necessitas educationis christianae, conversionis cordis, paenitentiae, ad sacramenta recipienda. Illi gradus formationis christianae, quae a presbyteris facienda est, sunt gradus ad appropinquandum mysterio Christi in sacramentis.

5. Non satis monstratur quod unio communitaria presbyteralis desideranda, requiritur ab unitate ministerii. Quae unitas ministerii in missione Ecclesiae radicatur.

Non videtur vero illa ratio communitaria vitae Ecclesiae hic lucem immittere in vitam presbyterorum. Ideoque, ut ad exemplum particulare veniam, in analysi vocationis, fundamentum communitarium non percipitur, quasi vocatio sacerdotalis esset realitas aliqua independens individui, quin ad communitatem relationem intimam habeat. Deus per communitatem et intuitu communitatis vocat, et episcopus illam vocationem detegit et declarat.

6. Notetur melius urgens necessitas studiorum ad mentalitatem mundi huius temporis intelligendam. Studia varia sint, sed in unitate vitae humanae sacerdotis integrantur. In eodem sensu, oboedientia de qua loquitur schema debet considerari potius ut oboedientia eventibus et circumstantiis, in quibus auditur vox Dei et manifestatur sua voluntas conscientiae cuiusque hominis.

Conclusio. Ne nimius sit iuridismus in hoc schemate, considerandum est mysterium mortis et resurrectionis Christi, quod in Sacrificio Missae recolitur, et quod vitam presbyterorum illustrare debet. Ad ultimas consequentias huius mysterii deveniat schema oportet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] etiam uxoratorum. [2] Etiamsi coelibatum in Ecclesia extollere debemus et amare, non licet praeterire hos presbyteros uxoratos, qui in condicionibus variis, arduis et difficillimis vivendo, in decursu historiae Orientis, fuerunt et sunt, populo christiano, fidei praecones, omnibus concivibus fidei defensores, vitaeque familiae, virtutibus christianis ornatae, cultores. Notatu dignum hic esset, quod ex familiis horum presbyterorum, multi filii ad altare appropinquarunt, et etiam ad episcopalem dignitatem evecti fuerunt.

Secretarius generalis: Suffragatio 392 [*cf. pag. 241-242, n. 9*]. *Placet* an *non placet?*

2

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Schema, quod nunc nobis proponitur, in universum laudandum esse existimo quia ex vera pietate ecclesiastica haustum est.

Attamen, cum nihil omnibus numeris absolutum facile inveniatur, nonnulla ad illud perficiendum animadvertere cupio.

I. Ante omnia: in decreti inscriptione primum locum obtinere debet presbyterorum vita et deinde ministerium; quod servari debet — ut mihi videtur — etiam in textu. Veteres magistri, *ut heri opportune memoratum est,*[1] iam diu nos docuerunt: prius vivere et postea philosophari. Omnes sane compertum habemus ministerium sacerdotale cum genere vivendi presbyterorum maxime connexum esse, ita ut ex eo maiorem aut minorem efficacitatem capere soleat.

II. In pag. 12, n. 1, linn. 14-18, legimus: Christum Dominum per ipsos apostolos effecisse apostolorum successores, videlicet episcopos, participes consecrationis missionisque suae; episcopos autem munus ministerii sui, subordinato tamen gradu, presbyteris legitime tradidisse.

Proinde, ut textus sonat, apostoli constituerunt quidem episcopos, sed non presbyteros, quod discrepat a prisca Ecclesiae historia nobis tradita a S. Luca *in Actibus apostolorum;*[2] nam Paulus et Barnabas ante quinquagesimum annum aerae nostrae, cum in pluribus Asiae minoris civitatibus Evangelium praedicassent, « constituerunt presbyteros per singulas Ecclesias » ...[3]

III. Inter subsidia ad vitam interiorem, non solum in christianis fidelibus, sed etiam in presbyteris fovendam, de qua sermo fit in pag. 38 sub n. 15, significanter recenseantur frequens confessio sacramentalis et — si haberi possit — moderamen Patris spiritualis, qui dicitur. Usus nempe cotidianus testatur quantum haec subsidia valeant ad castitatem perfectam constanter servandam et fervorem pietatis excitandum.

Liceat mihi, capta occasione, gratias ex animo agere commissioni, cui hoc magni momenti schema debetur, propter sollemnem commendationem atque renovatam comprobationem legis coelibatus, qui praeclaro et nitidissimo ornamento est ...[4] presbyteris, non solum in Ecclesia Occidentali, qua sacerdotes quoque dilectae Siciliae continentur, sed, in praesenti, etiam, ex gratia Dei, in parte non exigua Ecclesiae Orientalis; coelibatus vere nobis fons est ingentis gaudii, dum recordamur Deo per Beatam semper Virginem Dei Genitricem Mariam in florenti iuventute nostra perfectam castitatem festive nos vovisse in perpetuum.

IV. In pag. 22, tribus primis lineis inculcatur coetus sacerdotum, presbyterorum repraesentantium, qui episcopum in regimine dioeceseos efficaciter adiuvare possit.

Ad vitandum periculum regiminis collegialis, quod confusionem multam pareret et intemperantiis ansam probabiliter praeberet, opinor declarandum esse finem huiusmodi coetus esse episcopum adiuvare *consilio,* quotiescumque ipse opportune id exquirat.

V. Quae de fraterna coniunctione et cooperatione inter presbyteros sub n. 7 in pag. 23, 24, 25, dicuntur optima quidem sunt, sed oportet — ut opinor — prospiciatur disciplinae, quae omnino necessaria est ubi plures sacerdotes uni eidemque sacro ministerio — e. g. paroeciali — addicti sunt. Tunc enim unus sacerdos praeesse *necesse est,*[5] prudenter sane et suaviter, cum rectus ordo postulet ut reliqui presbyteri libenter ei subsint.

VI. Aliquae adhortationes in textu disiunctae sunt, cum aptius copularentur, e. g.: quae scripta inveniuntur de Verbi Dei praedicatione sub n. 7 et sub n. 5; item quae habentur de fraterna coniunctione et cooperatione inter presbyteros sub n. 7 et quae de unitate et harmonia vitae presbyterorum sub n. 13.

Cetera vitia, quae remanent, profecto — mea humili sententia — valde mediocra, in extrema textu recognitione sine magno labore corrigi poterunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] (*Act.* 14, 22). [4] (cf. IOANNES XXIII, Allocutio habita in secunda sessione Synodi Romanae: *Prima Romana Synodus,* Romae 1960, pag. 376). [5] debet.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis proponat ulteriorem suffragationem.

Secretarius generalis: 393: pag. 15, n. 10 [*cf. pag. 242-243*]. *Placet* an *non placet?*

3

EM.MUS P. D. BENIAMINUS CARD. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Liceat mihi aliqua brevissime innuere de schemate quod abs dubio, meo humili iudicio, primum est omnium de quibus in hac aula disceptatur.

In prima sessione huius Concilii ausus sum, inter alia, sequentia verba proferre: « Si Concilium Oecumenicum Vaticanum II non est Concilium sanctitatis nihil erit ».

Talia verba maxime locum habent et quidem modo urgenti, quo sensu dicitur in Scriptura de caritate Christi, in schemate de quo agimus quodque forsan inscribi deberet « de sanctitate sacerdotali » ob rei na-

turam et momentum. Loquor ut patet de sacerdotibus in genere, incipiendo a nobismetipsis qui plenitudinem huius dignitatis accepimus.

Quoad schematis doctrinam, libentissime fateor multa valde opportuna ibi dici de vita et ministerio presbyterorum, sed non pauca deesse puto quae magnitudinem huius problematis graviter afficiunt. De his pauca ore proferam et aliqua scripto secretariae tradam.

Ante omnia meminisse oportet sacerdotem, iuvenem aut virum illum esse qui e seminario vel novitiatu exivit. Virtutes ergo quae sacerdotem sanctum, sensu biblico aut si vultis ascetico, faciunt, necessario ibi acquiri debent; secus generaliter loquendo nusquam in eo elucent.

Curandum igitur valde est de seminariis et novitiatibus tum quoad methodum paedagogicam in genere, tum quoad alumnorum pietatem, studia, disciplinam, modumque aut modos sese ut boni cives gerendi. Praecipue vero cogitare oportet de humilitate ut de fundamento totius christianae perfectionis, sicut S. Augustinus monet.

Circa schema quod nunc tractatur, instanter, instantius, instantissime petere audeo ut in ipso locum habeant doctrina et praecepta Codicis Iuris Canonici quae huc speciatim pertinent: a canone scil. 124 ad 144. Certo quod talis doctrina et praecepta vigere pergent, sed sic maiorem adhuc vim habebunt.

Transcribere liceat verba primi ex dictis canonibus: « Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere ».

Optime dilectissimus noster Pontifex Paulus VI in prima sua Encyclica loquitur de sanctitate Ecclesiae, quae a sacerdotibus incipere debet; unde iterum iterumque repetere liceat hoc esse magnum et primum Concilii Oecumenici Vaticani II problema: sacerdotalis scil. sanctitas promovenda in praxi. Dixi. Gratias.

Animadversiones additae:

Primum hodie problema Ecclesiae, etiam ante divisionem christianorum, immo ante ipsum atheismum grassantem, est, meo humili iudicio, « sanctitas sacerdotum ». Progressismus seu neomodernismus invadit plurimos maxime inter iuniores. Conceptus oboedientiae non amplius stat per se ipsum, tantum « si Superior verum dicit, aut iuste praecepit », et de hoc iudicat subditus. Abusus liturgici multiplicantur. Missam aliquis lingua vernacula integre celebravit, hoc addito, quod fideles adstantes particulas panis habebant in manibus, quae omnes consecratae fuerunt et a quolibet postea sumptae. Imagines removentur ab altaribus. Casus vestium laicalium in dies augentur.

Plura scribuntur et audiuntur contra coelibatum. Devotio erga S. Cor Iesu et B.mam Virginem in dies minuunt. Rosarium amplius non recitatur a non paucis quia « non est liturgicum ».

Seminaria et Novitiatus « initia sunt dolorum », in casibus non paucis. Epistulam recens accepi a quadam bona muliere quae ita loquitur: « Nepotem habeo qui vult esse sacerdos; pater autem eius timet ne unda progressismi, libertatis et inoboedientiae quae hodie viget inter iuniores non paucos, sacerdotes et studentes, potius ei noceat ». In schemate *de institutione sacerdotali,* pag. 13, linn. 24-30 mentio fit de libertate ut nempe alumni edoceantur ea sapienter uti. Hoc dicere mihi videtur innecessarium, quia iam ita fit; aliunde periculosum, dum tanta dicuntur de libertate quae pro multis est quasi unicum dogma...

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis proponit ulteriorem suffragationem.

Secretarius generalis: 394: pag. 16 [*cf. pag. 242-244, n. 11*]. *Placet* an *non placet?*

[5]

1 - SCHEMA DECLARATIONIS DE ECCLESIAE HABITUDINE AD RELIGIONES NON-CHRISTIANAS *

Textus approbatus

1. [*Prooemium*]. Nostra aetate, in qua genus humanum in dies arctius unitur et necessitudines inter varios populos augentur, Ecclesia attente considerat quae sit sua habitudo ad religiones non-christianas.

Una enim communitas sunt omnes gentes, unam habent originem, cum Deus omne genus hominum inhabitare fecerit super universam faciem terrae,[1] unum etiam habent finem ultimum, Deum, cuius providentia ac bonitatis testimonium et consilia salutis ad omnes se ex-

Textus emendatus

1. [*Prooemium*]. Nostra aetate, in qua genus humanum in dies arctius unitur et necessitudines inter varios populos augentur, Ecclesia attent*ius* considerat quae sit sua habitudo ad religiones non-christianas. *In suo munere unitatem et caritatem inter homines, immo et inter gentes, fovendi ea imprimis hic considerat quae hominibus sunt communia et ad mutuum consortium ducunt.*

Una enim communitas sunt omnes gentes, unam habent originem, cum Deus omne genus hominum inhabitare fecerit super universam faciem terrae,[1] unum etiam habent finem ultimum, Deum, cuius providentia ac bonitatis testimonium et consilia salutis ad omnes se ex-

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 139, die 30 septembris 1965.

Textus approbatus

tendunt,[2] donec uniantur electi in Civitate Sancta, quam claritas Dei illuminabit, ubi gentes ambulabunt in lumine eius.[3]

Homines a variis religionibus responsum exspectant de reconditis conditionis humanae enigmatibus, quae sicut olim et hodie corda hominum intime commovent: quid sit homo, quis sensus et finis vitae nostrae, quid bonum et quid peccatum, quae sit via ad veram felicitatem obtinendam, quid mors, iudicium et retributio post mortem, quid demum illud ultimum et ineffabile mysterium quod nostram existentiam amplectitur, ex quo ortum sumimus et quo tendimus.

2. [*De diversis religionibus non-christianis*]. Iam ab antiquo apud diversas gentes invenitur quaedam perceptio illius arcanae virtutis, quae cursui rerum et eventibus vitae humanae praesens est, immo aliquando agnitio Summi Numinis ac Patris. Religiones vero cum progressu culturae connexae subtilioribus notionibus et lingua magis exculta ad easdem quaestiones respondere satagunt. Ita in Hinduismo homines mysterium divinum scrutantur et exprimunt inexhausta foecunditate mythorum et acutis conatibus philosophiae, atque liberationem quaerunt ab angustiis nostrae conditionis per formas vitae asceticae, per profundam meditationem, necnon per refugium ad Deum cum amore et confidentia. In Buddhismo radicalis insufficientia mundi huius mutabilis agnoscitur et via docetur qua homines, animo devoto et confidente, se abnegando et purificando a rebus transitoriis liberari et statum permanentis quietis attingere valeant. Sic ceterae quoque religiones, quae per totum mundum inveniuntur, inquietudini cordis hominum variis modis oc-

Textus emendatus [5]

tendunt,[2] donec uniantur electi in Civitate Sancta, quam claritas Dei illuminabit, ubi gentes ambulabunt in lumine eius.[3]

Homines a variis religionibus responsum exspectant de reconditis conditionis humanae enigmatibus, quae sicut olim et hodie corda hominum intime commovent: quid sit homo, quis sensus et finis vitae nostrae, quid bonum et quid peccatum, *quem ortum habeant dolores et quem finem,* quae sit via ad veram felicitatem obtinendam, quid mors, iudicium et retributio post mortem, quid demum illud ultimum et ineffabile mysterium quod nostram existentiam amplectitur, ex quo ortum sumimus et quo tendimus.

2. [*De diversis religionibus non-christianis*]. Iam ab antiquo *usque ad tempus hodiernum* apud diversas gentes invenitur quaedam perceptio illius arcanae virtutis, quae cursui [6] rerum et eventibus vitae humanae praesens est, immo aliquando agnitio Summi Numinis *vel etiam* Patris. *Quae perceptio atque agnitio vitam earum intimo sensu religioso penetrant.* Religiones vero cum progressu culturae connexae subtilioribus notionibus et lingua magis exculta ad easdem quaestiones respondere satagunt. Ita in Hinduismo homines mysterium divinum scrutantur et exprimunt inexhausta foecunditate mythorum et acutis conatibus philosophiae, atque liberationem quaerunt ab angustiis nostrae conditionis *vel* per formas vitae asceticae *vel* per profundam meditationem, *vel* per refugium ad Deum cum amore et confidentia. In Buddhismo *secundum varias eius formas* radicalis insufficientia mundi huius mutabilis agnoscitur et via docetur qua homines, animo devoto et confidente, *sive statum perfectae liberationis acquirere, sive, vel propriis*

[6]

Textus approbatus

currunt proponendo vias, doctrinas scilicet ac praecepta vitae, necnon ritus sacros.

Ecclesia catholica nihil eorum, quae in his religionibus vera et sancta sunt reicit. Annuntiat enim indesinenter Christum, qui est « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6) et in quo Deus omnia sibi reconciliavit.[4] De variis salutis dispositionibus edocta,[5] sincera cum observantia considerat modos agendi et vivendi, praecepta et doctrinas, quae quamvis ab iis quae ipsa proponit in multis discrepent, referunt tamen radium illius Veritatis quae illuminat omnes homines.

Filios suos hortatur igitur, ut per colloquia et collaborationem cum asseclis aliarum religionum, salva integritate fidei catholicae, illa
[7] bona spiritualia et moralia necnon illos valores socio-culturales qui apud eos inveniuntur servent et promoveant.

3. [*De Musulmanis*]. Cum aestimatione quoque Musulmanos respicit Ecclesia qui unicum Deum adorant, viventem et subsistentem, omnipotentem, Creatorem caeli et terrae, homines allocutum, cuius occultis etiam decretis toto animo se submittere student, sicut Deo se submisit Abraham ad quem fides Musulmana libenter sese refert. Iesum, quem quidem ut Deum non agnoscunt, ut Prophetam tamen venerantur, matremque eius virginalem honorant Mariam et aliquando eam devote etiam invocant. Diem insuper iudicii expectant cum Deus

Textus emendatus

conatibus vel superiore auxilio innixi, ad summam illuminationem pertingere valeant. Sic ceterae quoque religiones, quae per totum mundum inveniuntur, inquietudini cordis hominum variis modis occurr*ere nituntur* proponendo vias, doctrinas scilicet ac praecepta vitae, necnon ritus sacros.

Ecclesia catholica nihil eorum, quae in his religionibus vera et sancta sunt reicit. ( ) Sincera cum observantia considerat *illos* modos agendi et vivendi, *illa* praecepta et doctrinas, quae, quamvis ab iis quae ipsa *tenet et* proponit in multis discrepant, *haud raro* referunt tamen radium illius Veritatis, quae illuminat omnes homines. Annuntiat *vero, et annuntiare tenetur* indesinenter Christum, qui est « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6), *in quo homines plenitudinem vitae religiosae inveniant,* in quo Deus omnia sibi reconciliavit.[4]

Filios suos igitur hortatur, ut *cum prudentia et caritate* per colloquia et collaborationem cum asseclis aliarum religionum, *fidem et vitam christianam testantes,* illa bona spiritualia et moralia necnon illos valores socio-culturales qui apud eos inveniuntur *agnoscant,* servent et promoveant.

3. [*De religione islamica*]. Ecclesia cum aestimatione quoque *Muslimos* respicit qui unicum Deum adorant, viventem et subsistentem, *misericordem et* omnipotentem, Creatorem caeli et terrae,[5] homines allocutum, cuius occultis etiam decretis toto animo se submittere student, sicut Deo se submisit Abraham ad quem fides *islamica* libenter sese refert. Iesum, quem quidem ut Deum non agnoscunt, ut *p*rophetam tamen venerantur, matremque eius virginalem honorant Mariam et aliquando eam devote etiam invocant. Diem insuper iudicii expectant cum

Textus approbatus

omnes homines resuscitatos remunerabit. Exinde Deum colunt maxime in oratione, eleemosynis et ieiunio; vitam quoque moralem tam individualem quam familialem et socialem in obsequium Dei ducere conantur.

Quodsi in decurso saeculorum inter Christianos et Musulmanos non paucae dissensiones et inimicitiae exortae sint, Sacrosancta Synodus omnes exhortatur, ut, praeterita obliviscentes, se ad comprehensionem mutuam sincere exerceant et pro omnibus hominibus iustitiam socialem, bona moralia necnon pacem et libertatem communiter tueantur et promoveant.

4. [*De Iudaeis*]. Mysterium Ecclesiae perscrutans, Sacra haec Synodus meminit vinculi, quo populus Novi Testamenti cum stirpe Abraham coniunctus est.

Ecclesia enim Christi grato animo agnoscit fidei et electionis suae initia iam apud Patriarchas, Moysen et Prophetas, iuxta salutare Dei mysterium, inveniri. Confitetur omnes Christifideles, Abrahae filios secundum fidem,[6] in eiusdem Patriarchae vocatione includi et salutem Ecclesiae in populi electi exitu de terra servitutis mystice praesignari. Quare nequit Ecclesia oblivisci se a populo illo, quocum Deus ex ineffabili misericordia sua Antiquum Foedus inire dignatus est, Revelationem Veteris Testamenti accepisse et nutriri radice bonae olivae, in quam inserti sunt rami oleastri Gentium.[7] Credit enim Ecclesia Christum, Pacem nostram, per crucem Iudaeos et Gentes reconciliasse et utraque fecisse unum.[8]

Semper quoque prae oculis habet Ecclesia verba Apostoli Pauli de cognatis eius, « quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa,

Textus emendatus [7]

Deus omnes homines resuscitatos remunerabit. Exinde vitam moralem *aestimant et* Deum maxime in oratione, eleemosynis et ieiunio colunt (   ).

Quodsi in decurs*u* saeculorum inter Christianos et *Muslimos* non paucae dissensiones et inimicitiae exortae sint, Sacrosancta Synodus omnes exhortatur, ut, praeterita obliviscentes, se ad comprehensionem mutuam sincere exerceant et pro omnibus hominibus iustitiam socialem, bona moralia necnon pacem et libertatem communiter tueantur et promoveant.

4. [*De religione iudaica*]. Mysterium Ecclesiae perscrutans, Sacra haec Synodus meminit vinculi, quo populus Novi Testamenti cum stirpe Abrah*ae spiritualiter* coniunctus est.

Ecclesia enim Christi (   ) agnoscit fidei et electionis suae initia iam apud Patriarchas, Moysen et Prophetas, iuxta salutare Dei mysterium, inveniri. Confitetur omnes Christifideles, Abrahae filios secundum fidem,[6] in eiusdem Patriarchae vocatione includi et salutem Ecclesiae in populi electi exitu de terra servitutis mystice praesignari. Quare nequit [8] Ecclesia oblivisci se *per* popul*um* ill*um,* quocum Deus ex ineffabili misericordia sua Antiquum Foedus inire dignatus est, Revelationem Veteris Testamenti accepisse et nutriri radice bonae olivae, in quam inserti sunt rami oleastri Gentium.[7] Credit enim Ecclesia Christum, Pacem nostram, per crucem Iudaeos et Gentes reconciliasse et utraque *in Semetipso* fecisse unum.[8]

Semper quoque prae oculis habet Ecclesia verba Apostoli Pauli de cognatis eius, « quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa,

[8]

Textus approbatus

quorum patres et ex quibus est Christus secundum carnem » (*Rom.* 9, 4-5), filius Mariae Virginis. Recordatur etiam ex populo iudaico natos esse Apostolos, Ecclesiae fundamenta et columnas, atque plurimos illos primos discipulos, qui Evangelium Christi mundo annuntiaverunt.

Etsi Iudaei magna parte Evangelium non acceperunt, tamen, Apostolo testante, Deo, cuius dona et vocatio sine poenitentia sunt, adhuc carissimi manent propter patres.[9] Una cum Prophetis eodemque Apostolo Ecclesia diem Deo soli notum expectat, quo populi omnes una voce Dominum invocabunt et « servient ei humero uno » (*Soph.* 3, 9).[10]

Cum igitur adeo magnum sit patrimonium spirituale Christianis et Iudaeis commune, Sacra haec Synodus mutuam utriusque cognitionem et aestimationem, quae praesertim studiis biblicis et theologicis atque fraternis colloquiis obtinetur, fovere vult et commendare. Praeterea iniurias hominibus ubicumque inflictas severe reprobans, Synodus, huius patrimonii communis memor, odia et persecutiones contra Iudaeos, sive olim sive nostris temporibus perpetratas, deplorat et damnat.

Textus emendatus

quorum patres et ex quibus est Christus secundum carnem » (*Rom.* 9, 4-5), filius Mariae Virginis. Recordatur etiam ex populo iudaico natos esse Apostolos, Ecclesiae fundamenta et columnas, atque plurimos illos primos discipulos, qui Evangelium Christi mundo annuntiaverunt.

Teste Sacra Scriptura, Ierusalem tempus visitationis suae non cognovit,[9] *atque* Iudaei magna parte Evangelium non acceperunt, *immo non pauci diffusioni eius se opposuerunt.*[10] *Nihilominus,* secundum Apostolum, *Iudaei* Deo, cuius dona et vocatio sine poenitentia sunt, adhuc carissimi manent propter patres.[11] Una cum Prophetis eodemque Apostolo Ecclesia diem Deo soli notum expectat, quo populi omnes una voce Dominum invocabunt et « servient ei humero uno » (*Soph.* 3, 9).[12]

Cum igitur adeo magnum sit patrimonium spirituale Christianis et Iudaeis commune, Sacra haec Synodus mutuam utriusque cognitionem et aestimationem, quae praesertim studiis biblicis et theologicis atque fraternis colloquiis obtinetur, fovere vult et commendare.

[9]

Textus approbatus

Ideo curent omnes ne in catechesi impertienda seu in Verbi Dei praedicatione aliquid doceant, quo in cordibus fidelium odium aut despectionem erga Iudaeos gignere possit; numquam populus iudaicus ut gens reprobata vel maledicta aut deicidii rea exhibeatur. Ea enim quae in passione Christi perpetrata sunt minime toti populo tunc viventi, multo minus hodierno populo imputari possunt.

Textus emendatus

Etsi auctoritates Iudaeorum cum suis asseclis mortem Christi urserunt,[13] *tamen ea* quae in passione Eius perpetrata sunt *nec omnibus indistinctim Iudaeis* tunc viventibus, *nec Iudaeis hodiernis* imputari possunt. *Licet autem Ecclesia sit novus populus Dei, Iudaei tamen neque* ut *a Deo* reprobat*i neque ut* maledict*i* (   ) exhibea*n*tur, *quasi hoc ex Sacris Litteris sequatur.* Ideo curent omnes ne in catechesi et in Verbi Dei praedicatione *habenda*

Textus approbatus

Ceterum semper tenuit et tenet Ecclesia, Christum voluntarie propter omnium hominum peccata passionem suam et mortem immensa caritate obiisse. Ecclesiae praedicantis ergo est annuntiare crucem Christi tamquam signum universalis Dei amoris et fontem omnis gratiae.

5. [*De fraternitate universali, quavis discriminatione exclusa*]. Nequimus vero Deum omnium Patrem invocare, si erga quosdam homines, ad imaginem Dei creatos, fraterne nos gerere renuimus. Habitudo hominis ad Deum Patrem et habitudo hominis ad homines fratres ita connectuntur: qui non diligit, non novit Deum.[11]

Fundamentum ergo tollitur omni theoriae vel praxi quae inter hominem et hominem, inter gentem et gentem, discrimen quoad humanam dignitatem et iura exinde dimanantia inducunt.

Abstineant ergo necesse et omnes homines et praesertim Christiani a quavis hominum discriminatione aut vexatione propter stirpem eorum, colorem, condicionem vel religionem. At contra, Christifideles Sacra Synodus, vestigia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli premens, ardenter obsecrat ut « conversationem inter gentes habentes bonam » (*1 Pt.* 2, 12)

Textus emendatus [9]

quidquam doceant *quod cum veritate evangelica et spiritu Christi non congruat.*

Praeterea, *Ecclesia, quae omnes persecutiones in quosvis homines reprobat,* memor communis *cum Iudaeis* patrimonii, *nec rationibus politicis sed religiosa caritate evangelica impulsa,* odia, persecutiones, *antisemitismi manifestationes, quovis tempore et a quibusvis* in Iudaeos *habita,* deplorat (   ).

Ceterum Christ*us, uti* semper tenuit et tenet Ecclesia, propter peccata omnium hominum voluntarie passionem suam et mortem immensa caritate obii*t, ut omnes salutem consequantur.* Ecclesiae praedicantis ergo est annuntiare crucem Christi tamquam signum universalis Dei amoris et fontem omnis gratiae.

5. [*De fraternitate universali, quavis discriminatione exclusa*]. Nequimus vero Deum omnium Patrem invocare, si erga quosdam homines, ad imaginem Dei creatos, fraterne nos gerere renuimus. Habitudo hominis ad Deum Patrem et habitudo hominis ad homines fratres *adeo* connectuntur, *ut Scriptura dicat*: « qui non diligit, non novit Deum » (*1 Io.* 4, 8).

Fundamentum ergo tollitur omni theoriae vel praxi quae inter hominem et hominem, inter gentem et gentem, discrimen quoad humanam dignitatem et iura exinde dimanantia induc*it.*

Ecclesia igitur quamvis hominum discriminatione*m* aut vexatione*m* stir*pis vel* colo*ris,* condicio*nis* vel religio*nis causa factam tamquam* [10]
a Christi mente alienam, reprobat. Proinde, Christifideles Sacra Synodus, vestigia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli premens, ardenter obsecrat ut « conversationem inter gentes habentes bonam » (*1 Pt.* 2, 12) si fieri po-

[10]

Textus approbatus

si fieri potest, quod in eis est cum omnibus hominibus pacem habeant,[12] ita ut vere sint filii Patris qui in caelis est.[13]

NOTAE

[1] Cf. *Act.* 17, 26.
[2] Cf. *Sap.* 8, 1; *Act.* 14, 17; *Rom.* 2, 6-7; *1 Tim.* 2, 4.
[3] Cf. *Apoc.* 21, 23 s.
[4] Cf. *2 Cor.* 5, 19.
[5] Cf. S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, IV, 28, 2; *PG* 7, 1062.
[6] Cf. *Gal.* 3, 7.
[7] Cf. *Rom.* 11, 17-24.
[8] Cf. *Eph.* 2, 14. 16.
[9] Cf. *Rom.* 11, 28-29.
[10] Cf. *Is.* 66, 23; *Ps.* 65, 4; *Rom.* 11, 11-32.
[11] Cf. *1 Io.* 4, 8; 2, 9-11; *Lc.* 10, 25-37.
[12] Cf. *Rom.* 12, 18.
[13] Cf. *Mt.* 5, 44.

Textus emendatus

test, quod in eis est cum omnibus hominibus pacem habeant,[14] ita ut vere sint filii Patris qui in caelis est.[15]

NOTAE

[1] Cf. *Act.* 17, 26.
[2] Cf. *Sap.* 8, 1; *Act.* 14, 17; *Rom.* 2, 6-7; *1 Tim.* 2, 4.
[3] Cf. *Apoc.* 21, 23 s.
[4] Cf. *2 Cor.* 5, 19.
[5] Cf. S. Greg. VII, *Epist. XXI ad Anzir* (*Nacir*), *regem Mauritaniae*, *PL* 148, col. 450 s.
[6] Cf. *Gal.* 3, 7.
[7] Cf. *Rom.* 11, 17-24.
[8] Cf. *Eph.* 2, 14. 16.
[9] Cf. *Lc.* 19, 44.
[10] Cf. *Rom.* 11, 28.
[11] Cf. *Rom.* 11, 28-29; cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*: *A.A.S.*, 57 (1965), n. 1, p. 20.
[12] Cf. *Is.* 66, 23; *Ps.* 65, 4; *Rom.* 11, 11-32.
[13] Cf. *Io.* 19, 6.
[14] Cf. *Rom.* 12, 18.
[15] Cf. *Mt.* 5, 44.

RELATIO [11]

Die 20 novembris anni 1964 factae sunt suffragationes de schemate declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas,* cum sequenti *exitu.*

Prima suffragatio, de Prooemio et de numeris 1-3

Praesentes votantes	1.987
Placet	1.838
Non placet	136
Vota nulla	13

Secunda suffragatio, de numeris 4 et 5

Praesentes votantes	1.969
Placet	1.770
Non placet	185
Vota nulla	14

Tertia suffragatio, de integra Declaratione

Praesentes votantes	1.996
Placet	1.651
Non placet	99
Placet iuxta modum	242
Vota nulla	4

Integra ergo Declaratio, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali est approbata.

Omnes et singuli modi a Patribus propositi omni qua par est diligentia examinati sunt a Patribus Secretariatus in sessionibus plenariis a die 18 februarii ad diem 5 martii, a die 9 ad diem 15 maii et diebus 15 et 16 septembris huius anni habitis. Relatione scripta circa omnes modos Patribus Secretariatus tradita et ab ipsis examinata, ampla praesertim de habitudine Ecclesiae ad diversas religiones (n. 2), de vita morali apud Muslimos (n. 3), de responsabilitate Iudaeorum in mortem Domini Nostri Iesu Christi nec non de recta interpretatione Sacrarum Litterarum hac de re discussio in his sessionibus facta est.

Aliquae mutationes, additiones, transpositiones nec non omissiones

[11] propositae, quibus sensus textus clarius et accuratius exprimitur, admissae sunt. In hoc opere faciendo, Secretariatus iudicat se sensum ac sub-
[12] stantiam Declarationis eiusque partium secundum suffragationem affirmativam de qua supra retinuisse. Quod iudicium nunc ad considerationem Patrum Conciliarium defertur.

In sequenti Relatione modi per ordinem recensentur et responsa proponuntur. Explicationes fusiores inveniuntur in aliquibus locis ubi agitur:

1) de animismo (n. 2 ad 17) et de aliis magnis religionibus (n. 2 ad 21 et 22)

2) de verbis S. Pauli, variis in locis, relata ad Iudaeos (n. 4 ad 56 et 57)

3) de recta interpretatione Sacrae Scripturae relate ad mortem Domini (n. 4 ad 67 et 71)

4) de fine religioso Declarationis (n. 4 ad 77)

5) de imputatione maledictionis, reprobationis et deicidii reatus in Iudaeos (n. 4 ad 80, 81 et 82).

[13]

EXPENSIO MODORUM

AD NUM. 1 (Prooemium)

1 — *In genere.* Plures Patres rogant ut munus salvificum Ecclesiae clarius exprimatur.

R. — Modi accipiuntur et provisum est in novo textu, vide responsionem ad 26. Ceterum alia mentio muneris Ecclesiae reperitur in sententia addita sub fine primi incisi post lin. 5: « *In suo munere unitatem et caritatem inter homines, immo et inter gentes, fovendi ea imprimis hic considerat quae hominibus sunt communia et ad mutuum consortium ducunt* ».

2 — Quidam Patres timent ne Declaratio in descriptione religionum nimio optimismo laboret.

R. — Finis Declarationis ad id non tendit ut expositio completa religionum cum defectibus earum proponat; sed potius ut vinculum inter homines et religiones ostendat tamquam fundamentum dialogi et cooperationis. Proinde magis attendit ad ea quae coniungunt sicut apparet in nova sententia post lineam 5. Vide responsionem ad 1. Insuper sub fine n. 2, clare catholici monentur ut cum prudentia agant cum aliis et fidem vitamque christianam testentur; vide modos 34 et 36.

3 — P. 5, lin. 1: Loco « Nostra aetate » dicatur « Nostra praesertim aetate », ne Ecclesia videatur antea haec problemata non considerasse. [13]

R. — Providetur in linea 4 ubi loco « attente » dicitur « attent*ius* ».

4 — P. 5, lin. 2: Loco « arctius unitur » dicatur « ad arctiorem unitatem contendit ».

R. — Modus non accipitur, cum necessarius non videatur.

5 — P. 5, lin. 3: Post « Ecclesia » addatur « cuius missio est omnes homines in unum redigere » vel « quae divinam custodit veritatem ».

R. — Modi ex parte accipiuntur, vide responsionem ad n. 26.

6 — P. 5, lin. 6: Loco « Una enim communitas sunt » dicatur « Ad unam enim communitatem vocatae sunt ». [14]

R. — Modus non accipitur, cum inde ab initio vinculum unitatis existat, etsi haec communitas per cursum historiae arctius firmari debeat.

7 — P. 5, lin. 8, post « hominum » addatur « creaverit atque » vel lin. 9, post « terrae » addatur « eandem naturalem legem omnibus dederit; unum habent, post communem originalem lapsum, Redemptorem Iesum Christum Dei Filium Incarnatum ».

R. — Modi non accipiuntur, quia textus radices unitatis indicare intendit modo generaliore, qui etiam non-christianis aliquatenus pervius est.

8 — P. 5, lin. 13: Loco « ubi gentes ambulabunt in lumine eius » dicatur « et in cuius lumine gentes ambulant ».

R. — Modus non accipitur, quia non videtur necessarius.

9 — P. 5, lin. 15: Loco « a variis religionibus » dicatur « a religione ».

R. — Modus non accipitur, quia non agitur de philosophia religionis sed de phaenomeno multiformi religioso generis humani.

10 — P. 5, lin. 17: Loco « enigmatibus » dicatur « quaestionibus ».

R. — Modus non accipitur, quia vox « quaestionibus » modo nimis intellectuali sonat, quin relatio ad vitam humanam satis exprimatur.

11 — P. 5, lin. 20: Post « peccatum » addatur « quem ortum animorum et corporum dolores et quem finem habeant ».

R. — Modus accipitur modo breviore ut addatur: « *quem ortum habeant et quem finem* ».

[14] 12 — P. 5, lin. 20: Loco «peccatum» dicatur «malum».

R. — Modus non accipitur, quia hic agitur de malo morali.

13 — P. 5, lin. 25: Post «tendimus» addatur «His autem quaestionibus veram et plenam responsionem religio christiana dare valet, ad quam omnibus gentibus praedicandam Ecclesia catholica divinitus missa est».

R. — Modus non accipitur, quia hic non agitur de munere docendi Ecclesiae sed de communibus problematibus vitae humanae.

[15]

NUM. 2

14 — *In genere.* Quidam Patres rogant ut tollatur enumeratio et descriptio religionum aut ea amplietur, ne textus nimis superficialis videatur.

R. — Enumeratio religionum omitti non potest quia talis omissio esset mutatio substantialis textus iam approbati. Descriptio autem fusius explicari in brevi documento non potest. Ad finem enim Declarationis consequendum haec brevis delineatio sufficere videtur, quae tamen quoad particularia quaedam in novo textu accuratius conscripta est.

15 — P. 5, lin. 28: Loco «arcanae virtutis» dicatur «superioris virtutis», quia vox «arcanum» tamquam magia intelligi posset.

R. — Modus non accipitur. Arcanum enim significat absconditum et mysteriosum, et minime ad magiam refertur.

16 — P. 6, lin. 1: Loco « ac » dicatur « vel etiam », quia iuxta investigationes scientificas idea Summi Numinis magis diffusa erat quam illa Patris.

R. — Modus accipitur.

17 — P. 6, lin. 1: Post «Patris» addatur mentio primitivorum et animistarum qui hodiedum vivunt.

R. — Modus ex parte accipitur. Ita ut novus textus sic sonet: p. 5, linn. 27 sq.: « Iam ab antiquo *usque ad tempus hodiernum* apud diversas gentes ... Summi Numinis *vel etiam* Patris. *Quae perceptio atque agnitio vitam earum intimo sensu religioso penetrant.* Religiones vero ... ». Animismus vero non explicite nominatur cum non sit una religio, sed potius typus communis plurium religionum, quae in variis gentibus inveniuntur.

18 — P. 6, lin. 5: Loco «mysterium divinum» dicatur «mysterium divinitatis».

R. — Modus non accipitur, cum vox « divinum » sit magis generalis. [15]

19 — P. 6, linn. 5-17: Omittantur ea quae pertinent ad Hinduismum et Buddhismum, quae nimis superficialia videntur.

R. — Modus non accipitur. Esset enim mutatio substantialis textus iam a Concilio approbati. Vide animadversiones generales.

20 — P. 6, lin. 6: Loco « mythorum » ponatur alia vox (4 Patres). [16]

R. — Modus non accipitur. Nam « mythus » est forma cognitionis et communicationis religiosae, de cuius valore docti consentiunt. Terminus nil offensivi habet.

21 — P. 6, lin. 10: Modo magis caute loquatur de divinitate et de amore erga eam in Hinduismo (2 Patres).

R. — Provisum est in novo textu. Datur quidem in Hinduismo devotio stricte personalis ad Deum, quae a multis exercetur, immo theoreticam agnitionem Dei personalis includit. Ut vero pateat diversas esse « vias » in Hinduismo quae etiam diverse de Deo et de vita religiosa sentiunt, diversae scholae per disiunctivum « vel » distinguntur. Ita novus textus sonat: p. 6, linn. 9 sq.: « *vel* per formas vitae asceticae *vel* per profundam meditationem, *vel* per refugium ad Deum cum amore et confidentia ».

22 — P. 6, linn. 11 sq.: De Buddhismo textus ita emendetur: « In Buddhismo *secundum varias eius formas,* radicalis insufficientia mundi huius mutabilis agnoscitur, et via docetur qua homines, animo devoto et confidente, *sive statum perfectae liberationis acquirere, sive, vel propriis conatibus vel superiore auxilio innixi, ad summam illuminationem pertingere valeant* ».

R. — Modus accipitur, qui compositus est post consultationem cum peritis tum christianis tum buddhistis; exhibet enim duas formas Buddhismi scl. Hinayana et Mahayana.

23 — P. 6, lin. 16: Loco « valeant » dicatur « valerent ».

R. — Modus non accipitur, quia vox « valerent » esset forma irrealis; exprimendus vero est conatus positivus qui per coniunctivum praesentis exprimitur.

24 — P. 6, lin. 19: Loco « occurrunt » dicatur « occurrere nituntur » vel « occurrere conantur » (2 Patres).

R. — Modus accipitur ut scribatur « occurrere *nituntur* ».

25 — P. 6, lin. 20: Addatur « Monotheismus Africae non obstantibus superstitionibus viam religioni christianae paravit et facilitavit ».

R. — Modus non accipitur, quia describenda est conditio religiosa, non autem dispositio ad revelationem christianam recipiendam.

[16] 26 — P. 6, linn. 21 sq.: Plures Patres postulant ut firmius exprimantur missio Ecclesiae atque plenitudo veritatis in Christo.

[17] R. — Modi accipiuntur, ita ut novus textus sic sonet: lin. 22: « Annuntiat vero, *et annuntiare tenetur* indesinenter Christum, qui est " via, veritas et vita " (*Io.* 14, 6), *in quo homines plenitudinem vitae religiosae inveniant,* in quo Deus omnia sibi reconciliavit (cf. 2 *Cor.* 5, 19) ».

27 — P. 6, linn. 21-30: In incisum inseratur citatio *Phil.* 4, 8: « quaecumque sancta ... quaecumque vera ... ».

R. — Modus non accipitur, quia citatio ista minime certo de valoribus religionum agit.

28 — P. 6, linn. 21-30: Textus ordinatius scribatur.

R. — Modus accipitur; vide novum textum.

29 — P. 6, lin. 25: Non placet « de variis salutis dispositionibus ».

R. — Modus accipitur et citatio S. Irenaei propter ambiguitatem supprimitur.

30 — P. 6, lin. 27: Dicatur « *illos* modos agendi et vivendi, *illa* praecepta ... ».

R. — Modus accipitur.

31 — P. 6, lin. 28: Loco « proponit » ponatur « quae ipsa edocet » vel « tenet et proponit » (2 Patres).

R. — Modi accipiuntur et scribatur « *tenet et* proponit ».

32 — P. 6, lin. 29: Addatur « *haud raro* referunt ».

R. — Modus accipitur.

33 — P. 6, lin. 29: Addatur post « discrepent »: praesertim si ad idololatricum cultum pertinent, referunt tamen ... ».

R. — Modus non accipitur, quia hic specialis condemnatio idololatriae non requiritur.

34 — P. 6, lin. 31: Post « ut » addatur « sereno prudentique animo ».

R. — Sic sonat novus textus: « ut *cum prudentia et caritate* ... ».

35 — P. 6, lin. 31: Loco « per colloquia » dicatur « in colloquiis ».

R. — Modus non accipitur, quia non videtur esse necessarius.

[18] 36 — P. 6, lin. 33: Post « catholicae » addatur cautela « salvo exercitio religionis catholicae ».

R. — Ad cautelam iam provisum est in novo textu per vocem « cum prudentia ». Insuper ad exprimendam obligationem exercitii religionis catholicae, loco « salva integritate fidei catholicae » dicitur « *fidem et vitam christianam testantes* ».

37 — P. 6, lin. 33: Modi rogant ut exprimantur agnitio et aestimatio valorum illorum. [18]

R. — Modi accipiuntur ut post « inveniuntur » addatur « *agnoscant* ».

38 — P. 6, lin. 33: Addatur cautela circa bonam et rectam praeparationem catholicorum ad colloquia et collaborationem.

R. — Iam provisum est in novo textu, ubi « cum prudentia » additur; vide responsionem ad 34.

39 — P. 6, lin. 36: Addatur « ac valores religiosos ante impugnationem atheismi communistarum muniant ».

R. — Modus non accipitur, quia de periculo atheismi agit schema 13.

AD NUM. 3

40 — *In genere.* In hac Declaratione illa terminologia adhibenda est quae vere correspondeat ei quae apud Muslimos adhibetur. Secundum peritos in hac materia, loquendo de personis adhibenda est vox « Muslimus », de ipsa vero religione vox « Islam » vel « religio islamica ». Textus ergo emendatur: p. 6, lin. 37 (« De *religione islamica* »); p. 7, lin. 5 « ad quem fides *islamica* »; p. 7, lin. 16 « inter Christianos et *Muslimos* ».

41 — P. 6, lin. 37: Loco « De Musulmanis » in titulo dicatur « De religione islamica ».

R. — Modus accipitur.

42 — P. 6, lin. 37: Unus Pater proponit ut expressio « cum aestimatione » ad adorationem Muslimorum erga unicum Deum restringatur, cum omnia non aestimanda sint apud Muslimos.

R. — Modus non accipitur. Hic enim Declaratio loqui incipit de religione stricte monotheistica erga quam iuste dicitur nos habere aestimationem. Iam in Constitutione Dogmatica *Lumen Gentium* expresse Muslimi signantur: « Se propositum salutis et eos amplectitur qui Creatorem agnoscunt, inter quos imprimis Musulmanos, qui fidem Abrahae se tenere profitentes, nobiscum Deum adorant, unicum, misericordem, homines die novissimo iudicaturum » (N. 16). [19]

43 — P. 7, lin. 2: Post « terrae » addatur « cf. S. Greg. VII, Epist. XXI, ad Anzir (al Nasir), regem Mauritaniae, *PL* 148, col. 450 et sq. ».

R. — Modus accipitur et in nota ponitur.

44 — P. 7, lin. 3: Post « allocutum » addatur « *misericordem* ».

[19] R. — Modus accipitur cum iam in Constitutione Dogmatica *Lumen Gentium* inveniatur; vide supra, responsionem ad modum 42.

45 — P. 7, lin. 3: Loco « cuius occultis etiam decretis » dicatur « cuius inscrutabilibus etiam decretis » vel « cuius futuris etiam voluntatibus » (2 Patres).

R. — Modi non accipiuntur. Non videntur esse necessarii.

46 — P. 7, linn. 5-6: Loco « libenter sese refert » dicatur « libenter affirmat sese referre ».

R. — Modus non accipitur. Agitur enim de facto aliquo, minime autem de interpretatione huius facti.

47 — P. 7, lin. 7: Loco « tamen » dicatur « tantum ».

R. — Modus non accipitur.

48 — P. 7, lin. 8: Deleatur « virginalem ».

R. — Modus non accipitur. Traditio popularis islamica acriter tenet virginitatem Mariae ante partum, immo pluries in Corano legitur Mariam virginitatem suam perpetue servavisse.

49 — P. 7, lin. 13: Deleatur vox « ieiunium » quia ieiunium apud Muslimos sensu nostro non existit.

R. — Modus non accipitur; etsi apud Muslimos ieiunium alio modo fit atque apud Christianos, ieiunium illud tamquam actus religiosus ab eis habetur.

50 — P. 7, lin. 13: Post « ieiunio » addatur « in eius praesentiam vivere conantur, proximumque iuxta voluntatem Dei tractare student ».

[20] R. — Modus non accipitur quia ad sensum in textu iam aliquomodo reperitur.

51 — P. 7, linn. 13-15: Plures Patres rogant ut haec sententia deleatur (27 Patres), vel alio modo dicatur (8 Patres), vel saltem expungantur voces « familialem » et « socialem » (12 Patres). Nam Muslimi in ethica familiali a nobis valde discrepare videntur.

R. — Modus ex parte accipitur ut dicatur: « Exinde vitam moralem *aestimant et* Deum ... ».

52 — P. 7, linn. 16-18: Loco « Quodsi in decursu ... exortae sint » dicatur « Quodsi in decursu saeculorum respublicae christianae pro fide tuenda Musulmanis Europam impetentibus fortiter resisterunt »; ne videatur dissensiones et pugnae ex christianorum culpa exortae esse.

R. — Modus non accipitur. In brevi declaratione non intrandum est in

processum historicum. Exhortatio respicit ad futurum potius- [20]
quam ad praeteritum.

53 — P. 7, lin. 20: Loco « comprehensionem » dicatur « intelligentiam » vel scribatur « ut ad comprehensionem mutuam et tandem aliquando, opitulante Deo, ad veritatem ... ».

R. — Modi non accipiuntur. Una enim ex parte comprehensio latius patet quam intelligentia, alia autem ex parte additio in aequivocationem duceret.

54 — P. 7, lin. 23: In fine addatur « ad religiosos valores ab atheismo militante defendant ».

R. — Modus non accipitur quia de periculis atheismi agitur in schemate 13.

AD NUM. 4

55 — *In genere*. Rogatur ut totus numerus deleatur.
Ratio: non necessarius, ambiguus.

R. — Textus est a Concilio approbatus. Paragraphus de Iudaeis necessaria est in Declaratione de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas propter integritatem Declarationis quae de omnibus religionibus agere debet ad mentem Constitutionis de Ecclesia, n. 16.

56 — Rogatur ut explicetur verus sensus verborum S. Pauli in *1 Thess.* [21]
« pervenit enim ira Dei super illos usque ad finem » (2, 16) et aliorum locorum ex Sacra Scriptura ubi Iudaei vituperantur.
Ratio: textus harmonice componendus est cum doctrina S. Pauli in *Rom.* 11.

R. — Munus populi antiqui in historia salutis est thema doctrinalis totam Scripturam pervadens. Inde impossibile est, significationem unius textus explicare separatim a tota doctrina biblica circa Israel. In genere tamen, ad intelligendas illas duras de Iudaeis sententias sequentia principia applicanda sunt.

1) Multa dura verba non ut iudicia definitiva intendebantur, sed ut minationes propheticae vocantes populum ad conversionem, et ideo manent admonitiones ad nos christianos directae quandocumque obliviscimur vocationis nostrae (v. g. *Mt.* 3, 7-10; *Act.* 7, 51-53; *Mt.* 8, 11-22).

2) Multae durae sententiae ad moderatores Iudaeorum referunt et ad eam partem incolarum Ierusalem, qui moderatores in reiectione Iesu sequebantur. Huic « pravae generationi »

[21] Christus castigationem et punitionem praedixit, quae in destructione templi et civitatis culmen attingunt. Non vero licet ea quae in istis sententiis continentur ad omnes generationes populi iudaici applicare (*Mt.* 23, 29-39; 27, 25; *1 Thess.* 2, 15; *Lc.* 19, 42-46).

3) Aliquae durae sententiae modo dramatico annuntiant Synagogam sese excludisse a benedictionibus messianicis a Christo allatis eo quod Eum non accepit (*Io.* 1, 11; 8, 21-24; *Act.* 28, 23-29; *Gal.* 4, 25-26; *Rom.* 9, 30-31). Verum est ergo Israel iam non esse sacramentum salutis pro mundo. Hoc factum tamen non apte exprimitur per voces « reprobatus » vel « maledictus ». Sacra Scriptura nos edocet amorem Dei populum ullum semper sequi. Quod maxime exprimitur in cap. 11 ad Rom., ubi in v. 28 dicitur promissiones Dei patribus factas non esse retractatas.

57 — Rogatur ut plena veritas de Iudaeis exhibeatur.
Ratio: in Sacra Scriptura non solum positiva de Iudaeis dicuntur sed etiam negativa.

R. — Declaratio non intendit completam praesentationem aliarum religionum dare, sed solummodo normas pastorales et practicas, in revelatione fundatas, praestare pro dialogo et cooperatione cum aliis. In hoc sequitur Constitutionem de Ecclesia, cap. 2, n. 16, ubi exhibentur rationes positivae quibus populi aliarum religionum cultores ad Ecclesiam Christi ordinantur. In hoc contextu dicitur de Iudaeis (De Ecclesia, cap. 2, n. 16): « In primis quidem [22] populus ille cui data fuerunt testamenta et promissa et ex quo Christus ortus est secundum carnem, populus secundum electionem carissimus propter patres: sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei ». Hic non agitur de plena veritate circa Iudaeos et eorum religionem, sed de plena veritate circa ea quae Iudaeos cum Ecclesia iungunt. Hoc principium applicatur in tota Declaratione de religionibus non-christianis tractante (cf. responsum ad 2).

58 — P. 7, lin. 24: Loco tituli « De Iudaeis » dicatur « De Iudaismo ».
Ratio: ut clarius appareat hic agi de religione non de populo.

R. — Modus accipitur ut dicatur « *De religione iudaica* ».

59 — P. 7, lin. 25: Post « vinculi » addatur « specialis ».

R. — Hoc in loco non videtur necessarium quia vinculum speciale in toto numero 4 explicatur.

60 — P. 7, lin. 27: Rogatur ut loco « Abraham » ponatur « Abrah*ae* ».
Ratio: exigentia grammatica.

R. — Modus accipitur. [22]

61 — P. 7, lin. 27: Post « Abraham » inseratur « *spiritualiter* ».

R. — Modus accipitur.

62 — P. 7, lin. 28: Deleantur verba «grato animo».
Ratio: significatio non est clara. Posset intelligi ac si Iudaeis hodiernis gratias agere debemus (2 Patres).

R. — Modus accipitur.

63 — P. 7, lin. 32: Loco « secundum fidem » ponatur « ex fide ».
Ratio: Textus ex *Gal.,* in calce citatus, verba « ex fide » praebet.

R. — Modus non accipitur. Dicitur enim « secundum fidem » ad hanc filiationem bene distinguendam ab alia filiatione, nempe secundum carnem. Textus non citat *Gal.* ad litteram.

64 — P. 7, lin. 36: Loco « a populo » ponatur « per populum » vel « mediante populo » (3 Patres).
Ratio: Revelatio nobis non ab hominibus sed a Deo data fuit.

R. — Modus accipitur. Nunc dicitur « *per* popul*um* ill*um* ».

65 — P. 7, lin. 39: vox « nutriri » deleatur vel per « oriri ex » substituatur (2 Patres). [23]
Ratio: Ecclesia non alimentis terrenis et humanis nutritur, sed a Deo per Christum pascitur.

R. — Modus non accipitur. Revelatio Veteris Testamenti fons vitae spiritualis in Ecclesia manet, v. g. psalmi in liturgia.

66 — P. 8, lin. 2: Post « unum » inseratur « in Ecclesia ».
Ratio: ut vitetur falsa impressio Iudaeos et Gentes iam extra Ecclesiam reconciliari.

R. — Ut omnis ambiguitas tollatur, nunc dicitur « utraque *in Semetipso* fecisse unum ». Hoc magis correspondet textui citato ex Ep. ad Eph.

67 — P. 8, lin. 13: Loco « magna parte » ponatur « maxima parte ». Ratio non datur.

R. — Modus non accipitur. « Magna parte » videtur exprimere factum historicum ab omnibus admissum.

68 — P. 8, lin. 14: Post « acceperunt » addatur « et non semel Christus Iesus eosdem obiurgavit quod diem visitationis suae non agnovissent ».
Ratio: reiectio evangelii erat culpa, cuius punitio fuit excidium Civitatis Sanctae et iudaicae nationis.

R. — Aperte, in spiritu autem huius Declarationis exprimi debet

[23] *a*) secundum fidem catholicam, populum iudaicum, post reiectionem Iesu ex parte Ierusalem et Synagogae, non amplius esse Ecclesiam Dei sicut fuit antea et

b) secundum Scripturam multos Iudaeos tempore Apostolorum adversarios Evangelii et eius diffusionis fuisse. Igitur sic sonet textus: « *Teste Sacra Scriptura, Ierusalem tempus visitationis suae non cognovit* (cf. Lc. 19, 44), *atque* Iudaei magna parte Evangelium non acceperunt, *immo non pauci diffusioni eius se opposuerunt* (cf. *Rom.* 11, 28). *Nihilominus,* secundum Apostolum, *Iudaei* Deo, cuius dona et vocatio sine poenitentia sunt, adhuc carissimi manent propter patres » (cf. *Rom.* 11, 28-29; cf. Const. dogm. *Lumen Gentium, A.A.S.* 57 [1965], n. 1, p. 20).
Ratio qua bis versiculus *Rom.* 11, 28 citatur, in responsum ad 71 invenitur.

[24] 69 — P. 8, lin. 15: Loco « sine poenitentia sunt » ponatur « retractata non sunt ».
Ratio non datur.

R. — Modus non accipitur. Servetur enim terminologia biblica secundum Vulgatam; cf. *De Ecclesia,* cap. 2, n. 16.

70 — P. 8, lin. 16: Deleantur verba « carissimi manent propter patres » (2 Patres).
Ratio: Hic textus positivus ne citetur, si omittitur textus negativus S. Pauli « ... ira Dei super illos usque ad finem ».

R. — Non accipitur modus. In nova redactione (vide resp. ad 68) aperte dicitur Ierusalem tempus visitationis non cognovisse et non paucos Iudaeos tunc temporis adversarios Christi fuisse; cf. etiam responsa ad 56 et 71.

71 — P. 8, linn. 13-21: Sic sonet: « Iudaei tamen magna parte Evangelium non acceperunt. Principes eorum Christum morti tradiderunt, cuius criminis responsabilitas non omnes et singulos individuos, sed populum hebraicum collective sumptum aliquo modo afficit. Cum autem tota vocatio populi hebraici ad Christum tendebat, et cum Christus " in propria venit, et sui eum non receperunt " (*Io.* 1, 11), populus hebraicus amplius non est populus Dei; verus Israel, Israel novus, Israel Dei, Israel iuxta fidem facta est Ecclesia (cf. *Gal.* 3, 29; 6, 16; *Rom.* 9, 6-8; *1 Cor.* 10, 18). Nihilominus, Apostolo testante, Deo, cuius dona et vocatio sine poenitentia sunt, adhuc carissimi manent propter patres, etsi aliquando, secundum Evangelium, inimici propter fideles » (cf. *Rom.* 11, 28).

Ratio: ut affirmatur responsabilitatem crucifixionis aliquo modo populum iudaicum collective sumptum afficere. Insuper exhibeatur contentum totius versiculi (*Rom.* 11, 28), ubi Iudaei dicuntur « carissimi propter patres » et etiam « inimici propter vos ». [24]

R. — Propositio ex parte accipitur in quantum in nova redactione secundum exigentias Declarationis dicitur populum iudaicum non iam esse Ecclesiam Dei, atque moderatores populi mortem Christi postulasse (cf. Resp. ad 68 et 80): Non accipitur tamen notio responsabilitatis collectivae pro crucifixione, cf. resp. ad 80. Etiam notandum est, versiculum *Rom.* 11, 28, ubi Iudaei « carissimi » atque « inimici » nominantur, non ad litteram citatum esse; attamen tota doctrina versiculi exhibetur. Qua propter bis in notis referentia ad *Rom.* 11, 28 ponitur. In nova redactione, cf. resp. ad 68, sermo est de Iudaeis qui tempore Apostolorum inimici erant Evangelii. Non citatur totus versiculus quia pars ubi Iudaei [25]
« inimici » vocantur ad tempus Apostolorum refert quando multi Iudaei diffusioni Evangelii se opposuerunt, sed numquam ad posteriores generationes applicare potest; pars tamen ubi « carissimi » propter patres dicuntur pro omnibus saeculis etiam nostris temporibus valet: sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei. Cf. Constit. Dogm. *Lumen Gentium,* n. 16 « populus secundum electionem carissimus propter patres ».

72 — P. 8, lin. 21: Deleatur « adeo ».
Ratio: expressio est nimis fortis.

R. — Modus non accipitur. Patrimonium commune Ecclesiae et Synagogae permagnum est.

73 — P. 8, linn. 21-26: Rogatur ut ad textum priorem revertatur (2 Patres).
Ratio: sufficit, ut habetur in textu priore, affirmatio patrimonii recepti.

R. — Modus non accipitur. Patrimonium *commune* non potest supprimi; hoc esset mutatio essentialis textus approbati.

74 — P. 8, linn. 26-31: ut tota phrasis deleatur (3 Patres).
Ratio: repetitio in textu conciliari. Sufficit quod dicitur in conclusione, numero 5, pro omnibus sine distinctione.

R. — Modus ut talis accipi non potest. Explicita reprobatio in hoc loco a multis patribus conciliaribus expresse postulata, videtur esse pars essentialis textus iam approbati. Attamen phrasi alio

[25] loco ponitur ut ordinatio logica magis eluceat: reprobatio antisemitismi venit tamquam consequentia ex principiis antea positis.

75 — P. 8, modi proponunt: lin. 29: ut « persecutiones » per « vexationes » substituatur; lin. 30: ut deleantur verba « sive olim sive nostris temporibus » (2 Patres).
Ratio: ne interpretetur modo politico.

R. — Interpretatio politica, quae in textu approbato iam fundamento caruit, per novam redactionem et clarius et fortius excluditur. Vide resp. ad 77.

76 — P. 8, lin. 31: ut deleatur « damnat ».
Rationes: 1) ne discriminatio contra Iudaeos fortius repudiatur quam descriminationes contra alios (2 Patres).

[26] 2) In documento Conciliari melius videtur vocabula condemnationis ad res heresim formalem spectantes reservare (1 Pater).

R. — Modus accipitur.

77 — P. 8, linn. 26-31: Sequentes novae phrases vel partes phraseos proponuntur:

a) « praeterea iniurias cuiuscumque generis sive physicas sive morales oeconomicas ».
Ratio: gravis iniuria oeconomica contra homines etiam usura.

b) « ... contra Iudaeos, et imprimis quos a christianis perpetratas ... ».
Ratio: etiam christiani talia fecerunt, insuper nos contra quosdam Arabos defendere possumus, dicentes Ecclesiam velle suam culpam agnoscere.

c) « Synodus ...: persecutiones contra Iudaeos ubicumque perpetratas propter eorum cultum vel religionem ex toto corde deplorat et reprobat ».
Ratio: ut clarius appareat Concilium solummodo tractare de mutuis relationibus inter religiones, remota omni associatione politica.

d) « Quapropter iniurias hominum ubicumque inflictas severe reprobans, Synodus, hominum fraternitatis universalis memor, odia et persecutiones contra qualemcumque populum, sive olim sive nostris temporibus perpetratas, deplorat et damnat ».
Ratio: ita vitatur omnis mentio Iudaeorum.

e) « Praeterea, dum iniurias hominibus ubicumque inflictas severe reprobat, iuxta genuinam doctrinam de christiana caritate, Sancta Synodus, memor quoque huius patrimonii communis, men-

tem avertere non potest ab odiis et persecutionibus, sive olim sive nostris temporibus, contra Iudaeis perpetratis ... ». [26]
Ratio: ita vitatur repetitio qua textus laborare videtur.

f) Rogatur ut in novo textu inseratur Ecclesiam reprobare omnes persecutiones in quosvis homines.

R. — Ut omnis falsa interpretatio vitetur, textus emendatus exprimere debet:

a) motivum reprobationis antisemitismi esse caritatem christianam;

b) reprobationem ad omnia tempora, etiam hodiernum, applicari, eo modo tamen quo nemo ad praesentem inter nationes conflictum cogitare possit.

c) Ecclesiam reprobare omnes persecutiones in quosvis homines.

Sic sonat textus emendatus: « *Praeterea Ecclesia quae omnes persecutiones in quosvis homines reprobat, memor* communis *cum Iudaeis* patrimonii, *nec rationibus politicis, sed religiosa caritate evangelica impulsa,* odia, persecutiones, *antisemitismi manifestationes, quovis tempore et a quibusvis* in Iudaeos *habita,* deplorat ». [27]

78 — P. 8, lin. 32 - P. 9, lin. 4: Unus Pater rogat ut prior textus restituatur, alii rogant ut tota paragraphus deleatur (3 Patres).
Ratio: periculosum, doctrina non est certa.

R. — Modus reiicitur. Textus a Congregatione Generali approbatus retinendus est cum modificationibus infra allatis.

79 — P. 8, linn. 32-35: Modi rogant:

a) ut deleatur textus.
Ratio: admonitio superflua et odiosa.

b) ut referentia ad praedicationem et catechesim substituatur per verba, « ne ... quis aliquid agat vel dicat » aut alia huiusmodi (2 Patres).
Ratio: ne insinuetur praedicatores christianos in hac re defecisse.

c) ut clarius dicatur Ecclesiam in sua praedicatione numquam odium docuisse (2 Patres).
Ratio: ne falsae accusationi contra Ecclesiam ansa praebeatur.

d) loco « Iudaeos » ponatur « qualemcumque populum ».
Ratio: ne specialis mentio fiat Iudaeorum.

R. — In nova redactione admonitio facta est modo magis positivo: exprimitur enim principium theologicum omnis praedicationis. Sic sonat textus: « Ideo curent omnes ne in catechesi et in Verbi Dei

[27] praedicatione *habenda* quidquam doceant, *quod cum veritate evangelica et Spiritu Christi non congruat* ». Nunc insistit textus in factis historicis, id quod nonnulli modi postulant, et ideo haec sententia posita est post incisum quo facta historica recoluntur. Insuper ex historia praedicationis christianae patet hanc admonitionem non superfluam esse.

80 — P. 8, linn. 35-37: Deleantur verba: « numquam populus iudaicus ... exhibeatur » (8 Patres).

Ratio: doctrina non certa, periculosa, contradicta in Evangelio. Argumentatio multorum Patrum (vide modum 82, b) sequens est:

quoad deicidium:

1) Quod populus iudaicus, qua populus, per moderatores suos, reus *materialis* deicidii evaserit, patet: Christus enim, Dei Filius, ab eis interfectus est, sicuti asserit ipse S. Paulus: « Qui et Dominum occiderunt Iesum » (*1 Thess.* 2, 15).

2) Quod aliqui saltem ex moderatoribus etiam *formalis* deicidii rei fuerint, [28] indubium est, nec prudenter negari potest, ob verba Domini: « Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem viderunt et oderunt et me et Patrem meum » (*Io.* 15, 24).

quoad reprobationem:

Quod populus iudaicus, qua populus, reprobatus fuerit, patet in parabola vineae (*Mt.* 21, 34-36), cuius conclusionem Dominus ipse ita formulat: « Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius ».

Delenda sunt cetera, quae, etsi omnino vera, in contextu tamen possent insinuare quandam iustificationem sceleris sacerdotum et principum iudaeorum, inde quis a pari arguere posset ad iustificationem ipsius Iudae traditoris, quem Dominus « filium perditionis » nuncupavit (*Io.* 17, 12).

R. — Textus a Concilio approbatus quoad substantiam mutari non potest.

Praeterea argumenta quibus culpam deicidii et reprobationem populi iudaici probare conantur, valida non sunt. Verum est Synagogam a benedictionibus messianicis a Christo allatis se excludisse, sed hoc non evenit directe quia moderatores Iudaeorum Iesum morti tradiderunt sed quia in Iesum per Apostolos praedicatum credere noluerunt.

In specie, in *1 Thess.* 2, 15 non loquitur S. Paulus de populo iudaico ut sic, sed de auctoritatibus in Ierusalem et Iudaea, qui

Iesum fidelesque persecuti sunt, et in quibus haeredes eorum [28]
videt qui olim prophetas occiderunt (cf. *Mt.* 23, 30-32; *Act.* 7, 51-52). Verba Christi in *Ioann.* 15, 24 referunt ad peccatum eorum, moderatorum et turbae, qui Eum interficere intenderunt. Hos viros S. Ioannes saepe « Iudaeos » nominat. Sed neque in Quarto Evangelio nec in ullo alio loco in Novo Testamento peccatum eorum qui Christum interfecerunt tamquam peccatum deicidii formalis praesentatur. Secundum auctores sacros, inimici Christi, quantacumque eorum culpa fuerit, se Sanctum Israel interficere non noverunt (cf. *Act.* 3, 17; 13, 27; *1 Cor.* 2, 8), etiamsi hoc tribui potest caecitati eorum et duritiae cordis. Insuper in parabola de vinea (*Mt.* 21, 33-45) Dominus auctoritates populi, non vero populum ipsum minatus est, quod ita ab auditoribus intelligebatur: « Cum audissent principes sacerdotum et pharisaei parabolas eius, cognoverunt quod de *ipsis* diceret » (*Mt.* 21, 45).

81 — P. 8, linn. 37-40: Deleantur verba: « Ea enim quae in passione ... possunt » (10 Patres). [29]
Ratio: doctrina non certa, periculosa, contradicta in Evangelio.

R. — Textus a Congregatione Generali approbatus quoad substantiam mutari non potest.

82 — P. 8, linn. 37-40: Sequentes emendationes propositae sunt.

a) addatur: « Attamen ex Evangelio testimonio negari non potest populi iudaici principes et sacerdotes nec non populum ierosolimitanum ab iisdem excitatum damnationem et mortem Iesu Christi decrevisse et a Pilato exegisse » (3 Patres).
Ratio: Praetermittere non licet historiam evangelicam.

b) ita corrigatur: « ... numquam omnes Iudaei, individualiter, ut reprobati aut formalis deicidii rei exhibeantur. Ea enim quae in passione Christi perpetrata sunt minime omnibus Iudaeis tunc viventibus, multo minus hodiernis imputari possunt » (34 Patres).
Rationes dantur supra ad modum 80.

c) ita corrigatur: « ... numquam singuli Iudaei ut reprobati vel maledicti aut deicidii rei, nec gens iudaica ut definitive reprobata vel maledicta exhibeantur. Ea enim quae in passione Christi perpetrata sunt minime omnibus Iudaeis tunc viventibus, multo minus hodiernis imputari possunt; reprobatio autem Israel nonnisi ad tempus est, " donec impleantur tempora nationum " (*Lc.* 21, 24) ».

[29] *Ratio*: non possumus populi iudaici ad tempus reprobationem tuto negare, nec eum a culpa deicidii penitus liberare.

d) ita corrigatur: « Numquam populus iudaicus ut gens reprobata vel maledicta aut deicidii rea exhibeatur, textus V. et N. T. in quibus Iudaei merito exprobantur cum caritate intra veritatem interpretando nec eis ad iniuriam abutendo ».
Ratio: magis consentaneum Evangelio.

e) « Omnes Ecclesiae filii sedulo curent, ne in catechesi tradenda et in verbi Dei praedicatione quidquam dicant aut doceant, quod veritati evangelicae et spiritui Christus minus congrueret quodque in cordibus fidelium odium aut despectionem erga Iudaeos gignere possit. Absit ut Iudaeos alicui liceret tamquam reprobatos et maledictos, aut etiam deicidii reos exhibere, proinde ac si id ex veritate evangelica sequeretur. Ea enim quae in passione Christi perpetrata sunt minime omnibus filiis Israel tunc viventibus, multo minus Iudaeis hodiernis imputari possunt ».
Ratio: ut mentio fiat veritatis evangelicae et, secundo, ut vitetur quaestio de culpa collectiva.

f) addatur: « nam secundum Evangelia, auctoritates Iudaeo-
[30] rum, parsque incolarum Ierusalem illius temporis, mortem Christi urgendo, responsabilitatem sanguinis eius super se et super filios suos invocaverunt ... ».
Ratio: magis fidelis Evangelio.

g) omittatur « aut deicidii rea »; tunc habeatur: « Ea enim, quae ... perpetrata sunt, minime singulis Iudaeis tunc viventibus, multo minus hodiernis imputari possunt culpa personali ».
Ratio: ita vitatur quaestio culpae collectivae.

h) addatur: « Verum est populum iudaicum, ut patet ex Evangeliis, quamdam responsabilitatem socialem, eo quod Christum reiicisset, habuisse, quae quidem suam habuit sanctionem in facto historico, a Christo ipso praedicto, obrutionis sanctae civitas Ierusalem et dispersionis populi Israel ».
Ratio: Responsabilitas socialis patet ex verbis Christi (cf. *Mt.* 23, 37 sq.; 21, 33-41 ...).

i) ita corrigatur: « ... tamen ea quae in passione Eius perpetrata sunt nec omnibus indistinctim Iudaeis tunc viventibus, nec Iudaeis hodiernis imputari possunt. Licet autem Ecclesia sit novus populus Dei, Iudaeis tamen neque ut a Deo reprobati ... ».
Ratio: ita clare dicitur Ecclesiam esse verum Israel atque stylus rhetoricus omnino vitatur.

R. — Ad satisfacienda desideria Patrum textus, quamvis substantiali-

ter servatus, emendatus est ut quinque difficultatibus respondeat: [30]

1. Instandum est in veritate evangelica.

2. Agnoscendum est crimen ab auctoritatibus Iudaeorum commissum in mortem Christi urgendam.

3. Cavendum est ne condicio populi iudaici in oeconomia salutis post Christi mortem eadem videatur ac antea, etsi culpa collectiva eiusdem populi in ipsa morte Christi admitti non potest. Quapropter novus textus dicit: « Liceat autem Ecclesia sit novus populus Dei, Iudaei tamen ... », et non amplius loquitur de ipso populo iudaico, sed de Iudaeis, qui omnes « indistinctim » in morte Christi partem non habuerunt. Hos tamen modos accipiens, Secretariatus ad christianorum unitatem fovendam minime decernere intendit quonam sensu populus iudaicus manet, iuxta verba Constitutionis dogmaticae *De Ecclesia,* n. 16: « populus secundum electionem carissimus propter patres ».

4. Evitanda est quaevis formulatio quae rhetorica videri posset. Sic accipitur modus qui loco « minime ..., multo minus ... » proponit « nec ... nec ... ».

5. Plures Patres rogaverunt ut expungantur vel saltem accuratius explanentur verba « aut deicidii rea », quia eis haec locutio ambigua videbatur. Ceterum, apud quosdam, admiratio quaedam excitata est circa haec verba ac si Ecclesia Catholica non [31]
amplius docere videretur, Illum qui pro nobis interfectus est revera esse Filium Dei.

Illis quidem attente perpensis, Secretariatus ad christianorum unitatem fovendam existimavit *verba* illa deleri posse cum ad substantiam textus reapse non pertineant. *Idea* enim eadem iam reperiebatur in linn. 37-40: « Ea enim quae in passione perpetrata sunt minime toti populo tunc viventi, multo minus hodierno populo imputari possunt ». Quae essentialiter in nova redactione servatur.

In his lineis affirmatur veritas historica, insimul autem asseveratur responsabilitatem Iudaeis imputari non posse; immo declaratur eos minime esse reprobatos vel maledictos. Verba tamen « aut deicidii rei » omissa sunt propter sequentes rationes.

a) Vox « deicidium », in quovis contextu, odiose sonat. Quapropter appellationes sicut « deicida » (« Gottesmörder », « Christkiller », « peuple déicide » et expressiones aequivalentes) e vocabulario christiano omnino proscribi debent.

[31] *b*) Praeterea vox « deicidium » falsas interpretationes theologicas gignere potest. Quae falsae interpretationes iam ortae sunt et ansam praebuerunt difficultatibus tam in actione pastorali in genere quam in dialogo oecumenico cum aliquibus Ecclesiis.

Proinde omnibus consideratis, sic sonat novus textus:

« *Etsi auctoritates Iudaeorum cum suis asseclis mortem Christi urserunt* (cf. *Io.* 19, 6), *tamen ea* quae in passione Eius perpetrata sunt, *nec omnibus indistinctim Iudaeis* tunc viventi*bus, nec Iudaeis hodiernis* imputari possunt. *Licet autem Ecclesia sit novus populus Dei, Iudaei tamen neque* ut *a Deo* reprobati *neque ut* maledict*i* ( ) exhibea*n*tur, *quasi hoc ex Sacris Litteris sequatur* ».

83 — P. 8, lin. 40 - p. 9, lin. 4: Textus deleatur (6 Patres).
Ratio: sententia debilitare videtur culpabilitatem Iudaeorum.

R. — Non accipitur modus. De morte Domini tractari nequit quin mentio fiat de peccatis mundi et de salute generis humani per crucem acquisita.

84 — P. 8, linn. 40 sq.: Scribatur melius: « Ceterum Chris*tus, uti* semper tenuit et tenet Ecclesia, propter peccata omnium hominum voluntarie passionem suam et mortem immensa caritate obiit, *ut omnes salutem consequantur;* Ecclesiae praedicantis ... ».
[32] *Ratio*: Ut omnino vitetur confusio inter quaestionem historicam et theologicam, i. e. inter causam efficientem et causam finalem.

R. — Modus accipitur.

85 — P. 9, lin. 3: Loco « Christi » ponatur « in qua Agnus Dei peccatum mundi tulit ».
Ratio: Ubi de cruce Domini sermo est, etiam peccatum mundi nominetur.

R. — Modus non accipitur. Phrasis praecedens iam de peccatis omnium hominum loquitur.

86 — P. 9, lin. 4: Addatur in fine: « Nolit Concilium in his quae de Hebraeis dicuntur, significare et interpretare omnia quae in Sacris Scripturis tum Novi tum Veteris Testamenti ad ipsos referuntur ».
Ratio: Veritas partialis periculosa est.

R. — Modus non accipitur. Patet ex intentione Declarationis pluries expressa, numerum 4 non esse tractationem completam doctri-

nae biblicae de Iudaeis, sed solummodo fundamentum theologicum et pastorale pro dialogo praebere. [32]

87 — P. 9, linn. 6-9: Invocatio Dei ut Patris non est possibilis, nisi prius fundamentum vinculi naturalis inter homines agnoscimus: Suggeritur ut n. 5 ita fere incipiat: « Sicut nequimus Deo revelanti in Christo credere, nisi eum Creatorem in animis omnium hominum agentem scimus recognoscere; ita nec possumus Deum omnium Patrem invocare, si erga quosdam ... ».

R. — Modus non accipitur quia ad argumentum non pertinere videtur.

88 — P. 9, lin. 9-12: Nexus sententiae clare non apparet.

R. — Modus accipitur et textus emendatus ita sonat: « Habitudo hominis ... fratres *adeo* connectuntur *ut scriptura dicat*: Qui non diligit, non novit Deum » (*1 Io.* 4, 8).

89 — P. 9, linn. 37 sq.: Rogatur ut fortius conscribatur damnatio cuiusvis discriminationis vel vexationis quia valde exspectatur haec damnatio maxime ab eis qui persecutionem patiuntur.

R. — Modus accipitur ita ut textus novus sonet: « *Ecclesia igitur quamvis* hominum discriminatione*m* aut vexatione*m* stirp*is vel* color*is*, condition*is* vel religion*is causa factam tamquam a Christi mente alienam, reprobat* ».

90 — P. 9, linn. 37 sq.: Rogatur ut modo universaliore ac fortiore exprimatur damnatio persecutionum ut in n. 4 reprobatio antisemitismi expungi possit. [33]

R. — Ad damnationem fortiorem quod adtinet, provisum est in novo textu; vide modum praecedentem; reprobatio autem specifica antisemitismi in n. 4 ad substantiam textus approbati pertinet; ideo expungi non potest.

EMENDATIONES ADMISSAE SECUNDUM MODOS A PATRIBUS INTRODUCTOS [34]

NUM. 1

1 — Pag. 5, linn. 3-5: Ecclesia attent*ius* considerat quae sit sua habitudo ad religiones non-christianas.

2 — Pag. 5, linn. 5-9: *In suo munere unitatem et caritatem inter homines, immo et inter gentes, fovendi ea imprimis hic consi-*

[34] *derat quae hominibus sunt communia et ad mutuum consortium ducunt.*

3 — Pag. 5, linn. 22-26: ... quid sit homo, quis sensus et finis vitae nostrae, quid bonum et quid peccatum, *quem ortum habeant dolores et quem finem,* quae sit via ad veram felicitatem obtinendam ...

NUM. 2

4 — Pag. 5, lin. 32 - Pag. 6, lin. 5: Iam ab antiquo *usque ad tempus hodiernum* apud diversas gentes invenitur quaedam perceptio illius arcanae virtutis, quae cursui rerum et eventibus vitae humanae praesens est, immo aliquando agnitio Summi Numinis *vel etiam* Patris. *Quae perceptio atque agnitio vitam earum intimo sensu religioso penetrant.*

5 — Pag. 6, linn. 12-16: (in Hinduismo) ... liberationem quaerunt ab angustiis nostrae conditionis *vel* per formas vitae asceticae *vel* per profundam meditationem, *vel* per refugium ad Deum cum amore et confidentia.

6 — Pag. 6, linn. 16-22: In Buddhismo *secundum varias eius formas* radicalis insufficientia mundi huius mutabilis agnoscitur et via docetur qua homines, animo devoto et confidente, *sive statum perfectae liberationis acquirere, sive, vel propriis conatibus vel superiore auxilio innixi, ad summam illuminationem pertingere valeant.*

7 — Pag. 6, linn. 24-26: ... inquietudini cordis hominum variis modis occurr*ere nituntur* proponendo vias, doctrinas ...

[35] 8 — Pag. 6, linn. 30-35: (   ) Sincera cum observantia considerat *illos* modos agendi et vivendi, *illa* praecepta et doctrinas, quae, quamvis ab iis quae ipsa *tenet* et proponit in multis discrepant, *haud raro* referunt tamen radium illius Veritatis, quae illuminat omnes homines.

9 — Pag. 6, linn. 35-39: Annuntiat vero, *et annuntiare tenetur* indesinenter Christum, qui est « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6), *in quo homines plenitudinem vitae religiosae inveniant,* in quo Deus omnia sibi reconciliavit.

10 — Pag. 6, lin. 40 - Pag. 7, lin. 4: Filios suos igitur hortatur, ut *cum prudentia et caritate* per colloquia et collaborationem cum asseclis aliarum religionum, *fidem et vitam christianam testantes,* illa bona spiritualia et moralia ... *agnoscant,* servent et promoveant.

NUM. 3 [35]

11 — Pag. 7, linn. 5-6: Ecclesia cum aestimatione quoque *Muslimos* respicit...

12 — Pag. 7, linn. 6-9: ... qui unicum Deum adorant, viventem et subsistentem, *misericordem et* omnipotentem, Creatorem caeli et terrae[5] (cf. S. Greg. VII, *Epist. XXI ad Anzir* (*Nacir*), *regem Mauritaniae,* PL. 148, col. 450 s.).

13 — Pag. 7, linn. 11-12: ... ad quem fides *islamica* libenter sese refert.

14 — Pag. 7, lin. 13: Iesum ... ut *p*rophetam tamen venerantur...

15 — Pag. 7, linn. 18-20: Exinde vitam moralem *aestimant et* Deum maxime in oratione, eleemosynis et ieiunio colunt. ( )

16 — Pag. 7, linn. 22-24: Quodsi in decurs*u* saeculorum inter Christianos et *Muslimos* non paucae dissensiones et inimicitiae exortae sint...

NUM. 4

17 — Pag. 7, linn. 32-33: ... quo populus Novi Testamenti cum stirpe Abraha*e spiritualiter* coniunctus est.

18 — Pag. 8, linn. 1-3: Quare nequit Ecclesia oblivisci se *per* popul*um* ill*um,* quocum Deus...

19 — Pag. 8, linn. 7-10: ... Christum, Pacem nostram, per crucem Iudaeos et Gentes reconciliasse et utraque *in Semetipso* fecisse unum. [36]

20 — Pag. 8, linn. 22-25: *Teste Sacra Scriptura, Ierusalem tempus visitationis suae non cognovit*[9] (cf. *Lc.* 19, 44), *atque* Iudaei magna parte Evangelium non acceperunt, *immo non pauci diffusionis eius se opposuerunt*[10] (cf. *Rom.* 11, 28).

21 — Pag. 8, linn. 26-28: *Nihilominus,* secundum Apostolum, *Iudaei* Deo, cuius dona et vocatio sine poenitentia sunt, adhuc carissimi manent propter patres[11] (cf. *Rom.* 11, 28-29; cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium, A.A.S.,* 57 [1965], n. 1, pag. 20).

22 — Pag. 8, lin. 38: Sententia in textu approbato quae sic legebatur: « Praeterea iniurias hominibus... deplorat et damnat », aliquibus emendationibus admissis, versus finem paragraphi nunc collocatur.

23 — Pag. 9, lin. 1: Sententia in textu approbato quae sic legebatur: « Ideo curent omnes... gignere possit », aliquibus emendationibus admissis, ad finem alineae nunc collocatur.

[36] 24 — Pag. 9, linn. 1-5: *Etsi auctoritates Iudaeorum cum suis asseclis mortem Christi urserunt*[13] (cf. *Io.* 19, 6), *tamen, ea* quae in passione Eius perpetrata sunt *nec omnibus indistinctim Iudaeis* tunc viventibus, *nec Iudaeis hodiernis* imputari possunt.

25 — Pag. 9, linn. 5-9: *Licet autem Ecclesia sit novus populus Dei, Iudaei tamen neque* ut *a Deo* reprobat*i neque ut* maledict*i* ( ) exhibea*n*tur *quasi hoc ex Sacris Litteris sequatur.*

26 — Pag. 9, linn. 9-12: Ideo curent omnes ne in catechesi et in Verbi Dei praedicatione *habenda* quidquam doceant, *quod cum veritate evangelica et spiritu Christi non congruat.*

27 — Pag. 9, linn. 13-19: Praeterea, *Ecclesia, quae omnes persecutiones in quosvis homines reprobat,* memor communis *cum Iudaeis* patrimonii, *nec rationibus politicis sed religiosa caritate evangelica impulsa,* odia, persecutiones, *antisemitismi manifestationes, quovis tempore et a quibusvis* in Iudaeos *habita,* deplorat ( ).

28 — Pag. 9, linn. 20-24: Ceterum Christ*us, uti* semper tenuit et tenet Ecclesia, propter peccata omnium voluntarie passionem suam et mortem immensa caritate obi*it, ut omnes salutem consequantur.*

[37] NUM. 5

29 — Pag. 9, linn. 31-34: Habitudo hominis ad Deum Patrem et habitudo hominis ad homines fratres *adeo* connectuntur, *ut Scriptura dicat*: « qui non diligit, non novit Deum » (*1 Io.* 4, 8).

30 — Pag. 9, linn. 40-41 - Pag. 10, linn. 1-3: *Ecclesia igitur quamvis* hominum discriminatione*m* aut vexatione*m* stirp*is vel* color*is,* condicion*is* vel religion*is causa factam tamquam a Christi mente alienam, reprobat. Proinde,* Christifideles ...

QUAESITA

I. *An placeat expensio facta a Secretariatu ad christianorum unitatem fovendam circa modos paragraphum primam respicientes ita ut loco textus approbati legatur* textus emendatus *eiusdem: « Nostra aetate, in qua genus humanum » (p. 5, lin. 1) usque ad « ex quo ortum sumimus et quo tendimus » (p. 5, lin. 30).*

II. *An placeat expensio facta circa modos paragraphum secundam respicientes ita ut loco textus approbati legatur* textus emendatus *eiusdem:*

« *Iam ab antiquo* usque ad tempus hodiernum » (*p. 5, lin. 32*) *usque ad* « *qui apud eos inveniuntur* agnoscant, *servent et promoveant* » (*p. 7, lin. 4*). [37]

III. *An placeat expensio facta circa modos paragraphum tertiam respicientes ita ut loco textus approbati legatur* textus emendatus *eiusdem:* « *Ecclesia cum aestimatione* » (*p. 7, lin. 5*) *usque ad* « *et libertatem communiter tueantur et promoveant* » (*p. 7, lin. 29*).

IV. *An placeat expensio facta circa modos primae partis paragraphi quartae respicientes* (*p. 7, lin. 24 - p. 8, lin. 38*) *ita ut loco textus approbati legatur* textus emendatus *eiusdem:* « *Mysterium Ecclesiae perscrutans* » (*p. 7, lin. 30*) *usque ad* « *fovere vult et commendare* » (*p. 8, lin. 38*).

V. *An placeat expensio modorum in paragrapho quarta facta ita ut ad p. 9, lin. 1 usque ad lin. 5 nunc legatur:* « Etsi auctoritates Iudaeorum cum suis asseclis mortem Christi urserunt[13], tamen ea *quae in passione Eius perpetrata sunt* nec omnibus indistinctim Iudaeis *tunc viventibus, nec* Iudaeis hodiernis *imputari possunt* ».

VI. *An placeat expensio modorum in paragrapho quarta facta ita ut ad p. 9, lin. 5 usque ad lin. 9, nunc legatur*: « Licet autem Ecclesia sit novus populus Dei, Iudaei tamen neque *ut* a Deo *reprobat*i neque ut *maledict*i *exhibeantur,* quasi hoc ex Sacris Litteris sequatur ». [38]

VII. *An placeat expensio modorum in paragrapho quarta facta ita ut ad p. 9, lin. 9 usque ad lin. 26 nunc legatur*: « *Ideo curent omnes ne in catechesi et in Verbi Dei praedicatione* habenda *quidquam doceant,* quod cum veritate evangelica et spiritu Christi non congruat. *Praeterea,* Ecclesia, quae omnes persecutiones in quosvis homines reprobat, *memor communis* cum Iudaeis *patrimonii,* nec rationibus politicis sed religiosa caritate evangelica impulsa, *odia, persecutiones,* antisemitismi manifestationes, quovis tempore et a quibusvis *in Iudaeos* habita, *deplorat. Ceterum Christ*us, uti *semper tenuit et tenet Ecclesia, propter peccata omnium hominum voluntarie passionem suam et mortem immensa caritate obii*t, ut omnes salutem consequantur. *Ecclesiae praedicantis ergo est annuntiare crucem Christi tamquam signum universalis Dei amoris et fontem omnis gratiae* ».

VIII. *An placeat expensio facta circa modos paragraphum quintam respicientes ita ut loco textus approbati legatur* textus emendatus *eiusdem*: « *Nequimus vero Deum omnium Patrem invocare* » (*p. 9, lin. 28*) *usque ad* « *ita ut vere sint filii Patris qui in caelis est* » (*p. 10, lin. 9*).

[38] QUAESITUM GENERALE

An placeat expensio facta a Secretariatu ad christianorum unitatem fovendam circa modos integrum schema Decreti de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas respicientes.

[5] EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

2 - RELATIO SUPER SCHEMA DECLARATIONIS « DE ECCLESIAE HABITUDINE AD RELIGIONES NON-CHRISTIANAS » *

Venerabiles Patres,

Nonnisi brevissime[1] quaedam animadvertere liceat ante votationem modorum qui relate ad schema Declarationis « De Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas » propositi sunt. Secretariatus ad Christianorum Unitatem fovendam grato animo omnes propositiones accepit et diligenter ac *sincere*[2] eas examinavit, sed, ut fere fieri assolet, alios quidem accipiendos alios autem non accipiendos iudicavit. Criterium autem in hoc examine perficiendo nullum aliud fuit, *quam*[3] ut schema quidem, quantum fieri possit, clarius et accuratius evaderet, *servato tamen fideliter quoad rem textus tenore* a Vobis anno elapso magna suffragiorum parte approbato ...[4]

In primis *tribus capitibus,* intentio Declarationis nobis clarius nunc expressa videtur. Finis Declarationis, enim, *ad id non tendit*[5] ut expositio completa religionum necnon divergentiae earum inter se et cum religione catholica proponantur. Potius, Sacra Synodus per hanc Declarationem vinculum inter homines et religiones tamquam fundamentum dialogi et cooperationis ostendere vult. Igitur magis attenditur ad ea quae homines *coniungunt* et ad mutuum consortium *ducunt.*[6] Procedendum est, sane, cum prudentia, sed etiam cum fiducia et caritate. Modi et observationes a vobis propositae nobis adiutorium magnum praestabant ut Declaratio, per quam Ecclesia Catholica dialogum fraternum cum magnis religionibus non christianis nunc primo proponit, huic fini magis correspondeat.

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 146, die 11 octobris 1965.

Caput quartum ...[7] maiorem attentionem postulavit tum propter pondus ...[8] quaestionis in eo tractatae tum propter multas et diversas observationes ...[9] hac in re *propositas*.[10] Hanc igitur methodum Secretariatus in hac materia tractanda sibi proposuit: Praeter accuratum examen modorum propositorum in diuturnis discussionibus peractum, etiam plura itinera suscipienda iudicavimus ad contactus habendos cum membris S. Hierarchiae catholicae et non catholicae variarum illarum Regionum, in quibus ob hoc schema anno elapso maiores ortae sunt difficultates. Qui omnes conatus eo maxime spectabant: 1) Ut praecaverentur, quantum fieri possit, minus rectae interpretationes doctrinae theologicae in schemate propositae. 2) Ut natura exclusive *religiosa* schematis clare exprimeretur, ita ut omni ope via ad quamcumque interpretationem politicam ...[11] praecluderetur. [5] [6]

1) Quantum ad hoc *ultimum* [12] punctum Secretariatus censuit in persecutionibus contra Iudaeos reprobandis huius reprobationis motiva clare exprimenda esse, insertis sequentibus verbis ...[13]: « Ecclesia non rationibus politicis sed religiosa caritate evangelica impulsa ... deplorat », et addita ...[14] simul reprobatione *cuiuscumque* persecutionis contra quosvis homines motae. Proinde textus nunc sic habet: « Praeterea Ecclesia, quae omnes persecutiones in quosvis homines reprobat, memor communis cum Iudaeis patrimonii, non rationibus politicis, sed religiosa caritate evangelica impulsa, odia, persecutiones, antisemitismi manifestationes, quovis tempore et a quibusvis in Iudaeos habita deplorat ». ...[15] Sperare liceat hoc *tandem* [16] modo *praeter* [17] iteratas declarationes, omnem decreti interpretationem politicam a quacumque demum parte oriundam definitive excludi vel saltem eius falsitatem clare demonstrari.

2) Quantum autem ad claritatem theologicam, hoc unum explicite memorare liceat, punctum scilicet difficillimum schematis respiciens quaestionem responsabilitatis Iudaeorum pro iis, quae in Passione Domini perpetrata sunt. Ut explicatio *mea* [18] clara evadat, primum lego novum textum, uti nunc a Secretariatu proponitur ...[19]: « Etsi auctoritates Iudaeorum cum suis asseclis mortem Christi urserunt (cf. *Io.* 19, 6), tamen ea quae in Passione Eius perpetrata sunt, nec omnibus indistinctim Iudaeis tunc viventibus, nec Iudaeis hodiernis imputari possunt. Licet autem Ecclesia sit novus populus Dei, Iudaei tamen neque ut a Deo reprobati neque ut maledicti exhibeantur, quasi hoc ex Sacris Litteris sequatur » ...[20]. Ex hoc textu clare apparet: 1) Schema veritatem evangelicam omnino servat et exponit. 2) Simul excludit iniustas affirmationes et accusationes indistinctim contra omnes Iudaeos tunc viventes ac contra Iudaeos nostri temporis prolatas, scilicet eos omnes damnationis Domini reos et ideo a Deo reprobatos et maledictos esse. 3) Concilium

[6] omnes hortatur, ut hac in re catechesis et praedicatio cum veritate evangelica et spiritu Christi congruant.

Ex comparatione huius textus cum textu a Vobis anno elapso approbato id etiam apparet, Secretariatum expressionem « *deicidii rea* » e textu expungendam proponere. Cur? Notum est, difficultates et controversias, ac si scilicet schema Evangelio contradicat, *de facto* maxime ex usu huius vocis ortas esse. Alia ex parte cuique textum nuper lectum et explicatum legenti patet, *rem* quam hac voce in priori textu exprimere intendebamus, accurate et complete exprimi. Scio equidem ab aliquibus huic voci magnum pondus psychologicum, quod dicitur, tribui. Dico tamen: si eadem vox in tot regionibus perperam intellegitur, eadem autem res aliis atque aptioribus verbis clarius exprimi valet, nonne prudentia pastoralis et caritas christiana prohibent, ne hac voce utamur, nonne exigit, ut rem aliis verbis explicemus? Dico hoc exigi ab eadem
[7] illa « religiosa caritate evangelica », qua impellente Ioannes XXIII ...[21] hanc Declarationem parari iussit, quaque inspirati vos ipsi illam anno elapso approbavistis. Secretariatus noster hanc emendationem magni esse momenti iudicat, ut Declaratio ipsa recte intellegatur et nonobstantibus difficultatibus varii generis ubique accipiatur. Proinde enixe rogo, ut hanc emendationem in luce pastoralis prudentiae et evangelicae caritatis considerare velitis.

* * *

...[22] Declaratio nostra in eadem illa missione cooperari intendit, ad quam exercendam ipse Summus Pontifex ...[23] in litteris encyclicis, in allocutionibus et in actibus suis se ...[24] dedicat. Est missio illa, de qua scriptum est ...[25]: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur » (*Mt.* 5, 9). Est missio ...[26], quam totum Principis Pacis opus intendebat, qui scilicet per crucem Iudaeos et gentes in semetipso condidit in unum novum hominem, faciens pacem, factus ita pax nostra ...[27] (cf. *Eph.* 2, 14-16). Hoc sui Capitis et Sponsi opus fideliter prosequens, Ecclesia hodie etiam attentius considerat, quo modo unitatem et concordiam inter homines et nationes fovere et promovere valeat. Faxit Deus, per intercessionem Beatae Virginis omniumque Sancti Concilii Patronorum, ut haec Declaratio Vestra opera et ...[28] voto efficax ad hanc missionem ...[29] exercendam evadat instrumentum.

In oratione: [1] Brevissime tantum. [2] complete. [3] nisi. [4] suffragiis scil. contrariis tantum 99 ex 1.996 praesentibus. [5] non est is. [6] conducunt. [7] de habitudine ad Hebraeos. [8] ipsius. [9] et difficultates. [10] habitas. [11] omnino. [12] deest. [13] (n. 4 pag. 9). [14] deinde. [15] Liceat hic quasi per transennam addere in

declaratione dici « deplorat », non « damnat », ut aliqui voluerunt. Ratio est quod, secundum terminologiam theologicam, etiam in hoc Concilio adhibitam, damnantur haereses et falsae doctrinae, non vero peccata et crimina, qualia sunt odia et persecutiones. Et propterea dicitur « deplorat ». [16] deest. [17] post praecedentes. [18] nostra. [19] (n. 4 pag. 9). [20] Sic textus. [21] sanctae memoriae. [22] Concludo. [23] gloriose regnans. [24] tantopere. [25] in Sacra Scriptura. [26] illa. [27] ut explicite dicit S. Paulus in epistola ad Ephesios. [28] vestro. [29] pacificam. [7]

Moderator: Gratias plurimas agimus em.mo card. relatori necnon universae commissioni.

Et nunc velit exc.mus D. secretarius generalis proponere primam suffragationem de hoc schemate *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas*.

Secretarius generalis: Videatis pag. 5. Suffragatio 395: schema declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas*. Videatis latus dexterum, ubi est textus emendatus [*cf. pag. 690-691*]. *Placet* an *non placet?*

PATRUM ORATIONES

(*De ministerio et vita presbyterorum*)

4

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. QUIROGA Y PALACIOS
Archiepiscopus Compostellanus

Venerabiles Patres,

Schema de sacerdotibus nostris, seu « de ministerio et vita presbyterorum » revera mihi valde placet. Non solum quia, postquam in hac aula « de pastorali episcoporum munere » egimus, peropportunum est ut agamus etiam de Ordine Presbyteratus, qui « adiutorium et organum » est nostri Ordinis Episcopalis et « providus cooperator » muneris nostri ...[1], sed etiam quia schema optime ordinatum apparet, pulchre diversa puncta tractat, harmonice ea evolvit. Gratias ex corde commissioni redactrici agimus.

Aliquas tamen considerationes humiliter afferam ut decretum maiorem vim et efficacitatem assequatur. Sit ergo prima consideratio haec.

Presbyteri tenentur ministerio et sanctitate vitae ex natura ipsa sui

presbyteratus Ordinis. Presbyteri enim arctiori vinculo et modo ac laici cum Christo sacerdote coniunguntur, scil. vi sacramenti recepti Ordinis. Nihil mirum, quod, ut legimus in schemate, « per presbyteros ordinaria lege praeoptat Deus sua mirabilia ostendere », et ita « ob suam intimam cum Christo unionem et vitae sanctimoniam » exemplum sint fidelibus.

Omnes tamen rationes et considerationes quae de presbyteris in schemate fiunt vel fieri possent relate ad sanctitatem, a fortiori de nobis episcopis valent: etenim nos signati sumus « plenitudine sacramenti Ordinis », « summum sacerdotium » habemus ...[2] Nos, ergo, primum exemplum sanctimoniae vitae esse in tota Ecclesia debemus, tum pro fidelibus, tum etiam maxime pro cooperatoribus nostri Ordinis, scil. presbyteris.

Videtur, ergo, congruere ut in schemate, saltem semel et tamquam primum principium nos ipsi, episcopi, summi sacerdotes, summo titulo sacramentali ad sanctitatem et exemplum teneri affirmemus. Hoc sine difficultate et extorsione textus, opportune fieri potest in initio secundae partis, sub n. 11.

Presbyteri optime accipient expressam manifestationem in schemate de potiori ratione obligante episcopos ad ea quae ab eis petimus.

Alia ex parte — et haec est secunda consideratio —, ex communione in eodem sacramento, etsi diverso gradu recepto, nos episcopi et presbyteri omnes participamus « unum idemque Christi sacerdotium et ministerium ». Communionem ergo habemus in eodem sacerdotio et ministerio et exinde communionem in eadem missione universali, etsi diverso gradu. Omnes Ordinem sacrum constituimus, Ordinem duos gradus habentem: gradum Ordinis episcopalis et gradum Ordinis presbyteralis, qui communione ordinationis et missionis, sacerdotii et ministerii coniunguntur. Episcopi et presbyteri igitur in intimam fraternitatem coalescimus tamquam fratres maiores et minores, ideoque in communione hierarchica.

Haec veritas in textu priore exarata erat in n. 6, cum dicebatur: « Presbyteri omnes unum sacerdotium et ministerium Christi cum episcopis et sub eorum ductu ... repraesentant » (pag. 21, linn. 10-12). In textu recognito ...[3] redactio ita correcta fuit ut iam non factum communionis inter episcopos et presbyteros exprimatur, sed tantum communio presbyterorum inter se, sic enim legitur: « Presbyteri omnes unum idemque sacerdotium et ministerium per episcopos ... participant ». En ratio huius retractationis quae affertur ...[4]: « Dicitur per episcopos ad indicandam causam instrumentalem, iuxta animadversionem unius Patris ».

Causa autem instrumentalis iam in prooemio sic innuitur: « Pre-

sbyteri ... sacra Ordinatione atque missione, quam *ab episcopis* recipiunt » etc. (pag. 11, linn. 5-6); et in n. 1 ...[5] ubi exprimitur: « Episcopi munus ministerii sui ... presbyteris legitime *tradiderunt* », et in n. 3 ...[6] cum scriptum legimus: « Presbyteri a Deo, *ministrante episcopo,* consecrantur et mittuntur ». Emendatio ergo necessaria non erat. Itaque restituendus est textus prior ut communio sacramentalis inter episcopos et presbyteros constet; et ad tenorem huius doctrinae totus n. 7 pulchrius apparet.

Tertia ex parte — et haec est ultima nostra consideratio —, haec communio inter episcopos et presbyteros est realis, attamen non plena, quia presbyteri vere quidem participant in eodem sacramento Ordinis et in uno eodemque sacerdotio et ministerio et missione Christi, at non plene. Unde haec communio, non bene in schemate expressa, est *communio hierarchica,* seu ex parte presbyterorum data et exercenda in adiutorium Ordinis episcopalis, ideoque sub eiusdem auctoritate. Unde si recte et adaequate haec communio hierarchica in initio exprimeretur, forsan nimia instantia, quae quamdam nostram veluti diffidentiam presbyterorum ostendit, dispareret; instantem commorationem, dico, in dependentia presbyterorum ab episcopis, quae in prooemio ...[7], in n. 1 ...[8], in n. 2 ...[9], in n. 3 ...[10], in n. 4 ...[11], in n. 6 ...[12], in n. 7 ...[13] et in n. 8 ...[14], hoc est tredecies exprimitur.

Conclusio ergo sit perpolitio redactionis secundum tria capita praedicta scil.:

1. Ratio specifica sanctitatis sacerdotalis, quae in sacramento radicatur, nobis episcopis primo et plene afficit, ideoque exprimatur.

2. Significetur etiam quod omnes, episcopi et presbyteri, coniungimur communione in uno eodemque sacramento, igitur in uno eodemque sacerdotio, ministerio et missione Christi, etsi diverso gradu, ideoque in communione hierarchica.

3. Corrigatur nimia instantia dependentiae presbyterorum ab episcopis, utpote non necessaria et quasi diffidentiam nostram erga fratres nostros minores sapiens.

In scriptis secretariae Concilii textus emendationum trado. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *de Ecclesia,* n. 28). [2] (cf. *de Ecclesia,* n. 21 b). [3] autem. [4] (pag. 54 ad A). [5] (linn. 17-18). [6] (linn. 23, pag. 15). [7] (lin. 6). [8] (linn. 17-18 et 23-24 pag. 12 et linn. 6-7 pag. 13). [9] (pag. 14, linn. 30-31). [10] (pag. 15, linn. 32-33). [11] (pag. 17, lin. 7 et pag. 19, lin. 5). [12] (pag. 21, linn. 14-15 et pag. 22, linn. 12 ss. et pag. 23, linn. 8-9). [13] (pag. 23, linn. 24-25). [14] (pag. 27, lin. 16).

Emendationes additae:

1. Exigentia et titulum sanctitatis, in sacramento fundatur. Sufficit ut n. 11 (pag. 30-31) ita corrigatur:

Pag. 30, lin. 38 ad pag. 31, lin. 5: dicitur « Quoniam vero presbyteri ratione Ordinis sacramentalis arctiore modo... ad sanctitatem assequendam peculiari titulo adstringuntur... », dicatur: « Quoniam vero sacerdotes ratione Ordinis sacramentalis, singuli in suo gradu recepto, arctiore modo... ad sanctitatem assequendam singuli proprio suo titulo sacramentali adstringuntur... ».

Pag. 31, lin. 10: « Presbyter pro populo Dei... », dicatur: « Sacerdos pro populo Dei... ».

Pag. 32, linn. 11 s.: « Quapropter haec Sacrosancta Synodus... hortatur... », dicatur: « Quamquam vero nos, summi sacerdotes summo titulo ad sanctitatem et maximum teneamur exemplum dilectissimis presbyteris praebendum, paterno simul ac fraterno desideramus affectu eis nobiscum in communione sacramentali coniunctis, ita corda nostra adaperire, ut haec Sacrosancta Synodus... hortetur omnes presbyteros... ».

2. De communione hierarchica. Quoad n. 6, pag. 21, linn. 9 s.: Dicitur « Presbyteri omnes unum idemque Christi sacerdotium et ministerium per episcopos et sub eorum auctoritate ita participant, ut ipsa unitas missionis requirat omnimodam eorum unitatem cum episcoporum Ordine, cuius cooperatores facti sunt. Propter hanc ergo in sacerdotio Christi participationem, episcopi presbyteros suos ut amicos considerent, eorumque bonum spirituale, immo et materiale, ipsis pro viribus cordi sint ». Dicatur: « Presbyteri omnes una cum episcopis unum idemque sacerdotium et ministerium Christi ita participant ut ipsa unitas missionis requirat hierarchicam eorum communionem cum episcoporum ordine cuius cooperatores facti sunt.

Episcopi igitur, in memoriam revocantes donum Spiritus Sancti quod presbyteris in ordinatione dederunt, illos habeant...

... Propter hanc ergo in eodem Christi sacerdotio communionem episcopi presbyteros ut fratres et amicos suos habeant, quam maxime diligendos, eorumque bonum spirituale et materiale ipsis pro viribus cordi sint ».

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis velit proponere alteram suffragationem.

Secretarius generalis: Videatis pag. 6, n. 2 [*cf. pag. 691-692*]. *Placet* an *non placet?*

5

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Loquar de secunda parte huius schematis et particulariter de eius obiecto principali, nempe: de sanctitate presbyterorum.

Multi hodie et peropportune optant varias formas sanctitatis uni-

cuique statui vitae accommodatas apte et clare distingui. Magis magisque conscii sumus de incommodis et periculis imprudenter proponendi alicui normas seu formas sanctitatis quae ei non pertinent. Laicos et religiosos non paucum adiuvamus in conatu eorum ad sanctitatem quando eis praebemus spiritualitatem vere consentaneam cum eorum reali et concreta vocatione. Simili modo, presbyteri spiritualitatis vere sacerdotalis necessitatem percipiunt et exoptant Concilium eis talis spiritualitatis principaliora lineamenta pertinenter docturum esse. Dolendum est autem quod schema his votis nonnisi imperfecte respondet.

Schema optime exprimit principium fundamentale quo regitur sanctitas presbyterorum et quo definitur spiritualitas quae sit eis propria. Etenim in art. 13 verba habentur quae totam quaestionem sanctitatis sacerdotalis perapte assumunt: verba nempe ubi sacerdotibus proponitur ut « quaerant in ipso caritatis pastoralis exercitio et vinculum perfectionis sacerdotalis et simul principium quod in unitatem redigit ipsorum vitam et actionem » ...[1]

Proh dolor! ab illo uberrimo principio debitae conclusiones non deducuntur nec textus propositus ab illo valde informatur. Etenim art. 11 ...[2], ubi incipit tractatio de sanctitate sacerdotis, potius diffidentiam erga vitam ministerialem exprimit. Art. 12, si multum instat in affirmando necessitatem sanctitatis, non tamen ostendit quomodo ministerii exercitium sanctitatem stimulat nec quomodo ministerium sacerdotale ipsam sanctitatem sacerdotis efficit. Tandem art. 14, loco quaerendi quaenam evangelicae virtutes peculiariter ligantur cum fideli ministerii exercitio, consilia evangelica proponit, sed secundum mentem qua in vita religiosa observantur.

Itaque mihi liceat quaedam proponere ut schema consentaneum sit cum principio generali super evocato.

1. Ab introductione secundae partis declaretur quod sanctitas sacerdotis est unio cum Christo, quae unio praecipue efficitur per ipsum exercitium ministerii pastoralis ...[3]. Incipiat ergo secunda pars non per monitionem de periculis externorum inceptuum (sicuti fit in art. 11), sed ostendendo quod ministeria, de quibus in prima parte agitur, sancta sunt, et dicendo quomodo unio presbyteri cum Christo, Bono Pastore, in illis peragendis exprimitur. Ideo caute vitetur in textu omnis sanctitatis sacerdotalis conceptio quae fundaretur super oppositionem inter vitam exteriorem et vitam interiorem. Sane opportunum immo necessarium est evocare difficultates quibus sacerdos exponitur cum opera pastoralia navat. Tamen exhibendum est etiam quomodo realitates vitae hominum, quibus sacerdos necessarie miscetur, eum propinquius cum

Deo admovere possunt et debent. Ipse enim Christus eiusque gratia inveniuntur in hominibus in quos sacerdos quotidie incidit.

2. Propono ut schema attente describat virtutes quae propriae sunt presbytero et hoc quidem ex ipsis exigentiis concretis vitae eius. Virtutes sacerdotis sunt illae boni pastoris qui quotidie dat vitam pro ovibus suis. Optarem ergo ut schema pertinenter loquatur de zelo, de sollicitudine pastorali relate ad salutem hominum, de magnanimitate in sese devovendo ad laborem pastoralem, de cura evangelizandi, de observantia et amore erga omnes et praesertim erga pauperes et peccatores, de inconcussa patientia et humilitate in homines audiendo, de disponibilitate, de perseverantia, in detrimentis et incommodis sustinendis.

3. Opportunum est sacerdotibus loqui de oboedientia, paupertate et castitate. Vitandum est autem virtutes illas hic proponere sicuti tria classica vota religiosorum, ac si, sicuti pro religiosis, vitam sacerdotalem describerent. V. g., presbyteris, oboedientia non est consilium evangelicum quod complectitur propter perfectionem, sed est officium quod ab ipso statu eorum imperatur. Simili modo, ostendere oporteret munus paupertatis in vita presbyterorum: presbyter enim pauperes evangelizare debet et, Regnum caelorum praedicans, testis esse debet praestantiae rerum supernarum. Necessarium est ergo ut in sua propria vita maximam libertatem erga bona huius mundi colat.

4. In n. 15 proponuntur oratio, lectio divina et devotio erga Sanctissimam Eucharistiam ut media ad vitam interiorem presbyteri fovendam. Melius et rectius res proponerentur si oratio et cultus eucharisticus ostenderentur ut pars praestantissima muneris presbyteri mediatoris inter Deum et homines. Simili modo, cognitio et meditatio Sacrae Scripturae pertinent primo ad ministerium ipsum praeconis Evangelii. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 34, linn. 18-20). [2] (pag. 31, lin. 10). [3] (Propono etiam ut transponantur in primo articulo secundae partis ea omnia quae in art. 13 habentur a lin. 5 pag. 34).

Animadversiones additae:

Art. 12, pag. 33, lin. 9. Propono ut deleantur verba: « etiam non praesente populo ». *Rationes* sunt sequentes:

1. Illa verba contradicunt spiritui art. 27 constitutionis *de sacra Liturgia,* ubi expresse petitur ut *inculcetur* celebrationem *cum frequentia* et actuosa participatione fidelium *esse praeferendam* celebrationi eorumdem singulari et quasi privatae. Verbis autem nostri schematis sacerdotes nedum incitentur ad celebrationem cum frequentia fidelium praeferendam, potius ad incuriam erga talem celebrationem provocantur. Quod motui liturgico valde nocebit.

2. Schema nostrum, quod tam pauca dicit de celebratione missae deque eius

momento in vita ministeriali sacerdotum, non est locus agitandi illam particularem quaestionem de natura publica et sociali cuiusvis missae. Cum documenta ecclesiastica sicuti constitutio *de sacra Liturgia* et Litterae Encyclicae *Mysterium Fidei* de illa quaestione tractant, problema exponunt omnibus cum necessariis distinctionibus. Schema nostrum est documentum generale quod illas distinctiones facere nequit quodque propterea de illa particulari quaestione tacere debet.

Art. 14, pag. 38, lin. 4. Relate ad paupertatem colendam, sacerdotibus opportune commendatur ut « ab omni specie vanitatis fugiant ». Hoc autem nimis breve et generale apparet, si textus aliquid vere utile dicere intendit. Ut illa monitio magis elaboretur, proponerem ut introducatur sententia quae in praevio textu iam apparebat: « Christianam austeritatem sacerdos ita colat, ut vere pauper spiritu appareat, atque ab omni specie vanitatis, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis, maxime abhorreat non tantum ad propriam sanctificationem, sed etiam ad pauperes aptius evangelizandos ». Haec quaestio vestium et titulorum *in se* est valde indifferens. Tamen non existit in se sed relate ad significationem quam habet pro fidelibus et pro clericis. Quando ipse Summus Pontifex multos apparatus derelinquat non videtur quae sit obiectio cur de illa quaestione non explicite in textu loquamur. Quin etiam, in sua Encyclica *Ecclesiam Suam,* Romanus Pontifex aperte episcopis petiit ut exponant « quomodo *Pastores* et fideles eloquium suum vitaeque institutum ad paupertatis praeceptum conforment » (*A.A.S.,* 1964, p. 634). Schema quod de vita sacerdotum tractat occasionem valde idoneam praebet ut episcopi voto Summi Pontificis respondeant.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis proponit ulteriorem suffragationem.

Secretarius generalis: Pag. 7, videatis n. 3. Suffragatio 397 [*cf. pag. 692-693*]. *Placet* an *non placet?*

6

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Venerabiles Patres,

Talis schema intendit feliciter respondere ad exspectationem sacerdotum et revera se manifestat ut incitamentum conciliare bene adaptatum ad sustinendum verum et bonum zelum presbyterorum.

Sed videtur, sicut ipsa prima vox tituli insinuat, considerare potius presbyteri ministerium quam vitam, profundam et essentialem. Prooemium hoc fatetur. Sacerdotium in isto schemate conspicitur praesertim in exercitio apostolatus quod est bonum et necessarium, sed non sufficiens, etsi, iusta de causa, schema sese refert ad constitutionem dogmaticam *de Ecclesia.*

Timeo quod sacerdotes a spe legitima destituerentur si, in textu conciliari qui eos specialiter conspicit, non inveniant notionem intimam quae cor eorum commovet. Prima responsio ad vocationem sacerdotalem iacet in maiori amore erga Christum, ut ceterum schema exprimit pag. 36 in lin. 5.

Sed cur in eadem paragrapho, lin. 15, dicitur quod missio sacerdotis *integra* dedicatur servitio novae humanitatis? Sane ad salvationem hominum, a Christo et per Christum, presbyteri sese dedicantur, sed ista missio non potest integram essentiam eorum sacerdotii continere. Sacerdos non debet considerari ut christianus qui simpliciter habet ministerium speciale, nempe facultates ad adimplendum apostolatum pleniorem quam apostolatum laicorum. In conceptu catholico, sacerdotium non consistit tantummodo in exercitio functionum ad animas.

Primordialis functio presbyterorum, quae valorem atque inspirationem eorum zelo ac ministerio praebet, sedet in consecratione sacerdotis ad cultum exteriorem et interiorem erga Deum. *Nam* [1] Filius Dei, cuius presbyter vult actionem prorogare, semper sese ostendit ut cultor Patris in amore, *adoratione* [2] et reparatione. Ex amore Christi erga suum Patrem devenit suus amor salvificans animarum atque hominum.

Certo certius textus noster proponit istam doctrinam, occasione Sacramenti altaris in n. 13, pag. 34. Sed, humillimo meo sensu, potius esset anteponere in principio schematis tale fundamentum, ut ista donatio in amore personali erga Christum exactius imperet totam vitam et ministerium presbyterorum. Tunc eorum negligentiae vel, proh dolor! eorum defectiones minus metuendae sunt. Necessitas orationis atque exercitiorum spiritualitatis melius appareret in eorum mente, ad fovendum primo et constanter tale commercium cum Domino. Sic sacerdotium non potest faciliter in quaestionem cum angore revenire in animo presbyterorum. Nonnisi est aliud quam servare fidem erga Ipsum Deum qui primus sponsionem contraxit cum sacerdote, ab Illo vocatum, et qui exinde, fideliter in quibuscumque circumstantiis dabit gratias opportunas, iam aliunde in sacramento Ordinis infusas, pro ipsa sanctificatione sacerdotis. Praestantia istius characteris sacramentalis non obliviscatur, quia sigillat in intimo cordis presbyterorum nexum amoris inter Deum et sacerdotem et veram consecrationem specialem in anima sacerdotis efficit, sicut in baptismate et in confirmatione character sacramentalis deponit in profundo animae christianae aliquid sacri, sub actione Spiritus Sancti.

Itaque melius videtur in pag. 22, lin. 19, non solum fundare oboedientiam presbyteri erga episcopum in participatione episcopalis mini-

sterii, sed etiam super relationem filialem sacerdotis, trans episcopum, ad Deum Patrem et ad Christum Fratrem.

Insuper, minorem observationem affero circa unum punctum tantummodo. Agitur in pag. 20 de institutione studiorum, congressuum vel centrorum pastoralium ut presbyteri facilius comparent subsidia opportuna ad eorum scientiam theologicam ac pastoralem. Mihi videtur necessarium esse in textu conciliari accurate declarare quod semper istae activitates, vere opportunae, debent evolvere sub auctoritate et vigilantia episcopi. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

Animadversiones additae:

Circa hoc schema opportune atque accurate recognitam, duas observationes humiliter propono.

1. Forsan necesse est clare enuntiare in ultima paragrapho n. 14, quod oboedientia sacerdotum sic bene hortata, est erga ipsos episcopos et suos Ordinarios, qui non etiam nominantur in textu.

2. Quoad n. 16, in ultima paragrapho, dolendum est ut modo tam aequivoco statuitur de beneficiis et officiis. Potius esset dicere beneficia detrahenda et, si non est possibile, aperte declarare quod episcopi possunt, ob iustas causas, parochos mutare cum recursu manente ad archiepiscopum, vel alium archiepiscopum pro metropolitanis. Dum remanebit plus minusve actualis conditio, non vera et facilis renovatio cleri.

Secretarius generalis: Suffragatio 398. Pag. 7 ad pag. 8, lin. 38, n. 4 [*cf. pag. 693-694*]. *Placet* an *non placet?*

7

Em.mus P. D. IOANNES card. COLOMBO
Archiepiscopus Mediolanensis

Patres Venerabiles,

Praesens schema ...[1] laudabiliter superat redactiones quae praecesserunt et in suo complexu substantialiter *valde*[2] placet. Attamen aliqua retractatio et expolitio illud ulterius perficere et complere potest.

Omittens adnotationes singulas, quas ad meliorem redactionem obtinendam secretariatui scripto tradam, tres nunc animadversiones propono, scil. relate ad ministerium, relate ad vitam sacerdotalem, et circa punctum particulare, nempe de Sacramento Poenitentiae administrando.

1. Quod attinet *ad ministerium presbyterorum* haec sunt notanda:

a) In primis ministerium sacerdotum sub adspectu theologico fecundius esset, si *adhuc*[3] clarius et strictius connectetur cum mysterio Ecclesiae, et solummodo mediante Ecclesia coniungatur sacerdotio Christi Domini. Christus enim instituens Ecclesiam, quae sit Mater et veluti Sacramentum, sicut affirmatur in constitutione *Lumen Gentium,* illam voluit mediatricem primam totius sui sacerdotalis operis salutis.

b) Insuper velim ut adhuc clarius affirmetur ministerium pastorale presbyterorum non tantum oriri ex missione canonica, sed connecti cum sacramentali plenitudine ipsius sacerdotii episcoporum, a quo sacerdotium presbyterorum promanat et cum quo manet coniunctum in suo exercitio. Hoc modo vim et evidentiam acquireret vinculum illud quo presbyteri nectuntur cum episcopo et inter se, ad efformandum quod vocant « presbyterium ».

c) Demum, si schema in lucem poneret quod ea omnia quae dicuntur circa ligamen inter Christum, episcopum et presbyterium, in clero dioecesano inveniantur ratione magis immediata et modo evidentiore, procul dubio haec doctrina solacium et robur infunderet sacerdotibus nostris dioecesanis, qui saepe durum pondus portant laboris et solitudinis exterioris.

2. Quod attinet *ad vitam sacerdotalem,* schema meo submisso iudicio, diligenter expungere deberet omnem locutionem vel significationem quae excludere videatur doctrinam illam secundum quam sacerdotium hierarchicum ex seipso perfectionem exigit et reapse in statum quemdam perfectionis collocat, quatenus sacerdos vi consecrationis et missionis per totam vitam adstringitur una cum suo episcopo in exercitio caritatis pastoralis. Ita saltem non praeiudicaretur quaestio legitime adhuc aperta.

3. Tertiam animadversionem expono quae attinet *ad sacramentum poenitentiae* ministrandum, et, meo iudicio, magnum momentum habet pro praxi pastorali.

Nuntium programmaticum Christi Domini: « Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum » ...[4], semper valet pro omni anima christiana in qualibet condicione. « Metànoia » — ut *poenitentia*[5] vocatur in Evangelio — iugiter urget christianum in hac vita peregrinantem, sollicitatum semper concupiscentia interna et mundi fascinatione, semper fragilem et indigentem remissione ac venia. Animarum pastor, quippe qui sit magister et paedagogus, prae oculis habeat oportet spiritum et praxim poenitentiae esse elementa essentialia et necessaria genuinae vitae christianae; ideo fideles adducere debet ad sacramentum

poenitentiae scienter et frequenter suscipiendum. Etenim secundum doctrinam catholicam habitus et actus poenitentiales inseri debent in contextum sacramentalem ope sacramenti confessionis, quae est « poenitentia secunda » post baptismum. In hoc sacramento christianus poenitens ...[6] unitur cum actibus Christi peccata damnantis et tollentis per passionem et crucem suam, et ita ingreditur in mysterium paschale Christi.

Sacerdotes igitur et fideles magis ac magis illuminati sint oportet et conscii sacramentum poenitentiae non habere solummodo adspectum negativum remittendi peccata, sed etiam positivum conformationis cum Christo pro peccatis patiente et peccata expiante.

Propterea propono ut illis paucis lineis quas schema nimis breviter dedicat sacramento poenitentiae ministrando ...[7], adiungantur aliqua verba:

a) quibus huius sacramenti ostendatur momentum ad efformandas conscientias christianas. Et hoc praesertim consideratis peculiaribus circumstantiis nostri temporis: viventes in mundo hedonismi et naturalismi spiritu permeato, fideles sensum peccati cum difficultate concipiunt et indigent opere individualis educationis et continuae emendationis idearum. Atqui confessio sacramentalis sive propter gratiam sacramenti, sive propter opportunitatem personalis directionis, est medium inter omnia excellens ad resistendum spiritui mundano et ad fovendos actus et spiritum christianae poenitentiae.

b) Item, aliquibus verbis adiectis, sacerdotibus animus addatur, ut patienter, et sapienter, et corde magnanimo huic ministerio se devoveant. Hodie enim magis quam antea sacerdotes, *adlecti activitate exteriori, dediti ad multiplicem laborem « organizativum »*,[8] implicati — et quidem laudabiliter — in apostolatu moderno, quem dicunt « specializatum », interdum tentationem experiuntur postponendi hoc absconditum ministerium, et putant, fortasse, se huiusmodi desertionem aliqua nova theoria posse iustificare. Demum necessitas illis inculcetur provocandi et excitandi actus personales poenitentiae, ne tanti sacramenti praxis mechanica quadam consuetudine arefiat, sed prudenti frequentia efficacior in dies evadat.

Ad hunc finem, sicut pro punctis quae praecedunt, animadversiones scriptas secretariatui tradam. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] de ministerio et vita presbyterorum. [2] deest. [3] deest. [4] (*Mt.* 4, 17). [5] deest. [6] (se Deo reconcilians mediante Ecclesia). [7] (n. 3, pag. 16, linn. 13-17). [8] distracti activitate exteriori, a multiplici labore « organisativo » allecti.

Animadversiones additae:

A - *Ad redactionem perficiendam.* Art. 1, pag. 13, linn. 2-4: Textus potest male intelligi quasi si sacerdotium presbyterorum, qua tale, fundetur in sacramentis initiationis. Saltem tollatur expressio « peculiari initiatione sacerdotali », ne sacramentum Ordinis confundatur cum sacramentis initiationis. Aut loco « initiatione » dicatur « consecratione ».

Art. 3, pag. 16, linn. 35-36: Ita textus reficiatur: « domus orationis, in qua sanctissima Eucharistia celebratur et servatur, alia sacramenta plerumque administrantur, fidelesque congregantur... ». Articulus enim omnibus sacramentis administrandis dedicatur, et tamen non de omnibus fit sermo; saltem his verbis introductis lacuna compleatur.

Art. 4, pag. 19, linn. 5-7: Ita compleatur: « ... sed ut missos ab episcopo, quocum coniuncti profitentur se munus Christi capitis et pastoris agere et Eucharisticam synaxim celebrare ». Etenim in hoc articulo non agitur de Eucharistia, sed de munere proprie pastorali.

Art. 6, pag. 21, linn. 39-40: Auferantur verba « aptiore quam nunc viget modo », quae superfluum iudicium exprimunt. Non decet enim Concilium referri ad factum contingens, cum decretum conciliare natura sua etiam futuram aetatem respiciat, quando talem « nunc » non iam valebit.

Art. 10, pag. 29, linn. 40-41: Compleatur: « sive pueros, sive iuvenes, sive adultiores ». Ne auferatur mentio puerorum schematis praecedentis, quia iam in pueris semina quaedam divinae vocationis inveniuntur!

Art. 14, pag. 36, linn. 22-23: Loco « ... Christi, qui in Ecclesia genus humanum arcano connubio sibi coniunxit », dicatur: « qui Ecclesiam arcano connubio... ». Unio sponsalis Christi, secundum revelationem Scripturae, est cum Ecclesia, non autem cum toto genere humano.

Art. 14, pag. 38, linn. 4-7: Curnam solummodo paupertas domus memoratur et non etiam de aliis moribus vitae sermo fit?

Art. 16, pag. 40, linn. 4-9: Quaedam videntur nimis particularia et minime necessaria, immo praetextum praestare posse reclamationibus. Scribatur simpliciter: « ... ita quidem ut remuneratio, ab unoquoque percipienda, eorum condicioni sit congrua... ».

B - *Relate ad n. 1 orationis in aula prolatae.* Animadversiones quoad doctrinam theologicam de ministerio presbyterali, iuxta constitutionem *Lumen Gentium.*

a) Ad suggerendum ministerium sacerdotale coniunctum esse cum ministerio fundamentali Ecclesiae, ita reformetur et compleatur initium art. 1:

Art. 1, pag. 12, linn. 6-12: « Christus Dominus ad populum Dei pascendum semperque augendum, Ecclesiam instituit veluti sacramentum seu signum et instrumentum suae actionis salutiferae in omni tempore et loco, et in Ecclesia ministros posuit sacra potestate pollentes, qui, virtutem perennis sui sacerdotii peculiari modo exercendo, propriamque suam actionem salvificam manifestam reddendo, omnibus hominibus et fratribus suis inservirent.

b) Ad nectendum strictius sacerdotium presbyterale cum sacerdotio episcopi haec animadvertantur:

1. Prooemium pag. 11, linn. 5-6: dicatur: « Presbyteri enim sacra ordinatione atque missione, quas ab episcopis... ». Substituendo « quas » loco « quam », nectitur

cum episcopis non tantum missio, sed etiam ordinatio. Quod conforme est doctrinae aliis locis huius schematis expressae, scil. Art. 3, pag. 15, linn. 23-24, 32-36; Art. 6, pag. 21, lin. 12; item Art. 6, pag. 22, linn. 19-22: « per sacramentum ordinis et missione canonica ».

2. Art. 1, pag. 13, lin. 6: Propter easdem rationes: loco « missionis episcopalis » dicatur « muneris episcopalis » aut « missionis et consecrationis ».

3. Art. 4, pag. 18, lin. 3: dicatur: « Quibus adsunt, ut cooperatores ordinis episcoporum, presbyteri... ». Quod ita inseritur melius effert dependentiam ab episcopo etiam in ministerio gubernandi.

4. Art. 6, pag. 22, lin. 41 usque ad pag. 23, lin. 8: Ita reficiatur, ut universalis aptitudo ministerii presbyterorum ad praetergrediendos limites paroeciae vel dioeceseos exprimatur maiori connexione cum doctrina de collegialitate episcoporum.

c) Quaedam introducantur de sacerdotio dioecesano. Ad hoc: In fine Art. 1, pag. 14, lin. 18: haec fere adiciantur: « Omnia quae hucusque dicta sunt de nexu inter Christum, episcopum et presbyterum, magis elucent et peculiariter actuantur in clero dioecesano, quippe qui incardinatione sua arctius coniungatur cum episcopo suo, et ita acquirat et ipse stabilitatem loci et gregis. Et intra presbyteros dioecesanos praefulget parochus, quippe cui episcopus modo stabili, subordinato quidem sed plene, commendet portionem gregis intra determinatos fines ».

C - *Relate ad n. 2 orationis in aula prolatae.* Animadversiones quoad sanctitatem sacerdotum, ne via claudatur quaestioni de statu perfectionis sacerdotii hierarchici.

Art. 7, pag. 25, linn. 3-9: Mentio associationum ad sanctitatem sacerdotum fovendam ita reformetur, ut quaestio de statu perfectionis sacerdotii ne praeiudicetur in sensum negationis. Ad hoc in linn. 6-7, loco « sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent » dicatur: « sanctitatem presbyteris dioecesanis propriam in exercitio... ». Etenim, meo iudicio, scopus qui potest legitimitatem tribuere adsociationibus ad sanctitatem et institutis saecularibus pro clero dioecesano, in eo consistit ut adiuvent sacerdotes dioecesanos ad integram et plenam perfectionem assequendam illorum proprio statui congruam, et non aliam, diversam et adscititiam.

Art. 11, pag. 30-31: Totus articulus reficiatur iuxta ordinem qui sequitur:

1. Obligatio sanctitatis adfirmatur in Sacra Scriptura (ut in initio articuli usque ad lin. 9, pag. 31).

2. Exigentia sanctitatis promanat ex participatione sacramentali et ontologica sacerdotii Christi et mysterii Ecclesiae. Haec doctrina deest in schemate et introducenda est ex novo.

3. Sanctitas exigitur insuper ab actibus ministerialibus sacerdotii et ab obligatione sanctificandi alios. Hoc quidem dicitur a lin. 10, pag. 31, sed totum est reficiendum, ita ut clare pateat quod sanctitas specialis ad quam vocatur presbyter, consistit in caritate pastorali, scilicet in participatione amoris Dei, Christi et Ecclesiae quatenus ad salutem animarum intendit. Haec sanctitas igitur actuatur per actiones pastorales, sive quae ad cultum Dei spectant, sive quae ad curam animarum.

D - *Relate ad n. 3 orationis in aula prolatae. Quoad sacramentum Poenitentiae*:

Art. 3, pag. 16, lin. 17, post verba « eique fidelius serviant » inserantur quae sequuntur: « Etenim bonum nuntium Christi "Poenitentiam agite, appropinquavit

enim regnum caelorum" (*Mt.* 4, 17) viget omni tempore pro unoquoque christiano; proinde semper et pro omnibus viget necessitas sacramenti poenitentiae, in quo ad actum reducitur "metanoia" evangelica. In hoc sacramento christianus poenitens, se Deo reconcilians mediante Ecclesia, coniungitur actibus Christi peccata damnantis et tollentis per passionem et crucem suam, et ita ingreditur in ipsius Christi paschale mysterium.

Insuper hisce temporibus fideles, viventes in mundo hedonismi et naturalismi spiritu permeato, indigere videntur particulari et continua educatione ad sensum peccati et compunctionis concipiendum, quod assequentur ope sacramenti confessionis scienter et prudenti frequentia recepti, in quo ad gratiam propriam sacramentalem accedit etiam personalis directionis opportunitas. Quapropter presbyteri, fugientes tentationem postponendi formis activitatis exterioribus hoc absconditum sed perenne et necessarium ministerium, patienter, sapienter et corde magnanimo sacramento Poenitentiae ministrando se devoveant ».

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis communicat exitum suffragationum posteriorum super schema *de educatione christiana* et proponit ultimam, super thema eiusdem, suffragationem, nempe de integro textu.

Secretarius generalis:

Suffragatio 391:

Patres praesentes votantes	2.187
Dixerunt *placet*	2.068
non placet	116
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	2

Suffragatio 392:

Patres praesentes votantes	2.180
Dixerunt *placet*	2.043
non placet	132
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	4

Suffragatio 393:

Patres praesentes votantes	2.184
Dixerunt *placet*	2.095
non placet	87
placet iuxta modum	1
Suffragium nullum	1

Suffragatio 394 et ultima:

Patres praesentes votantes	2.181
Dixerunt *placet*	2.079
non placet	100
placet iuxta modum	1
Suffragium nullum	1

Ergo, cum omnes modi approbati sint a congregatione generali, iussu moderatoris em.mi proceditur ad suffragandum totum textum, cuius lego tantum initium et finem uti moris est, at totus textus pro lecto habeatur, ita ut totus suffragio supponatur: [*cf. pag. 227*].

Schema declarationis *de educatione christiana*: « Gravissimum educationis momentum in vita hominis eiusque influxum semper maiorem in socialem huius aetatis progressum Sancta Oecumenica Synodus attente perpendit. Re quidem vera iuvenum educatio, immo adultorum quoque continua quaedam institutio, cum facilior tum urgentior redditur temporis nostri adiunctis. Homines enim propriae dignitatis et officii plenius conscii, vitam socialem ac praesertim oeconomicam et politicam actuosius in dies participare praeoptant; mirabiles artis technicae et inquisitionis scientificae progressus, nova communicationis socialis subsidia opportunitatem praebent hominibus, maiore interdum temporis spatio ab occupationibus liberi fruentibus, facilius ad patrimonium mentis animique culturae accedendi atque arctiore tum coetuum tum ipsorum populorum necessitudine mutuo se complendi ». Et reliqua.

Sed, Patres, videatis in pag. 13, lin. 28. Commissio mihi communicat esse ibidem errorem typographicum, nempe non legendum est uti prostat « parentibus vero *christianis* officium memorat ... », sed: « parentibus vero *catholicis* officium memorat liberos suos concredendi, quando et ubi possunt, scholis catholicis, eas pro viribus sustinendi et cum eis in bonum filiorum suorum collaborandi ». Itaque suffragatio danda est iuxta hanc correctam lectionem: « parentibus vero *catholicis* ».

Usque in finem, pag. 17, ubi dicitur: « Eadem Sacra Synodus ... ». Haec, Patres, est suffragatio 399: *placet* an *non placet* hic textus? Haec est ultima suffragatio in congregatione generali huius textus *de educatione christiana. Placet* an *non placet?*

8

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Venerabiles Patres,

1. Schema Concilio propositum *de ministerio et vita presbyterorum* ...[1] valde placet quoad omnia puncta ibi tractata. Conveniens tamen *videretur* [2] aliqua ...

Secretarius generalis: Sinas, Pater, ut aliquid moneam! Habebuntur adhuc duae suffragationes circa schema *de habitudine* ... » *etc.* Gratias.

Orator: Dico quod conveniens *videretur* [2] aliqua re-ordinatio numerorum quibus componitur, eo fine ut interior architectura logica tractationis splendidior appareret. Non tamen in his immorabor, sed veniam ad quaedam puncta actualis vitae sacerdotalis quae in schemate *meo iudicio desiderantur.*[3]

Labor humanus sacerdotum.[4] Dato problemate actuali valde noto de labore manuali presbyterorum, necessarium videtur quod Concilium de hac re suam mentem aperiat. Opportunum ergo videtur novum numerum in schemate adiungere, qui hoc fere modo concipi posset:

Labor manualis, non aliter ac scientificus et culturalis, non tantum sacerdoti Christi apostolo licitus est, sed et per se eum valde decet; quemadmodum exemplum et doctrina ...[5] apostoli Pauli luculenter commonstrant et docent ...[6]

Praxis vero huius laboris manualis, sicut et *scientifici* [7] et culturalis, ad proportionem muneris apostolici sacerdotalis secundum temporum et regionum adiuncta conformanda erit, dummodo et tenor vitae characterem sacerdotalem manifeste conservet, et aliis necessariis et directe sacerdotalibus activitatibus ...[8] nullatenus noceat, immo et positive faveat ...[9]

Iudicio, igitur, prudenti Ordinariorum committendum erit an et qua proportione ac mensura manualem laborem, sicut et scientificum et culturalem, concreto presbytero post sacerdotalem ordinationem adeptumque ministerium permittant vel assignent ...[10]

2. *Zelus sacerdotalis.*[11] Desideratur etiam in schemate aliqua declaratio de zelo sacerdotali. Haeresia enim actionis in hodierno presbytero, potius quam in nimia activitate pastorali authentica, timenda videtur in nota naturalistica et inordinata illius qualiscumque activitatis quam exercet. Haec nota patet tum ex perspicua vitae orationis negligentia,

tum ex satisfactionibus in saecularium relaxatione habitualiter quaesitis, tum ex desidia, passivitate, displicentia ac pigritia in ipso ministerio sacro sacerdotaliter et unitive cum Deo exercendo, tum tandem ex substitutione mediorum apostolatus per alia quae ad divagationem et relaxationem corporis spectant ...[12]. Novus igitur numerus in schemate inserendus videtur, qui de hoc presbyterorum zelo agat. *Textum secretariae Concilii trado.*[13]

3. *Stylus seu figura vitae sacerdotalis.*[14] Sicut civitas super montem posita, sacerdos coram omnibus fidelibus cum ingenti pastorali repercussione prostat. Curare proinde debet sic vitam suam moresque componere, ut non vituperetur ministerium suum, sed et ea sanctitate praeluceat, quae suam personam sacram ...[15] decet, utpote qui simul sacerdos et victima est. Ipse enim est quasi praesentia visibilis ...[16] Boni Pastoris in mundo. Opportunum ergo videtur ut etiam de hoc novus numerus schemati adiungatur, in quo imago sacerdotis secundum Concilium Vaticanum II proponatur, sicut et Concilium Tridentinum imaginem sacerdotis illius temporis sapientissime expresserat. *Etiam de hoc puncto ad commissionem textum remitto.*[17]

4. *Sensus pastoralis mortis sacerdotis.*[18] Tandem in schemate desideratur numerus qui de valore sacerdotali ac pastorali mortis presbyteri agat. ...[19] Omnes memoria tenemus salutarem influxum quem in totum mundum exercuit momentum illum supremum vitae Ioannis XXIII, sanctae recordationis. Sequentibus ergo conceptibus brevis quidam numerus confici posset:

Sicut Christus per mortem suam sacerdotium suum consummavit, sic etiam sacerdos moriens, morti Christi associatus, proprio sacerdotio ac proprio pastorali officio coronam imponit. Sicut enim tota vita sacerdotis praeclarum praebet aedificationis momentum, sic maxime eius mors supremum sit oportet huius aedificationis instrumentum, dum, ad imitationem Christi morientis, testamento suo exemplariter confecto, et venia pro inimicis concessa, Sacramenta infirmorum tempestive ac solemniter suscipit ac sese in manus Patris *commendat.*[20] Curandum igitur est ut Sacerdotis mors, fide et spe plena, ac caritate erga Christum bonaque caelestia effulgens, illa quasi sacramentali efficacia ornetur quae fideles Christi aedificet, eorum cor ad superna erigens, in spem vivam ac amorem vitae caelestis, quam nobis Christus per passionem et resurrectionem suam patefecit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in genere. [2] videtur. [3] desiderantur et quae in eo includenda videntur. [4] 2. [5] Christi eiusque. [6] Di-

gnitas enim laboris manualis ad contentum christianae revelationis pertinet; non enim tantum verbis, sed et factis Christus revelationem suam patefecit. [7] scientificus. [8] ministerii Verbi Dei. [9] Christus enim post incoeptam publicam praedicationem evangelicam a labore manuum abstinuit, ac proprios apostolos durante sua vita publica propter necessitatem Evangelii, ab eodem manuali labore excepit. Apostoli quoque, ut orationi et ministerio Verbi instantes essent, diaconos constituerunt (*Act.* 6, 4). Paulus tandem manibus suis laborabat Corinthi, quia in illius Ecclesiae adiunctis, ex altare se vivere non posse existimabat, quin tamen ideo suam christianam et apostolicam missionem celaret (2 *Cor.* 12). [10] Pastores tandem ipsi, secundum temporum locorumque adiuncta, pro providentia sua provideant ut seminaristae sufficientem talis laboris cognitionem et experientiam sibi acquirant. [11] 3. [12] (v. g. deambulationes, musica etc.). [13] quique sequenti modo exprimi posset: « Concilium sacerdotes hortatur ad illam ardentem caritatem, qua ad imitationem Cordis Christi, zelo domus Patris consumpti, omni requie et utilitate egoistica posthabita, pro animabus sibi concreditis libenter impendantur et superimpendantur. Ministerium enim sacerdotale non debet derivare in quandam functionem administrativam professionis, iuxta quam sacerdos, post determinatas aliquas horas in pastorali suo officio consumptas, reliquo diei tempore ad succedanea apostolatus media recurrens, vel ad saecularium habitudines moresque divertens non iam amplius se sacerdotem profitetur. Verus ergo Pastor, cibo voluntatis Patris in ipso ministerio nutritus, inflammatus zelo prudenti et illuminato qui non ad inordinatam quandam et pure organizativam activitatem reducatur, constanter et quotidie pro animarum servitio in oratione et apostolatu consumitur, semper in ministerio suo unitus Christo sicut Christus Patri. Bonus enim Pastor animam suam quotidie ponit pro ovibus suis, earum spirituale bonum quaerens. [14] 4. [15] et religiosam. [16] Cordis. [17] Quae quidem imago his verbis fere notis exprimi valeret: « Oportet ut sacerdos, impollutus, segregatus a peccatoribus (*Hebr.* 7, 26) procul ab omni vitae duplicitate (cf. 2 *Cor.* 11, 3; *Eph.* 6, 5) limpiditate summa in Domino (cf. 2 *Cor.* 1, 12), sacerdos in aeternum ac semper sacerdos, in spiritu et veritate Christo vivens (cf. *Io.* 4, 24; 2 *Cor.* 5, 15), placeat Deo (cf. *Eccli.* 44, 16), ita ut in tempore iracundiae fiat reconciliatio (cf. *Eccli.* 44, 17). Docilis sit episcopo eique ex corde obsequens, memor semper superioris civitatis ad quam pertinet, civitati tamen humanae sincere insertus absque privilegiorum cupiditate, mediocritatem abhorrens, aeque libratus, non partialis, non iracundus, non sentimentalis, non timidus nec tristis, sed longanimis (cf. 2 *Cor.* 6, 6), alacris et intrepidus in suo apostolatu, ministerii sacerdotalis manifeste amans, animarum zelo ardens, frequentiae liturgicae sollicitus, peccatorum confessionibus, infirmorum visitationibus animarumque directioni assiduus, Sacrae Mensae ac eucharistici cultus promotor, procul a personali dignitatum ambitione ac commoditatis cupiditate ministerio suo in temporalem sui proventum non utens, caritate non ficta (2 *Cor.* 6, 6), erga omnes inflammatus, non mundanus in medio mundo vivens, ex plenitudine divinae caritatis amicaliter et spiritualiter cum hominibus conversans, gregi suo omnique eius vitae honestae expressioni cordialiter proximus, necessitatibus spiritualibus ac corporalibus pauperum peculiariter attentus, populi necessitates diligenter exquirens, singulorum personae et dignitatis christiane observans, etiam non-fideles bonitate et mansuetudine sua ad Christi ovile alliciens ». [18] 5. [19] Et tamen. [20] commendavit.

Animadversiones additae:

Proponitur distributio schematis in paucis mutata.

Prooemium.

I. *De natura presbyteratus* = (1) textus recogniti.

II. *De presbyterorum ministerio*:

Presbyteri, Verbi Dei ministri = (2) text. recogn.
Presbyteri, Sacramentorum et Eucharistiae ministri = (3).
Presbyteri, populi Dei rectores = (4).

III. *De presbyterorum vita*:

Peculiaris exigentia sanctitatis in vita sacerdotali = (11).
Triplicis sacerdotalis muneris exercitium sanctitatem requirit ac fovet = (12).
Media ad vitam interiorem fovendam = (15).
De castitate ceterisque consiliis evangelicis = (14).
De unitate et harmonia vitae presbyterorum = (13).
De scientia et arte pastorali presbyterorum = (5).
De habitudine inter episcopum et presbyterium = (6).
Confraternitas et cooperatio inter presbyteros = (7).
Presbyterorum cum laicis conversatio = (8).
Apta presbyterorum distributio = (9).

IV. *De attentione spirituali et materiali presbyterorum*:

De cura spirituali sacerdotibus ab episcopo praestanda (num. novus).
Aequa remuneratio presbyteris providenda = (16) textus recogn.
De recto usu bonorum = (17).
Praevidentia socialis in favorem presbyterorum = (18).

V. *Exhortatio finalis* = (19).

Ratio mutationis: Proponitur nova distributio, quae videtur esse magis logica et didactica quam ea quam schema proponit. Omittitur n. 10, *Presbyterorum cura de vocationibus sacerdotalibus,* eo quod de hoc themate expresse et ampliori modo tractat schema *de institutione sacerdotali.*

Proponitur novus numerus: *De cura spirituali sacerdotibus ab episcopo praestanda,* cuius textus posset esse qui sequitur: « Presbyteri cum suo episcopo unam veluti familiam spiritualem efficiunt, in qua episcopus, ut verus pater, suorum sacerdotum sollicitam curam spiritualem habere debet. Hoc ab episcopo exigit eius caritas pastoralis, cui praecipue commendantur illi, qui per sacram ordinationem, missioni episcopali hierarchice cooptati sunt. Quamvis omnium fidelium sibi commissorum curam habere teneatur, tamen iuxta Apostoli monitum, episcopus imprimis presbyteros honore dignos habere, revereri et obsecrare ut pater debet (cf. *1 Tim.* 5, 1, 17-28). Oportet igitur ut episcopus nihil diligentiori cura procurandum reputet, quam necessitatibus animi et progressui spirituali suorum sacerdotum occurrere. Quare iisdem illa media abunde praebeat, quae in hunc finem necessaria vel utilia esse censeat. Talia esse possent: *a*) memorati cursus renovationis spiritualis et pastoralis, praesertim illi qui ad profectum iuvenum sacerdotum instituuntur; *b*) deputatio pro unaquaque dioecesi virorum prudentia, zelo et sanctitate conspicuorum, qui caritate sacerdotali opportuna consilia, verum solamen et directio-

nem spiritus presbyteris offerant; *c*) recessus ad ulteriorem spiritualem institutionem in variis dioeceseos locis; atque alia congruentia adiutoria, quae opportuna videantur ».

Secretarius generalis: Suffragatio 400. Videatis pag. 9, linn. 1-5 [*cf. pag. 694*]. *Placet* an *non placet?*

9

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS IOANNES GUYOT
Episcopus Constantiensis

Venerabiles Patres,

Hodie, presbyteri, multis in regionibus, sese interrogant de natura sui sacerdotii *ministerialis aut saltem* [1] de condicionibus in quibus illud exercent. Schema nostrum eos ...[2] quadam deceptione afficeret, si quaestionibus quas illis quotidie vita ponit, sub lumine fidei non responderet. Quapropter, inter alias emendationes textui in hunc finem propositas, optamus ut melius appareat:

I. Actio Spiritus Sancti in vita et ministerio presbyterorum.

II. Presbyterorum ipsorum responsabilitas erga « non-credentes » in mundo huius temporis.

Ceterum hi duo aspectus complementarii sunt, et alter alterum appellat.

Ad primum: De actione Spiritus Sancti in ministerio et vita presbyterorum. N. 1 schematis, *pag. 13, linea 5* [3] — ubi de natura presbyteratus — in textu emendato, opportunissime affirmabatur sacerdotes unctione Spiritus speciali modo consecrari. Quare haec explicita mentio Spiritus Sancti in textu recognito iam non *appareat* [4]*?* Essentiale videtur ad ea quae in schemate sequuntur, *et praesertim de sanctitate sacerdotum* [5], hic expresse affirmare partes quas tenet Spiritus Sanctus in consecratione ministrorum ad eorum missionem sacerdotalem.

Quae partes in Scriptura sacra semper apparent. In baptismo enim ipsius Christi in Iordane, Spiritus Sanctus super eum visibiliter descendit ut manifestetur tanquam « servus patiens », cuius missio est tollere peccata mundi ...[6]. Idem Spiritus Domini Christum unctione consecrat, et eum mittit evangelizare pauperibus ...[7] Idem Spiritus quem Iesus apostolis suis promisit, super eos, *Maria Matre Iesu instante* [8], die Pentecostes descendit ut eos virtute sua impleat, eosque faciat testes resurrectionis Domini usque ad ultimum Terrae ...[9]. Idem Spiritus Sanctus ab apostolis successoribus suis transmittitur, ut pascant Ecclesiam Dei,

et etiam presbyteris et diaconibus per manuum impositionem communicatur ut ministerium suum adimpleant.

Traditio quoque Ecclesiae quae praesertim in liturgiis tam orientalibus quam occidentalibus sese exprimit, in hoc unanimis est. Semper enim per speciale donum Spiritus Sancti confertur sacramentum Ordinis.

Huius vero fundamentalis veritatis multae et uberes sunt consequentiae, tam pro ministerio quam pro vita presbyterorum, quae consequentiae in textu nostro expresse notari deberent, *ita ut exercitium sacerdotii Novae Legis appareat tamquam ministratio Spiritus Sancti qui, ut ait constitutio Lumen Gentium,*[10] « Ecclesiam Dei unificat in Communione et ministratione » ...[11]. Inde, totum schema afflatu prophetico, oecumenico et missionali animaretur, qui eius unitati et dynamismo multum conferret ...[12]

Secunda consideratio: De apostolica responsabilitate presbyterorum erga non-credentes. Summus Pontifex Paulus VI recenter in quadam audientia publica aiebat: « Hodie, videmus problemata primorum christianorum iterum apparere, qui in societate pagana vivere cogebantur ». Si res hodie ita se habent, etiam in nationibus sic dictis traditionis christianae, schema nostrum aperte respicere deberet ad unum ex maioribus problematibus pro presbyteris huius temporis, scil.: Quomodo Evangelium salutis transmittere usque ad corda illorum qui Iesum Christum non cognoscant, vel Eum tamquam Salvatorem non agnoscant?

Certo, talis missio totius populi christiani est, presbyterorum nempe et laicorum *et religiosorum.*[13] At speciali modo presbyteris incumbit quorum proprium munus est, in quo nemo se eis substituere potest, indifferentes et etiam atheos evangelizare. Presbyter enim, qua missionis episcopi cooperator, non solum pastor est eorum qui fidem habent, ex eaque vivent. Pastor quoque est ovium quae non sunt ex suo ovili. Sed, sicut indicatur in fine n. 1 (pag. 13 et 14), presbyteri ut missionem suam adimplere possint, debent aliquo modo vitae participes esse eorum ad quos mittuntur. Quod, multis in casibus, induceret ad lucidam et strenuam revisionem condicionum in quibus presbyteri nostri vivunt et ministerium suum exercent.

Sane, non potest Concilium Oecumenicum nisi universalia principia affirmare quae in omnibus nationibus et circumstantiis applicari possint. Quare eo magis necessarium est in hoc decreto clare et sine aequivocatione indicare quaenam competens futura *est*[14] auctoritas ad ea principia concretis condicionibus applicare prout requirunt necessitates animarum. Idcirco, nomine *plurium*[15] episcoporum qui huic voto subscripserunt, rogo ut in fine prooemii inseratur textus illi similis qui iam in initio

decreti *de institutione sacerdotali* approbatus est, nempe: Conferentiis episcoporum pertinere normas generales de ministerio et vita presbyterorum necessitatibus pastoralibus adaptare regionum in quibus missionem suam exercere debent. Sic in rem deduceretur votum commissionis quod eius exc.mus et carissimus relator expressit, scil. ut conferentiis episcopalibus opus liceat perficere quod ad eas pertinet.

Concludo. Utinam ab hoc Concilio illuminati et confortati multi presbyteri nostri temporis, sequentes Dominum Iesum qui venit non ministrari sed ministrare, pro ovibus suis dent vitam, suscipientes etiam verba apostoli Pauli[16] ad Romanos: « Gratia data est mihi a Deo ut sim minister Iesu Christi in Gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] dolorosa. [3] deest. [4] apparet. [5] deest. [6] (*Mt.* 3, 16-17; cf. *Is.* 42 - *Io.* 1, 29). [7] (*Lc.* 4, 18; cf. *Is.* 41, 1). [8] deest. [9] (*Act.* 1, 8). [10] Tunc enim presbyteri nostri temporis vividius conscii essent se « ministros esse Novi Testamenti, non litterae, sed spiritus » (*2 Cor.* 3, 6). Tunc ipsis cordi esset, sicut monet apostolus, « resuscitare gratiam Dei quae est in eis per impositionem manuum » (cf. *2 Tim.* 1, 6). Tunc conarentur loqui, agere, orare, vivere in Spiritu Amoris qui. [11] (*Lumen Gentium,* n. 4). [12] ad gloriam Dei et salutem omnium hominum. [13] deest. [14] sit. [15] deest. [16] Tunc doctrina huius Sanctae Synodus innixi et confortati, multi presbyteri nostri temporis dicere poterunt sicut olim S. Paulus.

Emendatio addita:

In Prooemio: Linn. 16-19 deleantur, et earum loco sequens textus introducatur: « Cum in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi principia generalia proferri possint, in singulis nationibus normae aptiores et magis determinatae de ministerio et vita presbyterorum statuentur ab episcoporum conferentiis, collatis consiliis, si casus ferat, cum conferentiis superiorum maiorum religiosorum, certis temporibus recognoscendae, ita ut principia universalia ad peculiaria locorum temporumque adiuncta accommodentur, et actio vitaque presbyterorum magis congruat pastoralibus necessitatibus illarum regionum in quibus exerceatur ».

Ratio insertionis: ut schema *de ministerio et vita presbyterorum* maneat in eadem linea ac schema *de institutione sacerdotali,* in quo eadem dispositio inscribitur. Valde enim interest principia universalia ad peculiaria locorum temporumque adiuncta accommodari ne remaneant theoretica et sine efficientia, sed e contra ut applicentur cum prudentia et recta ratione debita.

[*Subscripserunt etiam*] G. Béjot, ep. tit. Cassandria; G. Jacquot, ep. Gap; G. de Milleville; M. Vial, ep. Nevers; M. Rigaud, ep. Pamiers; R. Rousset, aux. Versailles, G. Guibert, ep. Réunion; Ch. de Provenchères, arch. Aix; A. Atton, ep. Langres.

Secretarius generalis: 401 suffragatio, quae est ultima hoc mane. Pag. 9, linn. 5-9 [*cf. pag. 694*]. *Placet* an *non placet?*

10

Exc.mus P. D. ALOISIUS EDUARDUS HENRIQUEZ JIMENEZ

Episcopus tit. Lamdiensis, aux. Caracensis

Venerabiles Patres, Auditores et Observatores,

Cum Concilium iam ample, sive de episcopatu sive de laicis, docuerit, sacerdotes iure spectant ut de ipsis eodem modo doceatur. Ad hoc ipsum scopus huius schematis tendere videatur; attamen in n. 1, ubi *de ministerio et vita presbyterorum* agitur, et in quo totam doctrinam de esse et natura presbyteratus solide fundare oportebat, theologice egenus et ieiunus apparet. In ipsorum officio et ministerio magis immoratus, super naturam et esse presbyterorum quasi externe volitat.

Cum sacerdotibus alloquimur ab ipsa sui sacerdotii essentiali realitate proficiscere debemus, quae realitas tota est in ontologica configuratione Christo Sacerdoti necnon in sui ipsius unici et aeterni sacerdotii reali participatione.

Ex sacerdotio Christi totam doctrinam de presbyteratus esse et natura haurire debemus. Iesus Christus, essentialiter sacerdos, sui sacerdotii supremo actu, omnia in ipso reconciliavit pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt ...[1]. Hac sacerdotali suiipsius oblatione ad ipsum omnia trahit ac centrum universi creati constituitur; omnia enim in Ipso consummare et recapitulare debentur. Humanitas tota et universus mundus, in humanitate simul redemptus, obscure quidem, sed realiter, certe et firmiter ad Christum Dominum tendunt. Quia Sacerdos, Christus totius universi centrum et finis est; nam propter ipsius sacerdotale sacrificium nova terra et novum caelum constituuntur. Haec est enim dimensio cosmica sacrificii Christi.

Sedens ad dexteram Patris manet sacerdos in aeternum; tamen suum sacerdotium indesinenter in Ecclesia visibiliter et sacramentaliter exercere volens, aliquos ex fidelibus speciali Spiritus Sancti unctione sacerdotes consecrat, ut charactere sui Sacerdotii ontologice signati, ipsum sacrificium semel in cruce peractum, incruente et sacramentaliter offerant, eiusque virtutem pro Ecclesia ac mundo universo praesentem reddendo.

Haec autem participatio non est mera deputatio externa; sed ontologica consecratio, realis configuratio Christo sacerdoti; vera potestas, indelebilis et permanens, qua virtus sacerdotii Christi in Ecclesia et mundo visibiliter praesens redditur. Quia vera configuratio, est *enim*[2] vera participatio per actus sacramentales, praecipue per Eucharistiam, in

dimensione cosmica sacrificii Christi. Cum virtus sacrificii Christi per Eucharistiam praesens redditur, etiam virtus sua cosmica actuatur.

Si esse et natura sacerdotii presbyterorum in hac configuratione Christo sacerdoti reponitur, etiam in aspectu existentiali quaestionibus quae nunc inter sacerdotes agitantur, respondere possumus.

Negare non possumus inter sacerdotes, et specie inter iuvenes, aliquam crisim serpere, non vero fidei, sed et spei, optimismi et hilaris gaudii conditionis suae. De sensu suae vitae et conditionis in mundo hodierno technico et materialistico, de valoribus religiosis non curante, anxii se quaerunt.

Ipsa enim episcopatus exaltatio, ex una parte; ex alia vero missionis laicorum in mundo, inter presbyteros nonnullas et anxiosas interrogationes excitant.

Ipsa participatio in missione episcoporum, quamvis verissima et, theoretice, firmiter admissa, ipsis tamen existentialiter, parum dicit; hinc etiam problemata de auctoritate et oboedientia in Ecclesia, quae vere resolvere non possumus, nisi ad fontem sacerdotii Christi clare et aperte redeamus.

Sacerdos, qui in frigida paroecia, ubi de Deo parum cogitatur et nec sensus christianus fere manet, qui sibi etiam videretur ut ab omnibus quasi derelictus et neglectus, adhuc sensum laetitiae et optimismi in vita sua invenire potest in conscientia clara suae ontologicae configurationis sacerdotii Christi, et in Ipsius cosmicae efficacitatis participatione. Etenim actus sui cultuales, utpote realiter participantes, quamvis ministerialiter sacerdotii Christi, non solum valorem latreuticum necnon salvificum pro toto populo Dei habent; sed quatenus participantes dimensionis cosmicae sacrificii Christi vim et valorem pro universo mundo semper in se ferunt.

Actus sui cultuales sunt actus Christi sacerdotis, qui ad mundi et humanitatis progressum usque ad eorum in Domino gloriosam consummationem vere conferunt. Proinde vita et ministerio presbyterorum, etiam pro mundo technico et materiali valorem realem indesinenter servant. Ex hac etiam configuratione cum Christo, sensum suae dignitatis, necnon suam ontologicam distinctionem cum laicis ac valorem suae missionis pro populo christiano haurire poterunt.

Immo in vitae difficultatibus, in canonica oboedientia, in oneribus legis coelibati sensum laetitiae et spiritualis plenitudinis invenire etiam possunt. Nam Christus essentialiter est sacerdos et hostia; hostia nempe sui sacerdotii. Presbyter, quatenus participans in sacerdotio Christi, Ipsius enim statui victimali configuratur. Etenim Christus voluntarie pro nostra et totius mundi salute morti se tradit.

Nos etiam, si aliquid nostrum habemus est voluntas ac libertas nostra, amor et etiam solitudo cordis nostri, quas etiam cum Christo pro salute totius mundi tradere possumus. Quia sacerdotale ...[3] victimale ...[4] cum Christo coniunctum, etiam sacrificium nostrum ad salutem animarum, necnon ad progressum et consummationem totius mundi in Parousiam, confert.

Si sensus laetitiae et spei pro presbyterorum vita aperire volumus ad hanc suam ontologicam participationem cum sacerdotio Christi et ad Ipsius configurationem propter characterem Sacri Ordinis iterum atque iterum redire oporteret.

Concludo: 1. Propono ut textus n. 1 *de ministerio et vita presbyterorum* ita redigatur ut doctrina de charactere sacerdotali in apricum ponatur; ideoque esse sacerdotale in ontologica configuratione Christo sacerdoti et in reali, quamvis ministeriali, in Ipsius sacerdotii participatione reponatur. Ita etiam ut valor et vis vitae et conditionis presbyterorum, non solum pro salute sed et pro totius mundi progressu, necnon pro consummatione omnium rerum in Christo Domino aperte exhibeatur.

2. Immo totum schema sub hac luce reponatur. Etiam nn. 11 et 12, ubi de sanctitatis exigentia in vita et exercitio sacerdotali agitur, in eodem sensu revisentur. Nam etiam a n. 11 omnia quae in textu priore de esse sacerdotali ac de sua ontologica cum Christo conformatione expuncta fuerunt. Textus prior certe magis clarescere oportebat; sed nunc dedecet illum ad paupertatem immo ad miseriam theologicam reducere, ab ipso solidam ad sanctitatem vitae sacerdotalis basim auferendo et aliquod veluti musivum textuum Sacrae Scripturae conficiendo ...[5]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *Col.* 1, 19-20). [2] etiam. [3] et. [4] et. [5] Nec n. 12 ipsius reprehensionis expers est.

Animadversiones additae:

Praeter ea quae iam in aula exposui, haec etiam exprimenda existimo ut hoc schema cum doctrina loquendique modo constitutionis *Lumen Gentium* coalescat.

1. Ordinatione sacerdotali presbyteri vere et ontologice Christo sacerdoti configurantur ac eiusque sacerdotii et divinae missionis participes fiunt. Actibus ipsorum cultualibus, quatenus actus ministeriales sacerdotii Christi, eiusque efficacitatis etiam cosmicae participantes, ad humanitatis salutem et mundi progressum et in Christo consummationem vere conferunt.

2. Quia nonnisi unicum sacerdotium Christi ac unica Ipsius missio salvifica, de eisdem sive episcopi, sive presbyteri vere, quamvis gradu diverso, participant.

3. Haec participatio missionis salvificae Christi, quae per apostolos eorumque

successores in Ecclesia continuatur, est vera communio cum ministerio et muneribus episcoporum, quamvis modo participato ac subordinato.

4. Communio haec per ordinationem sacerdotalem datur; i. e., quis, modo participato et subordinato, intrat in hanc communionem per ordinationem sacerdotalem, quae etiam, gradu suo, sanctificandi, docendi et regendi munera confert.

5. Sicut et pro episcopis, ordinatio sacerdotalis natura sua haec munera confert, cum in communione hierarchica recipitur, nempe cum collegio episcoporum eiusdemque Capite, et cum ceteris membris presbyterii.

Proinde haec munera nonnisi in communione hierarchica exerceri valent.

6. Presbyteri, ordinatione sacerdotali, pro universali Ecclesia destinantur; nam participatio missionis divinae Christi, quae natura sua est universalis; itemque ipsorum ministerium ac munera. Eodem modo ac episcopi pro tota Ecclesia consecrantur.

7. Sed ut ordinatim haec ministerium ac munera exerceri valeant *missio canonica* exigitur, quae eorum universalitatem circumscribit.

8. Haec vero missio canonica, quamvis nihil in ordine ad munera in ordinatione recepta sacerdoti addat, tamen requiritur ut presbyterorum potestas expedita sit ad eius validum vel licitum exercitium.

9. Per *incardinationem* missio canonica fit, et qua presbyteri missio ad determinatam dioecesim vel ad institutum religiosum circumscribitur.

10. Quamvis missio canonica exercitium missionis universalis presbyterorum circumscribat, ipsam tamen non exhaurit; ideoque, sicut et episcopi, presbyteri, titulo sui Ordinationis, sollicitudine Ecclesiae universalis ac Evangelii dilatandi cura tenentur.

Ad Prooemium. Pag. 11, linn. 5 ss. sic corrigatur: « Presbyteri enim, sacra Ordinatione quam ab episcopis recipiunt, ad Christi magistri, sacerdotis ac regis ministerium consecrantur... ».

Supprimitur « atque missione... » nam obscura et ambigua. Intelligi enim possunt sive de missione Christi (et sunt superflua), vel de « missione canonica », sed hac missione non confertur participatio in ministerio, sed eius exercitium validum vel licitum.

« consecrantur », non « promoventur ». Consecratione melius ontologica configuratio significatur. Promotio tantum dicit ascensum ad altiorem dignitatem, honorem, etc., proinde quid externum.

Ad n. 1, pag. 12, linn. 16-18, pro « Rursus episcopi munus ministerii sui, subordinato tamen gradu, presbyteris legitime tradiderunt... », ponatur: « Rursus ipsi munus ministerii sui, subordinato tamen gradu, presbyteris tradiderunt ». Ne videatur Concilium quaestionem de origine historica presbyterorum dirimere voluisset.

Pag. 13, linn. 1-6, sic corrigatur: « Presbyteri, praeter sacerdotium commune, in sacramentis initiationis fundatum, sacerdotio ministeriali gaudent, quod peculiari sacramento indiget, quo unctione Spiritus Sancti specialiter consecrati, novo modo Christo sacerdoti ontologice configurantur... ».

Baptismum et confirmationem sunt sacramenta initiationis; sed ordinatione sacerdotali non initiatio postea augenda confertur, sed ontologica et indelebilis configuratio cum Christo sacerdote.

Pag. 14, linn. 3-4: « Ministri enim Christi esse non possent, nisi... », corrigatur per « ministerium enim Christi rite exerceri non possent, nisi... » vel alia simi-

lia. A sanctitate enim ministri non dependet quod sint necne ministri, nec valor actus sacramentalis pendet a sanctitate ministri.

Ibidem lin. 9, pro « peculiari tamen titulo », quod parum et obscure dicit, ponatur: « proprio tamen titulo sacramentali ».

Ad n. 2, lin. 24, pro « 2 *Tim.* 4, 5 », ponatur « 2 *Tim.* 4, 2-5 », nam agitur de verbo Dei quod ex ore sacerdotum omnino fas est quaerere.

Ibidem linn. 28-29 dicitur: « Cum enim praedicatio Evangelii praecipuum episcoporum munus sit, primum quoque munus presbyterorum est... »; tamen in constitutione dogmatica *Lumen Gentium,* quae hic citatur, docetur: « Inter praecipua episcoporum munera eminet praedicatio Evangelii... ». Non enim habet sensum exclusivum, qui hic exhibetur. Recordare etiam oportet doctrinam S. Thomae Aquinatis, qui sacerdotium reponit pro Eucharistia, immo et omnia sacramenta ad Eucharistiam ordinantur.

Ne falso irenismo obscuremus naturam sacerdotii ministerialis, in reali quamquam ministeriali sacerdotii Christi participatione, repositum. Sacerdotium propter sacrificium. Sacrificium Christi in cruce exercetur et in Eucharistia actualizatur, reponitur.

Lin. 32, pro « generali mandato », ponatur « universali mandato ».

Pag. 15, linn. 12 ss. « in qua annuntiatio... et responsum populi audientis uniuntur inseparabiliter cum ipsa oblatione... ». Deleatur « inseparabiliter », nam nimis dicit; *a*) videretur Missa privata, sine praesentia populi, manca substantialiter esse, propter defectum homiliae et responsionis populi; *b*) videretur insinuare praesentiam materialem populi aliquid substantialiter addere ad integritatem Missae.

Ad n. 3 in genere, haec observanda sunt. Quae hic dicuntur non bene inter se coalescunt. Prima enim pars est doctrinalis, nempe usque ad lin. 10; in lin. 11 fit transitus ad exhortationem pareneticam. In ultima alinea in particularibus practicis, etiam minutis, descendit, v. g. ad templorum munditiam. Omnia enim sunt bona, sed non bene inter se miscentur. Insuper, quia hic de presbyteris ut ministris Eucharistiae agitur, doctrinam S. Thomae recordare oportebat secundum quam sacerdotium ministeriale Novae Legis primo et principaliter esse pro Eucharistia. Eucharistia enim non solum est « centrum et fons vitae congregationis fidelium cui Presbyter praeest », sed et vitae et ministerii presbyterorum.

Ibidem linn. 26-27 « ad sanctificationem fidelium, quam peculiari modo procurant fidei sacramenta ». Quare verbis genericis obscuramus doctrinam Concilii Tridentini, qua docetur sacramenta « ex opere operato conferre gratiam » (Sess. VII, can. 8). Sacerdotes alloquimur, qui theologiam studuerunt; non ad mundum vel ad laicos, ad quorum intellectione modo generico et non technico alloquatur.

Pag. 16, linn. 11-12, ponatur: « Presbyteri pro semetipsis et pro populo offerant sacrificium pro peccatis (*Hebr.* 5, 3) et fideles edoceant vitam suam cum Sacrificio Capitis ipsorum coniungere et Deo offerre... » (cf. PAULUS VI, Enc. *Mysterium Fidei*: *L'Osservatore Romano,* pag. 1, col. 6).

11

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SANTIN

Archiepiscopus-episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Venerabiles Patres,

Commissio, quae textum recognitum schematis decreti *de ministerio et vita presbyterorum* praeparavit, laude est digna. Documentum conciliare, quod manibus tenemus, spirat dignitatem, amorem testatur episcoporum erga suos cuiusque sacerdotes, horum respondet exspectationibus, iuvabit eos ad vitam sanctam adipiscendam et ad fructuose operandum inter graves rerum condiciones, in quibus eos vivere oportet et operari.

Ad laudatum decretum perficiendum aliquas, humili sensu, patefaciam animadversiones.

1. Concilium seu documenta a Concilio tanto amore et sudore confecta et adprobata vitam, ut speramus, renovabunt Ecclesiae eiusque vultus splendorem augebunt. Quod praecipue ad curam presbyterorum pertinebit, qui spiritu fidei, solida virtute, oratione et poenitentia populum Dei aedificabunt. In medio populi vivunt, ut in eis Iesum ipsum populus videat ambulantem, quia vitae et operi plus quam verbis ipse credit. Quare post institutionem sacerdotalem in seminario acceptam necesse est ut paterno amore et maxima cura eos prosequamur, ut in saeculo non secundum saeculum viventes praecipue a lucri aviditate expertes, spiritu mortificationis imbuti, puris fulgentes moribus, humilitate sincera, genuina pietate, zelo non e naturali navitatis genio sed ex ardente caritate erumpente, animas Christo lucrifaciant et Regnum Dei dilatent.

Fructus et effectus Concilii post Spiritum Sanctum penes presbyteros sic sentientes et operantes consistent.

2. Praedicatio nostris diebus non deest, deest forsan praedicatio illuminans spiritus, cordaque movens. Quae a profunda personali meditatione in verbum Dei profluens, ipsa, praedicantem prius et illuminet et commoveat. Tunc verbum vivum et efficax ex corde exiens corda penetrat, Spiritu Sancto reliqua operante.

Ista est praedicatio presbyteris commendanda.

3. Nova et vetera adhibenda sunt in ministerio pastorali. Iis mediis et viis, quibus patres sancte et sapienter usi sunt, nova incepta addamus, omnibus artibus technicis nunc inventis locupletiora. Persuasi autem simus ...[1] praeter ecclesiam muris circumsaeptam, ubi populus

Dei sacrificio eucharistico adest et sacramentis sanctificatur, altera existit ecclesia, amplior, domibus exstructa omnium eorum qui in paroecia quidem vivunt, sed vitam christianam non vivunt. Quibus quoque verbum Dei pervenire debet ut etiam in eis Christus efformetur. Ad hoc autem inservient « contactus », ut ita dicam, personales, iis obviam fieri, colloquia, prudentia, discretione, caritate, respectu quasi suffulta. Hodie princeps hoc videtur auxilium in ministerio pastorali, Christi exemplum sequentes.

4. Perutilis erit in dioecesi studiorum moderator ad cleri culturam augendam. Centra vero studiorum praesertim pro iuvenibus distribui opportune poterunt singula in singulis vicinioribus dioecesibus ut magistri pro unaquaque disciplina excellenti sacerdotali spiritu animati et vere periti sint.

5. Hoc tempore periculis moralibus sic gravido, sacerdotes, in mundo, in ambitu spiritualiter frigido viventes, non tertio quoque anno sed quotannis spiritualibus exercitiis indigent. Quod commissioni pro Codice iuris canonici reformando suggerere schema nostrum poterit.

6. Non consentio cum n. 7, qui de vita communi agit. Vita communis presbyterii parochialis, i. e. parochi cum vicariis cooperatoribus, qui cum eo ministerium pastorale exercent, est necessaria. Rationes pastorales, spirituales, culturales, oeconomicae id hodie expostulant. Quotidie experientia magis ac magis demonstrat utilitatem huius consilii. Tempora futura uti opus divinae Providentiae aestimabunt talem decisionem.

Mutetur saltem vox « foveri » in « institui » et eliminentur verba « vel saltem frequentes ac periodicos conventus », cum conventus isti periodici non sint nec constituere possunt vitam communem. Immo verba praefata possunt sensum genuinum vocis ipsius vitiare.

7. « Charismata laicorum magni aestiment ». Verba haec quae in schemate habentur falsae interpretationi ansam praebere possunt. Non desunt viri et mulieres qui se visiones vidisse autumant vel aliis donis supernis ornatos esse. Nolimus numerum eorum augere.

8. Quaestio de vocationibus sacerdotalibus gravis est. Bene schema adfirmat hoc pertinere ad ipsam naturam missionis sacerdotalis. Doceat etiam sanctam et actuosam vitam presbyterorum maximum esse instrumentum quo Deus utitur ad vocandos electos ad sacerdotium. Omnes nos in mente habemus personam sacerdotis, qui dives virtute et zelo, sacerdotium amare nos fecit et Dei vocationi nos paravit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] de hoc:.

12

Exc.mus P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus Gerundensis

Venerabiles Patres,

In nostro schemate, n. 7, sermo fit de associationibus sacerdotalibus de quibus tamen paucissima et praesertim practica dicuntur.

Revera, in textu neque natura specifica neque constitutio iuridica harum associationum explicantur vel saltem innuuntur. Attamen agitur de quaestione quae est maximi momenti. Textus noster ergo compleri debet. Videtur huiusmodi associationes sequentibus principiis regi debere, si theologice quaestio consideratur.

Primum principium: Quaecumque consociatio, quae inter sacerdotes dioecesanos constituatur, illam spiritualitatem fovere debet, quae *a*) in sacerdotalium munerum exercitio necnon *b*) in intima eorum cooperatione cum ordine episcopali fundatur. Revera, etsi peculiares traditiones spirituales vel distinctos modos spiritum evangelicum imbuendi tales associationes habeant, omnes sacerdotes dioecesani « meminerint — ait constitutio *de Ecclesia* — quantum ad suam sanctificationem conferant cum suo episcopo fidelis coniunctio atque generosa cooperatio ». Atque si « in variis vitae generibus et officiis una sanctitas excolitur ab omnibus » in Ecclesia, sacerdotes dioecesani, doctrinae theologicae de presbyterio cum episcopo plene adhaerentes, abundanter « de eorum muneris gratia participes erunt ».

Secundum principium: Associationes sacerdotales illud communionis vinculum servare debent — immo et profundiore spiritu firmare — quod cum ceteris sacerdotibus dioecesanis atque cum episcopo efformant. Sane omnes presbyteri dioecesani sive religiosi cum episcopo participant « in eodem sacerdotio atque in eadem missione » atque cum ceteris presbyteris « communem titulum habent sacrae ordinationis et missionis ». Attamen sacerdotes dioecesani hoc speciale habent quod peculiarem familiam constituunt, quia « Ecclesiae particulari incardinati vel addicti, eiusdem servitio plene sese devovent ad unam dominici gregis portionem pascendam ».

Tertium principium: Consiliorum evangelicorum exercitium, atque praesertim sacri coelibatus observantiam, associationes sacerdotales in membris quammaxime fovere debent. Consilia enim evangelica, etsi iure

divino non praecipiantur ab ipso sacerdotio, tamen optimam viam constituunt quae ad caritatem ducit.

Ex alia parte, si iuridice res consideretur, hae duae animadversiones prae oculis habendae videntur:

Prima animadversio. Associationes pro sacerdotibus dioecesanis, saltem consentiente episcopo constituantur semper oportet. Hoc enim exigitur ab ipsa natura presbyterii dioecesani. Sane, sine episcopo, qui pater est et caput illius peculiaris familiae quam sacerdotes dioecesani efformant, nulla sacerdotalis consociatio constitui debet.

Secunda animadversio. Necessarium omnino est ut consociationes sacerdotales propria et peculiari legislatione ditentur, cum de hoc argumento vera lacuna in iure condito adsit. Revera, Codex Iuris canonici, si Capitula cathedralia excipiantur, nihil de consociationibus pro clero dioecesano statuit, neque ulla hucusque de hac re promulgata est legislatio. Qua de causa hodie recurrendum est vel ad leges de institutis saecularibus vel ad normas de piis unionibus, confraternitatibus aut sodalitiis quae potius laicorum associationes sunt. Revera sub rubrica de laicis veniunt in Codice Iuris canonici.

Iamvero, hodie sufficiens exsistere videtur experientia harum consociationum sacerdotalium in Ecclesia ad hoc ut Concilium votum suum exprimat de iure condendo pro his associationibus. Quodque ius, seu legislatio, tale esse debet, prouti videtur, ut consociationes sacerdotales diversimode concipiantur: *a*) ab associationibus laicorum quia membra eorumque fines sunt omnino distincta; *b*) ab institutis religiosis, ne videatur in solis « statibus », qui speciali nomine « perfectionis » decorantur, sanctitas unice excoli possit.

Praeterea quando superdioecesanae associationes sacerdotales fiant, illa structura iuridica ditari debent quae corporis episcoporum responsabilitatem supponat atque tueatur.

Quapropter petitur ut in n. 7 textus schematis, quando de associationibus sacerdotalibus sermo fit, clare constent: *a*) generalia principia doctrinalia, quibus omnes consociationes pro clero dioecesano ducantur oportet; *b*) necessitas legislationem specialem condendi quae diversa sit ab illa quae sive associationes laicorum sive instituta religiosa ordinet atque moderetur, quae corporis episcoporum responsabilitatem non praetermittat. Dixi. Gratias.

Textus scripto traditus:

In nostro schemate, n. 7, sermo fit *de associationibus sacerdotalibus,* circa quae sequentia affirmantur: *a*) quod magni habendae sunt et promovendae; *b*) quod sanc-

titatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent et toti ordini presbyterorum inserviunt; *c*) per aptam ordinationem vitae et iuvamen fraternum.

Quae quidem valde insufficientia sunt, quia in textu neque *natura specifica* harum associationum neque earum *constitutio iuridica* explicantur aut saltem innuuntur. Attamen agitur de quaestione quae est maximi momenti.

Textus noster ergo compleri debet. Quaestio nostra pendet a *facto,* quod negari non potest. Nempe: Spiritus Sanctus Ecclesiam iugiter sanctificat, « diversis donis hierarchicis et charismaticis illam instruens ac dirigens » (const. *de Ecclesia,* n. 4). Haec donorum diversitas etiam in ecclesiis particularibus adest, quippe quae « ad imaginem Ecclesiae universalis formatae, in ipsis et ex ipsis una et unica Ecclesia catholica existit » (const. cit., n. 23). Ideo mirandum non est, si plures sacerdotes dioecesani, Spiritus Sancti inspirationem sequentes, in congruentibus associationibus, validum adiutorium ad suam sanctificationem quaerant.

Huiusmodi associationes his principiis regi debent, si *theologice* quaestio consideratur.

Primum principium. Quaecumque associatio, quae inter sacerdotes dioecesanos constituatur, illam spiritualitatem fovere debet, quae in sacerdotalium munerum exercitio atque in doctrina cooperationis cum ordine episcopali fundatur. Revera, etsi peculiares traditiones spirituales vel distinctos modos spiritum evangelicum imbuendi tales associationes habeant, omnes sacerdotes dioecesani « meminerint quantum ad suam sanctificationem conferant cum suo episcopo fidelis coniunctio atque generosa cooperatio » (const. *de Ecclesia,* n. 41). Si « in variis vitae generibus et officiis *una* sanctitas excolitur ab omnibus » in Ecclesia, sacerdotes dioecesani, doctrinae theologicae de uno presbyterio cum episcopo plene adhaerentes, abundanter « de eorum muneris gratia participes erunt » (n. 41).

Secundum principium. Associationes sacerdotales illud communionis vinculum servare debent — immo et profundiore spiritu firmare — quod cum ceteris sacerdotibus dioecesanis atque cum episcopo efformant. Sane omnes presbyteri cum episcopo participant « in eodem sacerdotio atque in eadem missione » atque cum ceteris presbyteris « communem titulum habent sacrae ordinationis et missionis » (const. *de Ecclesia;* n. 28). Praeterea sacerdotes dioecesani peculiarem familiam constituunt, quia « ecclesiae particulari incardinati vel addicti, eiusdem servitio plene sese devovent ad unam dominici gregis portionem pascendam » (decr. *de pastorali episcoporum munere,* n. 28).

Tertium principium. Consiliorum evangelicorum exercitium, atque praesertim sacri coelibatus observantiam, associationes sacerdotales in membris quammaxime fovere debent. Consilia enim evangelica, etsi iure divino coniuncta non sint cum ipso sacerdotio, tamen maxime ducunt ad caritatem: « sanctitas enim Ecclesiae speciali modo fovetur multiplicibus consiliis, quae Dominus in Evangelio discipulis suis observanda proponit » (const. *de Ecclesia,* n. 42). Praecipue castitas memoranda est, quippe quae cum sacerdotio eiusque apostolatu peculiarem congruitatem habeat. Revera, agitur de virtute quae « semper in honore praecipuo ab Ecclesia habita est, tamquam signum et stimulus caritatis ac quidam peculiaris fons spiritualis fecunditatis in mundo » (ib., n. 42). Caritas ergo et fecunditas spiritualis — adeo necessariae pro sacerdotibus — relationem intimam habent cum lege sacri coelibatus.

Ex alia parte, si *iuridice* res consideretur, hae duae animadversiones prae oculis habendae sunt:

Prima animadversio. Associationes pro sacerdotibus dioecesanis, saltem consentiente episcopo constituantur semper oportet. Hoc enim exigitur ab ipsa natura presbyterii dioecesani. Libertas enim sese associandi in sacerdotibus dioecesanis componenda est cum eorum adscriptione determinatae ecclesiae particularis in adiutorium eiusdem episcopi. Ergo, sine episcopo, qui pater est et caput illius peculiaris familiae quam sacerdotes dioecesani efformant, nulla sacerdotalis consociatio constitui debet.

Secunda animadversio. Necessarium omnino est ut consociationes sacerdotales propria et peculiari legislatione ditentur, cum de hoc argumento vera lacuna in iure conditio adsit. Revera, Codex Iuris canonici, si Capitula cathedralia excipiantur, nihil de associationibus pro clero dioecesano statuit; qua de causa recursus fieri debet ad sic dictas pias uniones, confraternitates aut sodalitia, quae quidem potius associationes laicorum sunt.

Iamvero futura legislatio pro huiusmodi associationibus sacerdotalibus concipienda videtur diversa *a*) ab associationibus laicorum, quia membra eorumque fines sunt omnino distincta; *b*) ab institutis religiosis, ne videatur in solis statibus — qui speciali nomine « status perfectionis » nuncupantur — sanctitas unice consequi possit.

Quapropter petitur ut in n. 7, textus schematis, quando de associationibus sacerdotalibus sermo fit, sequentia clare constent:

a) *generalia principia doctrinalia,* quibus omnes consociationes pro clero dioecesano conditae regantur oportet;

b) *necessitas legislationis specialis,* quae diversa sit ab illa quae sive associationes laicorum sive instituta religiosa in iure condendo ordinet atque moderetur.

Subsecretarius exc.mus P. D. IOANNES KROL: Communico nunc exitum suffragationum in hac congregatione habitarum.

Suffragatio 395, i. e. primum quaesitum circa expensionem Modorum schematis declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas*:

Praesentes votantes	2.185
Dixerunt *placet*	2.071
non placet	110
Suffragia nulla	4

Suffragatio 396, i. e. secundum quaesitum circa expensionem Modorum schematis declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas*:

Praesentes votantes	2.143
Dixerunt *placet*	1.953
non placet	184
placet iuxta modum (ergo nullum)	2
Suffragia nulla	4

Suffragatio 397: tertium quaesitum circa expensionem Modorum schematis declarationis *de Ecclesiae habitudine...*:

Praesentes votantes	2.105
Dixerunt *placet*	1.910
non placet	189
Suffragia nulla	6

Suffragatio 398, i. e. quartum quaesitum declarationis *de Ecclesiae habitudine...*:

Praesentes votantes	2.099
Dixerunt *placet*	1.937
non placet	153
placet iuxta modum (ergo nullum) . .	2
Suffragia nulla	7

Suffragatio 399, seu de integro schemate declarationis *de educatione christiana*:

Dixerunt *placet*	1.912
non placet	

Moderator: Exc.me Domine!

Subsecretarius: Utique!

Moderator: Numerus praesentium?

Subsecretarius: Non habeo, sed ex numeris votantium *placet, non placet* et nullis, attingitur.

	[2.096]
Dixerunt *placet*	1.912
non placet	183
Suffragium nullum	1

Cum exitus fuerit positivus, declaratio exhibebitur Summo Pontifici pro suffragatione, si Ipsi placuerit, in publica sessione. Gratias.

Moderator: Proxima congregatio generalis: crastina, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CL

15 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CL

15 octobris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem 150 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Dum turba egreditur, Patres venerabiles, lego nomina eorum qui verbo uti postulaverunt circa schema *de ministerio et vita presbyterorum*. Sunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Iulius Döpfner, arch. Monacensis in Germania; Petrus Tatsuo Doi, arch. Tokiensis in Iaponia; Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Hollandia; Ioannes Landázuri, arch. Limanus in Peruvia; Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis in Belgio; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania; Angelus Herrera, ep. Malacitanus (Málaga) in Hispania; exc.mi ac rev.mi DD. Michaël Miranda, arch. Mexicanus in Mexico; Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia; Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia; Philippus Nabaa, arch. Berytensis in Libano; Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio; Stanislaus Brzana, ep. aux. Buffalensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia; Titus Mancini, ep. aux. Portuensis et S. Rufinae in Italia; Aloisius Tomé, ep. Mercedensis in Argentina; Gerardus Coderre, ep. S. Ioannis Quebecensis in Canada; Ioannes Klooster, ep. Surabaiaënsis in Indonesia; Ioseph Bánk, ep. aux. Jaurinensis in Hungaria (Györ); Stephanus Leven, ep. aux. S. Antonii in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Franciscus Žak, ep. S. Hippolyti (S. Pölten) in Austria; Emmanuel Fernández-Conde, ep. Cordubensis (Córdoba) in Hispania; Stephanus Barela, ep. Czestochoviensis in Polonia.

[*Intervallum*]. Faveant vigiles properare exitum! [*Intervallum*].

Sinatis, Patres, ut brevem sermonem vobis faciam. Non est de schemate quod disceptatur, nam secretarius generalis, quamvis hoc ius ut Pater conciliaris habeat, huic iuri perpetuo renunciavit, vel melius exercitio iuris — iuri non possum renunciare —, sed idem est.

Oratio mea est circa ordinem procedendi sequentibus diebus. Crastina, uti vobis notum est, erit congregatio generalis et prosequetur disceptatio circa schema *de ministerio et vita presbyterorum*. Si qui Patres

supersint, qui loqui de hoc schemate velint vel, si forte discussio finiatur, loqui velint nomine 70, hoc facere possunt die 25 huius mensis. Nam hebdomada proxima, congregatio vacat — vacat congregatio, sed non vacat labor conciliaris, nam multum adlaborare debent commissiones et conferentiae episcopales, uti scitis. Attamen, qui loquentur die 25, vel nomine proprio vel forte nomine 70, tenentur — attendite bene — exhibere suam scriptam orationem, non summam, sed suam integram scriptam orationem, intra diem 18 sequentem, nempe feria secunda proxima. Igitur poterunt loqui die 25, sed exhibitio orationis scriptae integrae facienda est intra diem 18, nempe intra feriam secundam proximam. Bene explicavi!

Et quid erit post hebdomadam? Erunt congregationes generales, uti patet, et in his congregationibus prosequetur, si necesse sit, disceptatio circa schema quod nunc discutitur. Et habebuntur, si Deus faveat et commissiones adiuvent, uti speramus, suffragatio prima circa schema *de libertate religiosa,* et suffragatio secunda, nempe circa modos, schematum *de divina revelatione* et *de apostolatu laicorum.* Iam commissiones hoc promiserunt et speramus fore ut huic promissioni stent fideliter, pro ordine Concilii et pro felici exitu schematum quae supponentur votationi.

Die 28 erit sessio publica, uti dictum est. In sessione publica Sanctissimus Dominus statuit suffragationi subicere schemata quae hucusque approbata sunt a congregatione generali, i. e.: *de pastorali episcoporum munere, de accommodata renovatione vitae religiosae, de institutione sacerdotali,* et *de educatione christiana.*

Ordo sessionis publicae, ad agendum festinantius, hic erit: evolvetur sessio publica tribus phasibus — temporibus — ut ita dicam.

In primis, post orationes consuetas, iubente Summo Pontifice, legentur decreta vel declaratio, nam habetur declaratio *de educatione christiana.* Et statim ac unumquodque documentum lectum fuerit, procedetur ad suffragationem more solito: *placet* vel *non placet.*

Secundum tempus: celebratio Missae pro invocanda pace; habebitur concelebratio cui praeerit Summus Pontifex.

Post Missam concelebratam proferentur Summo Pontifici exitus suffragationum factarum; et, si Summus Pontifex censeat, ad publicationem procedetur. Hoc erit tertium tempus.

Hoc fit ne tempus inutiliter teratur inter operationes scrutinii et publicationem. Hoc tempore, Missa concelebrabitur ad invocandam pacem; et fere adnotandum quod concelebratio non pertinet tantum ad publicam sessionem, sed etiam ad ritum celebrandum pro hoc peculiari scopo: pro pace mundo a Deo conciliandas.

Post diem 28, forsitan necesse erit— hoc pendebit ex suffragationibus faciendis — habere congregationem generalem die 29 octobris — forsan, non possumus dicere certo nunc.

Sed a die 30 octobris usque ad diem 8 novembris erunt feriae mortuorum. Alicubi vocantur hi dies « aestas mortuorum » vel etiam « aestas S. Martini » — est etiam aestas pro Patribus conciliaribus.

A die 9, iterum incipient congregationes generales pro supponendis suffragationibus aliis schematibus quae nobis dabunt commissiones competentes — id vehementer speramus.

Forsan die 18 novembris, in festo Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli, habebitur alia sessio publica, in qua suffragationi subicientur et publicabuntur alia schemata, quae approbata fuerint interea a congregatione generali.

Quae deinceps futura sint vobis dicam tempore magis opportuno. Nam iam multa dixi, et ars prophetae est ars difficillima; movemur quasi in terreno arenoso, valde mobili, quia pendemus a labore commissionum. Sed non inutile fuit haec omnia summatim indicare; hoc erat necessarium et humanum erga Patres.

Possum aliquid anticipare, sed cum quadam trepidatione. In secunda medietate novembris habebitur aliqua hebdomadula vacationum adhuc, forsan, et Deus nos adiuvet!

Quoad schemata quae suffraganda erunt a die 25, nostra secretaria invenitur in plurimis difficultatibus, nam haec schemata typis imprimentur proximis diebus, sed traditio singulis Patribus nescimus quomodo fieri possit si iidem Patres longe a sua sede absunt; forsan poterimus in eorum domiciliis romanis tradere, sed hoc non est facile quia forsan aliqui Patres non erunt in domicilio romano. Cum maxima probabilitate id faciemus: die 25 distribuemus schemata, audiemus adhuc oratores *De ministerio et vita presbyterorum* et fiet relatio primi schematis suffragandi, et suffragatio habebitur postero die; hoc facilius erit. Sed, si poterimus, etiam in domicilio romano trademus schemata; faciemus quod poterimus nonne?

Nunc audiatis, Patres, exitum suffragationum ultimarum heri factarum circa schema *De habitudine* ... etc.

Suffragatio 400:

Praesentes votantes	2.072
Dixerunt *placet*	1.875
non placet	188
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	8

Suffragatio 401:

Praesentes votantes	2.080
Dixerunt *placet*	1.821
non placet	245
placet iuxta modum	4
Suffragia nulla	10

Lego vobis, Patres, textum suffragationis 402: n. 4, pag. 9, lin. 9 schematis, nempe *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas,* uti patet [*cf. pag. 694-695*]. *Placet* an *non placet?*

PATRUM ORATIONES

(*De ministerio et vita presbyterorum*)

1

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DÖPFNER

Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Venerabiles Patres,

Nomine loquor 65 Patrum linguae germanicae et *nationum* [1] Scandiae ...[2]

Relate ad textum schematis qui mense novembri anni elapsi editus fuerat, ...[3] magnus progressus observatur. *Ut omittam iam ab aliis Patribus dicta,*[4] placet *etiam* [5] notionem presbyteratus in schemate non solum sub respectu cultico conspici, i. e. ad sacrificium offerendum et sacramenta conficienda coarctari, sicut per tot saecula *saepe* [6] fiebat, sed ad triplex munus Christi extendi, et in hoc triplici munere rite et sincere adimplendo propriam viam sanctitatis sacerdotalis videri. *Et proinde hoc schema certe est basis opportuna pro ulteriore elaboratione* [7].

Attamen schema adhuc ex non paucis et gravioribus defectibus nobis laborare videtur, et quidem 1. quoad modum loquendi et sententiarum compositionem; 2. quoad problemata presbyteri hodierni nominanda et superanda.

I – *De modo loquendi et de compositione sententiarum.* A) Schema saepius adhuc nimis sapit lectionem spiritualem. Ratione mentalitatis hodierni hominis atque indolis documenti conciliaris relate ad stylum sit magis sobrium, et relate ad expressionem theologicam exactius.

Sacerdotes nostrae aetatis v. g. aegre patiuntur, si de ipsis dicitur se « pretiosam constituere spiritualem coronam episcoporum », uti fit n. 6, etsi haec idea pulchra iam a S. Ignatio Antiocheno insinuatur, vel si ad omnia, etiam parva et prorsus naturalia, in vita sacerdotali occurrentia religiosa motiva afferuntur ...[8]

Respuunt quoque sacerdotes hodierni, si repetuntur, quae millies dicta et nimis nota sunt; quod saepe fit in *nostro* [9] schemate.

Ad expressiones vere theologicas quod spectat: Inveniuntur in schemate multa, quae in pio libro dicere licet, sed non in documento conciliari. Quomodo v. g. presbyteri communicare possunt cum fidelibus « fidem, gratiam et plenitudinem, quas in Domino habent », uti legitur in n. 2? Nonne Christus solus per Spiritum suum vitam supernaturalem communicat? *Aliae superlationes quoad relationem inter sacerdotes et ceteros fideles laicos etiam aliis in locis schematis inveniuntur et indicantur in adnexo quod scripto secretariatui trado.*[10]

B) Ad compositionem schematis quod attinet, plura mutanda vel transponenda esse videntur.

In partibus doctrinalibus schema repetit et amplificat ea, quae in constitutione dogmatica *de Ecclesia* inveniuntur: hinc multae iterationes occurrunt: v. g. de dependentia presbyteri ab episcopo, praeter propositionem sextam, quae tota, *et quidem iure,*[11] agit de habitudine inter episcopos et presbyteros, in sex propositionibus quattuordecies sermo est; de momento Eucharistiae pro vita et ministerio sacerdotali, *quae certe maximi momenti est,*[12] necnon pro communitate quinquies et quidem in longum agitur.

Quoad ordinem propositionum: *Ut unum solum exemplum hic in meo interventu afferam* [13]: tertium comma n. 7 de confraternitate presbyterorum non pertinet ad ministerium, sed ad vitam presbyteri; ideo transponatur in secundam partem.

In secunda parte schematis quoad compositionem multa desiderantur: Nihil invenitur de situatione personali presbyterorum, quod autem a multis iure exspectatur; nihil legitur de habitudine presbyteri ad mundum bonaque terrestria, exceptis illis, quae in n. 17 de recto usu bonorum dicuntur, quae vero sunt valde unilateraliter dicta. Porro: non placet quod agitur explicite in speciali propositione de consiliis evangelicis in vita presbyteri, etiamsi res ipsa omnino conveniat. Ut propria via sanctitatis sacerdotum saecularium in lucem proferatur et a via religiosorum aliquomodo distinguatur, praeferrem, si *forte* [14] in singulis propositionibus ageretur: *a*) de coelibatu servando et ut dono aestimando, *b*) de recto usu bonorum et de paupertate, *c*) de spiritu humilitatis et oboedientiae.

II – *De problematibus presbyteri hodierni.* Omnes sciunt difficultates presbyterorum in mundo hodierno valde auctas esse. Rationes huius facti sunt multiplices ...[15]. Spectant hae difficultates imprimis ad eorum situationem personalem et *etiam* [16] pastoralem.

Vivunt presbyteri nostri temporis etiam in regionibus catholicis ob fundamentales mutationes sociologicas et dissolutionem multorum ordinum hucusque vigentium in quadam diaspora et proinde solitudinem et isolationem magis quam in temporibus anteactis patiuntur. Situatio pastoralis, *vero* [17], ultimis decenniis funditus mutata et aggravata est. Hinc multi presbyteri, praesertim provectioris aetatis, se non iam pares laboribus ipsis commissis sentiunt. In campo theologico, anthropologico aliarumque scientiarum theoreticarum et practicarum multa nova sunt addiscenda. Ex his omnibus venit, quod presbyteri sui laboris *haud raro* [18] successum saepe frustra desiderant et inde deprimuntur, immo, *quod scimus omnes nos presbyteri* [19], non raro ex dubitationibus fidei laborant.

Ad haec et alia problemata realia vitae sacerdotalis hodiernae schema, praesertim in parte secunda, non satis respondet. Parum et disiunctis in locis legitur de nova situatione pastorali; sed ad personales presbyteri difficultates vix sufficienter et sincere respondetur. *Etiam quoad hoc punctum diversa proposita specialia afferam in scriptis.*[20]

Denique: nihil fere habetur in schemate *nostro* [21] de pastoratione ipsorum pastorum, qui pondus diei et aestus portant et animas gregis curant.

Concludo. Quoad stylum, expressiones theologicas et quoad compositionem sententiarum diversa in schemate emendanda nobis esse videntur. Et secundo: schema ...[22] deberet magis insistere in *problematibus* [23] ministerii et vitae presbyterorum nostri temporis, ita ut esset pro his magna charta Concilii Vaticani II ...[24]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] quorum nomina adnexa sunt. [3] ex novis et multis animadversionibus ad commissionem transmissis et ab illa respectis. [4] Ordo logicus concinnior factus est. Sententiae meram devotionem redolentes vel phrases nimis enthusiasticae multis in locis eliminatae sunt. Citationes S. Scripturae tantum ornamenti causa allatae vel non ad rem spectantes diminutae sunt. [5] praesertim. [6] deest. [7] deest. [8] sicuti v. g. invenitur in n. 7, ubi sententiae de confraterna et amicabili conversatione relaxationis gratia habita haec adduntur: « ... memores verborum quibus ipse Dominus apostolos defatigatos misericorditer invitabat: venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum ». [9] deest. [10] Vel quomodo potest serio dici presbyteros debere imitari « Dominum Iesum, quem Pater sanctificavit et misit in mundum: Verbum enim Dei, caro factum, ... (qui) voluit per omnia fra-

tribus similari, absque tamen peccato »? (n. 1). Nonne talis expressio insinuat sacerdotem ratione unctionis sacerdotalis supra statum hominis aliquomodo elevari? Tales superlationes quoad relationem inter sacerdotes et ceteros fideles laicos etiam aliis in locis schematis inveniuntur (v. g. in prop. 8, pag. 26, linn. 1-10). [11] deest. [12] deest. [13] De natura presbyteratus et de condicione presbyterorum, de quibus agit prima propositio, melius in duabus propositionibus separatis agatur. Porro. [14] deest. [15] sed hoc loco non amplius investigandae. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] Sic v. g. apertum verbum dicendum esset de coelibatu, qui una ex parte est donum « quod a Patre quibusdam datur » (const. dogm. *de Ecclesia,* n. 42, lin. 3, cum referentia ad *Mt.* 19, 11) et ex altera parte in Ecclesia occidentali ab omnibus presbyteris postulatur. Responsum ad hanc difficultatem in schemate datum est prorsus insufficiens et non spectat ad rem. Si enim ad obiectionem eorum qui dicunt continentiam perfectam fere impossibilem esse, affertur verbum Domini ex Evangelio S. Lucae (18, 27): « Impossibilia apud homines possibilia sunt apud Deum », tunc hoc verbum 1. non in omni casu convenit, et 2. hoc loco non ad continentes, sed ad possidentes dirigitur et ad eorum salutem aeternam periclitantem spectat. Indicandum ergo esset in textu schematis Ecclesiam scire omnino problema huius quaestionis, sed iure exspectare donum coelibatus pro sufficienti numero candidatorum ad Ordinem promovendorum, dummodo Deus humiliter rogetur et candidatus respective sacerdos faciat quod in se est. [21] deest. [22] postquam tam auctum est. [23] problemata. [24] Emendationes singillatim faciendae et novi textus a nobis in scriptis secretariatui generali tradentur.

[*Adhaeserunt*] Exc.mi Angerhausen, ep. aux. Essendien., Aufderbeck, ep. aux. Fulden., Bliestle, sup. gen. M.S.F., Bolte, ep. Fulden., Buchholz, praef. apost. Shihtsienen., Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen., Cobben, ep. Helsinkien., Emanuel, ep. Spiren., card. Frings, arch. Colonien., Gnädinger, ep. aux. Friburgen., Grimm, ep. Zinceuven. et adm. ap. Sibolgaen., Häring, ep. Scioceuven., Hengsbach, ep. Essendien., Hiltl, ep. aux. Ratisbonen., Hintringer, praef. ap. Khiamuszen., Hoeck, abb. praes. Congr. Bavaricae O.S.B., Hoehne, vic. ap. Rabaulen., Hoeffner, ep. Monasterien., Hofmann, ep. coad. Passavien., Janssen, ep. Hildesheien., Jobst, vic. ap. Kimberlisien., Kaiser, prael. null. Caravelien., Kampe, ep. aux. Limburgen., Kelleter, ep. Bethlehemn., Kempf, ep. aux. Herbipolen., Koberger, sup. gen. Congr. Lat. Austria Klosterneuburg Vindobonen., Koestner, ep. Gurcen., Koenner, ep. tit. Modrenus, Koppmann, vic. ap. Vindhoeken., Laszlo, ep. Sideropolitan., Lenhardt, ep. Bambergen., Musty, ep. aux. Namurcen., Neuhäusler, ep. aux. Secovien., Pachowiak, ep. aux. Hildesheien., Pietsch, ep. aux. Secovien., Reuß, ep. aux. Moguntin., Riha, abb. praes. Congr. Austria O.S.B., Rohracher, arch. Salisburgen., Rosenhammer, vic. ap. Chiquitosen., Rusch, adm. ap. Oenipontan., Schaffran, ep. aux. Vratislavien., Schäufele, arch. Friburgen., Schick, ep. aux. Fulden., Schmitt, ep. Bulanaien., Schmidt, ep. aux. Treviren., Schneider, arch. Bambergen., Schräder, ep. aux. Osnabrugen., Schoiswohl, ep. Secovien., Spülbeck, ep. Missnen., Stangl, ep. Herbipolen., Stimpfle, ep. Augustan. Vindel., von Streng, ep. Herbipolen., Theissing, ep. aux. Berolin., Tenhumberg, ep. aux. Monasterien., Verschuren, ep. coad. Helsinkien., Vonderach, ep. Curien., Wechner, ep. aux. Oenipontan., Wehr, ep. Treviren., Weigl, ep. Ikelaën., Weinbacher, ep. aux. Vindobonen., Wember, vic. ap. Norvegiae Septemtr., Zak, ep. S. Hippolyti, Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel., Häsler, ep. S. Galli.

Animadversiones additae:

Ad Prooemium et Partem I: *De presbyterorum ministerio.*

Ad Prooemium: par. 11, linn. 5-11, quae fluxum et ordinem logicum compositionis interrumpunt, opportunius transferantur in initium n. 2, cum quo incipiunt propositiones de triplici munere presbyterorum.

Pag. 11, lin. 15, sic mutetur: « ... fusius et profundius de illo, praesertim de presbyteris dioecesanis tractare. Quae omnia, congrua congruis referendo, applicanda sunt etiam Presbyteris religiosis, qui curae animarum inserviunt. Quapropter... ». *Ratio*: decretum agit praecise de presbyteris curae animarum inservientibus, imprimis dioecesanis, sed religiosis non exclusis.

Pag. 11, linn. 16-18: dicatur: « Quapropter, ut in adiunctis pastoralibus et humanis persaepe tam funditus mutatis eorum ministerium efficacius sustineatur atque eorundem vitae melius provideatur, Sacrosancta... ». *Ratio*: ut idea « accommodationis ad necessitates huius temporis », quae est idea centralis totius Concilii, magis in lucem proferatur.

Ad n. 1 integrum: de natura presbyteratus et de condicione presbyteri, de quibus n. 1 agit, melius in duobus numeris separatis agatur.

Pag. 12, linn. 34-38: loco « ideoque » ponatur punctum et inchoetur nova sententia his verbis: « Quare, quamvis ad sacerdotium commune fidelium ordinatur, quo... offerunt, (omittitur: "sed") ad illud... ». *Ratio*: auctoritas, utpote connotans potestatem, designat potius elementum distinctivum sacerdotium sacramentale inter et commune, quare vix potest dici « ideoque ».

Pag. 13, lin. 3: addatur: « ... sed ex institutione divina etiam... ». *Ratio*: sacerdotium Novi Testamenti non ex natura rei, sed ex institutione positiva Christi « peculiari initiatione sacramentali indiget ».

Pag. 12, lin. 17: loco « munus » dicatur « munera ». *Ratio*: 1. Vocabula « munus » (in singulari) et « ministerium » sunt synonyma. 2. Ut differentia specifica inter episcopos et presbyteros in tuto collocetur.

Pag. 13, lin. 5: loco « speciali modo » ob rationem stylisticam et theologicam dicatur « expressius ».

Pag. 13, lin. 6: loco « missionis episcopalis » dicatur « eius missionis » (scil. Christi). *Ratio*: ratio, cur sacerdos in persona Christi agere valeat, consistit in participatione (scil. sacramentali) missionis Christi. Expressio « missio episcopalis » vitetur, quia est ambigua: sensu quodam latiore quidem significat participationem missionis Christi; sed in sensu technico significat missionem, qua episcopus determinato gregi ut caput praeficitur (passive), vel missionem qua episcopus sacerdoti determinatum officium (v. g. paroeciale) confert (active). Sed neutra initiatione sacramentali qua tali confertur.

Pag. 13, lin. 8: loco « Pontificis et Rectoris » dicatur « Sacerdotis et Pastoris ». *Ratio*: est expressio magis pastoralis.

Pag. 13, lin. 13: deleantur verba: « quasi ab inexhausto fonte ». *Ratio*: sic longa sententia saltem aliquantulum abbreviatur.

Pag. 13, lin. 21 - pag. 14, lin. 18: tota haec pericope tamquam novus numerus ponatur (cf. supra) et sic sonet: « 1 bis. (De condicione presbyteri). Licet vero presbyteri ad opus plane sanctum et in ordinem (vel: statum) proprium eligantur, in medio hominum vivunt ac cum ipsis, pro quibus constituuntur in iis, quae sunt ad Deum (cf. *Hebr.* 5, 1), tamquam cum fratribus conversantur. Imitantur sic

Dominum Iesum (omittuntur allusiones ad *Io.* 10, 36; 1, 14; *Mt.* 1, 23) Pontificem nostrum, qui quamvis "Christus", i. e. unctus et sanctificatus per Patrem, per omnia fratribus similari debuit (cf. *Hebr.* 2, 17), ut possit compati infirmitatibus nostris (cf. *Hebr.* 4, 15). Presbyteri Novi Testamenti vocatione quidem sua quodammodo in sinu populi Dei segregantur, sed non ut separentur ab eo nec etiam a quovis homine, sed ut totaliter consecrentur operi, ad quod assumpti sunt (cf. *Act.* 13, 2), et ut sortes eorum participent, in quorum utilitatem et servitium mittuntur, sicuti testatur Paulus, Doctor gentium, qui omnibus omnia fieri voluit, ut omnes faceret salvos (cf. *1 Cor.* 9, 19-23 Vg) (omittuntur allusiones ad *Mt.* 19, 27; *Lc.* 5, 11; *Mc.* 1, 17). Ministri (om.: enim) Christi esse non possent nisi alius vitae quam terrenae testes essent et dispensatores, sed neque hominibus inservire valerent si eorum vitae condicionique extranei remanerent. Quare caveant, ne vocationis (vel: electionis) suae ad sancta immemores se in res mundanas immergant (omittuntur allusiones ad *Rom.* 12, 2; *Mt.* 5, 13), sed simul sicut boni pastores oves suas cognoscant, persentientes mentem hominum eorumque vitam non solum individualem et familiarem, sed etiam oeconomicam, culturalem et socialem. Ita enim solummodo possunt apto et efficaci modo eis loqui eosque adiuvare, ut totam suam vitam spiritu Evangelii imbuant ». *Ratio*: 1. Ordo logicus sententiarum in hac pericope concinnior faciendus est. 2. Comparatio condicionis presbyteri cum condicione Christi, sicuti in schemate legitur, non quadrat. Nam nemo potest descensum Filii Dei in mundum seu mysterium Dei-Hominis, Emmanuelis, qua talem imitari. Ideo tertium comparationis relate ad ideam imitationis Christi exactius exponendum est. 3. Citationes de exemplo apostolorum ex Evangelio desumptae (*Mt.* 19, 27; *Lc.* 5, 11; *Mc.* 1, 17) spectant directe ad habitudinem, quae intercedit inter Dominum et suos discipulos, non autem ad relationem pastoris ad gregem pascendam, quae est idea centralis huius numeri. Quare eliminentur.

Ad n. 2. Pag. 14, lin. 19: Praemittatur huic numero illa sententia Prooemii (pag. 11, linn. 5-11), cuius transpositio supra proposita est: « Presbyteri ergo, sacra Ordinatione... indesinenter aedificatur. Primum populus Dei constituitur verbo Dei vivi... ».

Pag. 14, linn. 28-30: Sententia sic abbrevietur: « Praecipuum ergo munus presbyterorum est, una cum episcopis eiusque moderantibus... ». *Ratio*: non videtur necesse relationem ad episcopos iterum atque iterum repetere.

Pag. 14, lin. 32: omittatur verbum « generali », quia superfluum est.

Pag. 14, linn. 36-38: quomodo possunt presbyteri cum fidelibus communicare « fidem, gratiam et plenitudinem, quas in Domino habent »? Nonne Christus solus per Spiritum suum vitam supernaturalem communicat? Presbyter est tantum instrumentum in manu Christi. Expressio sit ergo theologice exactior!

Pag. 15, linn. 1-2: dicatur loco verbi « utiliter », expressionis valde communis et non multum dicentis, « ... eorum est semper non sapientiam suam, sed Dei verbum docere... ».

Pag. 15, linn. 9-10: ne bis adhibeatur verbum « requitur », sententia fortasse sic incipere poterit: « Praecipuum locum tenet Verbi Dei praeconium in Missarum celebratione... ».

Ad n. 3. Pag. 15, linn. 22-27: hae lineae sunt stylistice recognoscendae, quia continent 4 sententias ab invicem dependentes. Sonent ergo fere hoc modo: « Hinc presbyteri non solum ad ministerium Verbi mittuntur, sed a Deo, ministrante episcopo, consecrantur, ut sint ministri Christi sacerdotis, qui in Liturgia sacerdotale

munus suum iugiter exercet, ad sanctificationem fidelium. Quam sanctificationem peculiari modo procurant... ».

Nota: Separando ab invicem verba « consecrantur » et « mittuntur » vitatur quoque falsi intellectus periculum, ac si potestas sacerdotis missione canonica collata a Deo daretur.

Pag. 15, linn. 30-36: idea in his lineis contenta non pertinet ad thema huius numeri ideoque hae lineae deleantur (vel saltem transferantur ad n. 7 de habitudine inter episcopos et presbyteros).

Pag. 15, lin. 37: loco verbi « tamen », quod hic sensum non habet, dicatur « vero ».

Pag. 15, lin. 40 - pag. 16, lin. 2: ut sententia melius intelligatur, subiectum (scil. credentes) in initio sententiae ponantur: « Credentes enim, qui per sacrum baptisma in populum Dei seu congregationem fidelium signantur, communicando Corpori et Sanguini Christi plenius inseruntur Corpori Christi mystico aedificanturque... ».

Pag. 16, linn. 4-8: deleantur hae lineae, quia non stricte pertinent ad thema huius numeri et quia de Sanctissima Eucharistia in schemate variis in locis iam sermo est.

Pag. 16, linn. 8-10: omissione facta, de qua immediate supra, haec sententia sic incipiat: « Eucharisticae Synaxi vero, quae est centrum et fons vitae (omittitur: congregationis) fidelium, presbyter praeest ».

Pag. 16, linn. 24 s.: loco « in virtute » dicatur « in vita spirituali ». *Ratio*: terminus vitae spiritualis latius patet quam virtutis et est expressio profundior.

Pag. 16, linn. 27-34: hae lineae non pertinent ad thema huius numeri ideoque melius transferantur ad n. 12, pag. 33, lin. 14.

Ad n. 4. Pag. 17, lin. 5: verba « pastoris » et « Capitis » melius commutentur.

Pag. 17, lin. 7: omittatur « ducentibus episcopis », quia haec idea per se patet.

Pag. 17, linn. 10-11: sententia ita legatur: « Ad hoc autem ministerium exercendum, sicut ad cetera munera presbyteri, requiritur potestas... ». *Ratio*: textus uti in schemate legitur, insinuat potestatem tantum ad hoc munus requiri, quod autem verum non est. Nam etiam ad alia munera sacerdotis, scil. docendi et sanctificandi, eadem potestas requiritur. Ceteroquin tria munera adaequate distingui nequeunt (quod ipse textus subsequens demonstrat »: « ... docere et agere... », lin. 17).

Pag. 17, linn. 28-29: quia subiectum idem est ac in sententia antecedenti, nova alinea incipiat sic: « Quapropter ut fidei educatores (omittitur: singulos) fideles... ». Verbum « singuli » superfluum est, quia per se patet.

Pag. 17, linn. 37-38: ob rationem stylisticam sic dicatur: « Edoceantur ergo christiani, ut non sibi solum vivant, sed... ».

Pag. 18, linn. 3-8: haec sententia in sua prima parte pertinet ad n. 8 (de presbyterorum cum laicis conversatione), in secunda parte (« eosque in perfectionem... ») repetit tantum, quae saepe iam dicta sunt, et nihil novi affert. Continuetur ergo textus sic: « Quamvis presbyteri (om.: vero) omnibus debitores sint... ».

Pag. 18, linn. 22-24: ut nova idea huius alineae melius in lucem proferatur, sic incipiat sententia: « Munus vero pastoris non solum ad singulos spectat, sed

ad genuinam communitatem christianam efformandam. Fovere ergo satagant presbyteri... ».

Pag. 18, linn. 39 ss.: haec sententia immediate alineae antecedenti adiungatur!

Pag. 19, linn. 1-7: hae lineae melius, scil. ob rationes logicas, ponatur in pag. 17, lin. 20, ubi immediate primae alineae n. 4 adiungantur, hoc modo: « Numquam obliviscantur se non ministros... ».

Pag. 19, lin. 5: loco « ab episcopo » ob sensum huius sententiae exactius dicatur « a Christo », et consequenter cetera verba, quae sequuntur (« quocum coniuncti... celebrare ») omittenda sunt.

Ad n. 5. Pag. 19, lin. 16: omittatur « presbyteri », quia subiectum huius sententiae non est aliud ac in praecedenti.

Pag. 19, lin. 30 - pag. 20, lin. 4: tota haec pericope magis logice ordinetur, respiciendo insuper magis necessitates nostri temporis, forsan hoc modo: « Ut vero intelligant, quae legunt, in multis hodie necesse est, consulere probatos scientiae exegeticae auctores; sed caveant, ne novitatis cupiditate seducti a sana doctrina aberrent vel Dei verbum adulterent. Ne negligant ergo studium solidum traditionis, imprimis Patrum et magnorum theologorum, necnon magisterii ecclesiastici documentorum, et in omnibus sacrae theologiae disciplinis scientiam suam semper renovent et compleant. Ad aptas vero responsiones reddendas quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis bene noscant Magisterii ac praecipue Romanorum Pontificum documenta, quibus accedat opportuna cognitio scientiarum humanarum, earum praesertim, quae ad proprium ministerium efficacius exercendum peculiari modo pertineant. Sic studium ad praecipua officia status sacerdotalis pertinet ideoque per totam vitam protrahatur oportet ».

Pag. 20, lin. 11 - pag. 21, lin. 8: in his duabus alineis bis de specialibus cursibus, conferentiis etc. sermo est, proinde melius cum invicem componantur oportet.

Ad n. 6. Pag. 21, linn. 10-16 ita legatur: « Presbyteri omnes unum idemque Christi sacerdotium et ministerium per episcopos (omittatur: sub eorum auctoritate) ita participant, ut ipsa unitas missionis requirat omnimodam presbyterorum unitatem cum episcopis (omittitur: Ordine), cuius cooperatores facti sunt ». *Ratio*: non bene intelligitur, quid significet participatio *sub* alicuius auctoritate. Omittitur « Ordine », quia unitas immediate habetur cum proprio Ordinario (vel pro religiosis: cum superiore maiore) et tantum hoc ipso mediante cum ordine vel collegio episcoporum.

Pag. 21, lin. 16: quia haec sententia habet novum subiectum, scil. episcopos, hoc in initium ponatur, ut sententia statim intelligatur: « Episcopi igitur, in memoriam revocantes... »; deleatur proinde verbum « Episcopi » in lin. 18.

Pag. 21, linn. 26-31: omittatur referentia ad exemplum Moysis (*Num.* 11, 16-25), etiamsi invenitur in Pontificali Romano, quia theologice non quadrat. Nam in Ordinatione sacra non spiritus episcopi, sed Spiritus Sanctus ministrante episcopo transit in Ordinandos (sicut in citatione ex Trad. Apost. desumpta et sub nota 31 in pag. 46 allata clare dicitur).

Pag. 21, lin. 33: dicatur: « ... ut socios, immo ut fratres et amicos considerent », quia semel saltem in toto schemate dici debet episcopos esse etiam fratres presbyterorum (cf. *Mt.* 23, 8 ss.), licet subditi eorum maneant.

Pag. 21, lin. 34: non tantum per unum verbum sermo sit de bono spirituali presbyterorum, quod episcopis cordi esse debet. Multo amplius de pastoratione ipsorum pastorum agatur, ad quam pastorationem procurandam episcopi stricte obli-

gantur. Huiusmodi sententia opportune in fine primae alineae huius numeri poni poterit.

Pag. 21, linn. 35-38: loco sententiae « Ipsi enim... coronam episcoporum » ponatur: « Eos libenter audiant, immo consulant et cum illis colloquantur de omnibus, quae ad necessitates operis pastoralis et ad bonum dioeceseos spectant ». *Ratio*: 1. Celebratio mysteriorum et certamen fidei non solum presbyteris cum episcopis, sed etiam cum laicis commune est. 2. Expressio « pretiosa spiritualis corona episcoporum », licet desumpta sit ex mentalitate S. Ignatii Antiocheni, pro hominibus huius temporis sapit paternalismum et byzantinismum.

Pag. 22, lin. 41 - pag. 23, lin. 8: de hodierna et in multis nova et aggravata condicione pastorali amplius agenda esset, fortasse in propria propositione, in proprio numero.

Ad n. 7. Pag. 23, linn. 22-23: omittatur: « per Ordinationem in ordine presbyteratus constituti, specialiter ». *Ratio*: unitas presbyteratus universalis comparari nequit cum illo presbyterio quod in unaquaque dioecesi sub episcopo efformatur, quia deest ille nexus specificus, qui intercedit inter episcopum Ordinarium et presbyterum ratione missionis canonicae.

Pag. 23, linn. 26-28: ob rationes stylisticas sententia sic incipiat: « Quapropter inter omnia huiusce presbyterii membra speciales ministerii et fraternitatis nexus oriuntur; quod iam... ».

Pag. 24, lin. 23 - pag. 25, lin. 14: tota haec pericope non pertinet ad ministerium, sed ad vitam presbyterorum, ideoque ad secundam partem transferatur.

Pag. 24, linn. 31-34: quamvis citatio ex S. Marco sit ad rem, tamen pro mentalitate hominis hodierni non opportunum videtur, ut ad omnia, etiam parva et prorsus naturalia afferantur motiva religiosa.

Ad n. 8. Pag. 25, lin. 28: resumantur hic iterum verba ex priore textu, quia praecise declarant, ex quo fonte omnibus christianis aedificatio Corporis Christi demandetur. Sententia ergo sic sonet: « ... cuius aedificatio omnibus in fonte baptismatis regeneratis et sacro chrismate signatis, secundum mensuram gratiae et donum quod singulis datur, demandata est ».

Pag. 26, linn. 7-11: sententia sic abbrevietur et mutetur: « ... sed etiam illas virtutes ne negligant (omittitur: quibus, ad imitationem Christi Domini, qui est "perfectus Deus, perfectus homo", omnes ordinati sint oportet), quae praesertim hodie in humano consortio magni aestimantur... ». *Ratio*: etiam illis virtutibus, de quibus in lineis praecedentibus (4-6) sermo est, omnes christiani ornati sint oportet. In sequentibus vero lineis agitur de virtutibus, quae in societate moderna praesertim aestimantur. Ceteroquin terminus biblicus « imitationis Christi » non primarie spectat ad imitationem variarum virtutum Domini nostri, sed ad imitationem illius amoris, quo Christus se tradidit pro hominibus in mortem (cf. insuper quae supra ad locum schematis n. 1, pag. 13, linn. 21 ss. notata sunt).

Pag. 26, linn. 20-28: omittantur hae lineae, quia omnia in eis contenta supra diversis in locis expresse iam dicta sunt et quia non pertinent ad thema huius numeri, in quo sermo est de cooperatione inter presbyteros et laicos. De cetero videntur esse aliqua detrectatio laicorum, qui per referentiam ad verbum ex Lamentationibus Ieremiae Prophetae tamquam pauperes et esurientes exhibentur.

Pag. 26, linn. 28-29: deleta phrasi linn. 20-28 sententia sequens incipiat ab his verbis: « Presbyteri, memores illius Domini: "Non vocemini magistri, quia magister vester unus est, Christus" (*Mt.* 23, 10), sincere laicorum dignitatem

atque propriam, quam in missione Ecclesiae habent partem, ... ». *Ratio*: optimi laici hodie expectant sinceram cooperationem cum presbyteris in campo communis apostolatus.

Pag. 26, linn. 33-36: hae lineae ita scribantur: « Libenter (om.: igitur presbyteri) laicos audiant, eorum desideria fraterne considerent, exque eorum experientia in diversis campis activitatis humanae discant... ». *Ratio*: resumptio subiecti, scil. presbyteri, non est necessaria; verbum « agnoscant » paucis lineis ante iam adhibitum fuerat; praeterea novum verbum « discant » melius exprimit rem, de qua agitur.

Ad n. 10. Pag. 30, lin. 17: textus augeatur: « prudentibus et vividis christianis in spiritu innotescit... ». *Ratio*: ut elementum gratiosum in cognitione vocationis ad sacerdotium aliquantulum in lucem ponatur.

Ad partem II: De presbyterorum vita.

Praenotanda. Dum I pars schematis materiam plus minusve complete proponit et quoad consecutionem numerorum bonum ordinem logicum praesefert, haec de II parte dici nequeunt. Maximus defectus huius partis in eo consistere videtur, quod idea exemplaris presbyteri, quae hic proponitur, est nimis spiritualistica. Nihil invenitur in illa de rebus humanis presbyteri, sphaerae ut ita dicam personalitatis, nihil de condicione sua valde difficili in mundo hodierno, quamvis superscribatur « De presbyterorum vita ». Estne haec vita tantum supernaturalis?

Pro tali conceptione spiritualistica eo crassius apparet disiunctio inter numeros, qui de vita spirituali presbyteri agunt, et alios, qui res materiales, scilicet remunerationem presbyterorum in tuto collocandum, tractant. Ut haec imparitas aliquomodo auferatur et materia vitam presbyterorum respiciens, in quantum fieri potest, compleatur, proponimus, ut pars II sequenti modo reordinetur. Agendum est:

1) de condicione presbyterorum in mundo hodierno; 2) de habitudine presbyteri ad mundum bonaque terrestria; 3) de peculiari exigentia sanctitatis in vita sacerdotali; 4) de exercitio triplici muneris sacerdotalis tamquam via sanctitatis propria presbyterorum; 5) de coelibatu amplexando et ut dono aestimando; 6) de spiritu humilitatis et de oboedientia; 7) de recto usu bonorum et de paupertate; 8) de subsidiis vitae spiritualis fovendae; 9) de unitate vitae spiritualis presbyterorum efformanda; 10) de aequa remuneratione presbyterorum providenda; 11) de praevidentia sociali in favorem presbyterorum; 12) exhortatio.

Emendationes et novi textus ad singulos numeros partis II. Nota bene: in quantum hic novi textus exhibentur, tantum speciminis gratia ponuntur; certe indigent adhuc ulteriore emendatione.

Ad novum n. 11 (novus textus). Novus textus sic sonet: « 11. (De condicione presbyterorum in mundo hodierno). Cum presbyteri tamquam confratres scholae Christi et coadiutores in opere redemptionis adimplendo episcopis a Domino adsociati atque concrediti sint, haec Sancta Synodus etiam eorum vitae omni cura providere intendit. Haec cura illam eo magis premit, quo apertius prae oculis omnium sunt difficultates vitae presbyterorum nostris temporibus valde auctae. Vivunt presbyteri etiam in regionibus catholicis ob fundamentales mutationes culturales ac sociologicas et dissolutionem multarum consuetudinum hucusque vigentium persaepe in quadam diaspora, et proinde solitudinem et isolationem magis quam temporibus anteactis patiuntur. Condicio quoque pastoralis ag-

gravata est. In campo scientiarum theoreticarum et practicarum multa nova eis sunt addiscenda. Ex his omnibus venit, quod non pauci sui laboris successum frustra desiderant.

Cognoscant presbyteri, quantum momentum in talibus rerum adiunctis confraternitati inter omnes, qui in vinea Domini laborant, conveniat. Recordentur ergo illius Apostoli: « Alter alterius onera portate » (*Gal.* 6, 2). Omni qua par est sollicitudine bono confratrum invigilent. Spiritu fraterno ducti hospitalitatem ne obliviscantur... (sequitur textus pag. 24, lin. 24 - pag. 25, lin. 14 schematis, sed omissa phrasi linn. 31-34, sicut supra notatum est)... magna caritate semper prosequantur ». *Ratio*: patet ex Praenotandis supra positis.

Ad novum n. 12 (novus textus). Novus textus sic sonet: « 12. (De habitudine presbyteri ad mundum bonaque terrestria). Amicabili et fraterna conversatione inter se et cum ceteris hominibus, quibus regnum Dei cordi est, discant presbyteri, valores humanos colere et bona creata tamquam Dei dona aestimare. Versantes in mundo sciant tamen semper se secundum verbum Domini Magistri nostri non esse de mundo (cf. *Io.* 17, 14-16). Utentes ergo mundo tamquam non utentes (cf. *1 Cor.* 7, 31), pervenient ad illam libertatem, qua liberati ab omni cura inordinata dociles fiunt ad vocem divinam in vita cotidiana audiendam. Ex hac libertate et docilitate excrescit discretio spiritualis ad rectam habitudinem circa mundum bonaque terrestria inveniendam. Quae habitudo etiam pro presbyteris magni est momenti, quia salus nostra in medio mundo perficitur et bona creata profectui personali hominis prorsus sunt necessaria. Nihil solliciti (cf. *Phil.* 4, 6) gratias ergo agant pro omnibus, quae eis a Patre caelesti ad vitam recte peragendam donantur. Discernant tamen oportet in lumine fidei omnia, quae eis occurrant, ut ad rectum usum bonorum Dei voluntati respondentem ducantur et respuant, quae saluti suae sunt obnoxia ». *Ratio*: vide Praenotanda supra posita!

Ad novum n. 13 (= n. 11 schematis praesentis). Hic numerus fere ita componatur: « 13. (Peculiaris exigentia sanctitatis in vita sacerdotali). Omnibus fidelibus dictum est: "Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est" (*Mt.* 5, 48); omnes enim in fonte baptismi sanctitatis Christi in Ecclesia participes facti sunt. Presbyteri vero peculiari modo atque variis titulis ad caritatem perfectam assequendam adstringuntur. Primarie ratione unctionis sacerdotalis, qua expressius et firmius Christo sacerdoti configurantur, qui est "sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus" (*Hebr.* 7, 26) (omittitur pag. 31, linn. 5-9), sed etiam munere sibi commisso pro populo Dei fructus sanctitatis ferre officio tenentur. Quinimmo per ipsas cotidianas sacras actiones... (sequitur textus ut in schemate, pag. 31, linn. 17-33) "... vivit vero in me Christus" (*Gal.* 2, 20). Presbyteri ergo non ita se externis sui muneris devoveant inceptis, ut propriam sanctimoniam neglegant, memor verborum S. Pauli: "Castigo corpus meum, et in servitium redigo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar" (*1 Cor.* 9, 27).

Quapropter haec Sacrosancta Synodus (sequitur textus pag. 32, linn. 11-18) ... in servitium totius populi Dei ». *Ratio*: 1. Totus numerus secundum varios titulos, ob quos presbyteri speciali modo ad sanctitatem obligantur, scil. ordo sacramentalis, munus sacerdotale, ministeria sacerdotalia, gratiae Dei ministris suis communicatae, reordinandus esse videtur fere hoc modo, quo supra fit. 2. Citatio *Lev.* 21, 8 omittitur, quia non est ad rem; agitur enim de sanctitate cultica. 3. Expressio « fructus sanctitatis ferre » videtur esse theologice exactior.

Ad novum n. 14 (textus partim novus, partim ex n. 12 schematis). Textus ita componatur: « 14. (De exercitio triplicis muneris sacerdotalis tamquam via sanctitatis propria presbyterorum). Propria presbyteri via ad fructus sanctitatis ferendos est sincerum et indefessum exercitium munerum quae ei committuntur. Quod enim exercitium requirit pariter et stimulat sanctitatem vitae.

Cum a presbyteris veritates fidei sint docendae... (continuatur textus ut exstat in schemate, pag. 32, lin. 26 - pag. 33, lin. 34, sed cum emendationibus infra positis) ... ». *Ratio*: argumentum huius numeri ita praecisius introduci posse videtur. Vitatur conceptus « sanctitas sacerdotum propria », qui est ambiguus (nam magis ad sanctitatem culticam referri videtur).

Pag. 33, lin. 14: hoc loco afferri potest sententia ex n. 3, pag. 16, linn. 27 ss. desumpta, quia melius cum tenore praesentis numeri componitur.

Pag. 33, lin. 14: loco « Simul a Deo » dicatur « Simul a Christo », quia hoc est sensus citationis ex Evangelio S. Ioannis 15, 5 desumptae.

Pag. 33, lin. 20: augeatur textus ut sequitur: « (*Io.* 10, 4) et qui discipulis suis pedes lavans eos monuit: "Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis" (*Io.* 13, 15). Quapropter rectam intentionem... ». *Ratio*: citatio, ut videtur, conveniens.

Pag. 33, linn. 22-27: hae lineae ita sonent: « ... ut in dies magis parati fiant ad onus cotidianum suscipiendum et hominibus eorumque saluti serviendum renuntiando propriis commoditatibus ac propositis. Dociles quoque sint ad novas vias pastorales pro temporum locorumque adiunctis ingrediendas. Spes igitur... ». *Ratio*: hoc modo idea asceseos pastoralis significantius exprimi posse videtur.

Ad novum n. 15 (= pars I n. 14 schematis: pag. 35, lin. 21 - pag. 37, lin. 26 resp. 11). Pag. 35, linn. 22-30 omittantur; incipiat hic numerus sequenti modo: « Perfectam propter regnum caelorum continentiam Ecclesia semper magni fecit (omittitur: "cf. *1 Cor* 7, 1-39"). Signum est enim et stimulus caritatis... (sequitur textus ut in schemate, pag. 35, lin. 34) ... ». *Ratio*: cum de coelibatu, paupertate, oboedientia secundum adiuncta concreta vitae presbyteri et consequenter in separatis numeris tractandum sit, introductio de 3 consiliis evangelicis hic non est necessaria; ceteroquin haec trias de facto fere semper refertur ad vitam religiosam, de qua hic autem non agitur. Locus *1 Cor.* 7, 1-39 non est de historia Ecclesiae.

Pag. 35, lin. 40 - pag. 36, lin. 14 ita legantur: « In virginitate enim vel coelibatu propter Regnum caelorum servato presbyteri facilius indiviso corde (cf. *Mt.* 19, 11; *1 Cor.* 7, 32-33) soli Deo Eiusque Regno se dedicant. Expressius tali continentia totalem significant personae suae donationem, cordis nempe et corporis, soli Christo, respondentes apostolicae eius vocationi: "Relictis omnibus secuti sunt eum" (*Lc.* 5, 11). Liberius quoque in statu virginitatis ministrant Dei familiae, plenius paternitatem in Christo acquirunt et expeditiores fiunt ad servitium Regni Dei ». *Ratio*: tali modo ideae optimae schematis concinnius et clarius exprimi posse videntur.

Pag. 36, linn. 23-31: haec lineae sic legantur: « ... testificantur aptioresque fiunt muneri sibi commisso despondendi fideles uni viro illosque exhibendi virginem castam Christo (cf. *2 Cor.* 11, 2); insuper signum vivum efficiuntur illius mundi futuri, per gratiam et fidem iam praesentis, in quo filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores (cf. *Luc.* 20, 36) ». *Ratio*: hac verborum transpositione idea optima schematis magis logice ordinatur.

Pag. 36, lin. 38: ne nimis saepe occurrat verbum « coelibatus », mutetur textus aliquantulum, hoc modo: « ... lege impositus est, quam legem iuris vigentis (vel: uti in iure vigenti habetur) Sacrosancta haec Synodus... ».

Pag. 36, lin. 39 - pag. 37, lin. 11: haec pericope ita legatur: « Omnes ergo presbyteri, qui sacrum coelibatum gratia Dei confisi libera voluntate acceperunt, illi magno animo et toto corde inhaereant, atque in hoc statu sincere et fortiter perseverent, agnoscentes magnum illud donum, quod a Patre eis datum est et quod a Domino tam aperte extollitur (cf. *Mt.* 19, 12), et meditando prae oculis habentes praeclara mysteria, quae in eo continentur ac per ipsum significantur. Quo magis autem perfecta continentia in mundo huius temporis a non paucis impossibilis consideratur illique permulta obstacula et pericula imminent, eo humilius et perseverantius presbyteri a Deo gratiam ad illud donum integre custodiendum expostulent oportet, quae gratia eis numquam negatur, et eo fidelius omnia illa subsidia adhibeant, quae a traditione Ecclesiae commendantur ». *Ratio*: citatio *Lc.* 18, 27 nullo modo est ad rem, quia in isto loco non agitur de iis, qui bonis terrestribus renuntiant, sed de possidentibus talia bona. De cetero occasione quaestionis coelibatus observandi pro hodierna generatione presbyterorum apertum verbum necessarium nobis esse videtur, coelibatum secundum Evangelium esse donum, « quod a Patre quibusdam datur » (const. dogm. *de Ecclesia,* n. 42).

Ad pag. 37, linn. 11-26: hae lineae deleantur. *Ratio*: haec enumeratio mediorum ad servandum coelibatum aptorum est valde inhomogenea neque quidquam novi affert. Imprimis nominatio devotionis erga S. Eucharistiam et B.M.V. aequivocationibus vel — extra Ecclesiam — opprobriis ansam dare potest, ac si hae devotiones essent compensatio, uti aiunt, pro frustratis tendentiis naturalibus. Licet verissimum sit, quod fervor erga S. Eucharistiam et B.M.V. ex una, coelibatus observatio ex altera parte se invicem concomitant neque separari queant, tamen minus convenit illas devotiones in hoc contextu tamquam « medium ad » ponere (potius valet contrarium: coelibatus propter regnum caelorum servatus est medium ad devotionem augendam).

Ad novum n. 16 (= III pars n. 14 schematis, scil. pag. 38, linn. 8-25). Pag. 38, linn. 8-10: numerus ita incipiat: « 16. (De spiritu humilitatis et oboedientia). Presbyteri etiam instanter invitantur ad sentiendum... (sequitur textus schematis, pag. 38, linn. 10 ss.) ... ». *Ratio*: secundum novam dispositionem, cf. Praenotanda!

Pag. 38, linn. 15-18: hae lineae legantur sic: « ... abrenuntient, non solum libenter accipiendo et fideliter exsequendo omnia, quae eis a superioribus suis, praesertim a Sede Apostolica et proprio episcopo, praecipiuntur vel commendantur, sed etiam humiliter serviendo omnibus, qui eis in munere commisso et in multiplicibus vitae suae eventibus a Deo concrediti sunt. In gaudio et spe... ». *Ratio*: de oboedientia presbyterorum schema hic tantum communia et formalia affert. Opus esse videtur, ut saltem aliquid concretum dicatur.

Ad novum n. 17 (= II pars n. 14 schematis, scil. pag. 37, lin. 28 - pag. 38, lin. 7 et totus n. 17). Initium numeri sit sequens: « 17. (De recto usu bonorum et de paupertate). Sacerdotes, quippe quorum Dominus... (sequitur textus n. 17, pag. 40, lin. 26 - pag. 41, lin. 13) ... sedulo abstineant.

Immo paupertatem quoque magni faciant... (sequitur textus schematis, pag. 37, lin. 28 - pag. 38, lin. 7; sed cum emendationibus infra positis) ... facileque se habeant ». *Ratio*: nova distributio materiae in Praenotandis commendata.

Pag. 37, lin. 29: loco « intimius » accuratius dicatur « expressius », quia paupertas non simpliciter intimius conformat cum Christo, sed est tantum medium ad intimiorem conformationem assequendam.

Pag. 37, lin. 40: loco « non esse perfectionem solis religiosis reservatam » dicatur: « ... non esse viam perfectionis acquirendae solis religiosis reservatam... ». *Ratio*: communio bonorum non est perfectio qua talis, sed medium perfectionis adquirendae.

Ad novum n. 18 (= n. 15 schematis). Initium numeri sic sonet: « 18. (De subsidiis vitae spiritualis fovendae). In omnibus vitae adiunctis presbyteri contendant... (continuatur sicut pag. 38, linn. 28 ss.) ». *Ratio*: nova distributio materiae; stylus; relate ad « spiritualis » v. infra!

Pag. 39, lin. 6: loco « ad vitam interiorem » dicatur « ad vitam spiritualem ». *Ratio*: terminus « vita interior » est demum ex saec. 18; dum terminus vitae spiritualis totam historiam vitae spiritualis Ecclesiae pervadit.

Pag. 39, lin. 21: eadem emendatio ex eadem ratione.

Ad novum n. 19 (= n. 13 schematis). Initium numeri sic sonet: « 19. (De unitate vitae spiritualis presbyterorum efformanda). Hodierno in mundo, multitudo... (sequitur textus ut in schemate, pag. 33, linn. 36 ss.) ». *Ratio*: vide Praenotanda!

Pag. 34, linn. 12-38: hae lineae sic sonent: « ... qui in omnibus vitae eventibus voluntatem Patris semper adimplevit (cf. *Io.* 4, 34; 6, 38; *Hebr.* 10, 9) usque ad mortem crucis (cf. *Phil.* 2, 8), suae vitae unitatem quaerant in agnitione voluntatis divinae, quocumque modo ipsos vocet, sive in oratione, adoratione et gratiarum actione, sive in muneribus sacris rite implendis, fideles docendo vel oppressos visitando ac consolando, semper seipsos tradentes pro grege sibi commisso. In omnibus ergo rebus Deum eiusque voluntatem quaerentes invenient et vinculum perfectionis sacerdotalis et simul principium, quod in unitatem redigit ipsorum vitam et actionem, quo fit, ut in tribulationibus consolatione repleantur et superabundent gaudio (cf. *2 Cor.* 7, 4) ». *Ratio*: sic tota pericope concinnior reddi posse videtur.

Ad novum n. 20: est idem ac n. 16 in schemate praesenti.

Ad novum n. 21: est idem ac n. 18 in schemate praesenti.

Ad novum n. 22: est idem ac n. 19 schematis excepta emendatione sequenti:

Pag. 42, linn. 17-21 sic enuntietur: « ... sed inniti omnipotenti Dei virtute, et confratres, immo et fideles totius mundi, sibi socios habere. Cooperantur enim (omittitur: omnes Presbyteri) in exsequendum Dei salutare propositum... ». *Ratio*: in exsequendo Dei salutari proposito non soli presbyteri, sed omnes fideles suas partes habent.

Moderator: Velit exc.mus D. secretarius generalis proponere primam suffragationem.

Secretarius generalis: Suffragatio 403: pag. 9, n. 5 [*cf. pag. 695-696*]. *Placet* an *non placet?*

2

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

Venerabiles Patres,

Schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum* in sua nova forma magnum progressum ostendit et in genere placet. Est tamen insufficiens respectu Cleri in terris Missionum. Praecipue enim et fere unice respicit officia presbyterorum erga fideles catholicos. Brevis nota quasi superaddita in fine n. 8 de illis qui Christum Salvatorem non agnoscunt, non sufficit.

Agitur quidem in schemate *de activitate missionali Ecclesiae* de Clero locali in terris Missionum et ex corde consentio emendationi ab em.mo card. Frings propositae relate ad munus missionarium istius Cleri. Tamen decretum *de ministerio et vita Presbyterorum* destinatur ad presbyteros totius Ecclesiae ideoque curandum est ut et clerum in terris antiquae traditionis christianae et clerum in terris Missionum pari modo alloquatur.

Quare propono ut sub n. 2, in quo agitur de presbyteris ut verbi Dei ministris, explicite etiam sermo fiat de praedicatione Evangelii ad non-christianos; et ut sub n. 4, ubi agitur de presbyteris ut fidei educatoribus, mentio fiat etiam catechumenorum et neophytorum adultorum, qui peculiari cura in fide educandi sunt.

Sub n. 8, in quo agitur de presbyterorum conversatione cum laicis, magis ratio habeatur etiam activitatis missionalis proprie dictae. Quae ibi (i. e. in pag. 27, lin. 7) dicuntur de cura pro fratribus seiunctis aut in alium locum transferantur aut saltem in phrasi separata exhibeantur; praeterea de activitate oecumenica fusius agendum esse videtur.

Sub n. 15, in quo agitur de subsidiis ad vitam internam fovendam et de variis afflictionibus tolerandis, mentio fiat etiam solitudinis, quam presbyteri in terris Missionum haud raro experiuntur et ad quam sustinendam maxime unione intima cum Christo indigent.

Exhortatio finalis, sub 19, est optima et valde desiderandum est ut totum decretum eadem visionis amplitudine carissimos nostros presbyteros in toto orbe quam efficacissime alloquatur. Dixi.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 404. Videatis pag. 38: « *Quaesitum generale*: An placeat expensio facta a Secretariatu ad christianorum unitatem fovendam circa modos integrum schema decreti de

Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas respicientes ». Responsio est duplex: *placet* et *non placet.*

Patres venerabiles, si exitus omnium suffragationum fuerit positivus, procedetur ad suffragandum totum schema declarationis, quod erit probabiliter versus horam undecimam cum quadrante.

3

EM.MUS P. D. BERNARDUS IOANNES CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Laudando siquidem sincere conceptionem dogmaticam de ministerio et vita presbyterorum in schemate explanatam, aliqua tantum breviter notare velim non tam quoad ea quae in schemate nostro sunt dicta, quam quoad ea quae videntur neglecta aut praetermissa.

1. Merito officia presbyteri sacralia pleniorem in lucem sunt posita, ita tamen ut quis aestimare possit presbyterum quasi intra sacristiae et ecclesiae limites occludi. Parum habetur de illo dialogo presbyteri cum catholicis sic dictis marginalibus, cum ceteris christianis noncatholicis, cum atheis et illis qui spem in solo mundo ponunt; hic tamen dialogus evangelicus nostra aetate inter frequentiora presbyteri officia quasi quotidiana adnumerandus est.

2. Fere nihil insuper dicitur de presbyteri munere illuminandi problemata terrestria sub lumine fidei, de cetero quin presbyter se immisceat rebus politicis naturae oeconomicae et socialis. Videtur in hoc schemate quod magnum illud conamen humanitatis mundum meliorem anhelantis sit extraneum presbytero, qui tamen hoc conamen componere debet cum ultima significatione vitae humanae. Posset schema interpretari ac si homines a presbyteris tantum exspectare possent quandam « superstructuram » ideologicam, quae veluti externe additur vitae eorum humanae.

3. In schemate merito extollitur necessitas vitae communionis presbyteri cum Deo Patre per Christum. Sed videtur, quod haec vita spiritualis presbyteri esset quid quasi totaliter separatum ab eius officio ministeriali ...[1]. Schema nostrum activitatem presbyteri potius ut periculum pro eius vita spirituali aestimare videtur, dum e contra constitutio dogmatica *Lumen Gentium,* « *De Ecclesia* »,[2] affirmat: « quotidiano officii sui exercitio in Dei proximique amore crescant » ...[3].

4. Schema in n. 5 ...[4] merito loquitur de necessitate pro presbyteris cognoscendi « praecipua Romanorum Pontificum documenta », sed ex altera parte nihil explicite dicit de necessitate pro presbyteris cognoscendi et studendi varia documenta, spiritum et conamen pastorale huius ipsius Concilii Vaticani II. In ipsis autem Concilii constitutionibus et decretis multa habentur quae curae pastorali presbyterorum respiciunt et consulunt, de quibus autem hoc schema omnino silet. Si ipsum hoc schema alia huius Concilii documenta uberius respiceret, character aliqualiter defectuosus huius schematis magna ex parte auferretur.

5. Iam in sessione tertia plures Patres rogaverunt, ut aliqua dicerentur de variis problematibus, de quibus in cura pastorali apud presbyteros incertitudines et anxietates habentur. Attamen, de his nihil in textu recognito habetur, et impressio nimis datur, quod dilucidatione doctrinae dogmaticae circa ministerium et vitam presbyterorum omnia fiunt serena et clara.

Quamobrem in prospectu eorum quae dixi, varias concretas emendationes in textu proponere velim, quae secretariatui generali in scriptis *tradam*.[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (n. 11, pag. 31, linn. 10 ss.). [2] deest. [3] (n. 41). [4] (pag. 19, linn. 34-36). [5] tradentur.

Animadversiones additae:

N. 1, pag. 13, lin. 21 - pag. 14, lin. 11: proponitur ut scribatur: « Vocatione et ordinatione sua presbyteri quodammodo in sinu populi Dei segregantur, non tamen ut ab eo vel a quovis homine separentur, sed ut toti consecrentur operi ad quod Dominus eos assumit (cf. *Act.* 13, 2) et ministerio apud fideles et infideles. Dominus enim Iesus, Filius Dei homo ad homines a Patre missus (cf. *Ep. ad Diognetum,* c. VII, 4), ex hominibus assumptus et pro hominibus constitutus (cf. *Hebr.* 5, 1), inter eos conversabatur.

Quem apostoli sequentes, omnia reliquerunt, ut piscatores fierent hominum (cf. *Mc.* 1, 17-18). Sic et Paulus, "vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei" (*Rom.* 1, 1), omnia omnibus se factum esse testatur ut omnes faceret salvos (cf. *1 Cor.* 9, 19-25 Vg). Ita et presbyteri, qui vitae novae ex cruce ac resurrectione Christi oriundae testes et dispensatores electi sunt, hominibus tamen inservire non valerent si eorum vitae ac condicioni extranei remanerent. Peculiari quidem titulo monentur presbyteri, quippe qui forma gregis exsistere debeant (cf. *1 Pt.* 5, 3), ne se conforment huic saeculo (cf. *Rom.* 12, 2), neve tamquam sal evanescens ad nihil iam valeant (cf. *Mt.* 5, 13). Simul tamen tenentur, etc. ». *Rationes*: textus ipse confuse est ordinatus.

N. 2, pag. 15, linn. 5-16: Proponitur legendum: « Evangelii praeconium exigitur ad ipsum Sacramentorum ministerium, quatenus sacramenta sunt fidei, quae de verbo nascitur. Unde presbyter, non tantum in regionibus vel coetibus non christianis, saluti ovium subvenit prius Evangelio quam sacramento, iuxta

dictum Christi: "Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit" (*Mc.* 16, 16), sed etiam ubi adest iam Ecclesia, illis ovibus quae parum intelligere vel credere videntur quae frequentant apte proponit veram fidem ante sacramentorum ministrationem.

Eucharistiam fontem et finem totius operis missionalis meminerit presbyter dum celebrat: Apostolus enim et Pontifex confessionis nostrae (*Hebr.* 3, 1), sub specie rerum terrestrium praesens fit Ecclesiae, ut per eam singulaque eius membra, praesertim per ministros, mundus universus ad Patrem accedat, sicut oblatio munda (*Mal.* 1, 11). Requiritur praecipue ministerium verbi in missarum celebratione, in qua annuntiatio mortis Domini donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26) et responsum populi audientis uniuntur inseparabiliter cum ipsa oblatione Christi Novum Testamentum disponentis in Sanguine suo, cui fideles, et votis, et Sacramenti perceptione, communicant ». *Ratio*: Melius sic indicatur vinculum inter ministerium verbi et sacramenta; sacramenta enim sunt sacramenta *fidei.*

N. 3. pag. 15, lin. 27: Proponitur legendum: « Ad hoc ergo specialiter presbyteri a Deo, ministrante episcopo, consecrantur et mittuntur, ut in sacramentis fidei celebrandis ac ministrandis, quibus opus salvificum ac sanctificans hominibus applicatur, Christo inserviant, in Liturgia sacerdotale munus suum iugiter exercenti ». *Ratio*: textus receptus sapit nimis scholam.

N. 3, pag. 15, linn. 37-39: Proponitur legendum: « Omnia tamen ecclesiastica ministeria, non solum cetera sacramenta, sed etiam opus apostolatus, cum sacra Eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur ». *Ratio*: ut habeatur nexus inter vitam apostolicam et ministerium stricte dictum.

N. 5, pag. 20, post lin. 4: addatur: « ... peculiari modo pertineant, Systemata quoque philosoyphica, et opiniones, quae nunc vulgo disseminantur, et tantopere in mentes hominum huius temporis influunt, ita cognoscant, ut quid in eis verum sit vel falsum discernant, et ad colloquium cum hominibus sui temporis opportune praeparentur. Item, secundum optatum huius Sacrosancti Concilii, quaestionibus quae ad oecumenismum spectant, studeant, ut unitatis inter universos christianos redintegrationi promovendae, opportune laborare possint ». *Ratio*: sic habetur aliqua de necessario et vero dialogo qui in n. 4, pag. 17, linn. 13-15, nimis unilateraliter consideratur.

N. 5, pag. 20, lin. 20 post « ad pervestigandum »: legatur: « ... theoretice et practice de presbyteri huius temporis missione erga christianos et non christianos, atque de re biblica, catechetica... ».

N. 7, pag. 23, lin. 32: legendum post « manus imponere invitentur »: « Singuli ergo presbyteri cum confratribus suis uniantur vinculo communionis in caritate, oratione et omnimoda cooperatione, atque ita omnibus hominibus dent signum illius unitatis qua Christus voluit... ». *Ratio*: ut idea communionis magis sublineatur.

N. 8, pag. 26, lin. 20 usque ad pag. 27, lin. 10: proponitur legendum: « Ius quod fideles habent recipiendi a clero spiritualia bona ad suam salutem necessaria, iidem obtinere non possent si, petentibus illis panem verbi Dei et Corporis Christi, presbyter non esset qui frangeret eis (cf. *Thren.* 4, 4). Sed praeter hanc sollicitudinem erga fideles, meminerint se cum iisdem fidelibus debitores esse erga infideles, sicut dicit Paulus de ministerio: "Vae mihi, si non evangelizavero" (*1 Cor.* 9, 16).

Exemplum Boni Pastoris secuti, presbyteri solliciti sint illorum qui a praxi

Sacramentorum, immo forsan a fide defecerunt. Meminerint etiam fratrum seiunctorum, in mentem revocantes desiderium et orationem Christi: "Ut omnes unum sint, ut credat mundus quia Tu me misisti" (*Io.* 17, 21). Solliciti sint etiam illorum qui Christum Salvatorem suum non agnoscunt ».

N. 14, pag. 35, linn. 37-39: legendum: « ... Ecclesiarum Orientalium, ubi sunt simul optimi meriti presbyteri coniugati, et multi qui, cum omnibus episcopis, perfectam castitatem servant, multimodam tamen convenientiam cum sacerdotio habet ».

N. 14, pag. 36, linn. 35-39: legatur: « His omnibus convenientiae rationibus gradatim in Ecclesia Occidentali, non obstantibus in decursu temporum difficultatibus (quasi immensis), solos ad sacerdotium vocari qui prius continentiam seu coelibatum devoverint, statutum est. Itaque legem coelibatus Sacrosancta haec Synodus non immutat ».

N. 14, pag. 38, linn. 8-25: legatur: « Denique, per praxim castitatis et evangelicae paupertatis magis magisque liberati, instanter invitantur ut, "non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae illorum", in se sentiant quod et in Christo Iesu, qui "semetipsum exinanivit formam servi accipiens", "factus oboediens usque ad mortem" (*Phil.* 2, 5-9). Ad sese ergo Christo oboedienti conformandos, voluntatem propriam per oboedientiam servitio Dei ac fratrum totam dedicent, in spiritu fidei accipientes ex exsequentes quae a Superioribus legitime statuuntur vel commendantur. Tali enim modo necessitudinem perficiunt cum fratribus suis in ministerio, maxime autem cum eis quos Dominus rectores visibiles Ecclesiae suae constituit, et ad aedificationem operantur Corporis Christi, quod "per omnem iuncturam subministrationis" crescit (cf. *Eph.* 4, 11-16). Quae oboedientia, quae ad maturiorem libertatem filiorum Dei eos adducit, minime impedit quominus in munere suo exercendo propria incepta sua fidenter proponant, parati ad illorum iudicio se subiciendum qui supremum in Ecclesia Dei regenda munus exercent ». *Ratio*:

1. ut significetur etiam indoles apostolica oboedientiae (secundum *Phil.* 2);

2. Oboedientia, ne infantilis fiat, propriam responsabilitatem non aufert;

3. melius est positive loqui de deditione voluntatis quam de abrenuntiatione voluntatis.

Addenda. N. 2, pag. 14, linn. 23-24: legatur: « Verbo enim salutari in corde infidelium suscitatur et in corde fidelium alitur fides, qua congregatio christianorum coalescit... ». *Ratio*: ut melius etiam aspectus missionarius habeatur.

N. 2, pag. 14, lin. 38 - pag. 15, linn. 1-7: legatur: « gaudent. Sive igitur conversatione sua inter gentes bona ipsos detrectantes ad Deum glorificandum praeparent (*1 Pt.* 2, 11-16; *Mt.* 5, 14-16); sive explicite mysterium Christi non credentibus annuntiant (*1 Pt.* 3, 15), sive catechesim christianam tradunt vel Ecclesiae doctrinam explanant, sive sui temporis quaestiones sub luce Christi tractare student, eorum est semper utiliter docere omnesque ad conversionem et ad vitae christianae perfectionem instanter invitare. Ita ministerium verbi multiformiter exercetur, secundum diversas audientium necessitates et praedicantium charismata ». *Ratio*: ut de facto aliquid amplius dicatur, quam mera propositio: « hoc ministerium verbi multiformiter exercetur » (pag. 15), linn. 5-6).

4

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. LANDÁZURI RICKETTS
Archiepiscopus Limanus

Venerabiles Patres.

Schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum* in genere valde placet: textus procul dubio magna cum cura emendatus est et in actuali sua forma bene manifestat aestimationem, gratitudinem ac sollicitudinem quam sentimus erga sacerdotes, illos dilectissimos cooperatores nostros in vinea Domini. Titulo autem speciali gaudemus de illis quae de sacerdotum vita spirituali dicuntur, dum simul laetamur de sapientibus normis quae proponuntur circa aequam retributionem et praevidentiam socialem in presbyterorum favorem.

Aliqua tamen emendanda esse videntur. Recte enim schema insistit in momento praedicationis Evangelii, quae temporibus anteactis hic illicve forsan aliquomodo neglecta fuit. Sed, dum hanc schematis insistentiam in praedicatione verbi ex corde approbo, simul tamen proponere velim ut clarius, cohaerentius et loco multo magis centrali agatur de momento sacrificii eucharistici in sacerdotum ministerio et vita.

I - *De momento sacrificii Eucharistici quoad ministerium sacerdotalem.*[1] In actuali schemate utique hac de re sermo fit ...[2] et interdum etiam transcendentale momentum sacrificii eucharistici extollitur, non tamen — uti oporteret — muneris sacerdotalis descriptio ultimam suam inspirationem et profundiorem suam vim ac unitatem haurit ex hoc augusto fidei nostrae mysterio. Immo aliquando deprehenditur tendentia res ita proponendi ac si praedicatio ...[3] reliquis activitatibus sacerdotalibus longe praestaret ac esset, absolute loquendo, principalioris seu praecipui momenti.

Sic, v. g., in pag. 14, lin. 27, aliqua recens additio ad textum invenitur quae sic legitur: « Cum ergo praedicatio Evangelii sit praecipuum episcoporum munus, primus quoque munus presbyterorum est, una cum episcopis eisque moderantibus, praeconium salutis omnibus annuntiare ».

Ex *huiusmodi parallelismo*[4] inter munus episcoporum et munus presbyterorum, *redactores affirmare volunt*[5] munus primum *seu*[6] praecipuum presbyterorum esse praedicationem *verbi.*[7] Iamvero, haec affirmatio non absolute recta et exacta et ergo corrigenda esse videtur. Redactores enim, qui in nota 11 hanc suam affirmationem iustificare sata-

gunt ex aliquibus documentis antiquioribus et ex ipso quoque Concilio Tridentino, non videntur animadvertisse textus allatos agere de exercitio potestatis iurisdictionalis et hierarchicae solis episcopis typice propriae et non de exercitio potestatis sacramentalis Ordinis seu exercitio illius potestatis quae — secundum ideas tunc temporis vigentes et adhuc minus claras et distinctas — communes erant episcopis et sacerdotibus secundi ordinis.

Est proinde verus anachronismus, si haec verba documentorum antiquorum — praeter eorumdem sensum et sine dubio contra intentionem ...[8] suorum auctorum — in nostro textu conciliari citantur absque qualificatione et interpretatione debita. Dubium enim esse nequit haec verba a lectoribus modernis ita intellectum iri ac si praedicatio ...[9] esset sic et simpliciter totius activitatis episcopalis et sacerdotalis exercitium praecipuum. Quod sane non est verum et cum authentica traditione catholica componi vix potest.

Accedit quod in n. 28 constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* Concilium Vaticanum II nuperrime disertis verbis docuit quod sacerdotes suum munus sacrum « maxime exercent in eucharistico cultu vel synaxi, qua in persona Christi agentes eiusque mysterium proclamantes, vota fidelium sacrificio Capitis ipsorum coniungunt et unicum sacrificium Novi Testamenti, Christi scil. Sese Patri immaculatam hostiam semel offerentis ...[10], in sacrificio Missae usque ad adventum Domini ...[11] repraesentant et applicant ». Tandem in hoc ipso schemate *de ministerio et vita presbyterorum,* in pag. 33, lin. 6 legimus quod in mysterio sanctae Missae « munus suum praecipuum *sacerdotale* [12] sacerdotes exercent ».

Quibus omnibus *perpensis* [13] propono ut ...[14] integer textus schematis sub hac luce accurato examini critico subiciatur et provideatur ne — cum aliquo detrimento momenti sacrificii eucharistici — principaliores partes solummodo praedicationi ...[15] tribui videantur.

II - *De momento sacrificii eucharistici quoad vitam sacerdotalem.*[16] Etiam in altera parte schematis quae de presbyterorum vita, praesertim de eorum sanctitate agit, pro mea sententia, profundiori modo procedere oportet ex ipsa natura et dignitate sacrificii eucharistici in quo sacerdotes specialissimo modo Christi personam gerunt. Christus autem sacerdotium Novae Legis instituit in Cena Novissima « qua nocte tradebatur » in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit in cruce.

Qui ergo personam Christi Sacerdotis gerunt, eo ipso peculiari ratione coniuncti esse debent Christo qui pro salute mundi animam suam posuit. Spiritualitas ergo typice sacerdotalis esse debet spiritualitas sacri-

ficii et crucis, abnegationis et mortis cum Christo qui simul est Sacerdos et Victima.

Sincere fateor hanc ideam vere fundamentalem in theologia de sanctitate et sanctificatione sacerdotali non adaequate videri exprimi in schemate et ...[17] hanc ob rationem *tota expositio*[18] a nn. 11-16 ultimatim vi et unitate organica carere *videtur*.[19]

Multa bona et optima dicuntur, v. g., de consiliis evangelicis in vita presbyterorum, et in specie de perfecta propter Regnum caelorum continentia; sed praeter fugacem quamdam allusionem ad Christum victorem mortis, nihil audimus de alio *et quidem praecellenti*[20] motivo coelibatus ...[21], nempe de pleniore et perfectiore coniunctione cum Christo, quae summopere decet illos qui sacrificium Christi Sacerdotis quotidie in terris renovant et Corpus dominicum fidelibus porrigunt.

Etiam ex hoc capite summopere proinde interest ut tota doctrina schematis sub hac luce attentius consideretur et emendetur.

Faxit Deus ut hic textus conciliaris rite emendatus dilectissimis sacerdotibus atque cooperatoribus nostris sit validum adiutorium in vita eorum sacrificiis plena et ut per ipsum confirmentur in generositate sua ac semper magis digni fiant nobilissima electione qua Christus Dominus illos vocavit ad participationem proprii sui Sacerdotii. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (v. g. in pag. 13, lin. 9; in pag. 15, lin. 37; in pag. 18, lin 27; in pag. 32, lin. 39). [3] Evangelii. [4] parallelismo qui in hac propositione ponitur. [5] manifeste patet redactorum affirmatio. [6] hoc est. [7] Evangelii. [8] venerabilium. [9] Evangelii. [10] (cf. *Hebr.* 9, 11-28). [11] (cf. *1 Cor.* 11, 26). [12] deest. [13] visis. [14] expungantur vel congruo modo emendentur verba schematis quae affirmant: « Cum ergo praedicatio Evangelii sit praecipuum episcoporum munus, primum quoque munus presbyterorum est, una cum episcopis eisque moderantibus, praeconium salutis omnibus annuntiare ». Et in genere propono ut. [15] Evangelii. [16] deest. [17] vix non. [18] totam expositionem. [19] deest. [20] deest. [21] quod sine dubio maximi momenti est.

5

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Textus recognitus ...[1] textum anteriorem longe superat. Attamen timemus ne nondum plene respondeat aspirationibus generosis sacerdotum nostrorum ...[2].

Doctrina exposita est quidem solida ...[3]; sed ...[4] saepe *remanet nimis conceptualis et quasi intemporalis*[5], vel, contra, se *refert*[6] ad regimen christianitatis iam superatum. Nimis remota manet a quaestionibus quas sacerdotes huius temporis movent de seipsis in vita sua concreta et quotidiana.

Sacerdotium ...[7] habet suas exigentias intrinsecas, ideoque permanentes. Et ...[8] fundamentalem responsionem ad suas inquietudines sacerdotes solummodo possunt invenire in fide semper profundiore, *in mysterio*[9] sacerdotii Christi, quod participant. Sed hoc posito non omnia dicta sunt. Nam realitates sublimiores habent etiam suos aspectus existentiales, *de quibus optime locutus est card. Döpfner.*[10] Situatio concreta sacerdotii mutatur cum temporibus. ...[11] Nisi sacerdotii consideraverimus situationem concretam hodiernam, Concilium nostrum in periculo versatur, ne tandem unum ex suis finibus pastoralibus maximis attingere *non plene valeat.*[12]

Iam vero nota characteristica huius situationis hodiernae est quod multi sacerdotes semper maiorem difficultatem sentiunt in inveniendo suum locum proprium tum in mundo *quam*[13] in Ecclesia.

In mundo ...[14], quia mundus hodiernus amittit fidem christianam, immo ipsum sensum sacri. In tali mundo, sacerdos apparet ut alienus, et alienationem suam fert cum dolore. Difficultas laboris in dies crescit. Nostri sacerdotes dialogum quaerunt, sed homines innumerabiles ministerium sacerdotale non agnoscunt. Nostri sacerdotes contactum quaerunt; ut dicit schema, volunt « esse fratres inter fratres », sed hoc facientes sentiunt modo acutiore paradoxon sui ministerii: in medio mundi a mundo segregari propter Evangelium.

Difficultas inveniendi locum proprium adest *quoque*[15] *in ipsa Ecclesia.* Presbyteri interdum questi sunt quod Concilium, inter episcopos et laicos, ipsorum oblitum esset. Promotio laicorum eis ansam praebet interrogationi: ...[16] quanam ratione, praeter ministerium sacramentale, necessarii sunt presbyteri?

Huic multimodae difficultati schema nostrum dat principia solutionis, dummodo attente legatur. Sed haec principia disperguntur in textu male articulato et illogice concatenato ...[17]. Pars secunda *vix cohaeret cum priori.*[18] Videatis, e. g., sub n. 11, exhortationem ad sanctitatem sacerdotalem, ubi admonetur sacerdos de periculis sui ministerii priusquam doceatur de perfectione quae ab eo oritur! *Fusius ceteroquin de hac re tractavit card. Léger.*[19]

Itaque, ut textus melior reddatur, praesertim in secunda parte, optaverimus ut melius exprimat relationes sacerdotis *cum Domino,*[20] cum collegio episcopali *et* ...[21] cum laicis.

1. *Cum Domino nostro.*[22] Presbyter non ministrat primum et praecipue communitatem quae eius viribus humanis indigeret, sed Iesum Christum, qui eo indiget ad vocandam suam communitatem annuntiando Verbum Salutis, ad congregandam suam communitatem circa Eucharistiam, ad ducendam suam communitatem ad Patrem. Sacramento Christi presbyter fit capax huius muneris, gratia Christi agit in persona *Christi.*[23]

Quare haec magna doctrina non magis evolvatur, ita ut totum schema pervadat, tamquam eius anima? Ita melius intellexerimus presbyterum esse virum consecratum, et eius ordinationem sacerdotalem exigere maximam sanctitatem.

Hic addamus tres breves animadversiones ...[24]. Si Sacrificium eucharisticum est centrum mysticum cum vitae presbyteri tum communitatis ecclesialis, quare bis praesentatur devotio erga Eucharistiam ut mere subsidium congruum inter plurima alia, ad continentiam servandam atque vitam spiritualem colendam? Secundo, quare schema *nostrum* [25] loquitur tam parum de Spiritu Sancto? Tertio, quare tantum obiter loquitur de Matre Iesu? Nonne sumenda esset occasio ostendendi verum et specificum locum Mariae in vita sacerdotali?

2. *Cum Collegio episcopali.* Schema nos remonet missionem apostolicam Christi ad presbyteros pervenire per hierarchiam. Et revera sunt episcopi qui eos vocant ad participandum suum ministerium et ...[26] responsabilitates. Suum *ministerium*: inde sequitur necessaria et perseverans subordinatio ...[27], sed etiam *responsabilitates* episcopi ...[28]. Ergo oboedientia quae a sacerdotibus requiritur non potest interpretari ut submissio passiva, ut demissio personalitatis ...[29]

Tandem,[30] *relationes cum laicis.* Schema nostrum *non satis urget originalitatem missionis presbyteri,*[31] praesertim in eius munere evangelizatoris et ducis populi ...[32]. In hac linea urgens est in mentem revocare quod presbyter est animator et ordinator evangelizatorum laicorum. Detegit et suscitat apostolos laicos, qui secus saepe remanent passivi et inertes « quia nemo nos conduxit ». Discernit eorum varia charismata, in opus apostolicum commune multimode utenda ...[33]. Presbyter, dum habet respectum dignitatis et libertatis laicorum, *dum* [34] exoptat ut in dies progrediantur ad maturitatem pleniorem, habet munus proprium ac indispensabile ut fidelium pater, *fidelium* [35] suscitator, moderator et formator. Optaverimus ut hic resumantur regulae quae S. S. Pius XII olim dabat praedicatoribus quadragesimae, cum dicebat presbyterum habere officium triplex: officium cooperatores detegendi, officium coope-

ratores efformandi, officium ...[36] eis dandi possibilitatem agendi atque radiandi.

Liceat nobis *tandem* [37] meliorem ordinationem materiarum schematis in scriptis proponere. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] schematis *de ministerio et vita presbyterorum.* [2] qui sunt nostri cooperatores propinquiores ac intimiores. [3] et profunda. Et laudandus est conatus ad eam coniungendam cum doctrina constitutionis dogmaticae *Lumen Gentium.* [4] ipsius enarrationes. [5] remanent nimis conceptuales et quasi intemporales. [6] referunt. [7] uti nos quidem omnes scimus. [8] ultimam ac. [9] contemplando et amando mysterium. [10] deest. [11] Hodiernam situationem debemus considerare maxima cum sollicitudine. Nisi hoc fecerimus, non poterimus efficaciter adiuvare sacerdotes nostros dum illi conantur redinvenire sensum plenum ministrationis Domini ad quam vocati sunt, et hanc suam vocationem revivificare lumine fidei renovatae. Iterum dicimus:. [12] nequeat. [13] tum. [14] primum. [15] deest. [16] si omnes christifideles iam sunt sacerdotes, reges et prophetae, et omnes debent esse apostoli et missionarii. [17] Stylus caret nervositate et virilitate. [18] sub specie ordinis placet minus quam pars prior, cum qua vix cohaeret. [19] deest. [20] 1. cum Iesu Christo; 2. [21] 3. [22] *Cum Iesu Christo.* In initio schematis exponitur paucis sed exactis verbis ministerium presbyterorum participare arcte et intime ad congregandum populum Dei aedificandumque Corpus Domini. Presbyter speciali modo Christo Sacerdoti configuratur, ita ut... in persona Christi Capitis, Magistri, Pontificis et Rectoris agere valeat ». [23] ipsius. [24] criticas. [25] deest. [26] suas. [27] sacerdotum sine qua non iam facerent opus apostolicum. [28] quia sunt « coadiutores » et « consiliarii », immo et « amici » (n. 6). [29] E contrario: oboedientia sacerdotalis omnes divitias personae, omnes capacitates inventivas mobilitant, operi apostolico generose servituras. Timendum est ne verba quae sub n. 14 inveniuntur, nempe « abrenuntiatio propriae voluntati », quae quidem sunt traditionalia, sed nihilominus periculosa, propter situationem et problemata concreta sacerdotum hodiernorum ab eis male intelligantur. [30] 3. [31] praeeunte constitutione *Lumen Gentium* recte docet missionem presbyteri esse missionem ministerii in medio populi Dei. Tamen haec notio ministerii profundius scrutanda est, ita ut percipiatur originalitas missionis presbyteri. [32] Nam presbyter participat speciali modo munus propheticum et regale Christi, in arcta unione cum missione collegii episcopalis. [33] Ad hoc requiritur cognitio concreta variarum organisationum apostolatus laicorum. [34] dumque. [35] deest. [36] denique. [37] deest.

Animadversiones additae:

Textus huius schematis male articulatur. Pars I et pars II inter se non cohaerent. Si tempus desit ad ordinationem prorsus novam, saltem melior ordinatio fiat materiarum et numerorum nunc existentium. Sequitur exemplum talis ordinationis facilis.

I - *De ministerio presbyterorum.* Introductio: de ministerio apostolico in genere (n. 1).

A) *Tres dimensiones. a)* Vocatio ad fidem et educatio fidei (n. 2); *b)* Celebratio sacramentorum (i. e. sigillorum fidei) et consecratio ad missionem (n. 3); *c)* Aedificatio et animatio communitatis missionariae propter salutem hominum (n. 4).

B) *Relationes fundamentales. a)* Presbyteri cum populo christiano (n. 8); *b)* Presbyterorum cum collegio episcoporum (nn. 6, 9); *c)* Presbyterorum inter seipsos (n. 7). Nota de cura vocationum (n. 10).

II - *De vita presbyterorum.* A) De sanctitate (nn. 11-12); B) De unitate et harmonia (n. 13); C) De reditu ad fontes: *a)* De vita interiore (n. 15); *b)* De studio (n. 5); D) De consiliis evangelicis (nn. 14, 16, 17, 18).

Ad prooemium. Hoc prooemium est grandiloquium et inutile, et proinde videtur omittendum. Nihil enim realiter dicitur de presbyteris quod non dici poterat de laicis eorumque sacerdotio regali.

Pag. 12, linn. 7-12 legatur: « Christus Dominus, ad gloriam Dei celebrandam populumque Eius pascendum, ... qui, virtutem perennis sui sacerdotii exercendo, fratribus inservirent ». *Ratio*: aspectus theocentricus sacerdotii videtur exprimendus ab ipso exordio schematis. Verba « semperque augendum » non sunt essentialia, siquidem idea « augendi » includitur in idea « pascendi ». Idem dici potest, mutatis mutandis, de verbis « propriamque suam actionem salvificam manifestam reddendo » relate ad verba « virtutem perennis sui sacerdotii exercendo » et « fratribus inservirent »; quae verba (« propriamque... reddendo ») insuper non « loquuntur » sensibilitati modernae.

Pag. 12, lin. 18 legatur: « Presbyteris legitime tradunt, ... ». *Ratio*: hoc factum est permanens in Ecclesia. Mutatio proposita etiam corrigit errorem concordantiae immediate sequentem (« ut sint » loco « ut essent »). Obiici nequit hunc textum esse citationem const. dogm. *de Ecclesia,* nam citatio est implicita, non autem litteralis.

Pag. 13, lin. 5 legatur: « ... qua Presbyter intimiore modo ». *Ratio*: adiectivum paulo minus commune quam « specialis » desideratur, praesertim post « peculiaris » in linea praecedenti.

Pag. 14, linn. 24-25 legatur: « ... qua congregatio fidelium in Christi Corpus coalescere incipit, secundum illud apostoli... ». *Ratio*: idem dicitur in hac sententia unificata, et vitatur oppositio personarum (3[a] persona in « coalescit » et prima in « incipimus »). De stylo cf. LIVIUM 1, 8, 1: « multitudo coalescit in populi unius corpus ».

Pag. 16, lin. 3 legatur: « ... fiunt Corpus Christi mysticum. In Sanctissima Eucharistia... ». *Ratio*: haec § ab initio usque ad pag. 16, lin. 8 laudabilem praebet unitatem imaginum (Panis, Caro, Corpus), quae imagine Templi rumpitur sine sufficienti ratione; lin. 3 proinde videtur omittenda.

Pag. 16, linn. 6-8 legatur: « ... ipse scil. Christus, Pascha nostrum panisque vivus vitam praestans hominibus. Est ergo... ». Vel: « ipse scil. Christus, vitam praestans hominibus per Carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem ». *Ratio*: caro D.N.I.C. saepe et recte describitur ut « panis vivus » ita ut difficile est imaginare Panem vivum (= Carnem D.ni) ut vitam praestantem hominibus

per Carnem suam. Aliqua simplificatio requiritur. Prima suggestio videtur praeferenda, quia Caro Christi non est exclusivum instrumentum Redemptionis nostrae.

Pag. 16, linn. 22-24 legatur: « Fideles ducant presbyteri ad inveniendum et gustandum in ipsis liturgicis ritibus medullam sincerae orationis et eos... ». *Ratio*: « ostendere fidelibus medullam inveniri etc. » est potius magistrale quam pastorale.

Pag. 17, lin. 35 legatur: « Parum proderit caeremonias, etsi pulchras, vel consociationes, etsi florentes, curare... ». *Ratio*: parallelismus inter duo adiectiva (« pulchras » et « numerosas ») claudicat.

Pag. 18, linn. 20-21 legatur: « Maxima tandem sit sollicitudo aegrotantium et morientium ». *Ratio*: non est satis evidens presbyteros, lin. 3 ultimum nominatos, esse subiectum verbi « sint ». Sollicitudo contra stat in optimo parallelismo cum « cura », lin. 15.

Pag. 18, linn. 34-38 legatur: « ... debet. Erga animas ad Christum adducendas veram maternitatem exercet ecclesialis communitas, caritate, oratione, exemplo, poenitentiaeque operibus ». *Ratio*: novus ordo verborum a textu recognito praebitus non est optimus: textus supra propositus videtur sufficienter respondere motivo in nota (1) indicato. Quidquid sit de ordine verborum qui praeferatur, certe delendum est « insuper », nam haec sententia nihil facit nisi explicare id quod implicite iam dictum est. In textu supra proposito expungi potest adiectivum « sua », quod est inelegans.

Pag. 18, linn. 39-43 legatur (sine nova §): « Nam ipsa instrumentum efficax constituit quo nondum credentes ad Christum alliciuntur, quoque fideles debiliores excitantur, aluntur roboranturque ad pugnam spiritualem ». *Ratio*: secunda pars sententiae (« quo denique... ») fere idem dicit ac sententia praecedens (linn. 34-38) et potest intelligi ut ipsius explicatio, unde debet cum ea coniungi. « Quoque » = « et quo ».

Pag. 20, linn. 27-33 legatur: « Pariter utilis erit constitutio bibliothecarum, etiam itinerantium ». *Ratio*: reliquae 5 linn. expungi possunt, quia utilitas bibliothecarum patet omnibus, neque reducitur eis quae linn. 30-33 indicantur.

Pag. 20, linn. 34-38 sunt expungenda. Legatur: « Considerent demum episcopi... ». *Ratio*: haec § textui emendato addita non « evidentius demonstrat necessitatem horum cursuum renovationis pro Presbyteris » (cfr. J) quam iam ex contextu apparet.

Pag. 26, lin. 4 expungatur « iustitiam », et legatur: « sectentur fidem, spem... ». *Ratio*: hac correctione vitatur duplex mentio iustitiae (cf. lin. 13) et melius in luce ponitur distinctio inter duas categorias virtutum.

Pag. 27, linn. 4-5 legatur: « illorum qui a praxi sacramentorum defecerunt, et etiam illorum qui... ». *Ratio*: verba « immo forsan a fide » redundant, cum illi qui a fide defecerunt Christum Salvatorem non iam agnoscant.

Pag. 33, linn. 22-34 legatur: « ... ita colant, ut, opus suum in dies perfectius complentes, ipsi magno animo ulterius progrediantur ». Vel: « ... ita colant, ut, opus suum in dies perfectius complentes, ipsi magno animo ulterius progrediantur; spes eorum firma consistat pro fidelibus suis... qua et ipsos Deus exhortatur (cf. *2 Cor.* 1, 4) ». *Ratio*: haec longa additio decipit tam forma quam substantia. Textus uti stat est inflatus.

Pag. 36, linn. 6-8 emendentur vel expungantur. *Ratio*: convenientia perfectae

continentiae illustratur exemplo Ioannis et Pauli, non autem apostolorum in genere quos non patet uxores suos reliquisse absolute, ita ut citatio *Lc.* 5, 2 non sit ad rem.

Pag. 36, linn. 8-12 legatur: « ... Convenit etiam ut, exemplum Domini Eiusque Matris sequentes, Dei familiam liberius ministrent, paternitatem ... ». *Ratio*: tota sectio, nempe linn. 8-14, indiget aliqua simplificatione ut facile intelligatur. Practice, si idea praedicationis perfectae continentiae fidelibus retineatur, alibi reportanda est, quia hic impedit sequentiam logicam. Hac idea ex hoc loco remota, duae ideae quae remanent bene connectuntur. Attamen « ita ut » (lin. 12) est expungendum, quia non introducit veram consequentiam.

Distinctio logica inter pericopen praecedentem (linn. 3-8) et hanc pericopen (linn. 8-12) sufficiens est ad requirendum punctum inter eas, eo magis quod lin. 14 incipit nova sententia introducens consequentiam (« Missio enim... ») huius sententiae (linn. 8-14).

Pag. 37, linn. 14-16 legatur: « ... ardens vita spiritualis, ac denique illa omnia... ». *Ratio*: « congrua subsidia » quae hic enumerantur pertinent ad categorias prorsus diversas. Factum quod virginitas est gratia, quae mediis supernaturalibus debet protegi, bene ostensum est in lineis praecedentibus; ex alia parte, « devotio erga SS. Eucharistiam et B. V. Mariam » non sunt citanda simul cum subsidiis hic enumeratis, sed in contextu meliore et magis theologico, cum quadam amplitudine. « Ardens vita spiritualis » (lin. 14) e contra non offendit in hoc contextu, et potest stare. Si correctio hic proposita acceptatur, restituitur unitas pericopes, ita ut brevior facta melius convincat.

Pag. 37, linn. 25-26 legatur: « ... cum Christo... (cf. *1 Pt.* 3, 18) miro modo consociamur ». *Ratio*: « conformari » (ni fallor) non construitur cum « cum ». Insuper, hic est superfluum. Denique, mox (in lin. 29) inseretur, et in lin. 23 nomen « forma », eiusdem radicis, invenitur. Propter has tres rationes videtur omittendum. « Miro modo » additur ad formam finalem pleniorem reddendam.

Pag. 37, lin. 36 - pag. 38, lin. 7. Hae 14 lineae egent sedula recognitione, etiam sub respectu styli. Lin. 40, usus vocis « perfectio » est mirus. Fortasse expungi potest ita ut legatur: « ... exercitium "vitae apostolicae"... non solis religiosis reservari » (vel: « commendari »).

Pag. 38, lin. 27 - pag. 39, lin. 5. Haec § tota indiget emendatione, et quia male articulatur, et quia pelagianismum redolet (in specie lin. 34 usque ad pag. 39, lin. 2). Recte instat textus necessitatem mortificationis etc., sed non clare subordinatur humana mortificatio Cruci D.N.I.C. et gratiae quae ab ea defluit. Item, Spiritus Sanctus, etsi bis nominatur, non profunde penetrat totam hanc doctrinam sicut debuerit (esset Ipse optimus Principium unitatis totius n. 15, immo totius cap. II). In specie, Spiritus Sanctus vivificat « missionem apostolicam » (pag. 39, linn. 3-4), sed in omnibus eius aspectibus, non exclusa mortificatione « pastorali » de qua supra; ideoque non est aequum dicere « Memores quoque sint... », ut pag. 39, lin. 3 dicitur.

Pag. 39, linn. 15-19. Haec subsidia non cohaerent inter se, cf. pag. 37, linn. 14-16. Alibi et alio modo (magis profundo, amplo et theologico) debet dici « magni faciant cultum SS. Eucharistiae et devotionem erga B. Virginem ».

6

EM.MUS P. D. LAURENTIUS CARD. JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Venerabiles Patres,

Schema nostrum arduum opus aggreditur; quod hucusque in nullo alio Concilio tali perscriptione effectum est. Certo certius varia priora Concilia normas vitae et ministerii sacerdotalis statuerunt, sed nunquam totum ambitum huius propositi in unum decretum comprehendebant.

Hoc maxime elucet in decretis Concilii Tridentini, e quibus revera novum exemplar sacerdotis praeformebatur. Etenim Tridentina Synodus in vita et actione sacerdotali reformanda, mirando modo ad verum perduxit duo principia et continuitatis et progressus. Sed illud renovati presbyteratus exemplar componendum est ex variis elementis quae in multis tridentinis decretis dispersa inveniuntur.

Nostrum autem Concilium renovandi presbyteratus normas concordes et congruentes in unam speciem colligere nititur, ut servata Ecclesiae traditione, novis huius temporis necessitatibus provideat. Hoc in opere arduo atque difficili schema nostrum discussioni conciliari solidum praebet fundamentum.

Ex iis, quae adhuc perfici possint, unum solummodo exemplum suppono: schema nostrum de natura presbyteratus loquens declarat, presbyteros virtutem perennis sacerdotii Christi exercere ...[1] et agere in persona Christi, qui munus suum sacerdotale in sacra Liturgia iugiter exercet ...[2]

Propono, ut hoc in contextu Spiritus Sancti operatio memoretur secundum ea, quae in constitutione *de Ecclesia* dicta sunt. Etenim secundum epistolam ad Hebraeos ...[3], Christus in ara crucis per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo. Unus idemque Spiritus Christi, quo cooperante Christus per mortem suam mundum vivificavit ...[4], adest et operatur etiam in sacrificio Missae. Spiritus enim Sanctus ipsum sacerdotem participem efficit sacerdotii Christi eumque aptum reddit personae Christi gerendae ...[5]

Alias propositiones, quia partim hic iam dictae sunt, praetermitto et una cum singulis emendationibus noviter proponendis in scriptis tradam secretariatui generali. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 12, lin. 10). [2] (pag. 13, lin. 7; pag. 15, lin. 24). [3] (9, 14). [4] (cf. secundam orationem ante communionem eucharisticam in Missali Romano.
[5] (cf. const. *de Ecclesia,* art. 7, 7; art. 21, 2).

Emendationes additae:

Pag. 13, lin. 23 deleatur verbum « ceteris ». *Ratio*: quia est superflua et inutiliter afficit cursum linguisticum textus.

Pag. 13, linn. 34-37: verba « Hoc exemplum... missi sunt » auferantur, quia superflua. *Ratio*: iam in eadem pag. 13, linn. 21-24 eadem sententia verbis biblicis dicitur.

Pag. 14, lin. 7: loco verbi « extranei » dicatur potius « alieni ». *Ratio*: verbum « extranei » nimis alludit ad statum sociologicum ab omnibus aliis separatum.

Pag. 15, lin. 42: post verbum « instanter » addatur « atque incenso animo », vel « et ferventi animo », vel « divino Spiritu afflatus ». *Ratio*: quae in textu emendato verbis Lucae Ev. (*Lc.* 12, 49 « ignem veni mittere... ») dicebantur, hic in textu recognito saltem aliquo modo retineantur.

Pag. 16, lin. 28: loco verborum « orando perficere » dicatur: « orando viva fide implere atque perficere ». *Ratio*: ut clarius appareat, sacerdotem in spiritu fidei et orationis sacris actionibus fungi debere.

Pag. 17, linn. 35-37: loco verborum « si de educatione... habeatur » potius dicatur: « nisi ordinentur ad educandos homines ad maturitatem christianam assequendam ». *Ratio*: ne false intelligatur, inter caeremonias consociationesque et educationem ad maturitatem necessario adesse oppositionem. Revera enim ipsae caeremoniae atque consociationes servire possunt educationi promovendae.

Pag. 19, linn. 14-15: loco verborum « explanare... accommodatis » potius dicatur: « explanare et verba ad mentem etiam ineruditorum diligenter accommodare valeant. Caveant praeterea, ne proprias suas opiniones quasi novas hucusque ignotas proferentes offendiculum ponant infirmis vel etiam scandalum credentibus ». *Ratio*: non desunt — id quidem verum est — praedicatores qui incertas suas opiniones theologicas vel exegeticas audacter Evangelio immiscentes impetum faciunt in credentium animos eosque hoc modo perturbant vel etiam eorum fidei firmitati offendicula afferunt.

Pag. 24, linn. 39-40: loco verborum « necesse est... foveatur » dicatur: « aliqua vita communis vel aliquod consortium vitae inter sacerdotes foveatur, quae tamen... (ut in textu) ». *Ratio*: verbum « vita communis » nimis assimilat hoc consortium vitae regulis vitae religiosorum. Ideo verba « necesse est » aliquo modo mitigentur oportet.

Pag. 34, linn. 5-6: loco verborum « visionem... supernaturalem » potius dicatur: « Deum rerum omnium principium et finem atque gratiae et gloriae largitorem pie meditentur ». *Ratio*: ne videamur innuere, problemata huius mundi antea memorata per « visionem supernaturalem » uti talia solvi posse.

Pag. 34, lin. 9: loco verborum « unionem cum Christo » potius dicatur « sapientiam Christi ». *Ratio*: « Unio cum Christo » magis respicit vitam asceticam et mysticam vel sacramentalem, dum in hoc loco — nisi fallor — potius agatur de vera « sapientia » Christi acquirenda, quae de rebus humanis sub lumine fidei donis Spiritus Sancti illustratae recte iudicat.

Pag. 37, lin. 36: loco verbi « Sciant » dicatur « considerent ». *Ratio*: ne videamur quasi obligationem moralem imponere velle nec praetermittamus circumstantias rerum, quae saepius talem vitae formam impossibilem faciunt.

Pag. 37, lin. 42: loco verbi « optime » potius dicatur « laudabiliter » vel aliquod simile. *Ratio*: est fere eadem ac supra. Nam verbum « optime » nimis extollit hanc specialem formam vitae presbyterorum in mundo.

Pag. 38, lin. 27: post verbum « Presbyteri » inseratur verbum « perseveranter » vel « constanter ». *Ratio*: textus emendatus loquebatur de « oratione continua ». Quod verbum « continua » in textu recognito deletum est, quia forsan impressionem dedit, quod sacerdos actualiter semper orationes fundere debeat. Attamen perseverantia orationis aliquo modo exprimatur in textu.

Pag. 38, post lin. 7, haec fere inserantur: « Gratias agentes pro omnibus etiam terrestribus bonis, quibus ad vitam recte agendam iuvantur, ad hanc interiorem libertatem proveniant, ut utantur hoc mundo tamquam non utantur et nihil solliciti in Domino gaudeant semper (cf. *Phil.* 4, 4-6). *Ratio*: ut recta habitudo ad res temporales verbis S. Pauli amplius illustretur.

Pag. 12, lin. 10: post verbum « sacerdotii » inserantur verba « mediante Spiritu Sancto ».

Pag. 13, lin. 6: post verbum « episcopalis » inserantur verba « per Spiritum Sanctum ».

Pag. 15, in linn. 24-25, textus ita mutetur, ut legatur: « qui in Liturgia exercet sacerdotale munus suum mediante Spiritu Sancto, qui unus idemque in capite et in membris exsistit ». *Ratio*: liceat mihi cum omni modestia significare, hanc ultimam additionem ideo commendari, quia in constitutione *de sacra Liturgia* Spiritus Sancti operatio nimis breviter indicatur. Verba inserenda desumpta sunt ex constitutione *de Ecclesia,* art. 7.

7

EM.MUS P. D. ANGELUS CARD. HERRERA Y ORIA
Episcopus Malacitanus

Venerabiles Patres,

Schema valde placet ...[1]. Est enim aptum nostro tempori, sensu practico praeditum *est,*[2] spiritu evangelico imbutum.

Vellem autem apud vos facere duas considerationes ...[3]: unam, circa sacram praedicationem; alteram, circa presbyterorum sociologicam institutionem.

Optime legitur in schemate, *optime certe, prudenter interpretatum*[4]: « Cum enim praedicatio Evangelii sit praecipuum episcoporum munus, primum quoque munus presbyterorum est, una cum episcopis eisque moderantibus, praeconium salutis omnibus annuntiare, generali mandato Domini respondentes: Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae ».

De praedicatione verbi divini dixit suo tempore Benedictus XV, in Encyclica *Humani Generis Redemptionem*: « Si circumspiciamus quam multi sint qui verbo Dei praedicando dant operam, tanta occurret copia, quanta fortasse numquam fuit antea. Si autem consideremus quo loco *sunt*[5] publice ac privatim mores atque instituta populorum, crescit in dies vulgo rerum quae supra naturam sunt, despicientia et oblivio; sen-

sim a christianae virtutis severitate disceditur maioresque ad probrosam ethnicorum vitam quotidie regressus fiunt ...[6] Numquid sermo Dei talis esse desiit, qualis ab apostolo dicebatur, vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti? Num gladii huius aciem usus diuturnitas hebetavit? Vitio certe tribuendum est ministrorum qui non tractant, quemadmodum oportet, hunc gladium, si is non omnibus locis vim suam exerceat ».

A diebus Papae Benedicti ...[7], abs dubio, in melius processit praedicatio evangelica. Certum est, autem, non tantum praedicari quantum opus est; nec praedicari modo illo efficaci ut doctrina Evangelii ad populum perveniat. ...[8] Loquor tantum de praedicatione simplici, quae propria est omnium presbyterorum, nempe: de praedicatione homiletica. De illa familiari expositione Evangelii, quae ad populum fit die dominica, adaptata necessitatibus et adiunctis gregis, cui pastor adloquitur.

Agite vero. Factum omnibus evidens est non esse hodie proportionem inter scientiam theologicam, quae in seminariis accipitur, et verbum evangelicum, quod populo traditur. ...[9] Clerus saepe saepius ministeria sacerdotalia suscipit quin ullas lectiones practicas efficaces circa praedicationem homileticam discat. Presbyteri e seminario egrediuntur et cognoscunt philosophiam, theologiam, Scripturam, Patristicam. Sed ullam fere notitiam habent de modo communicandi populo Evangelium ex ambone, qui quidem doctoris cathedra non est.

...[10] Opinari audeo aliquid deficere in alumnorum nostrorum institutione. Haec autem deficientia debet impleri extra seminarium, curriculo studiorum expleto. Quomodo? ... *Valde humiliter,*[11] aliquid adfero quod, propria experientia teste, magnae est utilitatis.

Presbyter, qui studiis in seminario satisfecit; vel potius diaconus, antequam sese ministeriis immisceat, per annum saltem vivere debet in convictorio sacerdotali, extra seminarium, sacerdote experto moderante. Omne fere tempus in ministerio verbi consumet. Concrete in homilia accuratissime per hebdomadam *praeparanda,*[12] quam die dominica in ecclesiis vel in variis ecclesiis praedicaturus est. ...[13] In dictione vero curandum est ut ...[14] omnis ornatus litterarius cedat ordini et claritati idearum. Sacerdos, vel diaconus, qui per annum huic labori incumbit, multas quidem veritates recoluit, quas certe in seminario viderat, sed nunc alia luce: non iudicio mere scientifico, sed modo vitali *et practico*[15] ut cum populo communicet. Ut Christus loquebatur.

Magni momenti erit ut sacerdos vel diaconus consuescat homiliam meditatione et precibus ad Sacrarium fovere. « Ignitum eloquium tuum vehementer », dicerem ego, textum sacrum casui accommodando.

...[16] Existimo Ecclesiam spiritualiter renovari, si fideliter adimple-

retur quod *constitutio de sacra Liturgia*[17] iubet aut suadet. Si, ut primum ministerium, haberetur praedicatio homiletica dominicalis in omnibus omnino Missis. Si quotidie, ut suadetur, fieret, maxime tempore Adventus et Quadragesimae, hortatio evangelica per tria momenta, facies populorum immutaretur.

Multa quidem de dialogo dicimus. Encyclica *Ecclesiam Suam* nos docet primam et praecipuam formam dialogi evangelizationem esse. ...[18] Virtutem verbi *divini*[19] egregie expressit Dominus cum Ieremiae dixit: Accipe verbum « ut evellas et destruas et dissipes et aedifices et plantes ».

Secundo. Per totam vitam studentes, ut optime ait schema, sacerdotes debent esse. *Simul*[20] et disciplinas studiorum praebet et normas pro praxi confert. Inter disciplinas vero, expresse sociologiam nominat. Liceat autem mihi accurate distinguere duos veluti gradus in sociologiae studio, quos episcopus in sua dioecesi habere prae oculis debet.

Unus est generalis seu communis et comprehendit studia illa doctrinae socialis quae in seminario traduntur. Alius est specializationis et refertur ad illa studia scientiarum socialium seu sociologiae quae propria sunt peritissimorum quaeque laurea donantur in specialibus facultatibus, quae in Ecclesia iam exsistunt ...[21]. Hoc genus sacerdotum peritissimorum prae oculis habebat Pius XI, cum in *Quadragesimo Anno* scribebat primam cellulam, novi ordinis socialis fundamentum, sacerdotes esse debere qui optime quaestiones sociales cognoscerent. Illi, enim, erunt aliarum cellularum moderatores, patronorum, proprietariorum, operae conductorum, operariorum ...[22]

Conclusiones. 1. Suaderi potest ut convictoria sacerdotalia instituantur, ubi presbyteri et diaconi, institutione sacerdotali in seminario peracta, communiter vivant, ministeriis pastoralibus dediti et in primis studio et praxi praedicationis homileticae.

2. Oportet ut, praeter studia communia sociologica in seminario facta, sit in unaquaque dioecesi sacerdos, vel sacerdotes, rei sociologicae peritissimus ac laurea academica donatus. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] illudque toto corde laudo. [2] et. [3] quas opportunas censeo. [4] deest. [5] sint. [6] Horum quidem malorum variae sunt multiplicesque causae: nemo tamen negaverit deplorandum esse quod eis malis a ministris verbi non satis afferatur medicina. [7] XV. [8] Non loquor de illa praedicatione solemni, sublimi, grandiloquenti. [9] Fortasse non omnes sacerdotes sint meditati hanc assertionem fundamentalem, in schemate expositam, quam ego initio enuntiavi. Est autem alia ratio. Scil. [10] Modeste. [11] deest. [12] paranda. [13] Magister diligens et peritus eum docebit ut non declamet nec ut rhetorice res disponat, sed ut sim-

pliciter loquatur sed rem bene tenendo. Fine practico bene perspecto, applicationes apprime aptari debent menti et necessitatibus audientium. [14] sit simplex et ut. [15] deest. [16] Fontes praedicationis erunt imprimis S. Scriptura et Liturgia, ut ait constitutio *de S. Liturgia.* [17] haec constitutio. [18] Ex adhaesione verbo incipit spiritualitas hominum. Verbum, ut gladius anceps, animam a spiritu dividit. « Omnibus salutem, scripsit Paulus ad Timotheum, maxime autem eis qui praedicant aut docent » (*1 Tim.* 5, 17). [19] deest. [20] Simulque. [21] In seminario necesse est tantum ut principia theologica seu iuris naturae in disciplina sociologica discant simulque applicationes immediatas in Encyclicis dictis socialibus contentas. Peritus et laureatus in re sociali callere debet oeconomiam, ius, et alia quae connectuntur quaestioni sociali. [22] Attenta difficultate, qua non pauci episcopi tenentur, quominus sacerdotes his studiis in curriculo ordinario vacent, opportunum censeo incoeptum alicubi in praxi iam ductum cursus aestivos ita ordinandi ut, tempore et intensitate laboris, per aliquot annos, omnibus disciplinis rationis communis studiorum institui possint.

8

Exc.mus P. D. MICHAËL DARIUS MIRANDA Y GÓMEZ
Archiepiscopus Mexicanus

Venerabiles Patres,

Peroptime quidem schema *de ministerio et vita presbyterorum* inseritur in spiritum Concilii Oecumenici Vaticani II, quod desiderat invenire et adhibere, attenta temporum novitate, opportuna remedia aetatis nostrae in cura animarum.

Ad rem, primaria difficultas quae exsurgit, provenit ex impossibilitate praestandi adaequatum ministerium pastorale fidelibus ob exiguum numerum sacerdotum, curae animarum incumbentium. Qua de causa problema nostrum clarum est in sua gravitate etiam in praesens sicut etiam in tempore quo Christus Dominus dixit: « messis quidem multa, operarii autem pauci ».

Statistica etenim, e. g., ad meam archidioecesim quod attinet, loquitur *clarissimo* [1] modo istis numeris: fideles sunt sex milia milium; dum sacerdotes — religiosis inclusis — computantur mille ducentum.

Quid agendum ad rem? Necesse est invenire novas vias novasque methodos in apostolatu.

Siquidem gratia Dei debeat habere hac in re, *et reapse habet,*[2] praeeminentem locum, nihilominus non sunt praetermittendae humanae industriae, quae offeruntur progressu temporum. Incipi debet ab apostolatu, vi cuius spiritus ecclesialis, ut elucescit in aliis schematibus Concilii, superari debent utilitates exiguas propriae paroeciae, fines angusti

proprii Ordinis, limites restricti propriae Congregationis religiosae, vel Instituti religiosi. Defectui inveniri potest solutio in unione et cooperatione omnium virium eorum qui in Domino sunt vocati.

Optime praescribitur hoc in schemate quod nunc disceptatur ...[3] sub n. 6, linn. *1-4* [4]: « Nullus ergo presbyter seorsum ac veluti singillatim suam missionem satis adimplere valet, sed tantum viribus unitis cum aliis presbyteris sub ductu eorum, qui Ecclesiae praesunt ». Pariter sub n. 7 ...[5]: « Singuli presbyteri cum fratribus suis uniantur vinculo caritatis, orationis et omnimodae cooperationis ».

Hisce verbis suffultus et in bonum fratrum meorum qui in propriis eorum dioecesibus exiguitate numeri sacerdotum laborant sicut et ego, viam novam novamque methodum pastoralem humiliter vobis proponere audeo, et ad hunc finem, venia vestra, breviter referam quae ad rem, in archidioecesi Mexicana actum est per cooperationem cleri dioecesani et regularis, religiosarum et laicorum. Et hoc faciam non iactantiae causa sed obviam veniens desiderio Summi Pontificis Pauli VI, qui in audientia diei 13 iulii proxime elapsi Suam voluntatem mihi manifestavit ut de hac re in aula sermonem facerem, quod nunc faciam cum humilitate et respectu.

Schema quod nunc disceptatur, sicut in suo prooemio declaratur, hunc in finem tendit « ut presbyterorum ministerium efficacius sustineatur atque eorum vita aptius ordinetur », praecise ad hunc finem obtinendum mihi videtur usus methodi ut ita dicam « manipulorum » (italice « schiere »; gallice « équipes »; anglice « teams », *germanice* « *Schar* » [6]). Methodus ista est omnibus bene nota ita ut nullam explicationem circa eius naturam eiusque dynamicam vobis reddendam necessariam esse puto.

...[7] Post accuratum studium necessitudinum archidioecesis exaratum est programma quod inter alia haec praecipua obiectiva actionis pastoralis includit, nempe: Vocationes, Catechesis, Educatio scholaris, Actio socialis et adsistentialis, Caritas et Apostolatus Laicorum. Pro unoquoque obiectivo constitutus est proprius « manipulus » seu « équipe ». In initio haec organa actionis pastoralis integrata sunt tantum a sacerdotibus dioecesanis praevie et ad hoc praeparatos seu specializatos, sed exitus adoptionis istius methodi aperuit nobis viam ad ulteriorem evolutionem organorum istorum per cooperationem religiosorum, religiosarum et laicorum in eis. Incrementum actionis pastoralis auctum est in ambitu paroeciali, cum tota activitas manipulorum praebeat parochis validum iuvamen ad eorum pastoralem actionem promovendam in propria paroecia. Plus quam viginti inter sacerdotes dioecesanos, religiosos, religiosas et laicos laborant in unoquoque « équipe » ita ut providente

Deo quae necessaria sunt ad laborem, membra istorum organorum plene (« fulltime »), se devovent proprio labori.

Brevitatis causa omitto data circa praesentem statum evolutionis actionis pastoralis in archidioecesi mexicana — *tradam in scriptis secretariae postea*[8] — ut veniam ad demonstrationem ulterioris utilitatis methodi *istius*[9].

Anno 1962, habuimus in nostra archidioecesi missionem generalem. Et hic videtur mihi secundus gradus ut ita dicam demonstrationis pastoralis. Obiectum istius missionis fuit « Restauratio familiae christianae », et thema ideo idem fuit.[10] In pulpitis, in tribunis, in plateis, per praelum, radio, televisionem, theatrum, cinema, 700 sacerdotes missionarii, 300 sorores et 8000 missionarii laici Missioni inservierunt strenue mirabili zelo apostolico orationibus totius populi et praecipue infirmorum suffulti. Ad memorandum thema Missionis ad modum guttae quae cavat lapidem ea occasione per marconianam inventionem audiebatur frequens repetitio maximae istius: non est patria sine familia, « Sin familia no hay patria ».

Haec Missio est consequentia usus methodi ...[11]

Ultimo.[12] *Tertia* demonstratio eiusdem methodi cooperationis habetur in ingenti labore actualiter *facto,*[13] impenso ad renovandam internam structuram archidioecesis. Consilium Pastorale quod integratum est ex membris omnium « manipulorum » (de toutes les équipes) validissimum adiutorium nobis sunt in divisione *interna*[14] archidioecesis, in *eius organizatione in*[15] zonas pastorales et decanatus. Haec nova structura praebet nobis possibilitatem evolvendi in archidioecesi programma pastorale « d'ensemble » et roborandi actionem pastoralem pro bono animarum etiam in unaquaque paroecia.

Laetantes sumus humiliter praebendi experientiam methodi istius in ministerio pastorali et fraterna devotione offerendi eam vobis, venerabiles Patres conciliares, eo vel magis quod exposita experientia applicabilis est non tantum magnis dioecesibus sed etiam, servata proportione, in parvis.

Qua de causa liceat mihi emittere votum ut includatur methodus haec a Concilio in Directorio Pastorali respectivo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] mirabili. [2] deest. [3] ad pag. 23. [4] 4-8. [5] pag. 24, linn. 32-34. [6] deest. [7] Programma Pastorale. [8] deest. [9] de qua nunc sermonem facio. [10] Missio generalis anno 1962. Secundus gradus ut ita dicam huiusmodi actionis pastoralis et proinde cooperationis inter clerum dioecesanum et religiosum ac inter sorores et laicos fuit Missio Generalis quae locum habuit in archidioecesi Mexicana

anno 1962. Missio haec pro fine habuit « Restaurationem christianam familiae ». Thema ergo totius missionis fuit « familia christiana ». [11] de qua agimus. [12] Restructuratio archidioecesis. [13] deest. [14] deest. [15] septem.

Secretarius generalis: Redeatis, Patres, ad loca vestra! Communico exitum suffragationum quae mane factae sunt circa schema declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas.*

Suffragatio 402:

Patres praesentes votantes	2.118
Dixerunt *placet*	1.905
non placet	199
placet iuxta modum	3
Suffragia nulla	11

Suffragatio 403:

Praesentes votantes	2.128
Dixerunt *placet*	2.064
non placet	58
Suffragia nulla	6

Suffragatio 404:

Patres praesentes votantes	2.108
Dixerunt *placet*	1.856
non placet	243
placet iuxta modum	2
Suffragia nulla	7

Cum igitur omnes suffragationes singulae exitum dederint positivum, iussu moderatorum, proponitur suffragium super integrum textum, qui modo legitur per principium et finem, uti suetum est, sed textus pro integro lectum habeatur et suffragationi proponitur.

Videatis pag. 5: schema declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas.* Haec suffragatio est 405 [*cf. pag. 690 ss.*]. Hic textus, Patres venerabiles, *placet* an *non placet?* Est ultima suffragatio in congregatione generali.

9

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ
Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Fratres in Christo carissimi,

Textus nobis propositus laude mihi esse dignus videtur. Liceat tamen quaedam modeste proponere, ut textus, si possibile est, aliquatenus perficiatur.

1. Schema quasi continuo sacerdotes ad sanctitatem exhortatur. *Modeste propterea* [1] propono ut laudem et gloriam dicamus illis nostris sacerdotibus, qui revera sanctam et heroicam vitam ducunt: paupertatem realem cum gaudio animi sustinent, laboribus permagnis pastoralibus opprimuntur; fidem inconcussam in mundo ipsis contrario, immo quandoque eos persequente in humilitate cordis servant; ab hominibus et saepe ab ipsa Ecclesia ignorantur, quia forte longe ab episcopo et curia dioecesana in montibus vivunt. Et quod est maius sacerdotes catholici et ut veritatem dicam etiam sacerdotes orthodoxi et protestantes hisce ultimis 40 annis, *in quibus 40 annis* [2] includitur etiam Ecclesia huius nostri temporis, dederunt nostri sacerdotes innumerabilia praeclara exempla martyrii pro Christo, sive in Oriente sive in Occidente. Utrum possumus hos martyres et confessores fidei oblivisci? Nonne nobis occasio valde opportuna praebetur ut Ecclesiam, matrem nostram, saepe humiliatam etiam a filiis *suis* [3] qui de eius defectibus palam loquuntur, *ut matrem nostram Ecclesiam pro momento saltem* [4] ostendamus sine sacco et cilicio, vestimentis regalibus sacerdotum martyrum et confessorum eius indutam? Haec est vera facies Ecclesiae!

Proinde submisse propono, ut haec laus et gloria sacerdotum nostrorum in textum breviter inseratur, forsan initio exhortationis finalis vel alibi.

2. Desidero humiliter, ut et de oboedientia aliquid magis dicatur, quam dictum est in textu. Nam oboedientia sacerdotalis et in genere ecclesiastica in quadam crisi *hodie* [5] mihi videtur inveniri. Sacerdotes iuvenes vere generosi sunt et saepe parati ad maxima sacrificia sustinenda immo et ad sacrificium vitae pro illis incoeptis *tamen* [6] quae illis placent. Sed ad ea quae praecipiuntur, e. g. ad facienda examina triennalia, ad tenendas normas quoad collationem casuum, ad translationes quae non placent, etc., eumdem zelum haud ostendunt. Quod fit quia forsan plus aequo fidunt in internos animi motus indulgentes cuidam exaggerato intuitionismo et ita propriis opinionibus nimis adhaerent.

Hodie quidam etiam terminum « oboedientia activa » in tali sensu falso interpretare incipiunt. Puto nihil nobis esse hodie tam necessarium quam veram oboedientiam, sine qua ad unitatem actionis impossibile est pervenire. De qua necessitate locutus est quoque *Sanctissimus* [7] noster Papa Paulus VI ...[8]

Puto insuper aliquid esse dicendum nostris presbyteris, inter quos etiam nos episcopi includimur, veluti « conseniores », de necessitate legum, correctionum, nam — ut bene docet S. Thomas — « aliqui interius non sunt dispositi sic ut ex seipsis sponte faciant, quod lex iubet, ab exteriori trahendi sunt ad iustitiam legis faciendam » ...[9]. Non dedignamur loqui etiam de hac infima oboedientia, nam quandoque etiam timor a poena potest esse magnum servitium caritatis, praesertim quando sacerdos invenitur in quibusdam difficillimis situationibus ...[10]

Perplacet quae dicta sunt de paupertate evangelica presbyterorum in n. 14 pag. 37. Propono tamen modeste duas additiones:

a) Ut suggeratur commissioni de sacra Liturgia, ut in ritu sancti ordinis diaconatus addatur promissio de paupertate evangelica servanda secundum formam presbyteris congruentem, sicut iam in ritibus subdiaconatus et presbyteratus habentur promissiones de castitate et oboedientia servandis.

Diaconatus enim ordo est servitii fratribus propter Christum pro quo servitio spiritus abnegationis a bonis materialibus valde est necessarius.

b) Communionem bonorum schema sacerdotibus revera commendat secundum desideria Patrum conciliarium. Sed si nos episcopi hac in re exemplum non demus, invana erit haec nostra praedicatio pro mundo et nostris sacerdotibus. Proinde submisse propono ut laudentur illi episcopi hoc n. 14 qui cum presbyteris suis vitam communem in communione bonorum, non solummodo spiritualium, sed etiam materialium ducent secundum formam aetati nostrae accommodatam.

Tali modo fiet certe intimior unio caritatis inter episcopum et sacerdotes eius et dioecesis fiet quaedam vera communitas.

Ad abrenuntiandum possessioni privatae et adhaerendum possessioni communitariae nos incitat etiam spiritus nostri temporis qui vitam communitariam exigit magis magisque, sicut docet etiam *Mater et Magistra*. Forsan nos ultimi erimus qui vitam communitariam accipiemus, sicut nobis acciderat in quibusdam aliis rebus. Puto quoque hanc esse viam necessariam, si efficaciter marxismum in caritate vincere volumus. In his adhaereo illi Patri episcopo qui dixerat nos debere in Concilio imprimis aliquid efficaciter de nostra renovatione vitae episcopalis di-

cere. Ego, *Fratres carissimi,*[11] vivens per viginti annos cum Marx et sub Marx ad conclusionem philosophi Russi Berdjajev perveni, *qui philosophus Russus dixit*[12]: « Si Deus iustitiam ope filiorum suorum in mundo facere non poterit, faciet eam ope diaboli ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Ego vero modeste. [2] hisce dico praesertim ultimis 40 annis in quibus. [3] eius. [4] mundo. [5] deest. [6] deest. [7] amantissimus. [8] feliciter nos pascens. [9] (S. THOMAS, *C. G.* III, 128). [10] 4. Propono humiliter, ut sacerdotibus dioecesanis seu saecularibus exercitia spiritualia, saltem trium dierum, quotannis faciendarum, praecipiantur, sicut iam habetur in quibusdam regionibus. Si etenim religiosi, qui disciplina monasteriali et vita communi protecti, quotannis per octo dies exercitia spiritualia faciunt, a fortiori sacerdotibus saecularibus exercitia spiritualia annualia pernecessaria sunt. De hac re bene locutus est episcopus Tergestinus. 5. Propono ut inter varia adiumenta ad sanctitatem sacerdotalem adipiscendam commendentur quoque vota privata trium consiliorum evangelicorum pro sacerdotibus saecularibus. Nam hodie habentur varia Instituta Saecularia etiam pro sacerdotibus dioecesanis. Iste motus in se bonus et laudabilis est, sed clerus dioecesanus tali modo dividitur. Mihi videtur opportunius esse pro sacerdote, qui revera desiderat in vita perfectionis evangelicae vivere, ut faciat vota privata, quae vota possunt esse secreta, et ita divisio inter clerum evitatur, et evolvitur spiritualitas cleri dioecesani, ipsi propria. 6. [11] deest. [12] nempe.

10

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus tit. Leontopolitanus in Pamphylia

Venerabiles Patres,

Gaudeo, loquens pro presbyteris, hodie in die festo S. Theresiae, quae ...[1], in suo Ordine et in tota Ecclesia, tam ardentem et quasi novum excitavit zelum orandi et se devovendi pro sacerdotibus. Ipsa nos adiuvet!

Schema in multis bonum et pulchrum. Quaedam tamen videntur melioranda, specialissimo modo quae tam feliciter dicta sunt ab em.mo card. Landázuri; prae ceteris autem duo: intima quidem, sed magni momenti pro vita et pro ministerio.

1. Etiam ego censeo quod in toto schemate (praesertim n. 15, pag. 39, linn. 3-5), videtur fieri inadaequata et insufficiens mentio de devotione erga Spiritum Sanctum ...[2]. Sufficit meminisse verba Christi: prae aliis: « Spiritus Sanctus docebit vos omnia et suggeret vobis ...[3] »; « ... ante praesides et reges non enim estis vos loquentes sed Spiritus Sanctus... »; « Multa habeo vobis dicere... modo non potestis portare... Spiritus...

docebit... [4] »; « Expedit *vos* [5] ut Ego vadam... si enim non abiero Spiritus Paraclitus non veniet ad vos... » ...[6]. Revera in apostolis, in ipsis Petro et Ioanne, Fides non fuit plena et operativa nisi post descensum Spiritus Sancti. Etiam familia naturalis, si deest amor inter parentes et liberos, in ruinam ruit. Item non sufficit quod rite quis adoptet filium; non sufficit quod filius naturalis educet adoptatum eumque sibi conformet ita ut pater possit et in illo sibi complacere; adoptio erit perfecta tantummodo postquam ortus fuerit verus amor paternus et filialis inter adoptantem et adoptatum. Ineffabiliter melius in ordine supernaturali, quoad Spiritum Sanctum, videlicet Amorem qui — ut ita dicam — vincit Patrem et Filium. « Qui Spiritu Dei aguntur ii sunt filii Dei » ...[7] Spiritus in nobis clamat « Abba-Pater », et « postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus » ...[8]. Christus enim nos inserit in Corpore suo mystico, de seipso nutrit, ut nos per Spiritum Sanctum vivificet (attente recolatur constitutio dogmatica *de Ecclesia,* cap. I, n. 4).

Oportet igitur quod sacerdotes, potius quam habeant devotionem erga Spiritum Sanctum quasi quid additivum et complementare ad alias devotiones, uti videtur schema quasi timide innuere, continuo prae mente habeant quod culmen supremum, terminum, elevationis ad ordinem supernaturalem et Redemptionis, est effusio et actio Spiritus Sancti in nobis; haec continuo devote meditentur pro sua vita spirituali, itemque pro omnibus animabus.

2. Passim in toto schemate videtur quasi comparari cultus publicus, Liturgia, cum devotione personali, utpote qui hanc longe antecelleat (cf. praesertim n. 15, pag. 39, linn. 27-30). Sed, salva uniuscuiusque dignitate, potius quam de praecellentia alterius prae altera, considerandum hic est quod mutuo altera alteram exigit. Etenim: nos sumus personae; unusquisque nostrum habet suam relationem individualem, personalem, insubstituibilem, cum Deo; unde absoluta necessitas vitae spiritualis individualis, quae culminat in oratione personali, intima. Sed item sumus membra Corporis Christi; et talis vita, talis relatio et oratio personalis, cum Deo, profluit ex meritis Christi, ...[9] ex Sacrificio Crucis Christi quod nobis « repraesentatur » per Missam; et in nos venit praesertim per Sacramenta. Rursus vita et oratio individualis debet offerri Patri per Christum, per Missam (« ... accedentes per Semetipsum ad Deum... » ...[10]). Ergo, vita spiritualis et oratio individualis eget sacra Liturgia; item sacra Liturgia eget vita spirituali et oratione individuali. Sine sacra Liturgia, vita individualis esset *inanis* [11] et blasphema praesumptio. Sine vita spirituali individuali, sacra Liturgia esset vana simulatio hypocrita.

Tali modo oportet docere sacerdotes circa habitudinem et nexum

necessarium et vivum inter devotionem individualem et sacram Liturgiam: ut mutuo alant et vivificent vitam spiritualem suam, et fidelium; alant et vivificent cultum publicum, sacram Liturgiam.

Consequentes « modos » quos audeo proponere, per scriptum suo tempore tradam. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] ut notum est. [2] (Non semel venerandi Patres Orientales optime nos monuerunt de hoc nostro defectu). [3] omnia... [4] vos... [5] vobis. [6] (*Io.* 14, 26; *Mt.* 9, 9-11; *Io.* 16, 12-13 et 7). [7] docet apostolus. [8] (*Rom.* 8, 14; *Gal.* 4, 6; *Rom.* 8, 26). [9] profluit. [10] (*Hebr.* 7, 25). [11] insana.

11

Exc.mus P. D. PHILIPPUS NABAA

Archiepiscopus Berytensis et Gibailensis Melchitarum

Venerabiles Patres,

Aequa remuneratio presbyteris providenda, de qua in schemate *de ministerio et vita presbyterorum* [1] sub n. 16 agitur, utpote gravissima et urgentissima quaestio ab hoc sacrosancto Concilio attente ponderanda est. Immo ab illo tutum ac certum responsum dandum est, quod sit non paucis sacerdotibus, in unaquaque dioecesi, vel natione commorantibus, qui, egestate pressi, taedium vel aegritudinem erga proprium ministerium concipiunt. Inter illos, aliqui maiori etiam paupertate quam ipsi proletarii laborant. Quando vero sacerdos ad tantam paupertatem, necnon ad urgentes sollicitudines et anxietates, quae ab ea promanant, pervenit, illi non amplius locus datur gaudio, quaecumque vita socialis ei perdifficilis fit, nec illi facultas relinquitur indigentibus subveniendi.

Quaedam igitur solutio, aequitate iustitiaeque sociali conformis, immediate requiritur, illamque tam sacerdotes qui in populo Dei servitium aliquo modo munere funguntur vel functi sunt, a nostro Concilio exspectant. Aspirantes quoque ad sacerdotium illam exspectant, cum sacerdotes fieri nollent, si sibi praeberentur nonnisi subsidia incerta et ad scopos assequendos spemque alendam imparia.

Ad quam auspicatam solutionem facilius inveniendam et sacerdotibus nostris in populo Dei ministrando, sociis et collaboratoribus, iustam gratitudinem exprimendam, mihi liceat sequentes animadversiones proponere.

Prima animadversio. Certum est — et hoc a schemate in luce po-

nitur — sacerdotes qui Ecclesiae serviunt, dignos esse qui aequam mercedem recipiant. Ipse enim Christus asseruit: « Dignus est operarius mercede sua » ...[2]

Secunda animadversio. Sed quanta sit summa huius aequae remunerationis et quinam eam solvere debeant? Haec sunt duo ...[3] quae a Concilio, generali modo, statuenda sunt.

Imprimis affirmare intendimus aequam de qua agitur remunerationem numquam talem esse debere quae sacerdotes, episcopos nec ullum Ecclesiae ministrum, ab illa evangelica paupertate eximat in qua vivere debent, ut magis Christo conformes eiusque servitio promptiores fiant. « Christus enim pro nobis egenus factus est, cum esset dives » ...[4]. Nequit ergo remuneratio presbyterorum fons fieri bonorum in dies amplificandorum, multo minus vitae morumque qui sint nimis faciles (« embourgeoisement »), sed eis medium quo digne vivant et efficaciter laborent.

Proinde non requirit schema nisi quae sunt necessaria ad honestam sustentationem ...[5]

Summam autem ad honestam sustentationem presbyteris necessariam sive per mensem, sive per annum, accurate determinare non est quid facile. Sed modo generali dici potest, necessaria esse presbyteris quae homini « condicionis socialis mediae » necessaria sunt, ut modo digno vivat. Episcopi loci competit summam ad hoc requisitam statuere, eamque colligere et distribuere, habita ratione omnium circumstantiarum opportunarum.

Huiusmodi summa, iuxta schema, fundamentaliter eadem pro omnibus sacerdotibus, eiusdem regionis, esse debet. Inaequalitas socialis, quae nonnunquam maxima est, inter presbyteros, qui sunt eiusdem familiae membra, scandalum est, cui finis imponendus. Hoc imperative praecipiunt aequitas, sacerdotum dignitas necnon bonum animarum.

Tertia animadversio. Quinam solvere debeant aequam presbyterorum remunerationem? In schemate non dicitur explicite. Attamen per se patet, hanc obligationem ad populum Dei pertinere, i. e., ad fideles in quorum servitium deputati sunt presbyteri, vel, ut melius dicam, ad paroeciam vel dioecesim, in quibus ministerio funguntur et vitam impendunt. Si enim episcopi est pensionem sacerdotum ad aequalitatem reducere, christianorum est, omnium christianorum dico, omnium paroeciarum et dioecesium huic congruae pensioni sacerdotum aliorumque sacrorum ministrorum consulere.

In hoc sacro Concilio valde insistemus oportet obligationi quae fidelibus incumbit eorum presbyterorum et ecclesiarum necessitatibus, sub-

veniendi. Multae enim ecclesiae pauperes sunt et desertae, quia fideles officiis suis pietatis et caritatis erga eas non funguntur. Multique sacerdotes ruri aut in parvis paroeciis degentes in magna egestate et absque securitate vivunt, quia fideles, quod eis ex iustitia competit, non praebent, omnia de hac re in episcopum reponentes.

Hic explanatione opus est, ut presbyteros securos reddamus, et fidelibus lumen afferamus. Numquam ferre poterimus sacerdotes nostros in inopia vivere, nos autem in opulentia. Illos vitae nostrae bonorumque nostrorum participes reddemus eorumque honestae dignaeque sustentationi consulemus. Quodsi, Deo volente, in maiori paupertate Ecclesiae servire nobis incumbit, in gaudio manebimus, iterum cum apostolo dicentes: « Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus » ...[6]

Ad fideles autem quod attinet, lucem eis afferre debemus. Illis praeprimis, non autem episcopo, obligatio incumbit honestam sustentationem *sacerdotum*[7] tribuere. Illis enim, non episcopo proficit presbyterorum ministerium, cum in Ecclesia, presbyteri non sunt ministri episcopi, nec *eius*[8] famuli, nec eius negotiorum administratores sunt, sed potius cooperatores in eodem sacerdotio eodemque ministerio. Cum episcopo, et ipsi, pastores sunt eiusdem gregis, qui est populus Dei. Ideoque populi Dei est illis omnibus honestam dignamque vitam providere.

Concludendo duas additiones n. 16 schematis propono:

1. Ut explicite affirmetur in Concilio obligationem honestam sustentationem procurandi sacerdotibus aliisque sacris ministris praeprimis fidelibus incumbere.

2. Ut asseratur iustam presbyterorum remunerationem plus minusve aequiparandam esse summae pecuniae quae in regione, in qua vivunt, ad communem vivendi modum hominum conditionis socialis mediae necessaria reputatur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Lc.* 10, 7). Et Paulus haec addidit: « Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 10, 14). [3] puncta. [4] (*1 Cor.* 8, 9). [5] « Curent, inquit, episcopi sive singuli pro sua quisque dioecesi, sive plures simul pro communi territorio, ut normae instituantur quibus debite consulatur honestae sustentationi eorum qui in populo Dei servitium aliquo munere funguntur vel functi sunt... et eis praeterea tribuat facultatem per seipsos indigentibus aliqua ratione subveniendi ». [6] (*1 Tim.* 6, 8). [7] sacerdotibus. [8] deest.

12

EXC.MUS P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

Venerabiles Patres,

Gratias agendum est membris commissionis « de disciplina cleri et populi christiani » pro opere *absoluto. Attamen schema videtur adhuc in melius posse fieri, tum sub aspectu doctrinali, tum sub aspectu pastorali, tum, ut ita dicam,*[1] sub respectu psychologico.

1. Expressius sermo fiat de sanctitate obiectiva, quae sacramenti Ordinis receptionem consequitur. Utique, ut dixit exc.mus relator, missio sacerdotalis « specificam spiritualitatem in vita presbyterorum determinat ac roborat », sed magis adhuc insistatur in ontologica presbyteri condicione, quae ex ipsa eius sacramentali consecratione venit, ut *explicavit*[2] em.mus card. Richaud.

2. Insistatur etiam, ut dicebat Pius XII, in pacto amoris quod Christus inire voluit cum suis sacerdotibus. Fidelis est Deus ac proinde presbyterorum vita fiducia in Christo illuminari ac roborari potest et debet. Ceterum sermo Iesu post Cenam, cum suis pretiosis ac suavissimis communicationibus, ad apostolos et ad sacerdotes saltem primario dirigitur. Iure meritoque resonant in sacerdotali ordinatione verba Domini dicentis: « Iam non dicam vos servos, sed amicos ».

3. Unde concludatur, *et clare,*[3] presbyteros gratiis singularibus gaudere ut sua munera sancte exerceant et ut amicitiam cum Iesu magis magisque evolvant. Quare verba non citarentur quae casulae impositionem ...[4] comitantur: « Potens enim est Deus ut augeat tibi caritatem et opus perfectum »? Ne obliviscamur sacramentum Ordinis pro scopo habere non tantum presbyteros facere, sed utique sanctos presbyteros, ut testantur perantiqua sacramentaria.

4. Corde teneo donum spirituale quod presbyteri in ordinatione *acceperunt, illos*[5] non ad limitatam et coarctatam tantum missionem praeparare ...[6], sed ad universalem missionem salutis « usque ad ultimum terrae ». *Et*[7], ut gratiam *considero*[8] quod plures ...[9] e nostris presbyteris dioecesanis ad longinquas missiones pergant. Nihilominus optarem ut aliquid pro nostris presbyteris diceretur sicuti dictum est pro episcopis in *Lumen Gentium*: « Ceterum hoc sanctum est quod, bene regendo propriam Ecclesiam ut portionem Ecclesiae universalis, ipsi efficaciter conferant ad bonum totius mystici Corporis, quod est etiam corpus Ecclesiarum » ...[10]

5. *De consiliis evangelicis sermo fit* [11] modo qui ...[12] clero dioecesano *non* [13] adaptatur. Sed de hoc sufficienter ...[14] locutus est em.mus card. Döpfner.

Sed in nostro schemate insistere deberemus in [15] notione et exercitio authenticae caritatis *et quidem, ut dictum est,*[16] in nostro tempore.

Qui Evangelium attente legit quasi duplicem formam comperit unius eiusdemque *de cetero* [17] caritatis: 1. formam universalisticam, ut ita dicam, quae proximi notionem et solidarietatis legem ad omnes gentes, ad omnes omnino homines extendit, utique ...[18] cum praeferentia erga debiles et pauperes; 2. formam quam communitariam dicam, quae credentium communitatem seu, iuxta verbum S. Petri, fraternitatem spectat ...[19]. Revera specialis existit solidarietas inter discipulos Christi, quae in plena luce apparet in Actibus: talis est cordium communio et tale mutuum adiutorium ut, saltem Hierosolymis, ad aliquam etiam temporalium bonorum *communicationem* [20] venerint. Haec est illa « vita apostolica », de qua nimis saepe confuse loquuntur auctores et quae in ipsa fraterna caritate specificatur.

Si nunc ad S. Paulum venimus, de triplici amore loqui possumus:

1. Apostolus super omnia profitetur amorem seu zelum universalem, quo urgetur, ut *dixit,*[21] in suo apostolatu ad omnes Gentes;

2. Cruciatur ...[22] intimo angore propter amorem quo suam propriam gentem prosequi nunquam destitit ...[23];

3. Continuo ...[24] fulget Pauli amor pro Ecclesiis quas fundavit, pro omnibus ...[25] quos in Christo genuit et quorum se proclamat amantissimum patrem. Exemplo Pauli patet coexistere posse in cordibus nostris universalem caritatem et fraternam, fervidam, intimam familiaritatem inter membra communitatis. Ita explicatur formula prima fronte mira S. Pauli: « Operemur bonum ad omnes, maxime autem — *i. e. practice immediate* [26] — ad domesticos fidei » ...[27]

Quare illa revocare? Quia caritatis aequilibrium duplici modo *irrumpi* [28] potest in detrimentum Ecclesiae:

1. Vel communitas in se ipsa vertitur *et non est sufficienter missionaria.*[29]

2. Vel amor hominum non solidatur in concreto amore fratrum quibuscum in communitate vivimus, et tunc in somnium evanescere potest (« un idéal de rêve ») ita ut iam nihil commune habeat cum authentica caritate. « Qui non diligit fratrem suum quem videt, *dicit* [30] Ioannes, Deum quem non videt quomodo potest diligere? » ...[31] Dicere etiam *possumus* [32]: « fratres qui longe sunt, quomodo potest ...[33] diligere? »

De facto, Spiritus Sanctus sua charismata, etiam charismatum maius, quod est caritas, in communitate evolvere solet. Unde momentum pa-

roeciae in pastorali ministerio. Unde etiam *necessitas, ut dixerunt iam plures oratores, sese adaptandi in mundo in quo vivimus; unde necessitas praesentiae realis et existentialis sacerdotum nostrorum in mundo hodierno.*[34]

Sub illis omnibus aspectibus mihi videtur progressum adhuc fieri posse et debere. Ita fiat. Amen! [35]

In textu scripto tradito: [1] peracto. Schema autem adhuc melius fieri posse videtur, tum sub respectu doctrinali, tum sub respectu pastorali, tum. [2] rite exposuit. [3] deest. [4] in ordinatione. [5] recipiunt, eos. [6] ut dicitur in n. 9. [7] Revera. [8] habeo. [9] etiam. [10] (*Lumen Gentium,* n. 23). [11] Per longum et latum tractatur de consiliis evangelicis, sed. [12] nostro. [13] parum. [14] et optime. [15] 6. At vero, praecise in hoc schemate oporteret latius loqui de. [16] ceterum ut plures dixerunt. [17] deest. [18] tamen. [19] (*1 Pt.* 5, 9). [20] communitatem. [21] ait. [22] tamen. [23] Legantur cap. 9-11 ad Romanos. [24] autem. [25] fidelibus. [26] deest. [27] (*Gal.* 6, 10). [28] alterutra ex parte, rumpi. [29] et paulatim in collectivum egoismum incidit. Dioeceses et paroeciae nostrae debent esse missionariae. [30] ait. [31] (*1 Io.* 4, 20). [32] possemus. [33] vere. [34] momentum problematum quae in mundo hodierno ponuntur et iuxta quae presbyteri suam praesentiam in mundo adaptare debent, ut plures iam in aula dixerunt. [35] 6. Tandem verbum dicam de presbyteris dioecesanis qui in aliam dioecesim abire intendunt, praesertim si de regione longinqua agatur. Inter illos multi sunt qui desiderant de presbyterio sui proprii episcopi remanere. Pro illis multum interest ut in filiali cum suo episcopo consuetudine et in fraterna cum eius clero communione instituantur. Secus, ut experientia constat, miserabiles casus non deerunt. Propterea saltem prior institutio sacerdotalis sub paterna episcopi proprii vigilantia, in eius seminario potius fiat. Unde petitur ut discretius schema loquatur in n. 9 de collegiis internationalibus. In talibus collegiis opportune fiat postea specializata formatio pro vita missionaria. Ni fallor, in eodem fere sensu locutus est rev.mus P. Quéguiner, sup. gen. Societatis Missionum ad Exteras Gentes, Missions Etrangères de Paris, in discussione de missionibus.

Animadversiones additae:

Pag. 12, linn. 13-17: videtur oportere ut phraseos redactio reficiatur.

Pag. 13, linn. 2-3: non placet quod dicatur presbyteri sacerdotium in sacramentis christianae initiationis fundari. Utique supponitur sic dictum sacerdotium commune, sed sacerdotium ministeriale fundatur in receptione S. Ordinis, non in baptismate, nisi sensu aequivoco.

Pag. 26, lin. 9: videtur expressionem « perfectus homo », in casu, ordinem ontologicum considerare, non autem, ut in nostro textu, ordinem moralem.

Pag. 28, linn. 10-20: prudentia in his multum necessaria est. Etenim, pro presbyteris dioecesanis, multum importat ut sub immediata vigilantia episcopi instituantur et ut quam maxime evolvantur vincula et communio cum dioecesi

propria. In institutis interdioecesanis aut internationalibus, ceterum optimae famae optimique meriti, hoc non facile obtinetur.

Pag. 36, linn. 7-8: caute adhibeatur textus *Lc.* 5, 11. Omnes textus de sequela Christi ad apostolatum vocant, non, ut nimis saepe dicitur, ad spiritualem imitationem. Ceterum, notate Petrum, qui omnia reliquit, matrimonium duxisse et, ut apparet in secundo Evangelio, Iesum recipiebat in domo in qua cum sua socru habitabat. Dicamus quod saltem condicio apostolorum non est clara.

Pag. 37, linn. 36-37: non adhibeatur expressio « Vita apostolica », quae ambigua est et in varias partes attrahitur. Cf., v. g., CH. DEREINE, *La "Vita apostolica" dans l'Ordre canonial du IX au XI siècle,* in *Revue Mabillon,* 1961, t. LI, pp. 47-53. Certo significatur « cor unum et anima una » (*Act.* 4, 32). Cetera autem sunt dubia in applicationibus quae saepe fiunt, notanter quoad communitatem bonorum, quae probabiliter localis et precaria fuit.

Moderator: Faveas, Pater, concludere ... Loquatur nunc ...

13

EXC.MUS P. D. STANISLAUS BRZANA

Episcopus tit. Cufrutensis, aux. Buffalensis

Patres venerabiles et dilectissimi,

Textus recognitus schematis nostri ...[1] bene describit dignitatem, ministerium, et vitam presbyterorum. Apte respondet necessitatibus huius temporis, et, conclusa disceptatione factisque emendationibus, solida approbatione meretur.

Liceat mihi circa duo puncta animadversiones facere:

1 animadversio. In schemate nostro apte commendantur multae virtutes, immo et consilia evangelica. Etsi non omnes virtutes citari possint in modo tractatus ascetici, propono ut plus dicatur de virtute humilitatis. Verum est humilitatem *in nostro schemate* [2] bis citari ...[3] et directe commendari in una phrasi in n. 11, ubi agitur de subsidiis ad vitam interiorem fovendam ...[4]. Humilitas *autem* [5] non est mere subsidium ad vitam spiritualem, sed est virtus fundamentalis. Secundum S. Augustinum, quo altius aedificandum est templum sanctitatis, eo profundius ponendum est fundamentum humilitatis. Genuina humilitas omnino necessaria est ut presbyteri sublimem dignitatem sacerdotii decori modo gerere possint. Humilitas necessaria est ut presbyteri virtutes excolere valeant in hoc schemate et in aliis specialiter commendatas, scil. Deum profunde adorare, proximum diligere, dignitatem personalem omnium vereri, oboedientiam genuinam superioribus praebere, alacriter omnibus ministrari,

atque vitam iuxta exemplum Christi ducere. Ipse Dominus Iesus dixit: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde » ...[6]

Ne timeant presbyteri iuniores quod humilitas inhibeat sic dictam « evolutionem personalitatis » ...[7]. E contra, humilitas veram evolutionem ac maturitatem personalitatis in spiritu Evangelii promovebit.

Convenienter data est mihi opportunitas de humilitate loquendi hodie in festo S. Theresiae ...[8], quae tanta pulchra de eadem virtute scripsit. Secundum illam, humilitas tantum Deo placet quia nihil aliud est quam veritas.

Propono ergo, et quidem humiliter, ut in n. 11 vel alio *apto*[9] loco, in brevi paragrapho vel sententia humilitas presbyteris fortius commendetur.

2 animadversio. In n. 7 (pag. 25, linn. 10-14) dicitur: « Demum ratione eiusdem fraternitatis et communionis in sacerdotio, se sciant presbyteri obligatos erga eos quoque, qui in quibusdam defecerint, eosdem igitur misericordia atque magna caritate semper prosequantur ».

Multum gaudemus de his verbis, quibus exprimitur sollicitudo Ecclesiae pro fratribus deficientibus.

Opus restaurandi presbyteros infaustos, in quo Ecclesia habet responsabilitatem gravem, non est facile propter varias difficultates, etiam ex parte ipsorum deficientium. In multis autem casibus hoc oritur non ex mala voluntate, sed ex fragilitate humana. Requiritur quidem cooperatio et poenitentia ipsius deficientis. Oportet tamen ut via reconciliationis latior pateat.

Alii presbyteri multum facere possunt hac in re tamquam amici, tamquam alumni eiusdem seminarii, tamquam confratres in ordinatione recepta. Saepe illis patet via quae aliis non patet. Opportune, ergo, presbyteri omnes a Concilio monentur ut fratres infelices non tantum misericordia et magna caritate recipiant sed etiam active prosequantur.

Ordinariis locorum et omnibus praelatis iterum commendatur ut, non obstantibus difficultatibus, presbyteros infelices « operosa misericordia prosequantur », ut dictum est in schemate decreti *de pastorali episcoporum munere* ...[10]

Sunt qui timent mitiorem modum procedendi talibus in casibus praebere aliis ansam infaustum exemplum sequendi. Hoc autem, servatis debitis cautelis, non erit verum. Numquam audivi de presbytero qui scandalizatus est quod misericordia fratri poenitenti exhibita sit. Omnes intellegunt parabolam de filio prodigo amantissime a patre recepto; omnes memores sunt verborum Domini de necessitate septuagies septies peccata dimittendi.

Presbyteri infausti, ut sperandum est, maiori cum confidentia et alacriori modo adiutorium petebunt, cum certiores erunt de benevola receptione atque expedita problematum solutione. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] de ministerio et vita presbyterorum. [2] deest. [3] (n. 3, pag. 15, lin. 21; n. 14, pag. 37, lin. 8). [4] (n. 15, pag. 38, lin. 33). [5] tamen. [6] (*Mt.* 11, 29). [7] (in lingua anglica: "development of personality"). [8] de Avila. [9] aptissimo. [10] (n. 16, pag. 42).

14

Exc.mus P. D. ALEXANDER CAROLUS RENARD
Episcopus Versaliensis

Venerabiles Patres,

Schema recentius ...[1] multo melius est; *velim*[2] adnotationes facere, praesertim de habitudine inter episcopum et presbyteros ...[3].

1. N. 6 disserit feliciter de hac re ...[4]. Centrum est omnium quaestionum de cleri sanctitate, unitate, testimonio et actione pastorali. Item nemo nescit ...[5] discrepationes multas quae constitutioni et vitae Ecclesiae nocent: haec clare Summus Pontifex ...[6] declaravit die 14 iulii. Atqui Concilium dat singularem occasionem adhibendo lumini quaestionibus difficillimis; praesertim ante emendationem Codicis ...[7] qui, de cura episcopali sanctificationis presbyterorum, nimia vel pauciora iubet.

2. N. 14 *bene*[8] dicit evangelicam ...[9] oboedientiae rationem: est similitudo *presbyteri*[10] cum « Christo oboediente usque ad mortem ». Salus hominum non solum caritatis opus est ...[11], sed caritatis et oboedientiae. Hoc grave matrimonium dissolvi non potest in Christo *nec*[12] in vita sacerdotali: « Non est discipulus super Magistrum » ...[13]. N. 14 addit: « prout iam dictum est ». Sed quid dictum est? In n. 6 ...[14] legimus: « Episcopi presbyteros suos ut amicos considerent, etc. ... » ...[15] « Suo ...[16] episcopo, sincera caritate ...[17] adhaereant, nec tantum quae praecipiantur, sed etiam quae commendantur ...[18] adimpleant, etc. ». Sed quae est « pretiosa spiritualis corona episcoporum »? Quid « bonum spirituale et temporale quod est cordi episcopis »? Sunt ...[19] verba elegantia, quae traduntur iudicio proprio cuiusque ...[20].

3. ...[21] Concilium nonne debet liberare inquietam conscientiam episcoporum *et*[22] presbyterorum, in n. 6 ...[23]? Quae episcopi debent presbyteris praecipere aut ...[24] tantum commendare, de studio doctrinae, de spirituali vita, ...[25] de nominationibus, de pastoralibus optionibus, etc. ...

Qualis est presbyteris obligatio ut cooperatores episcopi, non ut religiosi, in statu suae vitae, in pastorale mysterium oboedientiae ...[26], non coacte, sed spontanee, voluntarie et intelligenter penetrent, in sequela Christi? Oboedientiae activae defectus est sanctitatis privatio pro seipso sacerdote *necnon*[27] pro Ecclesia: dicendum est in n. 14 ...[28]: « Sine oboedientia, ubi erunt humilitas et abnegatio, ...[29] eminentes Evangelii valores ...[30]? Ubi erit bonum commune animarum? ».

Paulus VI scripsit de dialogo in ipsa Ecclesia, in ...[31] Litteris *Ecclesiam suam*: schema est multo minus accommodatum evangelicis et hodiernis exigentiis. Nonne dicendum est n. 6 cum Papa nostro: « in collocutionis causa... si qui praeest, conscius est, se veritatis caritatisque operam et officium in oboedientem conferre. Oboedientiam autem statuimus esse cum normarum canonicarum conservationem, tum obsequium legitimo praeposito impensum ...[32] quemadmodum liberos et amantes filios decet ».

4. In presbyteratu dioecesano, cupidi sunt inveniendi scholam evangelicam sanctificationis, circa episcopum; in eadem gratia Ordinis, radicitus portant pondus apostolatus. Sunt certe — quod optimum est — societates presbyterorum; sed multi eas recusant. Iustum est Concilium eis adhibere lumen de episcopi officio; episcopus *non est*[33] tantum pater et apostolatus caput, sed etiam sanctificationis « perfector », ut ait S. Thomas ...[34] In decreto *de pastorali episcoporum munere,* dictum est, n. 15: « Perfectores episcopi ». Cur vocabulum illud non est hic, n. 6, lin. 24? ...[35]

Conclusio.[36] Ultimum votum facio: Si episcopo cura sanctificationis cleri *reapse committitur — et non solum arduae sanationis*[37] — dicatur et distincte quibus mediis aptis, non confusis foro externo et foro sacramentali.

De re urgenti quae pertinet ad internam structuram cleri ...[38] oportet Concilium spem non decipere presbyterorum necnon episcoporum. Responsum eius magni refert ut presbyterium una cum episcopo sit « sal terrae », secundum voluntatem Domini, his annis haesitantibus inter dispersum *et unitatem*[39]: « Sint unum ut mundus credat »!

In textu scripto tradito: [1] de ministerio presbyterorum. [2] sed velim aliquas. [3] quam Concilium non potest in incerto relinquere. [4] maximi momenti: hoc tempore. [5] oboedientiae crisim in Ecclesia et. [6] Paulus VI. [7] Iuris Canonici. [8] clare. [9] et mysticam. [10] quae presbytero inest. [11] ut aiunt. [12] necnon in statu omnis christiani, nec, a fortiori. [13] (*Mt.* 10, 24). « Nisi granum frumenti... » (*Io.* 12, 24). [14] libenter. [15] Deinde. [16] igitur. [17] et

oboedientia. [18] generoso animo. [19] totidem. [20] Quidam numeri hortantur sicut mera oratio, sine sufficienti perspicuitate! [21] Atqui. [22] simulque. [23] lin. 18. [24] quae. [25] (oratio, exercitia spiritualia), de paupertate. [26] et caritatis. [27] et. [28] lin. 20. [29] quae sunt. [30] necnon virtutes. [31] praeclaris. [32] dummodo duo haec alacri ac aequo animo praestentur. [33] est non. [34](*De perfectione vitae spiritualis,* cap. 17-18). [35] Pius XII in *Mediator Dei,* Ordinem assimilat cuidam generationi spirituali; atqui omnis generatio perficienda est quadam permanenti educatione. Hoc verum est de Baptismo; numquid non est de Ordine? [36] 5. [37] non reapse committitur, dicatur; si committitur — et non solum arduae sanationis —. [38] dioecesani. [39] in relativismo et renovationem in unitate.

15

Exc.mus P. D. TITUS MANCINI

Episcopus tit. Vartanensis, aux. Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae

Venerabiles Patres,

Textus recognitus schematis *de ministerio et vita presbyterorum* utilia disceptationis elementa mihi offerre videtur.

Nonnullae adhortationes, tamen, prolixiores apparent et ideo contrahendae et quandoque omnino demendae sunt. E. g.: art. 3 cap. I nimis producitur. Eius argumentum (ad Eucharistiam quod attinet) pluries iteratur, scil. in art. 4, in art. 12 (et hic erat locus pressius explicandi illud argumentum, ceteris demptis) et in art. 13 et 15; fere totus art. 11 cap. II deleri potest, ita ut cap. II incipiat per verba versiculi 11 « Haec Sacrosancta Synodus, etc. »; alia quaedam in schemate emendanda scripto tradam a Secretis Officio.

Nunc autem argumentum mihi est, circa quod attentos Vos velim, nempe *problema de personalitate presbyteri in exercitio sui ministerii.*

Relatio subordinationis presbyterorum erga suum quemque episcopum — sicut in schemate describitur — non satis explicat (ut mihi videtur) quaenam facultas relinquatur presbyteris, in verbis et in re, consilia et proposita libere capiendi pro suo quisque iudicio, ingenio et sollertia. Quae ambiguitas schematis dubitationes crebras et quandoque etiam anxietates et impatientiam inducere solet inter presbyteros, quippe qui sibi videantur non frui plena libertatis conscientia, qua pollent viri prudentes et probati. Neque mihi videtur simplex nomen et munus « adiutoris » seu administri — quod schema adhibet — apprime significare illum « responsabilitatis » sensum in presbytero, cui revera confertur, in Ordine Sacro suscipiendo, peculiare charisma « Spiritus Gratiae et Consilii *ut adiuvent et gubernet* populum ».

Hoc officium sacerdos cum suo episcopo communicat; ergo ei concedenda est facultas illud plene explicandi in suo ministerio. Quod non semper accidit, etsi persaepius curam directam animarum ipse presbyter — non utique episcopus — potissime gerit.

Omnibus constat episcopum non posse praesto adesse, physice, illico, et immediate omnibus adiunctis in quibus aliquid deliberandum et consulendum sit; eo minus apparet, neque fortasse decet, eumdem episcopum posse, per suum personalem interventum, experiri et probare omnia nova consilia et tentamina, quae aliqua inopinata necessitas forte suadeat.

Attamen saepe, potius quam fovere opportuna suorum presbyterorum incoepta, episcoporum auctoritas ea videtur angustiora reddere. Tum propter nimiam oboedientiae sollicitudinem, cum quia presbyter non sentit se episcopi fiducia et confidentia confirmatum, omne incoeptorum propositum deserit, ab omni bona et fructuosa industria se abstinet, in securam desidiam decidit. Oboedientia ipsa tandem debilitatur, cum se Presbyter illidere debeat in apparentem aurium tarditatem, quae deprimit omnia peculiaria proposita et conatus individuos, qua tales. Quod quidem nonnulli defectum oboedientiae existimant, melius tamen revera appelletur « responsabilitatis defectus ».

Minime tamen putaveritis, Patres venerabiles, me exoptare ut liberum iter concedatur omnibus ineptis et insolentibus arbitriis quae, rerum novarum studio, levitate maxima, temere et inconsulto a quibusdam presbyteris deliberari solent. Sed ex alia parte non sunt praefringendae ac contundendae optimae sacerdotum vires et virtutes in una et consuetudinaria archivi cura et administratione regestorum et censuum, quod est officium scribarum, Ordini sacro directe non attinens.

Consideremus, quaeso, sacerdotem, peculiaria incoepta adgredientem et prosequentem, plerumque esse virum maturum ac prudentem. Quod si metuamus nostros coadiutores nondum maturos esse, sperare licet tales futuros post exsecutionem optimi schematis decreti *de institutione sacerdotali.*

Si fidenti animo concedemus maiorem consilii et inquisitionis libertatem nostris presbyteris, certo certius gaudebimus nostram ipsorum pastoralem actionem et experientiam maiore vi et efficacia auctam iri.

Idcirco, censeo et propono in par. 6 textus de quo agitur, in pag. 22, versiculo 4 haec verba praeponenda esse: 1. « Ne Presbyteri vereantur inquirere et prosequi, suo prudenti iudicio, nova consilia et incoepta, quae sibi pastoralis usus suggesserit, simulque meminerint se non esse inertia instrumenta in manibus episcoporum. Huiusmodi tamen incoepta semper ad mentem sui cuiusque episcopi prosequantur, praeceptis ge-

neralibus ab iis traditis plene obsequentes: liberi quidem, at non sui iuris ».

Deinde sequitur textus recognitus ad versiculum 12: « Ante oculos habentes etc. ... » demptis verbis « Presbyteri autem ».

2. Ad versiculum 23 eiusdem paragraphi propono ut addatur: « Episcopi vero meminerint se, sine presbyterorum auxilio quasi expertes esse manibus, pedibus, oculis et ore, eosque paterno more adhortentur ut novis et difficilibus adiunctis novas solutiones inquirant et inveniant, iisque permittant liberam facultatem eas experiendi, parati tamen ad eos moderandos et benigne corrigendos, si quando necesse reputent ». Dixi. Gratias.

16

Exc.mus P. D. ALOISIUS IOANNES TOMÉ

Episcopus Mercedensis

Em.mi Domini, venerabiles Fratres,

Dilecti Observatores, Periti, Parochi, Auditores et Auditrices. Velitis audire, etiam ultimum opinatorem hodiernum.

Post tot et tam pulchra audita, vehementer *laetor propter schema, praecipue quia* [1] nobis praebet synthesim doctrinalem atque pastoralem circa sacerdotium, aptam quominus offeratur universo populo christiano, et quam sine dubio sperabant carissimi nostri presbyteri, in prima linea laborantes; sed etiam, et speciatim — ut relator nobis dixit — quia ibi « curavimus distinguere inter sacerdotium fidelium, et sacerdotium ministeriale ».

Et merito, et opportune quidem, quia hodie erat necessarium. Non desunt enim hic aut illuc, aliqui auctores qui, fortasse propter modum loquendi novissimum, fortasse in excessum extollentes munus propheticum et munus regale, quae suo modo analogo inveniuntur in laicis baptizatis, eo perveniunt ut affirment fere aequalitatem inter presbyteros et laicos, in populo Dei. In hac aequalitate, solummodo esset dicenda necessaria aliqua diversitas ministeriorum et responsabilitatis. Audiatis, *quaeso* [2]: « Sacerdos seu presbyter " homo inter homines " et " frater inter fratres " libere accipit et acceptat electionem episcopi sui ut destinetur ad servitium communitatis, promovendo, praeparando, et dirigendo congregationes liturgicas et veluti " officialem " proclamationem Verbi Dei, nomine episcopi ». « Presbyter est christianus aliquis qui ab episcopo invitatur seu intimatur ad fungendum munus speciale in bonum communitatis ex qua fuit electus ». Adhuc: « Typicum functionis sacer-

dotalis fuit et est sese sponte praebere in servitium communitatis concretae ad ordinandas et praesidendas congregationes liturgicas et fidelibus proclamandum Verbum Dei ». « Sed maneat bene clarum — legimus alicubi — quod ambo haec ministeria non sunt privativa suae personae. E contra, tam ministerium liturgicum quam propheticum — et inclusive illud pastorale — pertinent ad populum Dei ut tale atque in ipso resident, quamquam postea formis diversis exerceantur ». « Multi tunc quaerent — *dicit*[3] —: ergo omnes sumus aequales? Sic: verum est. Omnes nos aequales sumus coram Deo. Sed in hac aequalitate, est necessaria diversitas ministeriorum et responsabilitatum ». *Lego etiam hoc*[4]: « Ecclesia ut talis est communitas salvationis. Omnia sua membra inter se et relate ad mundum, participant missionem Christi. Ecce exemplum concretum: laicus catechista qualiscumque, est minister Verbi et educator fidei suorum fratrum, non eo quod sit sacerdos, sed eo quod sit Christi membrum atque particeps suae missionis fundamentalis: evangelizandi atque reddendi praesentem amorem Dei in actione liturgica et in his adiunctis in quibus ei vivere correspondet ».

Hae vel similes sententiae ...[5], addita explicatione atque pro his qui theologiam quodammodo ...[6] norunt, possunt quidem rectum sensum admittere; sed eo ipso quod in errorem possunt inducere, eo etiam oportet ut quantocius in luce veritatis ponantur.

Id obtinetur — in nostro schemate — in n. 1, linn. 32 ss., ubi legitur: « ... presbyteratus in suo ordine, participat auctoritatem qua Christus ipse suum Corpus exstruit, sanctificat et regit, ideoque ad sacerdotium commune fidelium ordinatur ... sed ad illud, quantumvis sublime, reduci non potest. Sacerdotium enim presbyteri non tantum initiationis sacramentis fundatur, sed etiam peculiari initiatione sacramentali indiget, qua presbyter speciali modo Christo Sacerdoti configuratur, ita ut missionis episcopalis particeps factus, in Persona Christi Capitis, Magistri, Pontificis et Rectoris, agere valeat ». Sacerdotes ergo sunt presbyteri, et sacerdotes quodammodo etiam laici; sed sacerdotium presbyteri non solum est eminenter superius — non ergo aequale! — sed specifice distinctum. Sacerdotes illi, presbyteri; sacerdotes illi, laici, identitate quidem non solum nominis sed quae vere correspondet conceptibus analogicis. (*In hoc sensu*[7]: o beata scholastica! ... saltem in eo quod nos docuisti conceptus analogicos!)

Addere etiam liceat reflexionem pastoralem *super hoc.*[8] In n. 10, abunde fit sermo de cura vocationum: « Primum ...[9] presbyteris summopere cordi sit sacerdotii excellentiam fidelibus ante oculos ponere ... ac quos idoneos iudicaverint, nullis parcentes curis ...[10] adiuvare ».

Pro certo habeo, *ex his quae legi,*[11] difficillimum fore ideale sacer-

dotale pro iuvenibus, dum ipsis solummodo exhibeamus figuram alicuius veluti « functionarii » communitatis cuius est « praeesse congregationi fidelium et ipsi legere vel proclamare Verbum Dei », quasi sic absolveretur munus vel dignitas presbyterorum; et de hoc modo exhibendi presbyterum admodum doleo. E contra: valde prodesse potest iuvenibus et fidelibus *in genere* [12] imago eius qui « vocatur a Deo tanquam Aaron ... ut offerat dona et sacrificia pro peccatis », « qui possit condoleri his qui ignorant et errant »; qui vocatur ut sit « homo ex hominibus assumptus pro hominibus constitutus in his quae sunt ad Deum »; ...[13] evadat « Minister Christi et dispensator mysteriorum Dei »; qui vere, etsi analogice, erit « missus a Deo », « Alter Christus », forma gregis », etc. ... de quo specialissimo modo dicit Christus: « Vos amici mei estis », « Iam non dicam vos servos » ...[14], « Ego vos faciam piscatores hominum » ...[15]. Breviter: intimatio Operum vocationalium, cum gratia Dei, prodesse poterit, si generositati adolescentium vel iuvenum, ponantur in luce, pag. 30 lin. 23, « sensus et praestantia ministerii sacerdotalis ... in quo potest dari Christo maximum testimonium amoris »; si eis nempe loquamur de homine illo — et redeo ad n. 1 — qui « missionis episcopalis particeps factus, in Persona Christi Capitis, Magistri, Pontificis et Rectoris agere valeat ».

Secundo ...[16] In pag. 13 legimus: « Presbyteri debent cum hominibus conversari, non ut separentur ... sed ut consacrentur operi ad quod missi sunt ». Hoc, quoad substantiam, videtur esse satis clarum. Sed ecce: fatemur, ab aliquibus annis, multa audiri posse vel legi — etiam extra contextum de coelibatu — circa sic dictam « incarnationem » Ecclesiae et sacerdotis in mundo. Mundus progreditur, evolvitur, forsan etiam allicit ob suum continuum progressum. Ex alia parte, presbyteri, forsan ipsa Ecclesia — *dicerent aliqui* [17] —, impares viderentur evasisse ad praeconium Christi diffundendum in mundo actuali. Et mundus est evangelizandus, est conquirendus ut tradatur Deo ... Penetratio Verbi Dei in stratus aliquos sociales hodiernos, forsan requirit revisionem basicam activitatum apostolicarum ... Fratres: Procedit forsan ex his vel ex similibus fontibus aliqua veluti obsessio de incarnatione presbyteri in mundo? illa veluti imperiosa necessitas assimilandi vitam fratrum laicorum? cum ipsis laborandi in opificiis, ut operarii, ut ammanuenses, in quocumque officio? illa necessitas vel angustia quam aliqui experiuntur cum laicis vivendi, ut ipsi vestiendi, vitam ad modum ipsorum fere in omnibus ducere, ut scopum obtineant — utinam! et semper! — testes esse resurrectionis Christi ... sicut et ceteri laici? fateor me hoc non bene intelligere. Et loquor de sic dicta « incarnatione » tantum sub aspectu laboris, activitatis presbyteri. Sane: dantur et dabuntur casus

exceptionales. *Sed* [18] ipsi laici qui saepe a nobis quaerent, et ...[19] queruntur curnam aliquis sacerdos non debeat sese occupare in his quae Patris mei sunt, quae suam missionem directe vel indirecte spectant, *audiamus etiam*.[20]

Si percurramus nostrum schema a pag. 15, comperimus non esse viabile, ut aliquid normaliter expetendum, ratione apostolatus, ut cogitent presbyteri necessitatem sese incarnandi, mediante labore, in vita laicorum ipsi qui ...[21] « primum munus habent praeconium salutis omnibus annuntiare »; *qui* [22] « mittuntur ad sanctificationem fidelium quam procurant fidei sacramenta quae presbyteri conficiunt »; ipsi qui ...[23] debent edocere fideles vitam suam cum Sacrificio Capitis coniungere, instituere ut sua peccata submittant; erudire fideles in liturgicis ritibus, allicere ad praxim orationis mentalis ...[24]. Non superest tempus, non superest ambitus in vita sacerdotis qui debet — n. 4 — familiam Dei colligere et ad Deum Patrem adducere, in eis qui ut fidei educatores, singulos fideles debent adducere ut personalitatem excolant; qui debent commendatos sibi habere omnes, praesertim pauperes et debiliores cum peculiari iuventutis cura, et insuper coniugum et parentum, et ... qui maxime debent solliciti esse aegrotantium et morientium. Haec et multa alia in schemate contenta circa ministerium, laborem, navitatem specificam presbyterorum, additis etiam his quae in n. 5 profuse dicuntur de studio inter praecipua officia status, nullam fere relinquunt possibilitatem — non dico necessitatem — ut presbyter, sensu explicato, incarnetur in mundo, in vita laboris plene simili vitae aliorum fidelium. Immensi sunt agri: « Messis multa, operarii pauci ». Haec est unica ratio propter quam presbyteros postulemus ab episcopis Europae.

Optandum est quidem ut mediantibus dispositionibus et curis quas sumant episcopi et Ordinarii, simul cum his quae in n. 16 habentur de aequa retributione presbyteris providenda, nullus sit presbyter qui experiatur veram necessitatem sese exercendi in labore manuali vel proprio laicorum eo fine ut sibi acquirat victum et vestitum. Speramus fore ut — sicut iam olim pro apostolo Paulo — evadat semper vera exceptio in vita presbyteri necessitas dicendi: « Quia mihi et his qui mecum sunt laboraverunt manus istae ».

Sed ...! Ecce laicos nobiscum! dicerent quidam: qui multa — veluti lege compensationis — multa facient quae nunc ab ipsis presbyteris fiunt. Revera: laici promoti sunt, vocati a Concilio, ab Ecclesia ipsa; et spes remanet quod ipsi generose respondeant. Attamen pauci sunt adhuc laici militantes, vel navitatem suam exercentes in operibus apostolatus, *saltem in nostra Natione Americae* [25]; et, *quamvis* [26] de paternalismo et clericalismo plurima locuti simus in hac aula (forsitan etiam nimis,

salva reverentia!), ipsi laici, ceteroquin dilectissimi, a nobis ipsis, a nostris presbyteris auxilium expetunt; generatim responsum dabunt Christo et Ecclesiae si nos ipsos, si presbyteros vel religiosos invenerint qui eos promoveant ...[27]. Non promoventur, salvo speciali interventu Dei, quasi ex generatione spontanea, nec paucis mensibus ...[28]

Moderator: Faveas, Pater, concludere; tempus iam actum est!

Orator: Concludo ..., concludo, Pater!

Compellor opinari dicendo: in quavis dioecesi nostrarum regionum, det nobis Deus quinquaginta presbyteros verae vitae interioris, plene suo ministerio dicatos, melius quam centum vel plus presbyteros qui in operariorum opificiis, vel officiis civilibus quibuscumque, vitae christianae solummodo testimonium praebeant. Hoc ultimum est, hoc fore speramus, competens munus laicorum ...[29] Dixi. Gratias! Cetera tradam.

In textu scripto tradito: [1] laetemur. In hoc schemate commissio obsecundans desideria Patrum, non solum *a*) maiorem in lucem posuit praestantiam et missionem eorum qui sunt « cooperatores ordinis nostri »; *b*) nec solum. [2] v. g. [3] lego etiam. [4] deest. [5] aut phrases. [6] iam. [7] deest. [8] deest. [9] igitur. [10] atque incommodis. [11] deest. [12] deest. [13] ut. [14] (*Io.* 15, 15). [15] quia Ego veni « ut vitam habeant et abundantius habeant ». [16] II. *De coelibatu.* Mundus noster, sive propter effrenatum erotismum, sive ob valorationem profundiorem mulieris et sexus, matrimonii et familiae; sive propter numerum decrescentem eorum qui ad vitam sacerdotalem vel religiosam — praesertim inter viros — accedunt; sive propter pericula vel etiam lapsus quibus exponuntur coelibes; sive propter aliquam invocatam necessitatem « incarnationis » in mundo; sive... nescio cur...; ansam praebuit multis, etiam in sinu Ecclesiae ut sese interrogarent utrum coelibatus habeat vel retineat adhuc characterem signi; quaenam sint fundamenta biblica, historica atque theologica quae iustificent formulationem et disciplinam vigentem? Utrum coram mundo actuali, et in ipsa communitate christiana habeat sensum positivum... et ita porro. Quoad hoc quaesitum, quod aliqui sibi formulant, non sine personarum circumstantiali angustia; non est cur multum immoremur: Synodus nostra iam amplissime antea respondit, cum, in restituendo diaconatu, maluit cum amplo voto maioritatis diaconos iuvenes coelibatum amplectos iri. De cetero, in magnifica nostra paragrapho 14 concise, praecise, sincere et sufficienter tam fundamenta biblica quam historica, tam convenientiae maximae istius legis consignantur. Sit mentio saltem pag. 37 linn. 1 ss.: « Quae quidem perfecta continentia, quam libera voluntate presbyteri amplectuntur, in mundo huius temporis impossibilis a non paucis consideratur. Quae autem impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum ». Et haec erant dicenda — iudicio imprimis ipse Relatoris et commissionis, ut refert — quia « hodie voces confusae resonant sacrum coelibatum impugnantes ». Oportebit forsan ut ipse textus, expressis verbis in lucem ponat rationem sacramentalitatis vel signi ipsius coelibatus voluntarii;

quod erit facillimum innixus — si casus foret — rationibus deductis ex *Sacra Virginitas* vel *Menti nostrae* Pii XII, praeter eas vel simul cum his quae in ipso textu iam continentur; ut cum dicit pag. 35: « Perfecta propter Regnum caelorum continentia, quam Ecclesia semper magni fecit, signum est et stimulus caritatis »; vel ut in pag. 36, lin. 4: « convenit ut sacerdotes tali perfecta continentia totalem significent personae suae donationem... soli Christo »; vel adhuc, ut in linn. 20 ss. eiusdem pag. 36: « Presbyteri per coelibatum missionem Christi, coram mundo, aperte testificantur, sicque signum vivum efficiuntur illius mundi futuri, in quo filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores ».

Fratres venerabiles: meo humili iudicio, efferentia legitima dignitatis humanae, libertatis et dignitatis conscientiae, et praestantia libertatis humanae — de quibus plura et optima audivimus — logice et necessario secumferunt valorationem et efferentiam obsequii et donationis illius qui — libere, liberrime quidem — amplectitur statum et vitam oboedientiae. Etiam, a pari, de castitate et coelibatu: quo magis efferuntur valores quos Deus attribuit mulieri, familiae, sexualitati, procreationi, amori humano et bonis cum his coniunctis, eo magis voluntaria et libera continentia presbyterorum ceterorumque, propter Deum fulgebunt nova luce coram nostris et alienis. Ceterum, Spiritu Sancto afflante, non deerunt in futuro fideles qui, sive in presbyterio, sive in vita religiosa, sive in Institutis saecularibus, sive in ipso laicatu, quamvis cruciati ac circumdati modo etiam antinaturali, herotizatione vitae publicae, « sequentur agnum quocumque ierit », quia tametsi « non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est », habebuntur « eunuchi — et sunt verba quae non transibunt — qui se castraverunt propter Regnum caelorum ».

III. Presbyteri sunt in mundo; segregantur — ut dicitur in pag. 13, non ut separentur, sed ut consecrentur operi ad quod missi sunt » (linn. 35 ss.). Hoc videretur expresse dictum in verbis Domini, in oratione sacerdotali cap. 17 Ioannis, a versiculo 14 ss.: « Ipsi mundi non erant, sicut Ego mundi non sum »; « Non peto ut tollas eos de mundo, sed ut custodias eos a malo »; « Ipsi non sunt mundi, sicut Ego non sum mundi » (16); « Sicut Tu me misisti in mundum, ita Ego misi eos in mundum » (17, 18). Liceat propterea petere commissioni ut haec verba includantur, vel saltem textus Ioannis citetur ubi textus noster dicit pag. 13, linn. 35 ss.: « ... Presbyteri debent cum hominibus conversari, in quorum utilitatem et servitium missi sunt. Vocatione sua quodammodo in sinu populi Dei segregantur, non ut separentur... sed ut consecrentur operi ad quod assumpti sunt » etc. Quod videretur esse satis clarum. Attamen fateamur ab aliquibus annis, multa audiri. [17] deest. [18] iudicio episcopi subiiciendi, in quibus aliqui sacerdotes obtineant licentiam, saltem ad tempus, adlaborandi ut ammanuenses, ut operarii etc., et quidem cum finalitate apostolica ubi aliis mediis evangelizatio impossibilis evadat. Institutio seminaristarum, ideale presbyteri coniuncta procedent cum ambitione divinae missionis implendae in potissimo labore apostolico, docendi nempe, sanctificandi ac regendi populum Dei. Sunt et. [19] ipsi. [20] deest. [21] (n. 2). [22] ipsi qui (n. 3). [23] (pag. 16). [24] etc. [25] deest. [26] quantumvis. [27] qui in ipsis expergefaciant personalitatis et responsabilitatis sensum. [28] nec sola publicatione capitis de laicis, nec schematis « *de apostolatu laicorum* » (quae ceteroquin iudico magnifica). Immo vero pro nostro saeculo, si considerem condicionem nostrorum populorum; si considerem illam veluti « idio-

sincrasiam », ut ferunt, atque « solventiam » vel « livellum » christianismi nostrae gentis. [29] contrarium autem, h. e. quod presbyter, et quidem suae missionis conscius, sese voveat praeferenter activitati laborali laicorum, hoc meo iudicio, novam aliquam speciem clericalismi constituit.

Animadversiones additae:

I - Si fieri potest, in paragrapho prima (1), pag. 14, lin. 10, post citationem « *Rom.* 12, 2 » addatur: « Esse in mundo, sed mundi ipsius non esse (cf. *Io.* 17, 14 ss. ». Ita ut legatur: « Quare tenentur presbyteri, sicut omnes Christi discipuli, titulo tamen peculiari, ne se conforment huic saeculo (cf. *Rom.* 12, 2), esse in mundo, sed mundi ipsius non esse (cf. *Io.* 17, 14 ss.): Nam si sal... ». Vel aliter: « ... ne se conforment huic saeculo (cf. *Rom.* 12, 2), degere in mundo, sed mundi ipsius non esse (cf. *Io.* 17, 14 ss.): Nam si sal... ». *Ratio*: videntur haec verba strictius atque plenius significare voluntatem Christi, necnon principium quod supra erat positum « segregantur, non ut separentur ab eo nec etiam a quovis homine ».

II - Pag. 16, linn. 27 ss., ubi dicitur: « Nec praetermittant ipsi presbyteri... (usque ad) sed etiam pro animabus sibi concreditis » (G). Haec paragraphus transferatur in alium locum. *Ratio*: agitur in tota paragrapho de activitate sacerdotis — v. g. « edoceant », « instituant », « erudiant », « ostendant » etc. — qui, quatenus Eucharistiae Minister, omnia atque omnes — quoad potest — disponit versus centrum vitae christianae, quod est Eucharistia.

Transferantur autem, illa verba:

Aut: in pag. 33, n. 12, linn. 11 ss. ita ut legatur: « ... cum Dei mirabilia per suas transeunt manus, vividum spiritum fidei et laudis excitent. Nec praetermittant presbyteri actiones sacras orando perficere, Officiumque Divinum quod ut homines ecclesiastici persolvere debent... pro animabus sibi concreditis (D). Simul a Deo sine quo nihil possunt facere... ».

Aut: in pag. 39, n. 15, lin. 19, ita ut legatur: « ... ideoque et Regina Apostolorum. Nec praetermittant ipsi presbyteri actiones sacras orando perficere, Officiumque Divinum... pro animabus sibi concreditis » plurima quidem...

III - In pag. 22, lin. 22, post verba « et missionem canonicam confertur » addantur verba quae in textu emendato inveniuntur: « sic igitur se gerant presbyteri... (usque ad) hoc enim non expedit vobis (*Hebr.* 13, 17) ». *Ratio*: nostrum optimum schema, in his quae spectant oboedientiam tam parce procedere videtur, ut appareat velut timor aut etiam verecundia aliqua circa oboedientiam memorandam. 2. Quo magis extollitur valor personae et libertatis, etiam quando agitur de presbyteris, tanto magis eo ipso extollitur obsequium oboeditionis.

IV - In pag. 23, n. 7, lin. 21 ubi dicitur « Presbyteri, per ordinationem in ordine... ».

1. Vitetur, si possibile sit, illa repetitio « per ordinationem in ordine... ». Dicatur autem: aut *a*) « Presbyteri per impositionem manuum episcopi in ordine presbyteratus... »; aut *b*) « Presbyteri per sacerdotalem consecrationem in ordine... »; aut *c*) « Presbyteri per consecrationem et manuum impositionem in ordine ».

2. Dicatur, si est possibile: « Presbyteri, etiam religiosi, per... ». *Ratio*: post exhaustum schema de episcopis et dioecesium regimine adhuc in obscuritate re-

mansit an revera « presbyteri tam dioecesani quam religiosi », « Unum presbyterium efforment », dummodo eidem pertineant dioecesi.

V - Relate ad n. 14. Pag. 35 ss.: *de coelibatu*: *a*) citentur saltem documenta magistralia de hac materia, ut sunt v. g. *Sacra Virginitas* et *Menti Nostrae* (ambo Pii XII); *b*) quia plures, etiam extra « personalem angustiam » sibi quaerunt utrum coelibatus habeat necne rationem signi, cumulentur ex ipso textu et ex documentis citatis omnes rationes propter quas dici debeat perfectam continentiam atque coelibatum, vere esse signa.

VI - In pag. 37, in lin. 11 (n. 14): « inter illa vero reponi debent... etc. », dicatur simplicius: « inter illa vero reponi debent ardens vita spiritualis, christiana mortificatio, vitae disciplina, devotio erga Sanctissimam Eucharistiam etc. ». *Ratio*: « Cordis cogitationumque custodia et passionum moderatio » videntur inclusa in « christiana mortificatione ». Ceterum: « subsidia ad vitam interiorem fovendam » de quibus pag. 39, linn. 9 ss., « etiam ipsa conferunt multum ad donum coelibatus custodiendum ».

VII - In pag. 39, lin. 10: pro: « exercitium orationis mentalis, conscientiae discussio » etc., ponatur: « exercitium orationis mentalis, sacramentalis poenitentia, recessus spiritualis aliaque eiusmodi » etc. *Ratio*: *a*) Nullibi fit mentio de suadenda praxi confessionis pro presbyteris. *b*) Periculum est ne nimis derelinquatur vel ut minus habeatur ipsum Sacramentum poenitentiae, etiam in sacerdotibus.

Secretarius generalis: En exitum suffragationis super integro schemate *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas*:

Patres praesentes qui suffragati sunt		2.023
Dixerunt	*placet*	1.763
	non placet	250
	placet iuxta modum	1
Suffragia	nulla	9

Ergo exitus fuit positivus, quapropter textus deferetur ad Summum Pontificem ut, si ipsi placuerit, rem deferat in sessione publica.

Moderator: Proxima congregatio generalis: crastina, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

APPENDIX

APPENDIX

I

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DECRETI DE INSTITUTIONE SACERDOTALI POST CONCILII PERIODUM III

1

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

De longiore ministerio diaconali presbyteratui praemittendo. Summi momenti est ut coelibatus sacerdotalis in Ecclesia perfecte et absolute custodiatur. Ex alia parte, minus prudens videtur esse ut iuvenes in fine cursus ordinarii studiorum ecclesiasticorum ad onus tam graviter obligans sine probatione ulteriori admittantur. Virtus enim eorum non est adhuc satis probata, ad hoc ut aestimari posset eos, in vita et ministerio communi sacerdotali, superaturos esse pericula et difficultates quae ab eisdem inseparabilia sunt.

Hic non agitur unice de capacitate eorum, sub divina Gratia, resistendi passionum motibus ab intrinseco, praecisive consideratis.

Supponendum enim est eos sub vigilantia eorum superiorum et eorum Confessariorum, Seminarii cursu durante, talem capacitatem demonstrasse.

Agitur potius de demonstratione capacitatis se prudenter gerendi et gubernandi in relationibus cum personibus saecularibus, et etiam sacris, maxime alterius sexus; item in delectu lecturae, in delectu recreationum et similibus. Imprudentia in his omnibus facile ducit ad ruinam.

Haec demonstratio indiget experientia et temporis decursu ut de ipsa constet.

Ut haec demonstratio, moraliter loquendo, habeatur, proponitur ut in fine cursus communis studiorum ecclesiasticorum iuvenes promoveantur non ad presbyteratum, sed ad summum, ad diaconatum.

Diaconus, ut constat, *sub presbyteri commissione,* potest: 1) praedicare, 2) baptizare, 3) sacram Communionem distribuere, 4) Sacerdoti ad altare adsistere, 5) ad sacram Confirmationem candidatos praeparare, 6) catechizare, 7) convertendos instruere, 8) operibus caritatis in paroecia prospicere, 3) archivum paroeciae custodire, 10) secretariatum paroeciae gerere, 11) plura quae respiciunt gestionem rerum oeconomicarum paroeciae, ecclesiae paroecialis, sacristiae et coemeterii curare, 12) parochum, quoad quaedam saltem, in vita communi civili et sociali repraesentare.

Diaconus, dum haec munia exercet experientiam valde pretiosam vitae clericalis acquirit, itemque experientiam suimetipsius in relationibus exterioribus. Pa-

rocho auxilium valde pretiosum praestat. Populo servitia sacra varia magni momenti reddit. Parochus — et alii clerici ad paroeciam pertinentes — iuvenis diaconi spiritum et prudentiam observare possunt et de eisdem episcopo referre. Vox quoque quaedam populi christiani ordinarie profertur de iuvenis diaconi qualitatibus. Episcopus, in fine, his omnibus perpensis, securius manus ipsi imponet.

Diaconus ipse tranquillius, tempore opportuno, presbyteratum suscipiet. Quidam diaconi, propria sponte, ad vota saecularia transibunt; quidam forte in solo diaconatu manere eligent.

Quae supra proponuntur pro clero saeculari, clero quoque regulari applicabilia pro magna parte sunt.

Diaconus enim regularis multa munia in propria ecclesia et communitate exercere potest. Potest quoque studiis superioribus vacare nec non munus docendi in gymnasiis, lycaeis et aliis collegiis suae familiae religiosae gerere.

Ob gravitatem quoque munerum quae sacerdotio coniunguntur, prudens videtur ut candidatus ad ipsum habeat circiter viginti et octo annos, seu ut sit constitutus in fine quarti septennii aetatis.

Suppono diaconos, etiam cleri saecularis, immo et subdiaconos, lege coelibatus ligari. Talis autem lex dispensabilis esset, si ad vota saecularia, sive voluntarie sive constricte, redeant.

2

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

De novo numero addendo schemati: De usu linguae Latinae tanquam « medium » instructionis et linguae communicationis pro clero.

Timeo ne introductio linguarum vernacularum in Liturgia, uti sancitum a Constitutione Liturgica, facile cedat in damnum linguae Latinae, quae ab alumnis sacris despicietur tanquam obsoletam et mortuam, si eius studium immediate non fulciatur ut medium instructionis in Seminariis et medium communicationis pro clero totius mundi.

Ad hoc malum vitandum mihi videtur necessarium esse ut in praesenti schemate aliquid ad hoc statuatur ex *Veterum Sapientia* Papae Ioannis desumpto.

Hoc fulcimentum linguae Latinae, tria sequentia posse includi:

1. Clare statuatur quod lingua latina adhuc permanet ut basis vitae liturgicae et praecipue ut « lingua franca » Ecclesiae ideoque necessariam esse clericis ut medium communicationis.

2. Fortiter innuatur quod methodus docendi Latinum in Seminariis est radicitus reformandum. Ratio est quia methodus in praesenti a plerisque adhibito est nimis antiquus, irrationalis et vera causa cur multi alumni avertantur ab amore discendi Latinum.

3. Exhortentur omnes cultores clericos linguae Latinae ut relinquant scriptores latinitatis paganae (Ciceronem, Horatium, Virgilium et ceteri) Academiis et Curiis, et sequantur pro alumnis Seminariorum Patres Ecclesiae Augustinum, Ambrosium, Leonem et Gregorium, pro Latino faciliori et simpliciori, et ita « aggiornato » non verbis kilometricis ex Bacci desumptis sed verbis (parole) modernis cuiuscumque generis graece vel latine declinatis vel etiam indeclinatis.

Rogo commissionem ne consideret has ideas velut nugas, cum agatur de re magni momenti, de medio scilicet communicationis pro clero totius mundi.

Mea sententia, hoc desiderium instaurandi Latinum in Ecclesia, minime applicari debet studiis alumnorum *afro-asiaticorum,* qui bene poterunt instrui lingua ipsis faciliori, sed Latinum et ipsis inculcari debet pro illis qui ad facultates Academiarum et Universitatum accedunt et pro medio communicationis internationalis.

3

Exc.mus P. D. EMMANUEL MOLL Y SALORD
Episcopus Dertosensis

Infrascriptus, Emmanuel Moll, ep. Dertosensis, in Hispania, qui per 36 annos incubuit in clericos efformandos in seminariis et in operibus pro vocationibus sacerdotalibus fovendis, sequentia demisse exponit:

Quidam Pater in aula conciliari, dum de schemate *de institutione sacerdotali* ageretur, proposuit ut e schemate expungerentur verba « vocationis signis agnitis », quae habentur in pag. 12, n. 2, lin. 15.

Meo autem iudicio praefata verba sunt omnino retinenda. Ut enim Ecclesia, nos scil. episcopi, tuta conscientia possimus ad Ordines vocare, debet nobis constare de idoneitate candidatorum, nempe, debemus prius agnoscere signa eorum vocationis. Signa, quae sunt eorum qualitates spirituales, morales, intellectivas. « Nemini manus *cito* imposueris », dicit divus Paulus.

Idem Pater dixit se non intelligere quid significetur per illa verba « germina vocationis », quae habentur in eadem pagina et eodem numero, linn. 25-26. Valde mirum! Haec germina sunt praecise illa signa quae notantur in pueris bonae indolis: pietas, puritas, docilitas, oboedientia, intelligentia, inclinatio ad res seu officia sacra, etc. Certe haec omnia non sunt vocatio; sed utique signa, germina vocationis, quae si foveantur et perficiantur, optimos candidatos ad sacerdotium efformare possunt ut ab Ecclesia *vocentur.*

Proponere, ut fecit idem Pater, praeferendas esse familias christianas Seminariis Minoribus, ut in illis efformentur et maturentur, ut dicitur, vocationes sacerdotales, est, salva reverentia, aliquid absurdum: certo certius amitteretur et disperderetur maxima vocationum pars.

Bonum est quidem ut foveatur vocatio sacerdotalis inter eos qui sunt maioris aetatis. Nullo autem modo spernatur, immo omnino praeferatur praxis illa suscitandi vocationes inter pueros, quae traditionalis est in Ecclesia et in documentis ecclesiasticis et in ipso C.I.C. (can. 1353) enixe commendatur.

4

PLURES EXC.MI PATRES CONCILIARES

Ego, infrascriptus Pater conciliaris, schemata *de institutione sacerdotali* et *de christiana educatione,* iuxta plus quam centum documenta Romanorum Pontificum, ita censeo perficienda ut doctrina S. Thomae, saltem in suis principiis, nedum in S. Theologia, sed et in Philosophia tradenda in omnibus scholis catholicis sancte servetur.

[*Subscripserunt*] Michael card. Browne; A. card. Ottaviani; Paulus card. Marella; Iacobus card. Copello; Henricus Dante, arch. tit. Carpasiensis; Arcadius card. Larraona; Franciscus card. Roberti; Aloisius card. Traglia; Franciscus card. Bracci; Fernandus card. Cento; I. card. da Costa Nunes; I. card. Antoniutti; Giuseppe card. Pizzardo; Efrem card. Forni; B. card. Aloisi Masella; G. card. Agagianian; Paolo card. Giobbe; Dinus Staffa, arch. tit. Caesariensis in Palaestina; Anicetus Fernandes, mag. gen. O.P.; A. Ferreiro de Macedo, arch. coad. Aparecida; I. card. Ferretto; D. Romoli, ep. Pescia.

II

SCHEMA DECRETI DE MINISTERIO ET VITA PRESBYTERORUM

A - TEXTUS EMENDATUS ET RELATIONES *

[3] ### Relatio generalis

Venerabiles Patres,

Pergratum mihi est, nomine Commissionis « De disciplina cleri et populi christiani », vobis proponere novum textum Schematis « De ministerio et vita Presbyterorum », qui textus et emendatus et valde adauctus est, iuxta animadversiones a Vobis factas sive oretenus dum locum habuit disceptatio Schematis in Aula Conciliari sive in scriptis, perdurantibus diebus qui huiusmodi disceptationem subsecuti sunt.

Omnes autem hae animadversiones, numero 455, quas accurate perpendimus, magnae quidem utilitatis nobis fuerunt in novo textu Schematis redigendo, illasque pergrato animo excepimus. Gratias quoque persolvere volumus Commissioni « De Concilii laboribus coordinandis », quae nobis permisit ut, quantum hoc necessarium videretur, primigenum textum amplificaremus, omnium pro posse animadversionum a Vobis factarum rationem habentes. Gratias item agimus Parochis, qui ad Commissionem et suas miserunt animadversiones, quas similiter sedulo consideravimus.

Sic ergo, per laborem imprimis Subcommissionum, deinde vero Commissionis plenariae, Schema magis completum atque emendatum vestro iudicio subiicere valemus.

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione 127, die 20 novembris 1964.

In prima parte Schematis, cui titulus « De Presbyterorum ministerio », exponitur imprimis natura Presbyteratus necnon praeclara missio quae in Ecclesia Presbyteris committitur, quippe qui providi sint cooperatores Ordinis Episcopalis. Diserte item distinguere curavimus inter sacerdotium commune omnium fidelium et sacerdotium ministeriale, quod per sacramentum Ordinis confertur. Enumerantur dein tria munera per quae Presbyteri suum ministerium exercent: sunt enim Presbyteri, cum Episcopis et sub eorum ductu, verbi Dei praecones, sacramentorum ministri et Populi Dei rectores. De Presbyteris in genere tractamus, cum in Schemate Decreti « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » de Parochis aliisque sacerdotibus peculiare munus exercentibus quaestio sit. Hoc fundamento doctrinali innixi, describimus arctas relationes ac necessariam unitatem quae Episcopos inter et Presbyterium intercedunt, nec non confraternitatem qua Presbyteri invicem devinciuntur et cooperationem, quae in omnibus quidem, sed praesertim in labore pastorali, propter communem participationem in sacerdotio Christi et in communitate missionis ac responsabilitatis Presbyterii, inter omnes Presbyteros vigere debet. [3]

Ad vitam vero communem quod attinet, prae oculis habuimus eam plures formas induere posse, prout pastorales necessitates suadeant. [4]
Opportunum quoque nobis visum est, iuxta id quod aliis in Schematibus statuitur circa vocationem et missionem apostolicam laicorum, expresse agere de relationibus Presbyterorum cum laicis Populi Dei, necnon integrum numerum speciali curae de vocationibus dicare.

Consideratur praeterea in hac prima parte Schematis studium scientiae sacrae atque artis pastoralis tamquam officium pertinens ad ipsum statum sacerdotalem; etenim non solum efficax exercitium ministerii verbi, sed etiam labor missionarius ac pastoralis, ut peculiaribus locorum personarumque adiunctis in mundo huius temporis accommodetur, hoc studium prorsus requirit. Sub hoc eodem aspectu consideratur demum necessitas promovendi aptiorem cleri distributionem in mundo facilioremque reddendi exercitium operum apostolatus specifici apud diversos coetus sociales.

Quae vero ita de Presbyterorum ministerio in prima parte Schematis dicuntur, expostulant ut in altera Schematis parte agatur de aliquibus praecipuis aspectibus vitae sacerdotum. Sacerdos enim imprimis peculiari ratione ad sanctitatem prosequendam tenetur, eo quod per sacramentum Ordinis et characterem sacerdotalem, Christi Aeterni Sacerdotis instrumentum efficiatur et ipsius Christi personam gerat. Haec vero sanctitas, quae exigitur ab ipsamet praestantia missionis ab iisdem adimplendae, alitur atque augetur ipso exercitio munerum quae Presby-

[4] tero committuntur. Ipsa igitur missio, quam sacerdos a Christo recipit, specificam spiritualitatem in vita Presbyterorum determinat ac roborat. Nulla proinde datur per se oppositio inter exercitium ministerii et studium sanctitatis persequendae, sed inter utrumque exsistit perfecta unitas atque mirabilis concordia. Praeclara est haec veritas, quam quisque sacerdos in se ipso experiri debet, non obstantibus difficultatibus quae, propter adiuncta mundi huius temporis, huic practicae unitati vitae adversantur.

Omnia autem haec, quae sane in sacerdote requirunt exercitium ardentis caritatis erga Deum et erga homines, pro quibus, sicut Bonus Pastor, totam suam vitam ipse impedit (cf. *Io.* 10, 15), Presbyterorum vitam ad Evangelium conformant. Opportune tamen mentio quoque fit castitatis perfectae aliorumque consiliorum Domini, quae evangelica appellantur, quaeque a Presbyteris magno semper in honore habenda sunt.

Necessarium demum visum est et alios aspectus vitae Presbyterorum, magna quidem utilitate pastorali pollentes, hoc nostro in textu considerare, cuiusmodi sunt aequa remuneratio Presbyterorum, necnon cura gerenda de iis qui infirmitate, vel invaliditate, vel senectute laborant, ut omnes sacerdotes, sine sollicitudine de sorte futura, sensu evangelico animarum saluti penitus se tradere atque etiam paupertatem colere valeant.

[5] Ita igitur explanata habetis, per summa quidem capita, quae continentur in Schemate, quod, iuxta vestra desideria emendatum, nunc vestro iudicio submittitur. Iustum existimo vobis dicere nostram Commissionem multum laboravisse in animadversionibus et desideriis vestris perpendendis, sed id in omni gaudio effecimus, in gaudio nempe servitii.

Conscii quidem sumus opus nostrum nondum pervenisse ad illam perfectionem quae in tali materia optanda esset. Vos autem rogamus ut modos emendationum, quas optetis innotescere velitis, ut ad maiorem perfectionem huius Schematis textum componere valeamus.

Romae, die 12 novembris 1964.

† FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Remensis

SCHEMA DECRETI DE MINISTERIO ET VITA PRESBYTERORUM [6]

Textus prior

[*Prooemium*]. Sacrosancta haec Synodus, quae in Constitutione « De Ecclesia » et in Decreto « De pastorali Episcoporum munere » naturam theologicam episcopatus et presbyteratus eorumque missionem pastoralem declaravit, necnon de peculiari presbyterorum vocatione ad sanctitatem egit, modo quasdam normas ad vitam et ministerium sacerdotum spectantes decernit:

Textus emendatus

(Novus textus). [*Prooemium*]. *Quamvis in Constitutione « De Ecclesia », in Decretis « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » et « De institutione sacerdotali », necnon in Constitutione « De Sacra Liturgia », Sacrosancta haec Synodus iam pluries de Ordine presbyteratus egerit, cum tamen, ex indole sua, huic Ordini in Ecclesiae Christi renovatione partes maximae et quidem in dies difficiliores assignentur, necessarium visum est fusius et profundius de presbyteratu tractare, ut huius Ordinis inaestimabilis excellentia, tam pastoralis quam spiritualis in memoriam omnium revocaretur. Presbyteri enim, sacra ordinatione atque missione quas ab Episcopis recipiunt, promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium, quo Ecclesia in populum Dei, Corpus Christi et templum spirituale, hic in terris, indesinenter aedificatur. Quapropter haec Sacrosancta Synodus, ad presbyteratus Ordinem in meliorem lucem ponendum necnon ad ministerium Presbyterorum in his hodiernis adiunctis efficacius sustinendum, atque ad curam melius gerendam de eorum vita, quae sequuntur statuit*:

Emendationes introductae a Commissione litteris *inclinatis* seu *italicis* significantur.

[6] ## I. De Presbyterorum Ministerio

1. (Novus numerus). [*De natura presbyteratus*]. Ecclesia, quae, innuente Sacra Scriptura (cf. *1 Pt.* 3, 18-21), a Patribus arca salutis nuncupatur, dicenda est mitti a Christo sicut Christus mittitur a Patre (cf. *Io.*
[7] 20, 21), atque a Spiritu divino ducitur et regitur, quem Christus in eam infudit (cf. *Io.* 20, 22; *Act.* 2, 1-4); cuius omnes fideles sanctum et regale sacerdotium efficiuntur, ut offerant spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum, et ut virtutes Eius, qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum, annuntient (cf. *1 Pt.* 2, 5 et 9). Nullum ergo datur in ea membrum quod in missione totius Corporis partem non habeat, sed unumquodque sanctificare debet Iesum in corde suo (cf. *1 Pt.* 3, 15), et spiritu prophetiae testimonium de Iesu reddere (cf. *Apoc.* 19, 10). In hac tamen missione adimplenda, fideles nullam potestatem proprie dictam ipsius Christi Capitis in Corpus suum quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24) exercere valent, eaque tantum consecratione signantur qua in initiationis christianae sacramentis « regio et sacerdotali propheticoque honore perfusi » sunt.[1]

Christus itaque inauguravit in semetipso, id est in « templo corporis sui » (*Io.* 2, 21), sacerdotium novum novumque cultum verorum adoratorum qui adorant Patrem in spiritu et veritate (cf. *Io.* 4, 23). Cum autem per ascensionem susceptus sit ab oculis nostris (cf. *Act.* 1, 9), voluit tamen Pontifex noster, invisibiliter sedens ad dexteram Patris, suum perpetuum sacerdotium in Ecclesia terrestri visibiliter exercere, suamque propriam actionem manifestam reddere. Et ideo quosdam inter fideles, quos quidem ex hominibus assumit (cf. *Hebr.* 5, 1), unctione Spiritus speciali modo sibi consecrat sacerdotes,[2] ut ipsi, in Corpore suo, ipsius Capitis sacerdotium ministerio episcopatus et presbyteratus repraesentent et in Eius persona agant. In Ecclesia ergo cultus christianus exercetur, non tantum in eo quod unusquisque singulariter offerat se hostiam viventem (cf. *Rom.* 12, 1), sed in eo quod Ecclesia per sacerdotes suos, ipsum visibile Sacrificium offert quo, incruente et sacramentaliter, cruentum illud semel in cruce peractum Sacrificium ipsius Christi praesens redditur eiusque memoria in finem usque saeculi permanet.[3]

Officium ergo, non tantum Episcopatus, verum etiam Presbyterii in ordine suo, participat auctoritatem qua Christus ipse Corpus suum extruit, sanctificat et regit, atque ad sacerdotium spirituale fidelium, quantumvis sublime, reduci non potest. Itaque peculiari initiatione sacramentali sacerdotium Presbyterii indiget. Quae initiatio ut quaedam incorporatio missioni episcopali, ope specialis participationis sacerdotii Christi, descri-

bi potest. Sicut enim, vi consecrationis suae, Episcopi personae Christi [7]
Capitis sacramentaliter configurantur, eodem quamvis subordinato modo, Presbyteri, inquantum providi cooperatores Ordinis episcopalis, eidem Christo Capiti consecrantur. Quapropter, sicut in Episcopis plenitudo sacerdotali missioni Apostolorum continuandae referri debet, ita in Presbyteris sacerdotium a missione apostolica Episcoporum rite explenda non est seiungendum.

Huiusmodi ministerium Presbyterorum, sicut tota actio salvifica qua missio universalis Ecclesiae hic in terris perficitur, a Sacrificio Christi, quod in Eucharistia per manus eorum celebratur, quasi ab inexhausto [8]
fonte suam vim et virtutem iugiter haurit, atque in eo tendit ut in Novi et Aeterni Testamenti sacrificii sollemniis « tota redempta civitas societasque sanctorum universale sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem Magnum qui etiam se ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus ».[4]

2. (Novus numerus). [*Presbyteri, verbi Dei ministri*]. Populus Dei primum constituitur Verbo Dei vivi,[5] quod ex ore sacerdotum omne fas est requirere (cf. *Mal.* 2, 7; cf. 1-9; *Deut.* 2, 9). Verbo enim salutari suscitatur fides qua congregatio fidelium coalescit et Christo incorporari incipimus. Presbyteri ergo ab Ecclesia in ministerium sacrum idcirco assumuntur ut partem cum Episcopis habeant in praedicatione Evangelii, omnibus ad quos vox eorum pertingere potest, facienda. Omnibus enim, exemplo Apostoli, debitores sunt (cf. *Rom.* 1, 14), etiam incredulis, ut cum eis communicent fiduciam et plenitudinem quas in Domino habent. Sive ergo mysterium Christi annuntient, sive catechesim christianam tradant vel Ecclesiae doctrinam explanent sive, ut modernis quaestionibus responsum praebeatur, laborent, eorum est semper utiliter docere omnesque ad conversionem et ad perfectionem instanter invitare, sua facientes illa Magistri verba: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » (*Lc.* 12, 49).

Hoc ministerium Verbi peculiariter requiritur vel exigitur ab ipso ministerio sacramentorum, praesertim pro illis qui parum intelligere videntur quae frequentant, et ab ipso Sacrificio Missae, in quo annuntiatio mortis Domini donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26) et responsum populi audientis uniuntur inseparabiliter cum ipsa oblatione Christi Novum Testamentum disponentis in Sanguine suo, cui fideles, et votis et sacramenti perceptione, communicant.

[8] *Textus prior*

5. [*Studium ad essentialia officia status sacerdotalis pertinet*]. Presbyteri ab Ecclesia in ministerium sacrum idcirco assumuntur, ut partem cum Episcopis habeant in praedicatione verbi salutis et in cura animarum. Quapropter, ut ipsi fideles operarii in vinea Domini inveniantur, praesertim in condicionibus socialibus et psychologicis nostri temporis, necesse prorsus est ut bene noscant studium ad essentialia officia status sacerdotalis pertinere. Sancte ergo et per totam vitam in studio verbi Dei scientiarumque sacrarum indesinenter per-
[9] severent, necnon acquirere nitantur opportunam cognitionem scientiarum humanarum, earum praesertim quae ad methodos apostolatus efficacius exercendi peculiari modo pertineant.

Textus emendatus

3. (Olim n. 5). [*Scientia Presbyterorum sacra*]. *Ab Episcopo, in sacro ritu Ordinationis, Presbyteri admonentur ut « sint maturi in scientia » et sit doctrina eorum « spiritualis medicina populo Dei »,*[6] *ita ut omnes gentes docere possint* (cf. *Mt.* 28, 19) « *in omni patientia et doctrina* » (2 *Tim.* 4, 2), *verbis ad mentem audientium convenienter accommodatis. Id tamen quod aliis est tradendum prius recte possideatur oportet, unde necessarium omnino est ut Presbyteri profunda scientiae theologicae cognitione continuo polleant, quae ipsorum vitam supernaturalem alat quamque cum populo ipsis commisso indesinenter communicent.*

Presbyteri ergo, ut fideles operarii in vinea Domini inveniantur, praesertim in condicionibus socialibus et psychologicis nostri temporis, *studia per totam vitam ne intermittant,*[7] *nam* studium ad *praecipua* officia status sacerdotalis *pertinet. Scientia vero ministri sacri sacra esse debet, nempe, e sacro fonte desumpta et ad sacrum finem directa. Praeprimis igitur Presbyteri magis magisque in dies cognoscere satagant Iesum Christum, unicum Salvatorem nostrum, qui est manifestatio Patris, et cuius vita et doctrina revelatio sunt Veritatis* (cf. *Io.* 18, 37). *Haec scientia haurienda primo est ex lectione et meditatione Sacrae Scripturae, iuxta illud Sancti Hieronymi*: « *Divinas Scripturas saepius lege*: *immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur... Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit* ».[8] *Nutriatur quoque haec scientia studio Patrum aliorumque Traditionis documentorum, sed etiam, ad aptas responsiones reddendas quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis, Presbyteri bene noscant oportet Magisterii ac praecipue Romanorum Pontificum do-*

Textus prior — *Textus emendatus* [9]

cumenta atque consulant optimos et probatos scientiae theologicae et exegeticae hodiernos scriptores. Acquirere tandem ne omittant opportunam cognitionem scientiarum humanarum, earum praesertim quae ad *apostolatum* efficacius *exercendum* peculiari modo pertineant.

4. (Novus numerus). [*Presbyteri, Sacramentorum et Eucharistiae ministri*]. Etsi solus Deus Sanctus et Sanctificator sit, non dedignatur tamen homines quasi in socios et adiutores assumere ut operi suo sanctificationis humiliter inserviant. Ad hoc ergo specialiter Presbyteri a Deo, ministrante Episcopo, consecrantur et mittuntur, ut sint ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei (cf. *1 Cor.* 4, 1; *2 Cor.* 6, 4) in sanctificationem fidelium, quam peculiari modo procurant fidei sacramenta quae Presbyteri conficiunt. [10] In quibus conficiendis ab auctoritate Episcopi diversis rationibus pendent, sicut iam ab antiquo testificatur beatus Ignatius Martyr.[9] Omnia ergo ordinate fiant, iuxta normas iam ab hac Sacrosancta Synodo statutas vel a competenti auctoritate edictas vel edicendas.

Omnia tamen ecclesiastica ministeria, immo et cetera sacramenta, cum Sacra Eucharistia cohaerent, nam ab ea derivantur vel ad eam ducunt. Communicando enim Corpori et Sanguini Christi, populus Dei seu congregatio fidelium plenius fit Corpus Christi Mysticum aedificaturque in templum spirituale sanctum. In Sanctissima Eucharistia totum bonum spirituale Ecclesiae continetur, ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus vitam praestans hominibus per Carnem suam Spiritu Sancto vivificatam ac vivificantem. Est ergo Eucharistica Synaxis centrum et fons vitae congregationis fidelium cui Presbyter praeest. Edoceant igitur Presbyteri fideles vitam suam cum Sacrificio ipsorum Capitis coniungere et Deo offerre; erudiant eos psalmis et hymnis et canticis spiritualibus in cordibus suis cantare Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo et Patri (cf. *Eph.* 5, 19-20). Fidelibus ostendant Presbyteri, in ipsis liturgicis ritibus medullam sincerae orationis invenire, profectioresque alliciant ad praxim orationis mentalis necnon consiliorum evangelicorum, modo cuique congruo exercendorum.

Domus orationis in qua Sanctissima Eucharistia servatur et fideles congregantur, quae praesentiam Dei hominibus manifestare debet, sit ni-

[10] tida, orationi et sacris sollemniis apta. Curent Presbyteri scientias et maxime artes liturgicas recte colere, ut, suo ministerio liturgico, a christianis communitatibus sibi commissis perfectius in dies laudetur in mundo Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

5. (Novus numerus). [*Presbyteri, populi Dei rectores*]. Mandato ministerioque docendi connexum est ministerium sacramentorum, quod consequitur cuique arcte iungitur ministerium docendi Domini mandata (cf. *Mt.* 28, 18-20), quorum maior caritas est. Sicut ergo primi discipuli erant « perseverantes in doctrina Apostolorum et communione, in fractione panis et orationibus » (*Act.* 2, 42 Vg), sicut etiam eorum multitudini erat cor unum et anima una (cf. *Act.* 4, 32), ita et nunc fideles in communitatem fidei primum colliguntur, quae in communitatem sacramentorum crescit ac simul in communitatem caritatis et subministrationis augetur. Ad hoc autem ministerium exercendum requiritur potestas, quae quidem ad aedificationem datur (cf. *2 Cor.* 10, 8; 13, 10). Etsi enim expediat actionem pastoralem etiam per modum dialogi exercere, Presbyteri tamen non iuxta placita hominum (cf. *Gal.* 1, 10), sed iuxta exigentias doctrinae et vitae christianae agere debent, monente Apo-
[11] stolo: « insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2).

Presbyteri ergo singulos fideles ad personalitatem secundum evangelicam fidem formandam atque universos ad genuinam communitatem christianam creandam adducant. Parum inserviret caeremonias, etsi pulchras, vel organizationes, etsi numerosas, curare, si de educandis hominibus christianis, id est, ad fidem vivam, ad sinceram operosamque caritatem et ad libertatem qua Christus nos liberavit (cf. *Gal.* 4, 31) adducendis, paulum studium haberetur. Tale vero studium ad hoc tendat oportet, non ut sibi solis vivant animae christianae, sed ut, vocatione unicuique propria servata, homines officia sua in societate hominum utiliter et secundum Dei voluntatem christiane consumment. Quibus adesse nituntur Presbyteri, in id studentes, ut in ipsis eventibus magnis vel parvis, quid res exigat, quae sit Dei voluntas, una cum fidelibus laicis perspiciant. Signa desiderii sanctitatis sectandae in fidelibus semper circumspectent, nec ullam omittant occasionem sive in praedicatione, sive in confessionali vel directione spirituali, sive etiam in cotidiana conversatione, omnes ad perfectionem christianam perseveranter instituendi. Quamvis vero omnibus debitores sint, peculiarem curam habeant pauperum et debiliorum, cum quibus Dominus ipse sese sociatum ostendit (cf. *Mt.* 25, 34-45), et quos evangelizare signum messianici operis datur (cf. *Lc.* 4, 18). Sed et iuniorum peculiaris urget cura (cf. *1 Io.* 2,

13-14), in quibus futurum iam adesse videtur, et insuper coniugum et parentum, quos ut in amicalibus coetibus coeant optandum est, ad sese mutuo adiuvandos ut christiane in vita saepe ardua facilius pleniusque agant. [11]

Religio christiana indolem communitatis natura sua praebet, quin indoles eius personalis detrimentum patiatur. Presbyteri ergo fovere satagant in fidelibus hunc spiritum communitatis sicut et spiritum authentice catholicum et missionarium. Impossibile tamen esset genuinam communitatem aedificare quae Sanctissimae Eucharistiae celebrationem radicem cardinemque non haberet. Quae celebratio, ut sincera et plena sit, tam in varia caritatis opera omnimodamque subministrationem ad invicem, quam in missionalem actionem necnon in varias christiani testimonii formas, prodire debet. Nullum est tam efficax signum approximationis Regni Dei quam signum mutui amoris ac operosae fraternae unitatis. Insuper autem ecclesialis congregatio veram maternitatem spiritualem exercet erga animas ad Christum adducendas, caritate sua, oratione, exemplo, poenitentiaeque operibus. Medium efficax constituit quo excitantur, aluntur roboranturque debiliores ad pugnam spiritualem pro Christo, quo denique forsan nondum credentes ad Christum allicientur et limites Ecclesiae extendentur.

Textus prior — *Textus emendatus* [12]

Textus prior

6. [*Scientia pastoralis pro locorum adiunctis acquirenda*]. Quo facilius autem sacerdotes, plurimis quidem occupationibus implicati, in studia incumbant et aptius in eis excitetur animi ad studium inclinatio, omni cura ipsis opportuna subsidia comparentur, cuiusmodi sunt creatio studiorum moderatoris necnon institutio cursuum pastoralium vel centrorum, ut aiunt, ad pervestigandum de re catechetica, homiletica, liturgica, sociologica, etc., qui autem cursus non tantum scientiam sed etiam artem docere debent. Iis aliisque aptis mediis peculiari cura adiuventur sacerdotes iuniores, neoparochi et illi qui in aliam dioecesim aut paroeciam transferantur. Pariter utilissima erit constitutio bibliothecarum, quarum libris ac ephemeridibus facile utentes, possint presbyteri condiciones populorum ac regionum

Textus emendatus

6. (Olim n. 6). [*Scientia et ars pastoralis pro diversis adiunctis*]. Quo facilius Presbyteri, plurimis quidem occupationibus implicati, in studia sacra incumbant *et methodos evangelizationis et apostolatus efficacius addiscant,* omni cura ipsis opportuna subsidia comparentur, cuiusmodi sunt creatio studiorum moderatoris necnon institutio, iuxta cuiusque territorii condiciones, cursuum, *vel congressuum,* vel centrorum, ut aiunt, *pastoralium,* ad pervestigandum *theorice et practice* de re catechetica, homiletica, liturgica, *ascetica,* sociologica, etc. Iis aliisque aptis mediis peculiari cura adiuventur sacerdotes iuniores,[10] neoparochi et illi qui in aliam *nationem,* dioecesim *aut operam pastoralem* transferantur.

Pariter utilissima erit constitutio bibliothecarum, *etiam itinerantium,* quarum libris ac

[12] *Textus prior*

ubi ministerium suum pastorale exercent plenius accuratiusque cognoscere et maiore semper vi atque efficacitate dispensatores divitiarum Christi effici valeant.

Textus emendatus

ephemeridibus facile utentes, possint Presbyteri *scientiam sacram et* condiciones populorum ac regionum ubi ministerium suum pastorale exercent plenius accuratiusque cognoscere, *ut* maiore semper vi atque efficacitate dispensatores divitiarum Christi effici valeant.

Considerent demum singulae Conferentiae Episcopales modum opportuniorem efficiendi ut in proprio cuiusque territorio omnes Presbyteri, statis temporibus, frequentare possint cursum completum renovationis doctrinalis, spiritualis et pastoralis, qui sit simul occasio cum ad pleniorem scientiae theologicae ac methodorum pastoralium cognitionem acquirendam, tum ad vitam spiritualem personalem roborandam et ad mutuo communicandas experientias apostolicas in gaudio fratrum qui eandem missionem et responsabilitatem participant (cf. *Lc.* 10, 17).

2. [*Vita sacerdotalis ad Evangelii formam componenda*]. (...) Providi ordinis episcopalis cooperatores, unum sacerdotium et ministerium Christi cum Episcopis et sub eorum ductu
[13] repraesentantes et exercentes, eisdem sincero amoris et oboedientiae spiritu adhaereant, nec tantum quae praecipiuntur, sed etiam quae commendantur, generoso animo adimpleant. Quae sacerdotalis oboedientia natura sua differt ab illa quae religiosis vel laicis convenit, eo quod fundatur in ipsa participatione missionis episcopalis, quae presbyteris per Sacramentum Ordinis confertur atque ideo spiritu pastorali imbuta sit oportet, necnon filialem cum Episcopo communionem requirit.

7. (Olim pars n. 2). [*De habitudine inter Episcopos et Presbyterium*]. *Presbyteri omnes,* unum sacerdotium et ministerium Christi cum Episcopis et sub eorum ductu *ita repraesentant, ut ipsa unitas missionis omnino requirat omnimodam eorum unitatem cum Collegio Episcoporum, cuius providi cooperatores facti sunt, secundum gratiam quae ipsis in sacramento Ordinis collata est. In memoriam igitur revocantes donum Spiritus Sancti quod Presbyteris in ordinatione datum est, Episcopi illos habeant ut veros adiutores in ministerio et ut consiliarios in munere docendi, sanctificandi et regendi populum Dei. Quod enixe, iam ab antiquis Ecclesiae temporibus, liturgica documenta proclamant, dum solemniter postulant a Deo, super Presbyterum ordinandum, infusionem « spiritus gratiae et consilii, ut adiuvet ac gubernet populum in corde puro »,*[11] *quemad-*

Textus prior

Textus emendatus [13]

modum in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysis spiritus propagatus est, « quibus ille adiutoribus usus in populo innumerabiles multitudines facile gubernavit ».[12] *Propter hanc ergo in sacerdotio Christi participationem Episcopi sacerdotes suos ut amicos considerent, « sicut Christus discipulos suos iam non servos sed amicos vocat* (cf. *Io.* 15, 15) »; [13] *ipsi enim, iisdem initiati mysteriis,*[14] *idem bonum certamen fidei certantes* (cf *1 Tim.* 6, 12),[15] *pretiosam constituunt spiritualem coronam Episcoporum,*[16] *ac habendi sunt veluti consilium et curia seu senatus Ecclesiae,*[17] *quos Episcopi libenter audiunt et compresbyteros appellant,*[18] *et sine quorum adiutorio missionem Apostolis eorumque Successoribus concreditam nullo modo adimplere possunt. Ut hoc vero aptiori quam nunc viget modo* [19] *ad praxim reducatur, instituendus est, forma a iure determinanda, coetus dioecesanus, constans selectis Presbyteris totum Presbyterium repraesentantibus, quem Episcopus semper audiat in rebus maioris momenti pro regimine dioeceseos.*[20]

Presbyteri autem, ante oculos habentes plenitudinem sacramenti Ordinis quae in Episcopis residet, in ipsis reverentur auctoritatem Christi Supremi Pontificis, in cuius persona [14] *agunt; eisdem igitur sincera caritate et oboedientia* adhaereant, nec tantum quae praecipiuntur, sed etiam quae commendantur, generoso animo adimpleant. Quae sacerdotalis oboedientia *speciali ratione* fundatur in ipsa participatione missionis episcopalis, quae Presbyteris per sacramentum Ordinis confertur, atque ideo spiritu pastorali imbuta sit oportet, necnon *dilucidam et promptam* cum Episcopo communionem requirit. *Sic igitur se gerant Presbyteri ut omnibus fidelibus exemplo sint verae*

14] *Textus prior* | *Textus emendatus*

et christianae oboedientiae, iuxta praeclara monita Sacrae Scripturae: « *Oboedite praepositis vestris et subiacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes; hoc enim non expedit vobis* » (*Hebr.* 13, 17).

Quam oboedientiam Presbyteri proprio Antistiti, qui inter eos totum Episcopale Collegium veluti praesens ac efficax reddit, praeprimis praestare debent, iuxta verba S. Ignatii Martyris: « *Subiicimini episcopo et ad invicem, ut Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Christo et Patri, et Spiritui, ut unio sit carnalis simul ac spiritualis* ».[21]

Quae unio nostris diebus eo magis requiritur quod in mundo huius temporis, diversis ex causis, incepta apostolica non tantum multiplices formas induere, verum etiam saepe limites unius paroeciae vel dioecesis praetergredi necesse est. Nullus ergo sacerdos seorsum ac veluti singillatim suam missionem sufficienter adimplere valet, sed ita in unione cum aliis suas vires impendat ut omnia « *honeste, et secundum ordinem fiant* » (*1 Cor.* 14, 40), « *ut Ecclesia aedificationem accipiat* » (*1 Cor.* 14, 5). *Huiusmodi vero unitas in labore pastorali obtineri non potest nisi divisiones gratiarum, divisiones ministrationum et divisiones operationum quae unicuique per eundem Spiritum*

15] *dantur ad utilitatem* (cf. *1 Cor.* 12, 4-7), *ordinato exercitio tendant ad optatum finem, sub ductu eorum qui Ecclesiae praesunt, ita ut Presbyteri omnes, etiam religiosi, cum Episcopo et cum Collegio Episcoporum eiusque Capite, universali Pastore, indesinenter collaborent.*

Neque enim donum spirituale, quod in Ordinatione accepit, ad limitatam et coarctatam

Textus prior

4. [*Sacerdotum inter se confraternitas*]. Episcopis bonum corporale et spirituale cooperatorum suorum pro viribus cordi sit. Singuli autem presbyteri confratribus suis uniantur vinculo caritatis, orationis, cooperationis atque animi relaxationis. Auxilium humanum et spirituale libenter ferant erga confratres, erga illos praesertim hodie saepius plus quam par est operibus oneratos, et sic « mandatum novum » (cf. *Io.* 13, 34-36) sollicite servantes, fidelibus suis exemplo sint verae fraternitatis christianae. Quare etiam Sacrosancta Synodus instanter commendat ut, quam maxime fieri possit, vitam communem sacerdotes instaurent.

Textus emendatus [15]

tantum missionem praeparat Presbyterum, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis « usque ad ultimum terrae » (*Act.* 1, 8), *ita ut quodlibet sacerdotale ministerium, quantumvis humile et limitatum externa facie appareat, participet de ipsa universali amplitudine missionis a Christo Apostolis concreditae. Sacerdotium enim Christi, de cuius plenitudine Presbyteri participes facti sunt, ad omnes populos et ad omnia tempora necessario dirigitur, neque ullis limitibus sanguinis, nationis vel aetatis coarctatur, ut iam in figura Melchisedech, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitae habentis, arcano modo praefiguratur* (cf. *Hebr.* 7, 3). *Sic igitur merito omnes sacerdotes profitentur orare et laborare una cum Papa et Antistite suo, ac cum omnibus orthodoxis catholicae et apostolicae fidei cultoribus.*[22]

8. (Olim n. 4). [*Confraternitas et cooperatio inter Presbyteros*]. *Sicut Episcopi per consecrationem in Ordine seu Collegio Episcopali et proprie apostolico, ita Presbyteri per Ordinationem in Ordine Presbyteratus, qui ab Ordine Episcoporum essentialiter dependet, constituuntur. Cum aliis ergo membris huiusce presbyteratus specialibus ministerii et fraternitatis nexibus coniunguntur; quod iam ab antiquis temporibus in liturgia significatur, cum Presbyteri adstantes super novum electum, simul cum Episcopo ordinante, manus imponere possunt. Propterea oportet ut non tantum* Episcopis bonum corporale et spirituale cooperatorum suorum pro viribus cordi sit, *sed etiam* [16] *ut* singuli Presbyteri confratribus suis uniantur vinculo caritatis, orationis *et omnimodae* cooperationis, *atque ita fidelibus dent exemplum illius unitatis qua Christus suos voluit in unum*

[16] *Textus prior* | *Textus emendatus*

esse consummatos, ut cognoscat mundus Filium missum esse a Patre (cf. *Io.* 17, 23), *illa nempe missione quae nunc in omnibus sacerdotibus per sacramentum Ordinis specialiter continuatur.*

Quapropter magni momenti est ut omnes Presbyteri sese invicem adiuvent ut semper cooperatores sint veritatis (cf. *3 Io.* 8). *Quae cooperatio inter omnes omnino Presbyteros se extendat oportet, tum si in eadem forma ministerii, v. g. paroecialis vel apostolatus laicorum laborent, tum si in ministerio magis indirecto vel extraordinario, ut in scholis, in institutionibus pervestigationis scientificae, in officinis, in operibus caritativis aliisve sane multis id genus actuositatis speciebus, de consensu auctoritatis competentis exercendis, sese impendere debeant. Qui vero iam a multis annis portaverunt pondus diei et aestus sciant iuniores cum amore fraterno suscipere eosque adiuvare in primis difficultatibus et responsabilitatibus ministerii sacerdotalis; iuvenes pariter sciant magni facere experientiam et virtutem eorum qui ante ipsos in agro patrisfamilias per annos laboraverunt, libenter eos audiant, ac cum ipsis collaborent.*

Caritas ergo fraternitatis maneat in omnibus Presbyteris; hospitalitatem ne obliviscantur (cf. *Hebr.* 13, 1-2), *neque beneficientiam et communionem bonorum*: « *talibus enim hostiis promeretur Deus* » (*Hebr.* 13, 16). *Ita fraterno spiritu uniti maneant, ut etiam ad relaxandum animum libenter conveniant, memores verborum quibus ipse Dominus apostolos defatigatos misericorditer invitabat*: « *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum* » (*Mc.* 6, 31). *Quapropter aliqua vita*
[17] *communis inter sacerdotes foveatur, quae tamen plures formas, iuxta diversas necessitates*

[17]

Textus prior

1. [*Sacerdotum cum laicis conversatio*]. Novi Testamenti sacerdos, Sacramenti Ordinis ratione specialiter Deo consecratus atque peculiare ac necessarium in Populo et pro Populo Dei munus patris et magistri exercens, memor semper sit se cum omnibus Christifidelibus Domini esse discipulum, Dei vocantis gratia Eius Regni participem factum (cf. *1 Thess.* 2, 12; *Col.* 1, 13), quapropter hoc intendere debet, ut de die in diem huius Regni dignior inveniatur.

Sit ergo libenter etiam frater inter fratres (cf. *Mt.* 23, 8), utpote cum iisdem membrum unius Christi Corporis, cuius aedificatio omnibus in fonte baptismi regeneratis et sacro chrismate signatis, secundum mensuram gratiae et donum quod singulis datur (cf. *Rom.* 12, 6; *Eph.* 4, 7) demandata est. Studeat igitur cum fidelibus laicis operam coniungere, honore eos praeveniat (cf. *Rom.* 12, 10), quippe qui regalis sacerdotii (cf. *1 Pt.* 2, 9) sint participes. Missus non ut ministretur ei, sed ut ministret (cf. *Mc.* 10, 45), omnibus ita sit deditus ut in ipso appareat benignitas et hu-

Textus emendatus

personales vel pastorales, induere potest, nempe cohabitationem, ubi possibilis est, vel commensalitatem, vel saltem frequentes ac periodicos conventus, ita ut Presbyteri aptius in ministerio cooperentur et a periculis solitudine forte orientibus eripiantur. Pariter, eorum coniunctio in associationibus piis, quae sacerdotum sanctitatem fovendam intendunt, magni semper habeatur.

Demum, eiusdem fraternitatis et communionis in sacerdotio ratione, se sciant Presbyteri obligatos erga eos quoque qui in quibusdam defecerunt, quos igitur misericordia atque magna caritate semper prosequantur.

9. (Olim n. 1). [*Presbyterorum cum laicis conversatio*]. Novi Testamenti sacerdotes, sacramenti Ordinis ratione specialiter Deo consecrati atque *praestantissimum* ac necessarium in populo et pro populo Dei, *ex quo assumpti sunt* (cf. *Hebr.* 5, 1), munus patrum et magistrorum exercentes, *simul* cum omnibus Christifidelibus *sunt* discipuli Domini, Dei vocantis gratia Eius Regni participes facti (cf. *1 Thess.* 2, 12; *Col.* 1, 13). *Presbyteri ergo semper memores sint se cum Christifidelibus esse* fratres inter fratres (cf. *Mt.* 23, 8),[23] « *caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes* » (*Rom.* 12, 10), utpote cum iisdem membra unius Christi Corporis, cuius aedificatio omnibus in fonte baptismi regeneratis et sacro chrismate signatis, secundum mensuram gratiae et donum quod singulis datur (cf. *Rom.* 12, 6; *Eph.* 4, 7) demandata est.

Presbyteros igitur sic oportet praeesse, ut, non quae sua sunt quaerentes, sed quae Iesu Christi (cf. *Phil.* 2, 21), *cum fidelibus laicis operam coniungant et in medio eorum se ge-*

[17] *Textus prior*

manitas Salvatoris nostri (cf. *Tit.* 3, 4); qua-
[18] propter enixe eas virtutes colat, quibus, Domino praecipiente, omnes ornati sint oportet, quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur, videlicet cordis bonitas, animi sinceritas, robur et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque quas Sanctus Paulus commendat dicens: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate » (*Phil.* 4, 8).

Textus emendatus

rant ad exemplum Magistri, qui inter homines « non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis » (*Mt.* 20, 28). *In conversatione cum fidelibus, Presbyteri, semper memores propriae condicionis sacerdotalis, atque « forma facti gregis ex animo »* (*1 Pt.* 5, 3), *sectentur « iustitiam, fidem, spem, caritatem et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro »* (*2 Tim.* 2, 22), *sed etiam illas virtutes colant quibus, ad imitationem Christi Domini, qui est « perfectus Deus, perfectus Homo »*,[24] omnes ornati sint oportet, quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur, videlicet cordis bonitas, sinceritas, robur *animi* et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque quas Sanctus Paulus commendat dicens: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate » (*Phil.* 4, 8).

Ius quod fideles laici habent recipiendi a clero spiritualia bona[25] *ad eorum salutem necessaria obtinere non possent si, petentibus illis panem verbi Dei et Corporis Christi, Presbyter non esset qui frangeret eis* (cf. *Thren.* 4, 4). *Sed praeter hanc sollicitudinem in sacramentis eis ministrandis*[26] *et in Romani Pontificis ac Episcoporum normis tradendis, Presbyteri sincere honorent peculiarem missionem apostolicam, quam et laici a Deo acceperunt; omnia iura propria condicionis eorum aestiment atque foveant; munera et officia ipsis concredita in sinu Ecclesiae ac civilis societatis agnoscant. Libenter igitur Presbyteri audiant laicos, eorum desideria fraterne accipiant, eorumque experientiam in diversis campis activitatis humanae agnoscant, ut simul cum ipsis signa temporum* (cf. *Mt.* 16, 4) *recognoscere queant. Probantes spi-*

Textus prior

7. [*Sacerdotum sollicitudo omnium ecclesiarum*]. Sacerdotes, qui Christi Domini sacerdotium et salvificam missionem miro ipsius delectu ac concessu participant, et cooperatores sunt Episcoporum eorumque muneris apostolici socii, recolant omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere. Quapropter, praeter officium omnibus incumbens ecclesiasticas vocationes suscitandi, sacerdotes illarum dioecesium quae maiori vocationum copia ditantur libenter se paratos praebeant, permittente vel exhortante proprio Ordinario ad suum ministerium in dioecesibus, regionibus vel operibus penuria laborantibus sacerdotum exercendum.

8 [*Cleri distributio apte fovenda*]. Normae de incardinatione et excardinatione ita recognoscantur ut, firmo manente pervetere hoc instituto, hodiernis pastoralibus adiunctis atque necessitatibus melius respondeant, et, ubi ratio apostolatus postulaverit, faciliora reddantur non solum apta cleri distributio, sed

Textus emendatus [18]

ritus si ex Deo sint (cf. *1 Io.* 4, 1) *charismata laicorum magni aestiment. Inter illa vero dona Dei quae in fidelibus abundanter inveniuntur, particulari cura dignae sunt gratiae quibus non pauci ad altiores gradus vitae spiritualis desti-* [19]
nantur.

Meminerint demum Presbyteri se in medio laicorum positos esse ut illos ad caritatis unitatem ducant; sciant igitur diversas mentes ita componere, ut nullus eorum extraneum in fidelium communitate se sentiat; boni communis, cuius nomine Episcopi curam habent, sint defensores atque simul veritatis strenui assertores, ne fideles omni vento doctrinae circumferantur (cf. *Eph.* 4, 14).

10. (Olim nn. 7 et 8). [*Apta Presbyterorum distributio*]. *Presbyteri qui cum et sub Episcopis sunt Apostolorum in sacerdotio successores*[27] *et Ordinis episcopalis missionem in omnes gentes suo gradu participant,* recolant omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere. Quapropter *Presbyteri* illarum dioecesium quae maiore vocationum copia ditantur libenter se paratos praebeant, permittente vel exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in regionibus, *missionibus* vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum. Normae praeterea de incardinatione et excardinatione ita recognoscantur ut, firmo manente pervetere hoc instituto, hodiernis pastoralibus necessitatibus melius respondeant, et, ubi ratio apostolatus postulaverit, faciliora reddantur non solum apta *Presbyterorum* distributio, sed etiam peculiaria opera pastoralia pro quibusdam coetibus socialibus, *v. g. pro opificibus vel intellectualibus,* quae in aliqua regione, vel natione aut in quacumque terrarum orbis parte perficienda sunt; ad hoc ergo seminaria inter-

[19]

Textus prior

etiam peculiaria quaedam opera pastoralia, quae in aliqua regione, vel natione, aut in quacumque terrarum orbis parte, aut etiam pro quibusdam coetibus socialibus perficienda sunt; ad hoc ergo Seminaria internationalia, peculiares dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi constituantur, quibus, modis [20] pro singulis inceptis statuendis et salvis semper iuribus Ordinariorum locorum, sacerdotes addici queant.

Textus emendatus

nationalia, peculiares dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi *utiliter constitui possunt,* quibus, modis pro singulis inceptis statuendis et salvis semper iuribus Ordinariorum locorum, Presbyteri addici *vel incardinari* queant in bonum commune totius Ecclesiae.[28]

Ad exemplum tamen Christi Domini (cf. *Lc.* 10, 1), *Presbyteri singuli ne mittantur, si possibile sit, sed saltem bini vel terni. Si in solitudine enim manent, damna haud parva ipsis oriri possunt, praesertim primis temporibus, si forte linguam et mores novae regionis nondum bene cognoverint. Pariter expedit sollicitam curam adhibere de eorum vita supernaturali necnon de eorum valetudine mentis et corporis; et, quatenus id fieri possit, loca et condiciones laboris pro ipsis praeparentur iuxta uniuscuiusque adiuncta personalia.*

Magnopere expedit simul ut, qui ad novam nationem pergunt ut ibidem ministerium exerceant, apte cognoscere curent non solum linguam illius loci, sed etiam peculiares characteres psychologicos et sociales illius populi cui servire volunt, ita ut, ardenti caritate pastorali moti, superent quodlibet vel remotissimum indicium spiritus nationalistici vel segregationis inter diversos populos, et exemplum Pauli Apostoli fideliter sequantur, qui de se ipso dicere potuit: « *Nam, cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer...* » (*1 Cor.* 9, 19-20).

11. (Novus numerus). [*De vocationibus sacerdotalibus*]. Pastor et Episcopus animarum nostrarum (cf. *1 Pt.* 2, 25), ita suam Ecclesiam constituit, ut populus quem elegit semper et usque in finem saeculi suos habere debeat sacerdotes, ne umquam Christiani sint « sicut oves

non habentes pastorem » (*Mt.* 9, 36). Quam voluntatem Christi agnoscentes [20], Apostoli, suggerente Spiritu Sancto (cf. *Act.* 13, 2), suum esse officium ducunt ministros eligendi « qui idonei erunt et alios docere » (2 *Tim.* 2, 2). Quoniam tamen rectori navis et navigio deferendis causa communis exsistit,[29] ideo universus populus christianus sciat necesse et suum esse officium diversimode cooperari ut semper Ecclesia illos habeat sacerdotes qui necessarii sint ad missionem suam divinam explendam. Primum igitur Presbyteris summopere cordi sit sacerdotii excellentiam et necessitatem fidelibus ante oculos ponere, omnes ut sociam navent operam commonere, ac quos ipsi prudenter ad tantum ministerium idoneos iudicaverint, nullis parcentes sacrificiis adiuvare [21] ut aliquando ab Episcopis vocari possint. Parentes et magistri, atque omnes ad quos spectat quocumque modo institutio puerorum ac iuvenum, eos sic erudiant, ut voluntatem Christi cognoscentes et necessitates Ecclesiae considerantes, parati sint generose Domino vocanti respondere: « Ecce ego, mitte me » (*Is.* 6, 8).

Haec tamen vox Domini vocantis nequaquam exspectanda est modo quodam extraordinario ad aures futuri Presbyteri habitualiter pervenire, sed potius per illa signa quibus cotidie voluntas Dei prudentibus christianis innotescit; quae signa, tam externa (prout sunt necessitas Ecclesiae, circumstantiae variae, educatorum sententia, Hierarchiae iudicium), quam interna (scilicet gratiae receptae, dotes, recta intentio, voluntas sincera Deo quam perfectissime inserviendi, aliaque huiusmodi), attente consideranda sunt, iuxta illud S. Ioannis Chrysostomi: « Oportet eum qui ordinaturus est multa prius perquisitione uti; sed multo maiore eum qui ordinandus est ».[30]

In praedicationibus ergo, in catechesi, in periodicis, aperte declarentur necessitates Ecclesiae tam localis quam universalis; ac Presbyteri omnes fideles instruant suppliciter rogare « Dominum messis ut mittat operarios in messem suam » (*Lc.* 10, 2). Parati sint etiam ad cooperandum, sub ductu Episcopi, ad sacerdotes praeparandos, sive saeculares sive religiosos, non tantum in bonum propriae dioecesis, sed etiam in bonum Ecclesiae universalis, cum singulae dioeceses, immo et singulae Conferentiae Episcopales mutuo auxilio se adiuvare in tanti momenti opere necesse sit.

II. De Presbyterorum vita

12. (Novus numerus). [*Peculiaris exigentia sanctitatis in vita sacerdotali*]. Sicut haec Sacrosancta Synodus solemniter declaravit in Constitutione « De Ecclesia »,[31] omnibus fidelibus dictum est: « Estote ergo

[21] vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48), atque ideo omnes ad sanctitatem vocantur. Ad illam tamen perfectionem assequendam peculiari titulo adstringuntur sacerdotes, quos in ordinatione sacra Episcopus monuit « fide et opere debere esse perfectos, seu geminae dilectionis, Dei scilicet et proximi, virtute fundatos ».[32] Sanctitas enim in sacerdote peculiari ratione exigitur, eo quod per sacramentum Ordinis et characterem sacerdotalem, Christi Aeterni Sacerdotis instrumentum efficitur, ut mirabilem Eius operam, quae superna efficacitate universum hominum convictum redintegravit, per tempora consequi valeat.[33] Cum ergo omnis sacerdos ipsius Christi personam gerat, secundum illud: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (*Io.* 20, 21), ad Eius perfectionem propius accedere debet cuius partes sustinet, atque, peculiariter « homo Dei » (*1 Tim.* 6, 11) factus, ita inter homines se
[22] gerere debet, ut in ipso quodammodo effulgeat sanctitas Illius qui nobis factus est « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus » (*Hebr.* 7, 26).

Quamobrem, iam in Vetere Testamento, de sacerdotibus legis Deus praeceperat: « Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos » (*Lev.* 21, 8), atque pro iisdem, in dedicatione Templi, populus a Deo postulabat: « Sacerdotes tui induantur iustitiam » (*Ps.* 132, 9 Vg 131).

Unctionis igitur Christi, quem Pater sanctificavit seu consecravit et misit in mundum (cf. *Io.* 10, 36), quique « dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum » (*Tit.* 2, 14), specialiter factus particeps, Presbyter pro populo Dei se sanctificare tenetur, neque umquam, immoderato sese externis sui muneris inceptis devovendi studio, propriam sanctimoniam praetermittat, memor verborum Sancti Pauli: « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar » (*1 Cor.* 9, 27). Praeterea, quamvis « servi inutiles sumus » (*Lc.* 17, 10), et quamvis gratia Dei etiam per indignos ministros opus salutis explere potest, tamen, sicut e vita Sanctorum novimus, per illos praediligit Deus sua mirabilia ostendere qui, dociliores ductui et impulsui Spiritus Sancti facti, cum Apostolo dicere possunt: « Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20).

Quapropter, haec Sacrosancta Synodus, ad fines suos pastorales renovationis internae, diffusionis in universo mundo, necnon colloquii cum mundo hodierno attingendos, vehementer hortatur omnes Presbyteros ut ad illam semper maiorem sanctitatem tendant qua possint esse in dies validiora instrumenta in servitium totius populi Dei.

Textus prior

3. [*Quae in ministerio sacerdotali elucere debent*]. Sacerdotes peculiari ratione ad sanctitatem tendant oportet, eo quod per Sacramentum Ordinis, Charactere Sacerdotali insigniti, novo titulo Deo consecrantur. Quapropter verbum Dei praedicantes, quod docuerint observent; mortis Dominicae mysterium celebrantes, quod tractaverint imitentur; gregem Dei pascentes, exemplum Boni Pastoris secuti, pro ovibus suis totam vitam impendant. Rectam intentionem peculiaremque spiritum asceticum in implendo pastorali munere colant, ita ut per ipsum ministerium sacerdotale in caritate erga Deum et proximum continuo crescant, atque in vita sua apostolica intime ac perfecte actionem et contemplationem coniungant...

Textus emendatus [22]

13. (Olim pars n. 3). [*Triplicis muneris sacerdotalis exercitium sanctitatem requirit simul ac fovet*]. *Ipsum exercitium munerum quae Presbytero committuntur, requirit et pariter stimulat sanctitatem vitae, et in Presbyterorum animabus roborat specificam spiritualitatem sacerdotalem. Cum a Presbyteris veritates fidei sint docendae, in seipsos prius recipere satagant id quod aliis est tradendum,*[34] *iuxta verba Pauli Apostoli ad Timotheum*: « *Haec meditare, in his esto*: *ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attente tibi et doctrinae*: *insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt* » (*1 Tim*. 4, 15-16). *Nihil quidem aptius et va-* [23] *lidius, gratia divina adspirante, in auditorum mentes et corda vocem penetrare facit, quam ipsa dicentis vita.*[35] *Sic et Magister Christus* « *coepit facere et docere* » (*Act*. 1, 1), *atque severissimis verbis increpavit illos qui dicunt et non faciunt* (cf. *Mt*. 23, 3). *Cum in ministerio sacramentorum ac praesertim in Sacrificio Missae Presbyteri Christi personam specialiter gerant, qui semetipsum ad sanctificandos homines victimam dedit, merito ipsi recordantur verba Episcopi ordinantis*: « *Imitamini quod tractatis, quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis* ».[36] *Conscie ergo ac piissime, ferventi quidem praeparatione ac gratiarum postea actione, Presbyteri Eucharistiam cotidie celebrant, ceteraque sacramenta prompte et libenter administrant, in seipsis fovendo vividum spiritum fidei, admirationis et laudis propter Dei mirabilia quae per suas transeunt manus. Hunc autem sensum admirationis et laudis in Divino Officio recitando excitantes, simul a Deo sine quo nihil possunt facere* (cf. *Io*. 15, 5) *impe-*

[23] *Textus prior* | *Textus emendatus*

trabunt efficacitatem et incrementum operis in quo laborant. Demum, populum Dei *regentes ac* pascentes, exemplum Boni Pastoris *imitentur, qui « cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur »* (*Io.* 10, 4); *quapropter* rectam intentionem peculiaremque *ascesim pastoralem ita colant, ut in ardenti* caritate erga Deum et proximum continuo crescant, *cum nullum miseriae locum arbitrentur impervium, nullum non leniant dolorem, nullam tristitiae vel angustiae umbram non dissipent.*[37]

14. (Novus numerus). [*De unitate et harmonia vitae Presbyterorum*]. Hodierno in mundo, multitudo officiorum quibus obvenire debent homines, diversitas problematum quibus anguntur, varietas quam quidem magna oblectamentorum quibus alliciuntur, progressus scienti-
[24] fici quibus captivantur, efficiunt ut cum exterioris vitae ratione interiorem vitam haud facile componere valeant. Presbyteri et ipsi his omnibus permoti, periculo exponuntur ne eorundem vitae unitas in discrimen vocetur. Quod ut vitent, meminerint semper officium suum talis esse naturae ut, si agnoscant quod agunt,[38] integra vita Presbyterorum continuus labor sit ad maiorem perfectionem obtinendam, secundum commendationem Sancti Pauli ad discipulum: « Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum » (*2 Tim.* 1, 6). Cum enim Presbyteri per sacramentum Ordinis novo titulo Christo configurentur et coniungantur, atque omnis sacerdos sit instrumentum Christi pro incremento Corporis Eius, quod est Ecclesia, Presbyteri, ad exemplum Christi Domini, qui voluntatem Patris semper adimplevit (cf. *Io.* 4, 34; 6, 38; *Hebr.* 10, 9), suae vitae unitatem quaerant in agnitione voluntatis Eius (cf. *Col.* 1, 9). Consciam igitur sacerdotalis vitae unitatem Christus constanter parit Spiritu suo in populum novum effuso; quapropter vita spiritualis sacerdotis alitur continua unione cum Christo, qui per eum suum Corpus augere vult. Itaque Presbyteri vitam suam agere cupientes per Christum, cum Christo et in Christo,[39] Sacrosanctum Altaris Sacrificium habeant tamquam centrum ac radicem totius eorum vitae, ita ut quod in sacrificali ara agitur sacerdotalis animus in se referre studeat,[40] et, cum Christo Mediatore inter Deum et homines, seipsos efficiant ho-

stiam quae Deo Patri offertur in remissionem peccatorum (cf. *Mt.* 26, 28), hostiam etiam quae, pro mundi vita (cf. *Io.* 6, 51), hominibus in cibum traditur propter amorem Dei. [24]

Quamobrem Presbyteri vita non seiungitur veluti in duas partes, alteram cultui, alteram vero populo fideli et apostolatui deditam. Actio enim liturgica et actio apostolica non sunt nisi duplex aspectus unius operis Christi pro Ecclesia et pro mundi salute: etenim populus Dei in Eucharistico mysterio non coadunaretur nisi prius vocatus esset, itemque verbum salutis in Christo annuntiari non posset, nisi Ipse, morte sua, se pro mundo tradidisset.

Dum autem Presbyter homines evangelizat, principium et vim suae actionis in ipso dono Filii Dei amore traditi invenit; dum vero mysteria celebrat, vivum testimonium dat de eodem amore, renovans « sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel » (*Hebr.* 12, 24). Cum demum opus sacerdotale mysterium sit, sacerdos eius particeps fieri nequit, nisi in eius arcana ingrediatur. Itaque contemplando intimam vim invenit actionis, agendo autem ad actum contemplationem adducit, in servitium Ecclesiae et in cooperatione cum Christo dicente: « Qui me misit verax est; et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo » (*Io.* 8, 26).

Textus prior

2. [*Vita sacerdotalis ad Evangelii formam componenda*]. Totam vitam suam sacerdotes, Christi vestigia prementes, ad Evangelii normas compenere curent, ita ut prae ceteris fidelibus animo ab immodico amore rerum temporalium solutio eluceant atque uni Deo et operi salutis plene sint addicti. Sint pauperes spiritu, sciant et necessaria habere et penuriam pati (cf. *Phil.* 4, 12), atque ab omni specie vanitatis, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis fugiant. Castitatem sancte custodiant et sincere ament, et qui sacrum coelibatum, Ecclesia commendante immo vel etiam iubente, gratia Dei confisi voverunt, toto corde eidem inhaereant atque gaudeant se hac ratione indivise cum Christo uniri (cf. *1 Cor.* 7, 32-34) necnon Dei familiae liberius ministrare; in hoc igitur statu recte ac fortiter procedant, ita ut expedi-

Textus emendatus [25]

15. (Olim n. 2). [*De castitate perfecta ceterisque consiliis evangelicis*]. « *Ecclesiae sanctitas... peculiariter apparet in praxi consiliorum, quae evangelica appellari consueverunt* »,[41] *et quae Christus omnibus discipulis suis observanda proponit, unicuique secundum propriam vocationem et statum. Cum vero sacerdos peculiari ratione ad sanctitatem vocetur, peculiari quoque in honore huiusmodi consilia habeat oportet.*

Primo loco nominanda est castitas perfecta, quam Ecclesia semper magno in honore habuit (cf. *1 Cor.* 7, 1-39), *tamquam signum et stimulum caritatis atque peculiarem fontem spiritualis foecunditatis in mundo. Castitas enim perfecta, etsi non absolute exigatur a sacerdotio, sicut patet ex eo quod inter Presbyteros, sicut inter ipsos primos Apostolos, semper adfuerunt nonnulli, et quidem optime me-*

[25]

Textus prior

tiores in dies fiant ad serviendum atque plenius paternitatem in Christo acquirant...

Textus emendatus

riti, legitime coniugati, tamen multimodam convenientiam cum sacerdotio habet.

Omnibus enim christianis praeclarum illud donum commendatur, quod a Patre quibusdam datur (cf. *Mt.* 19, 11), *ut in virginitate vel coelibatu propter Regnum caelorum servato facilius indiviso corde* (cf. *1 Cor.* 7, 32-33) *soli Deo eiusque Regno se dedicent. Presbyteris ergo convenit ut, consilium Pauli Apostoli in mentem fidelium revocantes, viam subditis vivendo denuntient,*[42] *ita ut Dei familiae liberius ministrent, paternitatem in Christo plenius acquirant et expeditiores in dies fiant ad servitium Regni Dei.*

Praeterea missio sacerdotalis integra dicatur servitio novae humanitatis quam Christus, Victor mortis, per Spiritum suum in mundo suscitat, quaeque non secundum leges naturae propagatur, testante Domino: « *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam* » (*Io.* 6, 63); *ideoque potestas quae Episcopis et Presbyteris datur ut Ecclesiae ministrare possint nihil commune habet cum naturalibus viribus quibus vita propagatur vel augetur.*

[26] *Renuntiando ergo matrimonio, Presbyteri coram mundo aperte testificantur suam missionem supra omnes vires carnis et sanguinis sitam esse, atque signum vivunt efficiuntur illius mundi cuius participes, cum sint filii resurrectionis,* « *neque nubent, neque ducent uxores* » (*Lc.* 20, 36). *In servitium Ecclesiae, Sponsae Christi, atque omnium illorum quos volunt despondere* « *uni viro, virginem castam exhibere Christo* » (2 *Cor.* 11, 2), *suum faciunt gaudium Praecursoris qui, ut amicus Sponsi,* « *gaudio gaudet propter vocem sponsi* » (*Io.* 3, 29).

His omnibus rationibus ducta, Ecclesia, quae a primordiis coelibatum sacerdotibus commendavit, gradatim postea illum imposuit: legem ita-

Textus prior *Textus emendatus* [26]

que coelibatus, prout in usu est, Sacrosancta haec Synodus iterum comprobat. Omnes ergo Presbyteri, qui sacrum coelibatum gratia Dei confisi *accipiunt,* toto corde eidem inhaereant, *atque* in hoc statu recte ac fortiter perseverent. *Haec quidem perfecta castitas, cum sit Dei donum, supra modum humanum est, et in mundo huius temporis, in quo omnes valores vitae sexualis tam alte et publice extolluntur, fere impossibilis a non paucis consideratur. Quae autem « impossibilia sunt apud homines possibilia sunt apud Deum »* (*Lc.* 18, 27); *ideoque donum illud a Presbyteris perseveranter postulandum est et in humilitate custodiendum, adhibitis illis congruis mediis quae a traditione Ecclesiae, necnon a scientia psychologica, commendantur. Inter illa vero reponi debent: cordis cogitationumque custodia, vitae disciplina, passionum moderatio, christiana mortificatio, ardens vita spiritualis, devotio erga SS.mam Eucharistiam et Beatam Virginem Mariam, denique omnia illa quae casti hominis affectivo aequilibrio favent, sicut sunt fiducia cum spirituali consiliario, paternus affectus erga fideles donec formetur Christus in ipsis* (cf. *Gal.* 4, 19), *conversatio cum confratribus. Quae omnia multum adiuvare possunt Presbyteros ad optimam hominis formam assequendam qua, Christo mortificato quidem carne, vivificato autem spiritu* (cf. *1 Pt.* [27] 3, 18), *associamur et conformamur, nolentes, iam libertate qua Christus nos liberavit ditati, iterum iugo servitutis contineri.*

Presbyteri quoque magni faciant paupertatem, qua Christo intimius conformantur et ad sacrum ministerium promptiores fiunt. Christus enim propter nos « egenus factus est, cum esset dives » (*2 Cor.* 8, 9). Sint ergo pauperes spiritu, sciant et necessaria habere et penuriam pati (cf. *Phil.* 4, 12). Prae ceteris fidelibus *ministri Chri-*

[27]

Textus prior

3. [*Quae in ministerio sacerdotali elucere debent*]... Neque negligant sacerdotes, etiam quando labor apostolicus urgeat, traditionalia subsidia ad vitam interiorem fovendam, uti sunt cotidiana mentalis oratio aliaque huiusmodi pietatis opera, quae quidem spiritu liturgico informentur oportet, quaeque longo saeculorum decursu obsoleta minime dici valent, sed potius ad efficacitatem sacri ministerii multum conferre possunt. Magni tandem faciant
[28] cultum Sanctissimae Eucharistiae atque devotionem erga Beatissimam Virginem Mariam. Ita agentes intimius Deo coniunguntur, atque fidelibus, immo et infidelibus, validum dant Christi testimonium.

Textus emendatus

sti animo ab immodico amore rerum temporalium soluto eluceant atque ab omni specie vanitatis fugiant. *Habitationem suam ita disponant, ut sit omnibus pervia utque omnes, tam tenuiores quam locupletiores, in ea libere facileque se habeant.*

Denique, per praxim consiliorum magis magisque liberi effecti, instanter invitantur ad sentiendum in se quod et in Christo Iesu, qui « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens... factus oboediens usque ad mortem » (*Phil.* 2, 7-9). *Itaque, ad sese Christo oboedienti conformandos, propriae voluntati generose abrenuntient in assidua oboedientia, iuxta uniuscuiusque condicionem et officium, et in gaudio ac spe considerent magnum valorem in Ecclesiae aedificationem illius oboedientiae quam imitantur, nam sicut « per inoboedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius oboedientiam, iusti constituentur multi »* (*Rom.* 5, 19).

16. (Olim pars n. 3). [*Media ad vitam interiorem fovendam*]. *Ante omnia Presbyteri tendant ad arctiorem cum Christo unionem oratione continua, quae e fide viva procedit sub inspiratione Spiritus Sancti, et qua magis magisque intelligere valent omnia opera proprii ministerii a se, tamquam Christi instrumenta, esse perficienda « in spiritu humilitatis ».*[43] *Ita etiam, necessitatem iugiter persentiat propriae ad Deum per Christum intercessionis, immo et mortificationis, pro animabus sibi concreditis* (cf. *Mt.* 17, 21); *et, si afflictiones vel forte persecutiones sustinendas habeant, crucem peramanter agnoscant, eamque in spe luminis Paschatis tollentes, sequantur Dominum* (cf. *Mt.* 10, 38; 16, 24; *Mc.* 8, 34; *Lc.* 9, 23) *in gaudio* (cf. *Act.* 5, 41), *ut adimpleantur*

Textus prior

11. [*Aequa remuneratio clericis providenda*]. Quia «dignus est operarius mercede sua» (*Lc.* 10, 7), atque «Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere» (*1 Cor.* 9, 14), curent sacrorum Antistites, sive singuli pro sua cuiusque dioecesi, sive melius plures simul pro communi territorio, ut normae instituantur quibus apte consulatur honestae sustentationi atque congruae pensioni eorum qui in Ecclesia quolibet munere funguntur, ita quidem ut, ratione habita locorum temporumque condicionum, summa pecuniae ab unoquoque percipienda fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, eorum condicioni sit congrua et eis tribuat facultatem per se ipsos indigentibus aliqua ratione subveniendi.

Textus emendatus [28]

in eis quae desunt passionum Christi (cf. *Col.* 1, 24). *Memores quoque sint omnem missionem apostolicam vivificari a Spiritu Sancto, Quem ideo instanter invocare ne omittant. Sed etiam alia media ad vitam interiorem fovendam, qualia sunt exercitium orationis mentalis, conscientiae discussio, dies recessus spiritualis aliaque huiusmodi, quae quidem ab Ecclesia commendantur, vel iubentur, Presbyteri ne parvi faciant. Haec enim media, quorum valor longa experientia sanctorumque Presbyterorum exemplo demonstratur, ad fructuosum ministerium pastorale multum conferunt. Magni tandem faciant devotionem erga Beatam Virginem; ipsa enim est Mater Summi et Aeterni Sacerdotis, ideoque et Regina Apostolorum, atque praeclara Ecclesiae imago in ordine fidei, caritatis perfectaeque cum Christo unionis.*[44]

17. (Olim nn. 11 et 10). [*Aequa remuneratio Presbyteris providenda*]. *Servitio Dei dediti in implendo officio sibi commisso, digni sunt Presbyteri ut aequam recipiant mercedem,* quia «dignus est operarius mercede sua» (*Lc.* 10, 7; cf. *Mt.* 10, 10; *1 Cor.* 9, 7; *1 Tim.* 5, 18) atque «Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere» (*1 Cor.* 9, 14). *Quapropter Episcopi* curent, sive singuli pro sua cuiusque dioecesi, sive *aptius* plures simul pro communi territorio, ut normae instituantur quibus debite consulatur honestae sustentationi atque congruae pensioni eorum qui *in populi Dei servitium aliquo* munere funguntur, ita quidem ut, ratione habita locorum temporumque condicionum, summa pecuniae ab unoquoque percipienda fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem [29] adiunctis versantibus, eorum condicioni sit congrua et eis *praeterea* tribuat facultatem per

[29]

Textus prior

10. [*Officiis ecclesiasticis princeps locus in iure tribuendus*]. Relicto systemate sic dicto beneficiali, vi cuius olim quandoque primario erant loco beneficia, quibus officia subordinabantur atque hodie adhuc haud raro officia cum beneficiis nimis arcte coniunguntur, princeps in iure tribuatur locus ipsis officiis ecclesiasticis, quae quidem deinceps ut munera quaelibet stabiliter collata in finem spiritualem exercenda intelligi debent.

9. [*Fines ad quos bona in Ecclesia destinantur*]. Meminerint Ecclesiae ministri, quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas » (*Num.* 18, 20), bona quaelibet — tum ecclesiastica proprie dicta, tum quae occasione exercitii cuiusdam ecclesiastici officii clerici sibi comparant — secundum rei naturam atque iuxta antiquitus inductam et ab Ecclesia firmatam consuetudinem, destinari ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda. Itaque nemini unquam licet officium ecclesiasticum quaestui habere reditusque ab eo provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendere. Quare clerici, nequaquam divitiis cor apponentes (cf. *Ps* 61, 11), omnem cupiditatem semper vitent et ab omni specie mercaturae sedulo abstineant.

Textus emendatus

se ipsos indigentibus aliqua ratione subveniendi; *quod erga pauperes ministerium, teste diaconatus institutione, magno semper in honore Ecclesia habuit* (cf. *Act.* 6, 1-6).

Officio vero quod sacri ministri adimplent praecipuum momentum tribuere oportet. Quare suppresso systemate sic dicto beneficiali, vi cuius olim quandoque primario erant loco beneficia, quibus officia subordinabantur, atque hodie adhuc haud raro officia cum beneficiis nimis arcte coniunguntur, princeps in iure tribuatur locus ipsis officiis ecclesiasticis, quae quidem deinceps ut munera quaelibet stabiliter collata in finem spiritualem exercenda intelligi debent.

18. (Olim n. 9). [*De recto usu bonorum*]. *Sacerdotes,* quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas » (*Num.* 18, 20), *bonis temporalibus utantur tantummodo eos in fines, ad quos iuxta Christi Domini doctrinam Ecclesiaeque ordinationem destinari valent.*

Bona ecclesiastica proprie dicta, secundum rei naturam, *ad normam legum ecclesiasticarum sacerdotes moderentur atque destinent semper eos in fines, ad quos prosequendos Ecclesia bona temporalia possidere valet, videlicet* ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda.[45]

Bona autem quae occasione exercitii alicuius ecclesiastici officii sibi comparant, *salvo iure particulari, Presbyteri, non secus ac Episcopi, adhibeant imprimis ad suam honestam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem; quae vero supersint, in bonum Ecclesiae vel in opera caritatis destinare velint.* Itaque numquam officium ecclesiasticum

Textus prior

12. [*Massa communis bonorum in singulis dioecesibus constituenda*]. Ut valeant Antistites huic obligationi erga clericos satisfacere aliisque dioecesis necessitatibus subvenire, in singulis dioecesibus, quantum fieri poterit, massa communis constituatur bonorum, imprimis ex fidelium oblationibus obvenientium, sed ex aliis quoque fontibus, iure determinandis, derivantium. Valde etiam commendatur ut dioeceses divitiores adiuvent pauperiores.

Textus emendatus

quaestui *habeant vel* redditus ab eo provenien- [29]
tes in propriae rei familiaris amplificationem [30]
impendant.[46] Quare *sacerdotes,* nequaquam divitiis cor apponentes (cf. *Ps.* 62, 11 Vg 61), omnem cupiditatem semper vitent et ab omni specie mercaturae sedulo abstineant.

19. (Olim n. 12). [*Praevidentia socialis in favorem Presbyterorum*]. *Presbyteri prae oculis semper habeant exemplum credentium temporis apostolici, in quo « erant illis omnia communia »* (*Act.* 4, 32) *et « dividebatur autem singulis prout cuique opus erat »* (*Act.* 4, 35). *Itaque,* quantum fieri poterit, *in votis est ut* in singulis dioecesibus *vel regionibus constituatur* massa bonorum communis, qua valeant *Episcopi* obligationi *suae* erga *Presbyteros* satisfacere aliisque dioecesis necessitatibus subvenire, *quaque etiam valeant dioeceses divitiores adiuvare pauperiores, « ut illarum abundantia earum inopiam conferat »* (*2 Cor.* 8, 14). *Massa haec communis imprimis constituatur oportet ex bonis a* fidelium oblationibus *provenientibus,* sed ex aliis quoque fontibus, iure determinandis, *derivantibus.*

In nationibus praeterea ubi praevidentia socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curent Conferentiae Episcopales ut condatur aliquod institutum aut associatio quae, sub vigilantia Hierarchiae, satis provideat tum congruenti praecaventiae et assistentiae sanitariae tum sufficienti sustentationi Presbyterorum qui infirmitate, invaliditate aut senectute laborant. Sacerdotes vero huic instituto opem ferant, moti spiritu solidarietatis erga fratres suos, communicantes tribulationibus eorum (cf. *Phil.* 4, 14), *simul considerantes se ita, sine sollicitudine de sorte futura, alacriori sensu evangelico paupertatem colere atque animarum saluti*

[30]

Textus prior	*Textus emendatus*
	penitus se tradere posse. Satagant autem ii ad quos spectat, ut eadem diversarum nationum instituta inter se colligantur, ut firmius robur maioremque extensionem consequantur.

[31] 20. (Novus textus). [*Exhortatio*]. Sacrosancta haec Synodus, postquam de ministerio et vita Presbyterorum ita declaraverit, omnes denique Presbyteros hortatur, ut suae missioni in dies fideliores sint, nec umquam, licet quandoque ipsorum labor sterilis videri possit, deprimantur. Meminerint numquam in opere exercendo solos se esse, sed cooperatores innumeros habere, praesertimque ipsam omnipotentem Dei virtutem. Cooperantur enim Presbyteri in exsequendo Dei salutari Proposito, mysterio scilicet Christi seu sacramento abscondito a saeculis in Deo (cf. *Eph.* 3, 9), quod nonnisi paulatim ad effectum deducitur, diversis conspirantibus ministeriis in aedificationem Corporis Christi, donec compleatur mensura aetatis Eiusdem. Quae omnia, cum abscondita sint cum Christo in Deo (cf. *Col.* 3, 3), fide maxime percipi possunt. Fide enim necesse est ambulare duces populi Dei, exemplo fidelis Abrahae, qui fide oboedivit et exiit nesciens quo iret (cf. *Hebr.* 11, 8). Mysteriorum quidem Dei dispensator assimilari valet homini in agro seminanti, de quo Dominus dixit: « Et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat dum nescit ille » (*Mc.* 4, 27). Ceterum Ecclesiae perfectam et visibilem victoriam numquam promisit Dominus Iesus, licet dixerit: « Confidite, ego vici mundum » (*Io.* 16, 33). Gaudet vero Sacrosancta Synodus terram Evangelii semine inseminatam nunc multis in locis fructificare sub ductu Spiritus Domini, qui replet Orbem terrarum, quique in multorum cordibus sacerdotum atque fidelium spiritum genuine missionarium excitavit, et iam fructus uberes multiplicavit. De quibus omnibus Sacrosancta Synodus universi Orbis Presbyteris, cooperatoribus Ordinis episcopalis, grates agit. « Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: Ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Iesu in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen » (*Eph.* 4, 20-21).

NOTAE

[1] Cf. ORDO HEBDOMADAE SANCTAE, Missa Chrismatis, Praefatio.
[2] Cf. S. LEO MAGNUS, *Serm.* 4, 1: *PL* 54, 149.
[3] CONCILIUM TRIDENTINUM, Sess. XXII, *cl.*: D. 938 vel 1740.

[4] S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei,* 10, 6: *PL* 41, 284. [31]

[5] Cf. *1 Pt.* 1, 23; *Act.* 6, 7; 12, 24. « Praedicaverunt (Apostoli) Verbum veritatis et genuerunt ecclesias » (S. AUGUSTINUS, *In Ps.* 44, 23: *PL* 36, 508).

[6] PONT. ROM., *De Ordinatione Presbyteri.*

[7] Cf. C.I.C., can. 129.

[8] *Epistulae,* 52, 7-8: *PL* 22, 533.

[9] S. IGNATIUS M., *Smyrn.,* 8, 1-2: Ed. FUNK, p. 282, 6-15.

[10] Particularis annus formationis pastoralis, quadriennio theologico absoluto, pro Religiosis praescribitur in Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956, et adnexis Statutis Generalibus: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 354 ss. Sed etiam pro clero dioecesano plura constituta sunt Instituta in quibus promovetur formatio neosacerdotum. Insuper creati sunt Convictus vel Collegia, sicut desideratur in Adhort. Ap. *Menti* [32] *Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 692.

Quamplurima S. Sedis documenta particularem curam de novis sacerdotibus habendam inculcant, et in genere pastoralem praeparationem sacerdotum commendant. Memoranda sunt imprimis:

S. PIUS X, Exhortatio ad clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* vol. IV (1908), p. 237 ss.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 5 ss.

PIUS XII, Motu proprio *Quandoquidem,* 2 apr. 1950: A.A.S., 41 (1949), p. 665 ss.

PIUS XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* cit.

PIUS XII, Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* cit.

PIUS XII, *Allocutio* Sacerdotibus Convictus Barcinonensis, 14 iun. 1957: Discorsi e Radiomessaggi, XIX, p. 271 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* in Pontificio Collegio Urbaniano de Propaganda Fide, 30 nov. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 1012 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* in Magno Auditorio Pontificiae Universitatis Gregorianae, 18 ian. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 74 ss.

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 545 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* in Pontificio Collegio Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum, 11 oct. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 770 ss.

IOANNES XXIII, *Allocutio* ad Seminariorum Rectores, 29 iul. 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 559 ss.

PAULUS VI, Epist. Ap. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 979 ss.

[11] *Const. Apost.,* VIII, 16, 4 (ed. FUNK, I, p. 522, 13); cf. *Epitome Const. Apost.,* VI (ibid. II, p. 80, 3-4); *Testamentum Domini*: « ... da ei Spiritum gratiae, consilii, et magnanimitatis, spiritum presbyteratus... ad coadiuvandum et gubernandum populum tuum in opere, in metu, in corde puro » (trad. I. E. Rahmani, Moguntiae 1899, p. 69). Iam in *Trad. Apost.* (ed. B. BOTTE, *La Tradition Apostolique,* Paris 1946, p. 38).

[12] PONTIFICALE ROMANUM, *De Ordinatione Presbyteri,* Praefatio; quae verba iam habentur in Sacramentario Leoniano, Sacramentario Gelasiano et Sacramentario Gregoriano. Similia inveniuntur in Liturgiis Orientalibus: cf. *Trad. Apost.*: « ... respice super servum tuum istum et impartire spiritum gratiae et consilii, praesbyteris

[32] ut adiuvet et gubernet plebem tuam in corde mundo sicuti respexisti super populum electionis tuae et praecepisti Moisi ut elegeret praesbyteros quos replesti de spiritu tuo quod tu donasti famulo tuo » (ex antiqua versione latina veronensi; ed. B. Botte, *La Tradition Apostolique,* Paris 1946, p. 38); *Const. Apost.,* VIII, 16, 4 (ed. Funk, I, p. 552, 16-17); *Epit. Const. Apost.,* 6 (ed. Funk, II, p. 80, 5-7); *Testamentum Domini* (*loc. cit.,* p. 69).

[13] Verba sumuntur e Const. « De Ecclesia », n. 28.

[14] *Canones Apostolorum,* XVII: presbyteri sunt sýmmystai episcoporum (ed. Th. Schermann, *Die allgemeine Kirchenordnung,* I, Paderborn 1914, p. 25).

[15] Synepímachoi: ibid. p. 25.

[16] S. Ignatius M., *Magn.,* 6, 1: ed. Funk, p. 234, 10-13.

[17] *Didascalia,* II, 28, 4 (ed. Funk, I, p. 108); it. *Const. Apost.* II, 28, 4 (loc. cit. p. 109); S. Ignatius M., *Magn.,* 6, 1 (ed. Funk, p. 234, 10-16); *Trall.* 3, 1 (ed. Funk, p. 244, 10-12); Origenes, *Adv. Celsum,* 3, 30: *PG* 11, 957 d - 960 a: presbyteri sunt consiliarii (boúleytai).

[33] [18] S. Cyprianus, *Ep.,* 48, 1 (ed. Hartel, II, p. 606, 6-7); passim apud S. Augustinum, etc.

[19] Cf. C.I.C., Lib. II, P. I, Cap. V et VI.

[20] Uti patet, huiusmodi coetus Presbyterorum differt a Consilio Pastorali de quo in Schemate « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia », n. 27, cui pertinent etiam laici, et cuius est tantummodo pervestigare quae ad pastoralia opera spectant.

[21] S. Ignatius M., *Magn.,* 13, 2: ed. Funk, p. 240, 13-16.

[22] Missale Romanum, *Canon Missae.*

[23] « Opus est deinde, ut ea de re quod hominum pastores, patres et magistri esse cupimus, idcirco eorum fratres agamus » (Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 58 [1964], p. 647).

[24] *Symbolum Athanasianum.*

[25] Cf. C.I.C., can. 682.

[26] « Quacumque diei ac noctis hora ad sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo praestando (praesertim si necessitas urgeat) moram interponat. Ac propterea populum saepe, prout sese offeret occasio, praemonebit, ut, cum sacro ministerio opus erit, se quamprimum advocet, nulla temporis, aut cuiuscumque incommodi habita ratione » (Rituale Romanum, tit. I, 5).

[27] Cf. Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 1 (D. 938); Sess. XXIII, cap. 1 (D. 957).

[28] « Mementote fratres: quod non de vestra tantummodo vita, sed de universo orbe a vobis ratio reddenda est » (S. Ioannes Chrysostomus, *Homilia XV in Matth.*). Haec verba Concilii Patribus in mentem revocata sunt a Ioanne XXIII f. r. in « Epistula ad singulos Catholicae Ecclesiae Episcopos ceterosque Patres Concilii Oecumenici Vaticani II in Epiphania Domini 1963 »: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 157.

[29] Cf. Pont. Rom., *De ordinatione Presbyteri.*

[30] *De Sacerdotio,* 4, 2: *PG* 48, 663.

[31] N. 40.

[32] Pont. Rom., *De ordinatione Presbyteri.*

[33] Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 10.

[34] Cf. *Summa Theol.,* II-II, q. 188, a. 7.

[35] Cf. S. Gregorius I Papa, *Reg. Past. Liber,* 2, 3: *PL* 77, 28 B.

36 PONT. ROM., *De ordinatione Presbyteri.* [33]
37 Cf. PAULUS VI, Ep. Apost. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 992.
38 Cf. PONT. ROM., *De ordinatione Presbyteri.*
39 Cf. MISSALE ROMANUM, *Canon Missae.*
40 Cf. S. GREGORIUS MAGNUS, *Dialogi,* 4, 59: *PL* 77, 428 A; PIUS XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 667; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 565; PAULUS VI, Ep. Apost. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 992.
41 Const. « De Ecclesia », n. 39.
42 S. GREGORIUS MAGNUS, *Reg. Past. Liber,* 2, 3: *PL* 77, 28 B.
43 MISSALE ROMANUM, *Offertorium.*
44 Cf. Const. « De Ecclesia », n. 63.
45 CONC. ANTIOCH., can. 25: MANSI, 2, 1328; DECRETUM GRATIANI, c. 23, C. 12, q. 1.
46 CONC. PARIS., a. 829, can. 15: M.G.H., Sect. III, Concilia, t. 2, pars 6, 622; CONC. TRID., Sess. XXV, *de reform.,* cap. 1.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS [34]

De prooemio

Iuxta petitionem 27 Patrum, in hoc novo textu agitur de excellentia et dignitate Ordinis presbyteratus, necnon de momento fundamentali quod Presbyterorum ministerium habet ut Ecclesia consequi possit optatam renovationem (13 Patres).

Prout unus Pater animadvertit, in prooemio indicatur *ratio finalis* numerorum qui sequuntur.

Demum, uti 116 Patres postulaverunt, hoc in textu, necnon in toto Schemate, agitur de ministerio et vita Presbyterorum in genere, independenter ab eorum condicione vitae et officio, nam Presbyteri consecrantur ad ministerium populi Dei, omnesque, forma directa sive ordinaria vel forma indirecta sive extraordinaria, huic ministerio suam vitam dedicant. Quapropter non agitur in specie de parochis aliisque Presbyteris peculiare munus exercentibus, cum de ipsis iam loquatur Schema « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia », nn. 29-32.

De numero 1

Postulantibus 124 Patribus, natura exponitur Presbyteratus, in ambitu missionis quam Christus suae Ecclesiae concredidit. Pariter, iuxta animadversionem 4 Patrum, fit distinctio inter sacerdotium commune omnium fidelium et sacerdotium ministeriale Presbyterorum, ita ut clare

[34] appareat, uti 6 Patres petierunt, positio Presbyterii in Ecclesia Hierarchica, eiusque incorporatio missioni episcopali, ope participationis Presbyterorum in unico Sacerdotio Christi.

De numero 2

Hoc in numero incipit expositio munerum sacerdotalium, quod 116 Patres petierunt. Presbyteri sunt, sub Episcoporum ductu, verbi Dei ministri: magistri scilicet communitatis christianae, in cuius servitium consecrati sunt, sed etiam Evangelii praecones erga omnes homines, iuxta mandatum quod Dominus dedit Apostolis (*Mt.* 28, 19), quorum Successorum Presbyteri sunt cooperatores.

Praeterea, ad vitandam divisionem nimis staticam et rigidam munerum sacerdotalium, opportunum visum est mentionem facere de unitate quae exsistit inter annuntiationem verbi Dei et Sacram Liturgiam.

[35] *De numero 3*

Hic textus venit immediate post expositionem muneris docendi, propter arctam relationem quam cum ipso habet: etenim praedicatio, quae est annuntiatio mirabilium Dei, requirit continuum studium scientiae sacrae, ad obtinendam pleniorem in dies cognitionem divitiarum Christi, quas Presbyter desiderat cum hominibus fideliter communicare, necnon ut apta habeatur accommodatio ad peculiares necessitates mundi nostri temporis. Hunc in finem commendatur etiam studium illarum scientiarum humanarum quae melius favere possunt efficacitati huius ministerii verbi.

Demum, sententia « *nam studium ad praecipua officia status sacerdotalis pertinet* » hoc modo redigitur iuxta animadversiones duorum Patrum.

De numero 4

Presbyteri sunt Sacramentorum ministri, et ita exercent in populo Dei suum munus sanctificandi, quod seiungi nequit a munere docendi et regendi. Diserte ostenditur etiam, attenta petitione 13 Patrum, excellentia Sanctissimae Eucharistiae, quae est fons vitae congregationis fidelium, quacum omnia ecclesiastica ministeria, immo et cetera sacramenta, arctissime cohaerent, cum ab ea deriventur vel ad eam ducant.

Postulantibus quatuor Patribus, mentio quoque fit de necessitate fideliter servandi normas liturgicas ab hac Sacrosancta Synodo vel a competenti auctoritate edictas.

De numero 5 [35]

Presbyteri sunt rectores seu pastores communitatis quam verbum Dei adunavit et sacramenta sanctificant. Opportunum visum est hoc in textu exponere duplicem aspectum, educationem nempe tum personae tum communitatis, ad pastorem animarum pertinentem. Mentio fit quoque, prout tres Patres desiderant, spiritus dialogi qui vigere debet in actione pastorali, qui tamen apte componitur cum necessario exercitio auctoritatis quae Presbytero correspondet in suo ministerio. Expresse quoque indicatur, ut multi Patres postulaverunt, opportuna formatio personae et communitatis christianae in spiritu catholico et missionario Ecclesiae proprio. Etiam opportunum visum est recensere peculiarem curam quam Presbyteri de quibusdam gerere debent, etsi omnibus hominibus debitores sint.

De numero 6

Postulavit unus Pater ut hic textus remitteretur Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo, quod tamen Commissioni expedire visum non est, nam 5 Patres explicite laudant id quod hoc in numero exponitur, et alii multi proponunt additiones in textu faciendas.

Iuxta animadversiones duorum Patrum, adduntur in nova redactione
« Congressus » necnon recensetur « res ascetica » inter materias de quibus [36]
agi potest in huiusmodi Congressibus vel Centris Pastoralibus, etsi enumeratio quae fit in Schemate non sit taxativa, neque minus exclusiva.

Vult etiam unus Pater ut expungatur mentio studiorum moderatoris, sed opportunum visum est talia verba retinere, quia non edicuntur modo praeceptivo, ac praeterea institutio huiusmodi moderatoris apparet utilis.

Postulantibus 9 Patribus, includitur referentia cursus renovationis pastoralis, ita tamen ut respectivae Conferentiae Episcopales statuant concretas determinationes. E contra, etsi unus Pater id petivit, non videtur expedire ut pro Presbyteris instituatur aliquid simile anno tertiae probationis Religiosorum.

Vult etiam alius Pater ut constituatur in singulis dioecesibus coetus sacerdotum scriptorum, at hoc in textu non includitur, quia de re nimis particulari agitur, ac praeterea hoc non sine magnis difficultatibus fieri posset in dioecesibus cleri penuria laborantibus.

Demum, in textu emendato, prae oculis etiam habitae sunt animadversiones quatuor Patrum, qui proposuerunt mutationes vel additiones ad maiorem claritatem.

[36] *De numero 7*

Perplures Patres petierunt ut ample exponerentur, etiam iuxta Ecclesiae traditionem, arctae relationes quae intercedunt inter Episcopos et Presbyterium, quippe quod Presbyteri sint providi ac necessarii Episcoporum cooperatores.

Desiderabant 20 Patres ut expresse ageretur de necessitate promovendi spiritum dialogi inter Episcopum et suos sacerdotes, qui dialogus fiat in spiritu filialis libertatis et communis responsabilitatis pastoralis. Postulata quoque est creatio alicuius coetus Presbyterorum, cui pertineant sacerdotes selecti qui in diversis officiis suum ministerium exerceant. Qui coetus potest partes agere assessoratus Episcopi eumque adiuvare in regimine dioecesis, modo quidem aptiori quam hodierna Capitula Cathedralia vel Consultores dioecesani. Duo Patres proponunt determinationes concretas circa huiusmodi coetus constitutionem, sed Commissio censet hanc quaestionem iuridicam relinquendam esse Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo.

Significatur etiam in textu reverentia Presbyterorum erga auctoritatem Christi Pontificis, quam Episcopus induit, iuxta petitionem duorum Patrum, necnon oboedientia quae in tota eorum vita manifestari debet. Praeterea, haec virtus recensetur intra ambitum arctae unitatis, necessariae quidem in exercitio laboris pastoralis, quod 8 Patres postulaverunt. Suppressa sunt in textu verba « quae sacerdotalis oboedientia natura sua differt ab illa quae religiosis vel laicis convenit », uti petierunt 9 Patres.

In textu recognoscendo consideratae quoque sunt animadversiones aliorum 8 Patrum, qui emendationes redactionis proposuerant.

[37] *De numero 8*

Agitur in hoc numero de caritate fraterna et cooperatione inter Presbyteros, quae sane requiruntur non solum quia ceteris fidelibus debent esse exemplum unitatis, sed etiam propter participationem eiusdem divinae missionis in Presbyterio, uti aliqui Patres petierunt.

Insistitur praesertim in cooperatione pastorali, attentis perpluribus animadversionibus propositis; agitur quoque de adiutorio et mutua aestimatione inter sacerdotes seniores et iuniores, quod petierunt tres Patres.

Quoad vitam communem, 119 Patres desiderant ut ipsa commendetur, quamquam plures formas induere potest, uti sunt cohabitatio, commensalitas, etc. Quatuor Patres censent vitam communem eatenus commendandam esse quatenus singulis in locis possibilis sit. Demum, tres

Patres animadvertunt aliquos dari casus in quibus vita communis non expedit, propter adiuncta personalia aliave similia. Attamen semper vitari debet solitudo. [37]

Additur etiam commendatio Associationum quae sacerdotalem sanctitatem fovere intendunt, uti 13 Patres postulaverunt.

Agitur tandem, iuxta desideria perplurium Patrum, de misericordia et actuosa caritate quibus Presbyteri, non secus ac Episcopi, prosequi debent eos qui in quibusdam defecerunt.

De numero 9

Mutatus est ordo huius numeri, prae oculis quoque habita petitione 15 Patrum, qui censebant minus congruere ut Decretum inciperet exponendo relationes Presbyterorum cum laicis. Proinde hac de re agitur postquam expositae sunt relationes Presbyterorum cum Episcopo (n. 7) et cum aliis Presbyteris (n. 8), uti 5 Patres petierunt.

Modificata est redactio primae alineae, quo clarius pateat sacerdotes esse praeprimis patres et pastores, iuxta animadversiones 5 Patrum; praeterea, attentis animadversionibus 7 Patrum, redacta est secunda alinea, ad exprimendum modum quo sacerdotes praeesse debent.

Fit quoque mentio virtutum supernaturalium, prius quam de humanis agatur, quod postulaverunt 8 Patres.

Opportunum visum non est supprimere citationem *Phil.* 4, 8. Animadvertunt duo Patres periculum esse ut aliqui sacerdotes forte ea verba intelligant tamquam invitationem ad indulgendum mundanis oblectamentis, sed non ita videtur.

Agitur etiam in hoc numero, iuxta petitionem 9 Patrum, de necessitate ut Presbyteri laicos audiant, eos adiuvent in apostolatu, eorum initiativam foveant et integram servent eorum legitimam libertatem in rebus temporalibus.

De numero 10 [38]

Prout a 6 Patribus postulatum est, in hoc textu recensentur verba Concilii Tridentini circa Presbyteros.

Petivit unus Pater ut problemata de distributione cleri remitterentur Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo, et alii duo ut de ipso ageretur in Schemate « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ». Attamen 12 Patres expresse laudaverunt hunc textum, propter momentum et urgentiam problematis de quo agit, et postulaverunt ut remaneat in hoc Schemate Decreti, quam sententiam et Commissio suam facit.

Animadvertit unus Pater iustum et laudabile esse ut sacerdotes mit-

[38] tantur ad dioeceses cleri penuria laborantes, sed praesupposito labore Episcoporum ad promovendas vocationes in ipsis dioecesibus clero orbatis. Alius Pater addendum censet sacerdotes in aliam nationem missos promovere debere vocationes in illo loco, deque earum formatione curam gerere. De iis vero agitur in numero 11 huius Schematis, qui specialiter dicatur vocationibus sacerdotalibus.

Adduntur quoque nonnullae commendationes pastorales quoad laborem illorum sacerdotum qui in alia loca mittuntur, necnon aliquae considerationes generales circa praeviam praeparationem et animi dispositionem talium sacerdotum.

In emendando praecedenti textu prae oculis etiam habitae sunt animadversiones propositae a 6 Patribus, ad maiorem claritatem.

De numero 11

Additur hic novus numerus iuxta petitionem 7 Patrum, quia in textu praecedenti solummodo mentio fiebat vocationum sacerdotalium per verba « praeter officium omnibus incumbens ecclesiasticas vocationes suscitandi, sacerdotes... » (n. 7). Hoc desiderium suscitandi vocationes est pulcherrima manifestatio paternitatis spiritualis in sacerdote, ut unus Pater animadvertit.

Postulantibus 6 Patribus, in mentem revocatur necessaria cooperatio inter diversas dioeceses et nationes in hoc opere vocationum.

De numero 12

Recensentur in hoc numero generalia lineamenta, quae fundamentum constituunt pro describenda spiritualitate sacerdotum in numeris subsequentibus, iuxta petitionem 6 Patrum, quia Christo specialiter configurantur per sacramentum Ordinis, ex quo consequitur maior etiam exigentia sanctitatis personalis, necnon propter necessitatem talis sanctitatis ad efficacitatem renovationis quam Ecclesia in omnibus suis membris quaerit.

[39] *De numero 13*

Hic numerus contemplatur exercitium ministerii sacerdotalis tamquam fontem et simul exigentiam sanctitatis, quod 115 Patres postulaverunt, nam triplex munus sacerdotum ab ipsis requirit ut vita sua vivant id quod docent, imitentur quod tractant et gregem Dei ita pascant ut in caritate erga Deum et proximum continuo crescant.

Fit quoque referentia ad Sacrosanctum Missae Sacrificium (de quo extense agitur in numero sequenti) necnon ad recitationem Divini Officii, iuxta animadversionem 9 Patrum. [39]

De numero 14

Petierunt 114 Patres ut amplius ageretur de modo quo labores pastorales tam defatigantes Presbyteri componere possint cum vita interiori. Gressum facientes ab iis quae in numero praecedenti exposita sunt, ostenditur quomodo, quaerendo semper adimpletionem voluntatis Dei (ut unus Pater animadvertit), Presbyteri pervenire debent ad plenam unitatem vitae, quae dividi non potest in duas partes, alteram cultui alteram vero populo fideli et apostolatui dicatam.

Iuxta animadversiones 10 Patrum, centrum ac radix huius unitatis vitae reponitur in Sacrosancto Sacrificio Missae, in quo sacerdos fieri debet, cum Christo, hostia quae Deo offertur et simul hominibus traditur. Hoc in contextu fit etiam mentio muneris reparandi pro peccatis, quod unus Pater postulavit.

De numero 15

Relate ad virtutem castitatis, textus ita redactus est ut clarius appareat fundamentum doctrinale, sensus positivus et maxima convenientia castitatis perfectae in vita sacerdotis, ut indiviso corde se totum tradere possit Deo et animabus, quod postulaverunt 121 Patres.

Petierunt etiam 118 Patres ut diceretur coelibatum summe quidem congruere missioni sacerdotali, at non dari radicalem oppositionem inter sacerdotium et matrimonium.

In redigendo textu de paupertate, considerata est animadversio 112 Patrum, qui petierunt ut prae oculis haberetur multos sacerdotes nedum in paupertate verum in absoluta penuria vitam agere. Quapropter textus ita redactus est ut illi sacerdotes gaudio afficiantur, quamquam valde exoptandum est ut aptum remedium inveniatur, circa quod valde efficacia esse poterunt principia de quibus in nn. 17-19 huius Decreti.

Relate ad oboedientiam, exaltatur eius valor positivus, et consideratur tamquam medium ad sese arctius cum Christo coniungendum et ad efficacius cooperandum in Ecclesiae aedificationem, quod tres Patres postulaverunt.

De numero 16 [40]

Agitur in hoc numero de necessitate mortificationis deque amore crucis, quod petierunt 6 Patres; fit mentio sacerdotum qui persecutio-

[40] nem patiuntur, uti postulavit unus Pater, necnon humilitatis, quod 6 Patres postulaverunt.

Petierunt 78 Patres ut in concreto etiam recenserentur alia media sanctificationis, qualia sunt exercitium orationis mentalis, recessus annui, visitatio Sanctissimi Sacramenti, examen conscientiae, lectio spiritualis, frequens confessio et devotio erga Beatissimam Virginem Mariam. Desiderabant quoque 8 Patres ut in singulis dioecesibus institueretur sacerdos ad excipiendas confessiones aliorum sacerdotum, quod expedire non videtur — etsi profecto valde laudanda sint tum frequens confessio sacramentalis tum directionis spiritualis usus —, quia hoc modo laederetur libertas qua quisque pollet sibi seligendi confessarium quem maluerit. Exoptant praeterea tres Patres ut agatur de devotione erga Sanctissimum Cor Iesu, et unus Pater ut Rosarium mariale commendetur.

Attamen sex Patres postulaverunt ut media sanctificationis solummodo in genere recenserentur, quapropter opportunum visum est mediam viam sequi, scilicet enumerare aliqua praecipua media et alia in genere tantum commendare.

In hoc textu redigendo, consideratae quoque sunt animadversiones 16 Patrum, qui desiderabant ut clarius exprimeretur sensus aliquorum praecedentis redactionis.

De numero 17

Relate ad materiam de qua agitur in numeris 17-19, tres Patres petierunt ut res remitteretur Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo, et duo Patres ut de hac materia ageretur in Schemate « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ». Attamen longe plures fuerunt animadversiones quae praesupponebant momentum huius textus, praesertim illae quae sese referebant ad suppressionem systematis beneficialis.

Instanter postulaverunt 16 Patres ut loco dictionis « *Relicto* systemate beneficiali » aliud verbum adhibeatur, quo clarius exprimatur suppressio huius systematis, quapropter in novo textu legitur: « *Suppresso* systemate... ».

Petivit etiam unus Pater ut aliqua verba adderentur relate ad remunerationem domesticis sacerdotum praebendam, sed hoc nimis particulare videtur. Desiderant etiam tres Patres ut supprimantur iura stolae et stipendia missarum, vel ut aliquae normae concretae circa ipsa statuantur: quae omnia vero potius pertinere videntur ad recognitionem Codicis Iuris Canonici.

De numero 18 [41]

Iuxta animadversiones duorum Patrum, in hoc numero agitur de bonis proprie ecclesiasticis, deque illis quae Presbyteri sibi comparant occasione exercitii alicuius ecclesiastici officii, nec quidquam dicitur de aliis bonis quae Presbyteri forte possideant, quamquam ipsis commendatur generositas (cf. n. 19).

Praeterea adduntur verba « non secus ac Episcopi », nam unus Pater desiderat ut agatur de obligatione qua Episcopi tenentur ad exemplum praebendum.

Modificatur etiam redactio, iuxta petitiones duorum Patrum, ad supprimenda verba « iuxta antiquitus inductam et ab Ecclesia firmatam consuetudinem » atque etiam verba « nemini umquam licet », ne conscientia sacerdotum nimis oneretur.

Petierunt quoque duo Patres ut adderetur aliqua commendatio quoad testamentum sacerdotum et alii 7 Patres desiderabant ut sacerdotibus concederetur possibilitas perficiendi laborem lucrativum, praesertim ubi dialogus missionarius id exigit. Alius Pater exoptat mitigationem normarum nunc vigentium circa mercaturam; quae omnia, utpote nimis particularia, potius pertinent ad revisionem Codicis Iuris Canonici.

De numero 19

Relate ad massam communem bonorum, 8 Patres desiderant ut iudicium de opportunitate eam instituendi necne relinquatur Conferentiis Episcopalibus vel Episcopo in singulis dioecesibus; tres Patres malunt ut constituatur solummodo ubi vere utilis sit; unus Pater petit ut talis massa sit nationalis vel regionalis; alii vero exoptant ut constituatur, sed solummodo ad providendam congruam sustentationem sacerdotum. His omnibus prae oculis habitis, textus ita redactus est: « in votis est ut in singulis dioecesibus vel regionibus constituatur massa bonorum communis ».

B - ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE MINISTERIO ET VITA PRESBYTERORUM
ante diem 31 ianuarii 1965

1

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Schema plura revera optima continet. Ut adhuc melius fiat ea quae sequuntur humiliter propono:

1. Ut in par. 3 (pag. 8, lin. 39) loco *profunda* dicatur *solida*. Nimium enim esset ut a presbyteris exigatur cognitio profunda sacrae theologiae.

2. In eadem par. 3 (pag. 9, linn. 9-30) grave invenio nihil ibi dici de *studio* theologorum stricte dictorum, qui scil. in ordinem reduxerunt dogmata Sacrae Scripturae et Sacrae Traditionis eaque ordinate et profunde exposuerunt sub ductu Magisterii Ecclesiae. Illusorium esset sperare presbyteros sacram doctrinam ordinate, clare et secure haurire posse ex solo studio Sacrae Scripturae et Sanctorum Patrum, mere *consultando* optimos hodiernos Scriptores scientiae theologicae et exegeticae. Item clare hic dicatur studium Sacrae Scripturae et Traditionis fieri debere attento Magisterio, non solum ad aptas responsiones reddendas hominibus huius temporis, sed etiam in quantum necessarium est in se in ordine ad sacram doctrinam addiscendam.

Hic quoque ut aestimo summopere conveniens esset ut presbyteris consulatur studium scriptorum S. Thomae Aquinatis.

3. Summopere sine dubio utile est ut episcopus in regimine dioeceseos adiuvetur consilio presbyterorum sapientium.

Cavendum tamen, puto, est ne isti consiliarii proponantur ut *repraesentantes* totius presbyterii. Praecipua enim pars regiminis episcopi est ipsum regimen suorum sacerdotum (cf. par. 7, pag. 13, linn. 36-37).

4. In par. 15 (pag. 25, linn. 15-21) consulerem ut simpliciter dicatur: « Castitas... a sacerdotibus tamen multimodam... habet » i. e. ut omittantur verba « sicut patet... legitime coniugati ».

5. Consulerem ut in par. 16 (pag. 27-28) in aliquo loco inseratur commendatio devotionis erga Sanctissimum Cor Iesu.

2

EM.MUS P. D. THOMAS CARD. COORAY
Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

Ad n. 18, pag. 29, linn. 35-36: omittantur verba « salvo iure particulari ». *Ratio*: tota ratio huius paragraphi videtur esse ut evitetur emolumentum proprium seu personale ex redditibus e sacro ministerio provenientibus — aliis verbis, ut ea emolumenta cedantur in bonum sacri ministerii potiusquam in bonum personale seu particulare. Unde, inserendo verba: « salvo iure particulari », illa ipsa ratio funditus tolli videtur. Non enim possumus tollere iura particularia nociva, salvando iura particularia.

3

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DÖPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Textus emendatus schematis decreti *de ministerio et vita presbyterorum* nondum plene satisfacit. Diligenti retractatione indiget. Quare ad schema in meliorem formam redigendam proponuntur, correspondenter ad invitationem ab exc.mo relatore F. Marty in relatione generali, pag. 5, lin. 2, enuntiatam, sequentes Modi emendationum, praemissis quibusdam principiis generalibus in eorundem elaboratione observatis.

A. - Principia in elaborandis Modis observanda:

1) Ordo logicus concinnior reddendus est.

2) Sententiae quae meram devotionem redolent, expungendae sunt.

3) Vitandae sunt phrases nimis enthusiasticae, quae ab hominibus modernis despiciuntur.

4) Citationes S. Scripturae mere ut ornamentum allatae vel non ad rem spectantes omittantur.

5) Ii loci, qui Paternalismum quemdam a parte episcopi relate ad sacerdotes eius sapiunt, quantum fieri potest, ab eodem purgandi sunt.

N.B. Explicatio signorum. Loci schematis mense novembri 1964 editi citantur cum numeris paginarum (numerus ante comma) et linearum (numerus post comma).

Additiones et mutationes, quae novos conceptus introducunt, sublineantur linea continua;

Mutationes, quae tantum transpositiones, verborum ordinem, grammaticam vel stylum respiciunt, sublineantur linea interrupta;

Omissiones paucorum textus verborum indicantur signo (/);

Omissiones longiorum textus partium significantur similiter, additis vero numeris paginarum et linearum, v. g.: (/7, 43-8, 6/);

Nova alinea facienda (si secus ac in textu schematis ponitur) ita significatur: //.

Ad Prooem. 6, 12 sq.: ... ut huius Ordinis maxima gravitas, tam pastoralis... Ratio: Loco « inaestimabilis excellentia » ponitur « maxima gravitas, quia hoc in loco non tam presbyteratus inter fideles aestimatio, quam momentum eius obiectivum efferendum est.

Ad Prooem. 6, 21 sq.: ... Sacrosancta Synodus, (/6, 21-22/) ad ministerium... Ratio: Deletur « ad presbyteratus Ordinem in meliorem lucem ponendum necnon », nam de facto Ordo Presbyteratus in schemate in meliorem lucem iam ponitur, sed non videtur opportunum hoc explicite declarare. Ceteroquin expressio est sat vaga.

Ad n. 1; 6, 27-29: Ecclesia (/6, 27-29/) dicenda est mitti... Ratio: Expungitur phrasis « quae, innuente Sacra Scriptura (cf. *1 Petr.* 3, 18-21), a Patribus arca salutis nuncupatur, », quia mere ornamenti causa affertur et non pertinet ad contextum.

Ad n. 1; 7, 2: ... (cf. (/) *Act.* 2, 1-4)... Ratio: Omittitur citatio *Io.* 20, 22, quia non agit de infusione Spiritus Sancti in Ecclesiam qua talem.

Ad n. 1; 7, 9 - 8, 6: // In hac tamen missione adimplenda sacerdotes Novi Testamenti non tantum ea consecratione signantur, qua in initiationis christianae sacramentis « regio et sacerdotali propheticoque honore perfusi » sunt sicut omnes fideles, sed charactere sacerdotali ornati peculiarem potestatem Christi Capitis in Corpus suum quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24) exercere valent. (/7, 14-17/) Cum enim Pontifex noster invisibiliter sedens ad dexteram Patris suum perpetuum sacerdotium in Ecclesia terrestri visibiliter exercere suamque propriam actionem manifestam reddere voluerit, (/) quosdam inter fideles (/7, 21/) unctione Spiritus speciali modo sibi consecrat sacerdotes, ut ipsi (/) ministerio (/) suo ipsius Capitis sacerdotium repraesentent, (/7, 24-26/) praesertim offerentes visibile illud Eius sacrificium, quo, incruente et sacramentaliter, cruentum semel in cruce peractum (/) praesens redditur (/).

(/7, 30-39/) Quapropter peculiare Novi Testamenti sacerdotium ex sapienti Christi dispositione confertur initiatione sacramentali, qua presbyteri tamquam providi cooperatores Ordinis episcopalis participantes missionem episcoporum a missione Apostolorum derivatam, personam Christi Magistri Sacerdotis et Regis gerunt. (/7, 43-8, 6/). Ratio: Totus n. 1 concinnior reddendus est, ut dilucidius percipi possit idea centralis, i. e. differentia specifica presbyteratus. Quare delenda sunt, quae ad missionem Ecclesiae in genere spectant, quippe quae in Constitutione dogmatica de Ecclesia fuse tractata sunt (ita fere 7, 14-17; 7, 30-39; 7, 24-26 expungitur, quia nonnisi repetit ideam iam supra, 7, 2-4, adumbratam). Consequenter expungendae sunt citationes S. Scripturae, quae non accurate ad sacerdotium sacramentale referuntur. Quae autem de ipsa natura presbyteratus dicuntur, brevius et praecisius exprimi posse videntur.

Phrasis de potestate proprie dicta ipsius Christi in Corpus suum participanda (7, 9-13) positive vertitur et magis generice enuntiatur, quia non est opportunum laicorum in Ecclesia condicionem negative describere neque omnis potestas laicis deneganda esse videtur (Laici plane non participant potestatem Ordinis, sed participare possunt aliqualiter potestatem iurisdictionis vi missionis canonicae, cogita v. g. de catechetis laicis).

Ultima alinea (7, 43 sqq.) omitti potest, cum de dependentia ministerii Presbyterorum ab Eucharistia in n. 4 (10, 6 sqq.) agatur, et ibi quidem convenientius.

Ad n. 2; 8, 11-21: ... incipimus secundum illud apostoli: « fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » (*Rom.* 10, 17). Primum ergo munus presbyterorum est una cum episcopis eisque ducentibus praeconium salutis, omnibus, etiam incredulis, ad quos vox eorum pertingere potest, annuntiare, mandato Domini respondentes: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » (*Mc.* 16, 15 sq.). Sive ergo Liturgiam Verbi peragant, sive catechesim christianam tradant vel Ecclesiae doctrinam explanent sive, ut modernis quaestionibus responsum praebeatur, laborent, eorum est semper utiliter docere omnesque ad conversionem et ad perfectionem instanter invitare (/8, 19-21/).

Ratio: Phrasis « Presbyteri... facienda » (linn. 11-13) stylistice inelegans est. Citationes *Rom.* 1, 14 et *Lc.* 12, 49 non sunt satis specificae pro munere docendi presbyterorum. Quarum loco melius sumantur duo loci classici de missione ad docendum, scil. *Mc.* 16, 15 sq. et *Rom.* 10, 17. In enumeratione 8, 16-18 primum membrum a sequentibus non adaequate distinguitur; quare pro eo ponitur: « sive Liturgiam Verbi peragant ».

Ad n. 3; 8, 29-9, 34: Hic numerus ad praecedentem trahatur et sic sonet: Ideo presbyteri ab episcopo in sacro ritu Ordinationis admonentur, ut « sint maturi in scientia » et sit doctrina eorum « spiritualis medicina populo Dei », ita ut (/8, 33-35/) thesauros verbi divini recte et luculenter explanare valeant, verbis ad mentem audientium convenienter accommodatis. Id vero quod aliis est tradendum prius recte possideatur oportet. Quapropter presbyteri profunda divinae revelationis atque scientiae theologicae cognitione continuo polleant (/9, 1-11/), ut magis magisque in dies cognoscant Iesum Christum, unicum Salvatorem nostrum, (/) per cuius vitam et doctrinam Pater notum fecit nobis « sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in Eo » (*Eph.* 1, 9).

// Haec scientia, quae etiam ipsorum vitam supernaturalem alat, haurienda primo est ex lectione et meditatione Sacrae Scripturae (/9, 18-22/). Nutriatur quoque (/) studio Patrum aliorumque Traditionis documentorum, sed etiam, ad aptas responsiones reddendas quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis, presbyteri bene noscant oportet Magisterii ac praecipue Romanorum Pontificum documenta atque consulant optimos et probatos scientiae theologicae et exegeticae hodiernos scriptores. Rationem vero semper habeant condicionum socialium necnon mentalitatis hominum nostri temporis nec acquirere omittant opportunam cognitionem scientiarum humanarum, earum praesertim quae ad praedicationem efficacius exercendam peculiari modo pertineant. Quae studia per totam vitam ne intermittant; nam studium ad praecipua officia status sacerdotalis pertinet. Ratio: Quae in hoc numero exponuntur, intime ordinata sunt ad ministerium verbi. Quare convenit, ut hic numerus totus praecedenti adiungatur. Quod exigit, ut initium (8, 30 sq.) paululum mutetur.

Citationes *Mt.* 28, 19 et 2 *Tim.* 4, 2 omitti possunt. Nam pro *Mt.* 28, 19 iam extense adhibitus est (secundum nostrum Modum) locus parallelus *Mc.* 16, 15 sq.; citatio 2 *Tim.* 4, 2 vero recurrit explicitius alibi (in num. 5 schematis) et hoc loco est prorsus superflua.

Necesse quoque esse videtur, ut expresse exposcatur cognitio divinae revelationis; nam primum obiectum studii pro praedicante debet esse iterum atque iterum ipsa revelatio divina in libris inspiratis conscripta et in Ecclesia Spiritu Sancto assistente tradita, quae hominibus annuntianda est; scientia autem theologica requiritur praecise ut medium adiuvans ad ipsam revelationem penitius semper comprehendendam.

Ceteroquin transpositiones quaedam factae sunt, ut nexus logicus magis observetur, expunctis phrasibus textum nimis extendentibus (v. g. citatio S. Hieronymi vel phrasis rhetorica: « scientia vero ministri sacri sacra esse debet »).

Ad n. 4; 9, 36 - 10, 28: Etsi solus Deus Sanctus et Sanctificator sit, non

dedignatur tamen homines quasi in socios et adiutores eligere, ut operi suo sanctificationis humiliter inserviant. Ad hoc ergo (/) presbyteri a Domino, mediante episcopo, assumuntur, ut (/9, 39-10, 5/) oblationem ipsius Domini perpetuent, memores illius verbi: Hoc facite in meam commemorationem » (*Lc.* 22, 20; *1 Cor.* 11, 24 sq.), atque in sanctificationem fidelium fidei sacramenta diligenter procurent.

Omnia ergo ecclesiastica ministeria omniaque sacramenta cum Sacra Eucharistia cohaerent, nam ab ea derivantur vel ad eam ducunt. (/10, 8-10/). In Sanctissima Eucharistia totum bonum spirituale Ecclesiae continetur, ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus vitam praestans hominibus per Carnem suam Spiritu Sancto vivificatam ac vivificantem. Est ergo Eucharistica Synaxis centrum et fons vitae congregationis fidelium cui presbyter praeest. Edoceant igitur presbyteri fideles vitam suam cum Sacrificio ipsorum Capitis coniungere et Deo offerre; erudiant eos psalmis et hymnis et canticis spiritualibus in cordibus suis cantare Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo et Patri (cf. *Eph.* 5, 19-20); ostendant illis in ipsis liturgicis ritibus medullam sincerae orationis invenire, profectioresque alliciant ad praxim orationis mentalis. (/10, 21-25/)

// Presbyteri ergo solidam scientiam in rebus liturgicis acquirant easque profunde perspectas habeant et aestiment, ut suo ministerio liturgico a christianis communitatibus sibi commissis perfectius in dies laudetur in mundo Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Artes liturgicas recte colant, ut omnia ordinate fiant iuxta normas iam ab hac Sacrosancta Synodo statutas vel a competenti auctoritate edictas vel edicendas. Domus orationis in qua Sanctissima Eucharistia servatur et fideles congregantur, quae praesentiam Dei hominibus manifestare debet, sit nitida, orationi et sacris sollemniis apta. Ratio: Obiectum formale muneris sanctificandi praecisius describendum est, scil. perpetuatio oblationis Domini et procuratio sacramentorum (si tantummodo dicitur: « ut sint ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei in sanctificationem fidelium », hoc eodem iure ad munera docendi et regendi referri potest). Consequenter locus biblicus magis specificus quaerendus fuit. (« Mysteria Dei » in recto significant magis sapientiam et consilium salvificum Dei, ut patet collatis *1 Cor.* 2, 7; 15, 51; *Rom.* 11, 25; 16, 25). Praeterea introducendus est Christus Dominus ut immediate vocans et assumens sacerdotes ad suum opus perpetuandum. Loco « assumere » in lin. 37 ponitur « eligere », ut ratio vocationis gratiosa dilucidius exprimatur.

Lineae 10, 1-3 omitti possunt, quia de ratione inter presbyteros et episcopos alibi iam fuse tractatur (v. g. totus n. 7). Sententia: « omnia ergo ordinate fiant... » melius in finem numeri ponetur, ubi de quibusdam applicationibus concretis tractatur. Expressio: « plenius fieri Corpus Christi Mysticum » inepta esse videtur; sufficit ad probandum assertum linn. 6-8 id, quod linn. 10-15 dicitur. Linn. 21 sq. (« necnon consiliorum... ») omitti potest, quia instructio in consiliis evangelicis observandis spectat minus ad munus sacerdotale, quod ad cultum dirigitur.

Ultima alinea aptius disponitur, incipiendo a scientia liturgica colenda tamquam fundamento et laude Dei Trini tamquam fine actionum liturgicarum.

Ad n. 5; 10, 29 - 11, 42: (/10, 29-38/) Attendant denique oportet presbyteri gregi sibi commisso, in quo illos Spiritus Sanctus « posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo » (*Act.* 20, 28). Hoc autem ministerium exercent cum vera potestate, quae eis datur exercenda non ad modum dominantium huius mundi (cf. *Mt.* 20, 25; *Mc.* 10, 42), sed servientes bono communi gregis ad aedificationem communitatis christianae (cf. *2 Cor.* 10, 8; 13, 10). Sciant se muniri virtute ipsius Domini Nostri Iesu (cf. *1 Cor.* 5, 4) ad arcenda pericula gregi suo imminentia et audiant verba Apostoli sibi dicta: « insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2).

// Ad ministerium populi Dei regendi nostris temporibus recte et fructuose exercendum maximi momenti est religiosa et fraterna coniunctio Pastoris cum suis fidelibus. Quare presbyteri in omnibus eventibus magnis vel parvis communitatum sibi concreditarum, quid res exigat, quae sit Dei voluntas, una cum (/) laicis perspiciant. Quod vix aliter fieri potest ac per modum veri dialogi necessitati temporis hodierni correspondentis, quamvis non expediat, ut Pastor gregis quibuslibet hominum placitis (cf. *Gal.* 1, 10) indulgeat.

Presbyteri ergo singulos fideles ad maturitatem religiosam (/11, 3 - 11, 7/) et fidem evolutam, ad sinceram operosamque caritatem et ad libertatem qua Christus nos liberavit (cf. *Gal.* 4, 31) adducant ita, ut iidem spiritus discernere possint (cf. *1 Cor.* 12, 10; *1 Thess.* 5, 21) et donis, quae Deus singulis distribuerit, prompte ac in utilitatem fratrum utantur. (/11, 9-15/) Signa desiderii sanctitatis sectandae in fidelibus semper circumspectent, nec ullam omittant occasionem sive in praedicatione, sive in confessionali vel directione spirituali, sive etiam in cotidiana conversatione, omnes ad perfectionem christianam perseveranter instituendi. (/) Commendatos imprimis sibi habeant pauperes et debiliores, cum quibus Dominus ipse sese sociatum ostendit (cf. *Mt.* 25, 34-45), et quos evangelizari signum messianici operis datur (cf. *Lc.* 4, 18). Sed et iuniorum peculiaris urget cura (cf. *1 Io.* 2, 13-14), in quibus futurum iam adesse videtur, et insuper coniugum et parentum, qui ut in amicalibus coetibus coeant optandum est, ad sese mutuo adiuvandos ut christiane in vita saepe ardua facilius pleniusque agant. Nec omittant specialem curam gerere aegrotantium et morientium.

Quia vero religio christiana natura sua indolem communitariam praebet (/), presbyteri ad genuinam communitatem christianam creandam fideles adducant, ita ut hi responsabiles se sentiant pro illa et in hac responsabilitate crescant usque ad maturitatem christianam. Fideles non sibi solis vivant, sed unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administret (cf. *1 Petr.* 4, 10 sq.) et ita officia sua in societate hominum utiliter et secundum Dei voluntatem consummet. Fovere ergo satagant in fidelibus hunc spiritum communitatis sicut et spiritum authentice catholicum et missionarium, qui omnes homines, etiam indifferentes et non-catholicos, amplectitur. Impossibile tamen esset (/) communitatem plene christianam aedificare quae Sanctissimae Eucharistiae celebrationem radicem cardinemque non haberet. Quae celebratio, ut sincera et plena sit, tam in varia caritatis opera omnimodamque subministrationem ad invicem, quam in missionalem actionem necnon in varias christiani testimonii formas, prodire debet. Nullum enim est tam efficax

signum approximationis Regni Dei signum mutui amoris ac operosae fraternae unitatis (/11, 37-39/). Est insuper medium, quo excitantur, aluntur roboranturque debiliores ad pugnam spiritualem pro Christo, quo denique forsan nondum credentes ad Christum allicientur et limites Ecclesiae extenduntur. Ratio: In initio numeri munus regendi praecisius describendum est. Incipitur ergo non a loco *Mt.* 28, 18-20, qui magis ad missionem (episcoporum et) presbyterorum in genere spectat, sed ab *Act.* 20, 28 (qui locus saltem per conclusionem Ordini presbyterorum applicatur), et enuntiatur expresse intima ordinatio potestatis datae ad bonum commune gregis. Allegatur factum *1 Cor.* 5, 4, ex quo elucet, usquequo illa potestas valeat et quomodo in ea ipsa virtus Christi praesto sit.

In secunda alinea exponuntur ea, quae nostris temporibus ad regimen pastorale fructuose exercendum magis urgent: 1) fraterna coniunctio cum fidelibus; 2) dialogus, qui tamen non ut concessio, sed ut necessitas est proponendus, licet de periculis adnexis non sit tacendum.

In tertia alinea ponuntur principia de singulis fidelibus regendis (11, 3-26), additis quibusdam de fidelibus ad maturitatem religiosam, discretionem spirituum, usum donorum adducendis, quia haec hodie maioris momenti sunt.

Ultima alinea resumit, quae de Communitate fovenda dici debeant. — Evolvitur aliquantulum, quid sit spiritus missionarius, i. e. dicitur expresse eum omnes homines, etiam indifferentes et non-catholicos complecti.

Quaedam autem asserta, quae minoris momenti sunt vel aequivalenter iam alibi efferuntur, hic vel illic concinnitatis causa delentur (ita v. g. 11, 5-7. 9. 27. 37-39).

Ad n. 6; 12, 4: ... in studia pastoralia incumbant... Ratio: Loco « sacra » dicitur accuratius « pastoralia », cum de studiis disciplinarum theoricarum iam in n. 3 (vel secundum nostrum propositum: n. 2) actum sit.

Ad n. 6; 12, 12-16: ... sociologica, psychologica, etc. Iis aliisque aptis mediis vigilanti cura adiuventur imprimis sacerdotes iuniores, neoparochi et illi qui in aliam nationem, dioecesim, aut in specialem operam pastoralem transferantur. Ratio: Addatur « psychologica », quia sacerdos hodie debet callere leges psychologiae fundamentales, ne praedicando contra eas agat, et ut sciat « prudenter dubitare » seu saltem generice percipere, utrum habeat coram se hominem psychice sanum an aegrotum, quem fortasse ad specialistam mittere debeat.

« Vigilanti » dicitur loco « peculiari », ne omnia in Schemate tamquam « peculiaria » proponantur.

Additur « imprimis », ne videantur iuniores soli intendi.

Interponitur « specialem », quia non agitur de quacumque opera pastorali.

Ad n. 7: 12, 39 - 14, 17: Presbyteri omnes, unum sacerdotium et ministerium Christi cum episcopis et sub eorum ductu (/) repraesentant. Ideo intima necessitudo inter episcopos, qui sub Summo Pontifice tamquam ipsorum Capite collegium efformant, et presbyteros vigeat oportet.

// Episcopi, in memoriam (/) revocantes donum Spiritus Sancti, quod presbyteris in ordinatione datum est, (/) illos (/) ut veros adiutores in ministerio et ut consiliarios in munere docendi, sanctificandi et regendi populum Dei habeant. Quod enixe, iam ab antiquis Ecclesiae temporibus, liturgica documenta procla-

mant, dum solemniter postulant a Deo, super presbyterum ordinandum, infusionem « spiritus gratiae et consilii, ut adiuvet ac gubernet populum in corde puro ». (/13, 15-20/) Propter hanc ergo in sacerdotio Christi participationem episcopi sacerdotes suos secundum exemplum Christi Domini (cf. *Io.* 15, 15) ut socios, immo ut fratres et amicos considerent (/13, 23-27/), quorum bonum corporale et spirituale eis cordi sit. Habeant illos veluti consilium et curiam seu senatum Ecclesiae, quos (/) libenter audiant (/13, 30/) et sine quorum adiutorio missionem Apostolis eorumque Successoribus concreditam nullo modo adimplere possunt. Ut hoc vero aptiori quam nunc viget modo ad praxim reducatur, instituendus est, forma a iure determinanda, coetus dioecesanus, constans selectis presbyteris totum presbyterium repraesentantibus, quem episcopus semper audiat in rebus maioris momenti pro regimine dioeceseos.

Presbyteri autem ob unitatem missionis Christi et ob vinculum inter se et episcopum ratione ordinationis vigens ut providos eiusdem cooperatores sese sciant. Ante oculos habentes plenitudinem sacramenti Ordinis quae in episcopis residet, in ipsis revereantur auctoritatem Christi supremi Pontificis, in cuius persona agunt; (/) sincera caritate et oboedientia eisdem, adhaereant, nec tantum quae praecipiuntur, sed etiam quae commendantur, generoso animo adimpleant (/14, 5-13/), iuxta praeclara monita Sacrae Scripturae: « Oboedite praepositis vestris et subiacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes; hoc enim non expedit vobis » (*Hebr.* 13, 17). (/14, 20-27/). Ratio: Prima periodus n. 7 dubiis ansam dare potest: ac si presbyteri primarie ad collegium episcoporum ordinarentur huiusipsiusque regimini immediate subiacerent; quod autem realitati non exacte correspondet. Presbyteri unitatem quandam efformant immediate in singula dioecesi, cuius unitatis caput est episcopus dioecesanus (quod valet etiam de sacerdotibus religiosis exemptis quoad apostolatum dioecesanum); et mediate tantum, id est mediante episcopo proprio, ad collegium episcoporum diriguntur unitatique hierarchiae ecclesiasticae inseruntur. Non autem est necesse, has relationes hoc in loco distincte exponere, cum infra in n. 8 eadem idea redeat; sufficit hic rationem inter episcopos et sacerdotes generice super unitatem ministerii Christi fundare et collegium episcoporum sub Summo Pontifice tanquam Capite existentem ut condicionem concretam huius unitatis nominare. Quo posito prima alinea claudatur et tractatio de relatione episcoporum versus presbyteros incipiatur cum nova alinea.

Exemplum illorum 70 virorum (13, 15-20) omittitur, quia non immediate spectat ad rem. Citatio *Io.* 15, 15 tantum innuitur, cum verbotenus eam citari in hoc contextu non conveniat; linn. 23-27 pag. 13 omittere licet, quia fluxum idearum nimis onerant. Phrasis « et compresbyteros appellant » (13, 30) expuncta est, quia paululum supra iam adhibuimus vocem aequivalentem « cooperatores ».

Periodus 14, 5-13 deletur; nam nauseam creat legenti, cum redeant plures ideae et conceptus iam alibi enuntiati: participatio missionis episcopalis, quae per sacramentum Ordinis confertur; spiritus pastoralis; cum episcopo communio.

Similiter dicendum de inciso 14, 20-27: de hac oboedientia presbyteri erga

episcopum iam in alinea antecedenti actum est; insuper de relatione intima inter collegium episcoporum et Ordinem presbyteratus in praesenti numero iam sermo erat eademque idea etiam in n. 8 et in num. 10 recurrit.

Ad n. 7; 14, 28 - 15, 28: Quae unio inter episcopos et presbyteros nostris diebus eo magis requiritur, quod in mundo huius temporis, diversis ex causis, incepta apostolica non tantum multiplices formas induere, verum etiam saepe limites unius paroeciae vel dioecesis praetergredi necesse est. Nullus ergo sacerdos seorsum ac veluti singillatim suam missionem sufficienter adimplere valet, sed *tantum episcopo duce* in unione cum aliis suas vires impendat. (/14, 36 - 15, 28/). Ratio: Deletur pericope 14, 36 - 15, 7; nam haec verba problemati laboris pastoralis specialisati hodie tam prementi nullo modo sufficiunt, dum ultima verba huius sententiae (scil. linn. 3-7 pag. 15) supra iam innuuntur.

Alinea 15, 8-28 magis ad condiciones aptae presbyterorum distributionis spectat, quare melius ad n. 10 transponatur.

Ad n. 8; 15, 29 - 17, 16: Sicut episcopi (/15, 30-37/) sub Papa vicario Christi ad unum collegium adunantur, similiter presbyteri dioeceseos sub episcopo quandam communitatem efformant; immo omnes Ecclesiae presbyteri inter se in uno Ordine seu statu uniuntur; quod iam ab antiquis temporibus in liturgia significatur, cum presbyteri adstantes super novum electum, simul cum episcopo ordinante, manus imponunt. Propterea oportet (/15, 41 - 16, 1/) ut singuli presbyteri confratribus suis uniantur vinculo caritatis, orationis et omnimodae cooperationis, atque ita fidelibus dent exemplum illius unitatis qua Christus suos voluit in unum esse consummatos. (/16, 6-10/)

Quapropter magni momenti est ut omnes presbyteri sive cleri dioecesani sive religiosi sese invicem adiuvent, (/) tum qui in eadem forma ministerii, v. g. paroecialis vel apostolatus laicorum laborent, tum qui in ministerio magis indirecto vel extraordinario, ut in scholis, in institutionibus pervestigationis scientificae, in officinis, in operibus caritativis aliisve sane multis id genus actuositatis speciebus, de consensu auctoritatis competentis exercendis, sese impendere debeant. Maiores difficultates hodie saepe afferunt convictus ac collaboratio seniores inter et iuniores presbyteros. Quare qui sunt provectioris aetatis, iuniores vere ut fratres suscipiant eosque in primis (/) responsabilitatibus ministerii adiuvent necnon mentalitatem eorum etsi a propria divergentem intelligere satagant atque incepta eorum cum benevolentia prosequantur. Iuvenes pariter revereantur aetatem atque experientiam seniorum cumque illis de omnibus rebus curam animarum spectantibus consilia conferant et libenter collaborent.

Spiritus fraternus appareat in quovis auxilio humano et spirituali, praesertim erga aegrotos, afflictos, operibus nimis oneratos atque solitarios, in beneficientia et communione bonorum, in liberali hospitalitate, in communi corporis et animi hilari relaxatione. Insuper aliqua vita communis inter sacerdotes foveatur, quae tamen plures formas, iuxta diversas necessitates personales vel pastorales, induere potest, nempe cohabitationem, ubi possibilis est, vel commensalitatem, vel saltem frequentes ac periodicos conventus, ita ut presbyteri aptius in ministerio cooperentur et a periculis solitudine forte orientibus eripiantur. Pariter, eorum con-

iunctio in associationibus piis, quae sacerdotum sanctitatem fovendam intendunt, magni semper habeatur.

Ratione eiusdem fraternitatis et communionis in sacerdotio (/), presbyteri se etiam obligatos sciant erga eos (/), qui in quibusdam defecerunt, quos igitur misericordia atque magna caritate semper prosequantur. Ratio: Hic numerus schematis iterum passibus quibusdam longioribus et repetitionibus laborat. Quare hic proponitur modus abbreviationis, in quo periodi minoris momenti omissae sunt.

Explicatio connexus collegii episcoporum cum communitate presbyterorurm artificialis et aliquantulum confusa esse videtur. Ordo et collegium non sub omni respectu idem sunt. Parallelismus immediate existit inter collegium episcoporum et presbyterium dioecesis singulae tantum (quomodo iam supra diximus); mediate vero communitas presbyterorum universae Ecclesiae in hoc contextu poni potest.

Cura episcoporum pro bono corporali et spirituali melius ad n. 7 transfertur, quia de rationibus inter episcopos et presbyteros agitur ibi, hic vero de relationibus inter ipsos presbyteros.

Abstinendum est a quovis « Paternalismo romantico » obsoleto, qui hodie iuniores magis deterret quam allicit. Propterea expunguntur expressiones sicuti « qui vero iam a multis annis portaverunt pondus diei et aestus » vel « ager patrisfamilias » (quae expressiones occurrunt quidem in S. Scriptura, sed in contextu omnino diverso). Item « romanticismum » sapit v. g. quod agendo de relaxatione statim citatur *Mc.* 6, 31.

Necessarium autem esse videtur explicite attingere problema convictus et collaborationis inter seniores et iuniores presbyteros, quod problema in pluribus regionibus maximum est.

Explicite nominantur etiam categoriae quaedam sacerdotum peculiaris curae fraternae indigentium.

Ad n. 9; 17, 18-23: Novi Testamenti sacerdotes, quamvis sacramenti Ordinis ratione (/17, 19-22/) munus patrum et magistrorum exerceant, simul cum omnibus... Ratio: Introductio huius numeri abbreviatur, ut evitetur omnis species clericalismi. Ex eadem ratione dicitur « quamvis ».

Ad n. 9; 18, 3-13: In conversatione cum fidelibus (/) semper memores propriae condicionis sacerdotalis, atque « forma facti gregis ex animo » (*1 Petr.* 5, 3), (/18, 6-9/) ne negligant illas virtutes (/18, 9-11/), quae in humano (/) consortio magni aestimantur, videlicet... Ratio: Vox « Presbyter » in linn. 3 sq. deleri potest. Item expungi possunt locus biblicus *2 Tim.* 2, 22 (quia est monitum generale, quod minus directe ad casum praesentem spectat) et phrasis « ad imitationem Christi Domini, qui est perfectus Deus, perfectus homo » (quia implicat conceptum imitationis Christi minus rectum; nam imitatio Christi, saltem secundum S. Scripturam, consistit potius in sequela crucis seu deditionis vitae pro Deo et aliis quam in imitatione singularum virtutum Dei-hominis).

Ad n. 9; 18, 21 - 9, 2: (/18, 21-28/) // Presbyteri, dignitate proprii muneris apostolici non posthabita, sincere quoque honorent peculiarem missionem apostolicam, quam et laici (/) acceperunt; omnia iura (/) condicionis eorum respiciant atque foveant; munera et officia illis propria (/) agnoscant et aestiment;

etiam in sinu Ecclesiae laicis munera, a quibus par est presbyteros liberari, concredantur, ab ipsis cum plena responsatione peragenda. Libenter igitur presbyteri laicos audiant, eorum desideria fraterne accipiant eorumque experientiam in diversis campis activitatis humanae assumant, ut simul cum ipsis signa temporis (/) recognoscere queant. Probantes spiritus si ex Deo sint (cf. *1 Io.* 4, 1) charismata laicorum magni aestiment. Inter illa vero dona Dei quae in fidelibus abundanter inveniuntur, particulari cura dignae sunt gratiae quibus non pauci ad altiorem vitam spiritualem alliciuntur.

Meminerint demum... Ratio: Periodus 18, 21-25 omittitur, quia rem per se evidentem dicit et quidem in forma haud liquida. De sollicitudine ministrandorum sacramentorum sermo est iam in n. 4, unde hic eam praeterire licet. Neque est ratio sufficiens, cur praecise in hoc loco, in obliquo, locutio sit de normis Romanorum Pontificum ac episcoporum tradendis.

Exhortatio fieri debet non solum ad munera laicis propria agnoscenda, sed et ad munera a quibus par est presbyteros liberari, illis concredenda, et quidem ita ut ea cum plena responsatione peragant.

Ad n. 10; 19, 13-18 (cf. 15, 8-21): Donum spirituale, quod presbyteri in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam et coarctatam tantum missionem praeparat (/), sed ad amplissimam et universalem missionem salutis « usque ad ultimum terrae » (*Act.* 1, 8), ita ut quodlibet sacerdotale ministerium, quantumvis humile et limitatum externa facie appareat, participet de ipsa universali amplitudine missionis a Christo apostolis concreditae. Sacerdotium enim Christi, de cuius plenitudine presbyteri participes facti sunt, ad omnes populos et ad omnia tempora necessario dirigitur, neque ullis limitibus sanguinis, nationis vel aetatis coarctatur. (/15, 21-28/)

(/19, 13-16/) // Recolant igitur presbyteri omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere. Quapropter presbyteri... Ratio: Hic primo resumitur paragraphus ultima n. 7 (15, 13-28), omissa tamen applicatione vexata figurae Melchisedech et dempta ultima periodo (15, 24-28) mere repetenti ideam supra (14, 28 sqq.) iam expressam. Adiungatur tunc, nova alinea facta, textus numeri 10 inde a « Recolant... »; nam ideae successionis Apostolorum et participationis missionis episcopalis (19, 13-16) iam alibi sufficienter expressae sunt neque constituunt peculiarem rationem obiecti huius numeri.

Ad n. 10; 20, 1-6: (/20, 1/) // Presbyteri tamen ne mittantur singuli (/), sed saltem bini vel terni, praesertim si agatur de Missionibus (/20, 4-5/) si forte... Ratio: Exemplum Christi hic omittitur, quia non convenit premere ideam imitationis Christi ad litteram intellectam. Expunctis etiam linn. 20, 4-5, quae per se patent, specialis fit mentio missionum, pro quibus hoc monitum praeprimis urget.

Ad n. 10; 20, 18-27: ... ita ut (/) superent quodlibet (/) indicium spiritus nationalistici vel segregationis inter diversos populos. (/20, 21-27/). Ratio: Parenthesis « ardenti caritate pastorali moti » deletur, quia exhortationes rhetoricae diminuendae esse censentur. Item omittitur citatio *1 Cor.* 9, 19-20, quia non directe ad rem spectat.

Ad n. 11; 20, 28 - 21, 6: Quamvis Pastor et episcopus animarum nostrarum

(cf. *1 Petr.* 2, 25) Christus Iesus semper provideat, ne sacerdotium sacramentale in Ecclesia evanescat, tamen ei reliquit, ut in omni aetate et regione de sufficienti numero presbyterorum curet. Quoniam tamen rectori navis et navigio deferendis causa communis existit, ideo universus populus christianus sciat necesse est suum esse officium diversimode cooperari ut semper Ecclesia illos habeat sacerdotes, qui necessarii sint ad missionem suam divinam explendam. Primum igitur presbyteris summopere cordi sit sacerdotii excellentiam et necessitatem fidelibus ante oculos ponere, omnes ut sociam navent operam commonere, ac quos ipsi prudenter ad tantum ministerium idoneos iudicaverint, nullis parcentes sacrificiis adiuvare (/). Parentes et magistri, atque omnes ad quos spectat quocumque modo institutio puerorum ac iuvenum, eos sic erudiant, ut voluntatem Christi cognoscentes et necessitates Ecclesiae considerantes plenaque libertate interna et externa se decidentes, parati sint generose Domino vocanti respondere: « Ecce ego, mitte me » (*Is.* 6, 8) ut aliquando ab episcopis vocari possint. Ratio: Ne indulgeatur nimio optimismo de numero sacerdotum vi institutionis Christi semper sufficienti! Vi institutionis sacerdotium numquam evanescet; sed ut in omni aetate ac regione sufficientes adsint sacerdotes, etiam nobis hominibus cura esse debet.

Phrasis « ut aliquando ab episcopis vocari possint » in fine ponitur, quia in re est ultimus passus.

Expresse nominanda est libertas decisionis, quia usque hodie defectus decisionis vere liberae est causa tot casuum miserorum.

Ad n. 11; 21, 10-14: ... quae signa, tam externa (prout sunt imprimis Hierarchiae iudicium necnon necessitas Ecclesiae, sed et educatorum sententia atque variae circumstantiae), quam interna (scilicet gratiae Dei eligentis, dotes, recta intentio, voluntas sincera Deo generose inserviendi, aliaque huiusmodi), attente consideranda... Ratio: Signa vocationis aliquantulum accuratius nominantur et per ordinem ponuntur.

Ad n. 11; 21, 17 sq.: ... in periodicis, sacerdotium Novi Testamenti eo modo proponatur, qui mentalitati hodiernae congruat, et (/) necessitates Ecclesiae tam localis quam universalis aperte declarentur; ac presbyteri... Ratio: Haec necessitas explicite nominari debet, quia saepius adhuc occurrit, quod methodis antiquatis ad sacerdotium capessendum invitatur.

Ad n. 11; 21, 24: ... se adiuvare in hodierni temporis adiunctis necesse sit. Ratio: « in hodierni temporis adiunctis » magis directe rationem indicat, cur Conferentiae Episcopales huic rei consulere debeant.

Ad n. 12; 21, 27 - 22, 28: (/21, 27/) Omnibus quidem fidelibus dictum est: « Estote (/) perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48), atque ideo omnes ad sanctitatem vocantur. Quoniam vero presbyteri ratione Ordinis sacramentalis arctiore modo Christo Sacerdoti coniuncti sunt, qui est « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus », (*Hebr.* 7, 26), ad illam sanctitatem assequendam peculiari titulo adstringuntur. (/21, 32 - 22, 3/) Proinde cum iam in Vetere Testamento de sacerdotibus legis Deus praecepisset: « Sint sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos » (*Lev.* 21, 8), (/22, 6-21/) tunc a fortiori Novi Testamenti sacerdotes sanctitatem a Christo com-

municatam in toto ambitu et in omnibus adiunctis vitae suae per exercitium geminae dilectionis, Dei scilicet et proximi, vigescere et effulgere faciant oportet. Quae necessitas urget quoque ex cotidianis sacris actionibus, ad quas exercendas promoti sunt, necnon ex munere christianum populum ad sanctitatem adducendi, in quo opere ipsius Christi personam gerere debent. Quapropter in omnibus saeculis permulti presbyteri sancti inveniuntur, qui cum Apostolo dicere potuerunt: « Vivo autem iam non ego: vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20). (/22, 24-28/) Ratio: Totus hic numerus abbreviari et simul accuratior reddi debet. Imprimis principalis ratio sanctitatis a presbytero assequendae dilucidius describatur: est arctior unio cum Christo eiusque sanctitatis particularis participatio obiectiva. Sanctitas subiectiva vero non est nisi actuatio et in omni campo vitae effulgentia illius. Quare omittuntur, quae hanc ideam fundamentalem nimis onerat vel obnubilare minantur: imprimis citationes biblicae rem non directe attingentes (*Io.* 20, 21; *1 Tim.* 6, 11; *Ps.* 132, 9; *Io.* 10, 36; *Tit.* 2, 14; *1 Cor.* 9, 27; *Lc.* 17, 10); sed etiam idea in linn. 13-15 expressa, quae ansam dat falso intellectui: ac si sanctimonia tantum ab externo in periculum vocaretur et oppositio esset inter externa muneris sacerdotalis incepta et sanctimoniam.

Ad n. 13; 22, 31-34: Ipsum exercitium munerum quae presbytero committuntur, requirit et pariter stimulat atque auget sanctitatem vitae, et in presbyterorum animabus evolvit specificam... Ratio: Pressius monstretur intima coniunctio inter exercitium muneris et ipsam acquisitionem vel augmentum sanctitatis.

Ad n. 13; 23, 15-24: « ... omnibus procuretis ». (/23, 16-20/) In S. Missae celebratione ac in sacramentorum administratione, cum Dei mirabilia per suas transeunt manus, et in Divino Officio recitando vividum spiritum fidei, admirationis et laudis excitent. Simul a Deo... Ratio: Evitandae sunt expressionum enthusiasticarum (« piissime », « ferventi », « prompte et libenter ») accumulatio, quae taedium creat, atque eorundem verborum (« admiratio et laus ») repetitio.

Praeparatio ante et gratiarum actio post Missam magni momenti quidem sunt, sed hic omittuntur, ut maiori cum claritate percipiatur id, quod est primarium, scil. ut ipsa Missae celebratio fiat in vivido spiritu fidei, admirationis et laudis. Ne tamen insistatur in celebratione cotidiana, ac si qualitas celebrationis et sanctimonia celebrantis dependerent a quantitate seu numero Missarum celebratarum.

Ad n. 13; 23, 32-37: ... ut in (/) caritate erga Deum et proximum continuo crescant (/23, 34-37/). Ratio: Deletur vox « ardenti », ut minuatur numerus superlationum rhetoricarum; ex qua ratione omittendae censentur etiam linn. 34-37.

Ad n. 14; 23, 39 - 24, 41: Hodierno in mundo, multitudo officiorum quibus obvenire debent homines, diversitas problematum quibus anguntur, varietas quam quidem magna oblectamentorum quibus alliciuntur, progressus scientifici quibus captivantur, efficiunt ut cum exterioris vitae ratione interiorem vitam haud facile componere valeant. Presbyteri et ipsi his omnibus permoti, periculo exponuntur ne eorundem vita spiritualis in discrimen vocetur. Quod ut vitent, meminerint semper officium suum talis esse naturae ut, si agnoscant quod agunt et imitentur quod tractant, integra eorum vita (/24, 6-25/) ducat ad maiorem semper unionem cum Christo, cui in opere redemptionis cooperari vocati sunt. Saepe igitur cum

opus diei et omnia quibus aguntur orando et meditando Deo obviam ferant et commendent, tum dignitatem et onus suae vocationis perpenetrent, praesertim Sacrosanctum Altaris Sacrificium, quod habeant tamquam centrum et radicem totius eorum vitae. Ita impelluntur ut pro populo sibi commisso, cuius vicissitudines et angustias ipsi patiuntur, intercedentes et semper atque iterum auxilium divinum ad munus suum rite exercendum implorantes in ipsa sua activitate continenter resuscitent gratiam Dei, quae in ipsis est per impositionem manuum (cf. *2 Tim.* 1, 6). Sic insimul invenient viam suam peculiarem ad perfectionem propriam assequendam, ad vitam nempe per Christum et cum Christo et in Christo sustinendam et in dies magis augendam.

Quamobrem presbyteri vita non seiungitur veluti in duas partes, alteram orationi alteram actioni deditam. Vita enim contemplativa et activa non sunt nisi duplex aspectus unius vitae spiritualis ac unius operis Christi pro Ecclesia et pro mundi salute continuandi. (/24, 25-38/) Presbyter ergo contemplando intimam vim invenit actionis, agendo autem contemplata ad actum adducit. (/24, 39-41/). Ratio: Obiectum huius numeri est integritas vitae spiritualis servanda, in quantum nempe unitas vitae contemplativae et activae hodierni temporis adiunctis periclitatur. In toto ergo numero prae oculis habendum est obiectum hoc (non autem v. g. unitas inter actionem liturgicam et actionem apostolicam; nam posset aliquis utramque actionem rite exercere et simul defectu vitae spiritualis laborare); breviter monstranda est via ad hanc unitatem tuendam, omissis omnibus, quae aliquatenus ab hoc scopo distrahunt: cumulatio citationum S. Scripturae, repetitiones (« incrementum Corporis Christi », lin. 11 et lin. 16), expressiones dure sonantes (« sacerdotes se hostiam efficere quae hominibus in cibum traditur »). Explicite autem dicendum est ipsam vitam apostolicam cum variis suis vicissitudinibus sacerdotibus viam ad vitam spiritualem esse posse et debere.

Ad n. 15; 25, 1 - 27, 4: 15. /De consiliis evangelicis/. « Ecclesiae sanctitas... peculiariter apparet in praxi consiliorum, quae evangelica appellari consueverunt » quaeque et media simul et stimulus sunt caritatis adquirendae. Quae consilia cum Christus omnibus discipulis suis secundum unicuique propriam vocationem et statum observanda proposuerit, presbyteri ratione peculiaris Deo consecrationis in peculiari quoque honore habeant oportet.

(/25, 11-15/) // Coelibatus « propter regnum caelorum » (*Mt.* 19, 11), qui ab omnibus christianis ut magnum donum aestimetur, ex natura sacerdotii Christi presbyteris praestantiori modo convenit, etsi non absolute exigitur, sicut ostendunt Novum Testamentum et historia atque praxis Ecclesiae.

In coelibatu libere et ob amorem Domini suscepto presbyteri facilius indiviso corde Christo adhaerent et quae Domini sunt cogitant, ita ut sint sancti corpore et spiritu (cf. *1 Cor.* 7, 32, 34); (/25, 28-30/) Dei familiae liberius ministrant, paternitatem in Christo plenius acquirunt et expeditiores in dies fiunt ad Regno Dei inserviendum. (/) Missio enim sacerdotalis integra dicatur servitio novae humanitatis quam Christus, Victor mortis, per Spiritum suum in mundo suscitat, quaeque (/25, 37 - 26, 1/) originem suam « non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo » (*Io.* 1, 13) habet. Presbyteri ergo

per coelibatum missionem Christi, qui in Ecclesia genus humanum arcano connubio sibi coniunxit, coram mundo aperte testificantur, (/26, 2 sq./) sicque signum vivum efficiuntur illius mundi futuri gratia et fide iam praesentis, in quo filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores (cf. *Lc.* 20, 36). (/26, 7-17/) Quapropter per coelibatum aptiores fiunt muneri sibi commisso despondendi fideles uni viro illosque exhibendi virginem castam Christo (cf. *2 Cor.* 11, 2).

// Nemo vero est, qui non de difficultatibus coelibatus in hodierni temporis adiunctis sincere sustinendi sciat. Quapropter presbyteris praeprimis necessarium est totas divitias huius pretiosi doni in dies plenius investigare et suas facere. Et cum gratia Dei confisi virginitatem elegerint, (/26, 19-27/) licet eis in huius vitae certamine semper auxilium divinum sperare. Non ergo de propriis viribus praesumentes, perseveranter a Deo gratias implorent, ut hoc donum cum omni humilitate custodire valeant. Neque negligant ea quae ex condicione humana requiruntur ad tam gravem renuntiationem personalitati plene integrandam (/26, 29 - 27, 4/). Ratio: In hoc numero plures defectus sat notabiles emendandi esse videntur. Iam in titulo expungatur conceptus « castitas perfecta », qui iam expunctus erat in schemate antecedenti, i. e. Propositionum de Sacerdotibus, sicut deletus est in constitutione dogmatica « De Ecclesia » et in schemate de Religiosis. Nam differentia specifica castitatem propter regnum Dei coelibum inter et castitatem coniugatorum non consistit in gradu perfectionis, sed in modo specifice diverso actuandi amorem Dei et proximi. Utraque autem forma castitatis admittit perfectionem vel imperfectionem.

Indicatur iam in initio ordinatio consiliorum ad caritatem, ne propter seipsa intendantur.

Secunda alinea brevius exprimi potest, quin detrimentum patiatur; item tertia alinea, loco *1 Cor.* 7, 32. 34 vero explicitius citato. Citatio autem *Io.* 6, 63 prorsus inepta est, quominus probet id ad quod probandum allegatur. Quare pro ea substituitur *Io.* 1, 13.

Ratio signi coelibatui inhaerens ita explicetur, ut quaevis suspicio dualismi vel manichaeismi (« supra omnes vires carnis et sanguinis »; vel aequatio implicita (27, 3-4): coelibatus = libertas, matrimonium = iugum servitutis) repellatur. Omitti quoque potest locus *Io.* 3, 29, qui potius propter consonantiam conceptuum « despondere » et « sponsi » adductus esse videtur.

Difficultates quas coelibatus hodie sacerdotibus passim parat, ne leviter tractentur! Neque solum in eo consistunt, quod hodie valores vitae sexualis tam alte et publice extolluntur, neque mera comprobatione legis et praepropera invocatione loci *Lc.* 18, 27 superantur.

Non est necesse, in decreto conciliari singula media ad coelibatum servandum enumerare; insuper plura 26, 32-41 nominata non sunt formaliter media ad castitatem servandam, sed ad Deum magis amandum (quo concomitanter quidem etiam castitas firmatur).

Ad n. 15; 27, 14: ... ab omni specie vanitatis, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis, fugiant. Habitationem... Ratio: Hic passus

e priori schemate transcribendus est, quia hodie maioris momenti est et ab omnibus exspectatur.

Ad n. 15; 18-32: Denique (/27, 18-19/) instanter invitantur ad sentiendum in se quod et in Christo Iesu, qui « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens... factus oboediens usque ad mortem » (*Phil.* 2, 7-9). Quae oboedientia evangelica non solum praestatur erga expressa mandata superiorum, sed et in permultis sacerdotalis muneris circumstantiis, quae presbyteri humilitatem et patientiam expostulant (/27, 23-32/). Ratio: Parenthesis « per praxim... effecti » ob rationes logicae expungitur, nam ponit iam perfectum, quod est adhuc in tractatione: scil. praxis consiliorum, de quorum tertio nunc agi incipitur.

Conceptus oboedientiae ne nimis formalistice sumatur, sed adhibeatur pro habitudine personali totam vitam sacerdotis formantem, qua idem semper voluntati divinae stare volens in omnibus suae vitae vicissitudinibus humiliter et patienter facit ea quae missio ac munus ab ipso postulant.

Ad n. 16; 27, 33 - 28, 25: Restituatur pristinus textus, uti exhibetur in fasciculo schematis, 27, 32 - 28,5 (columna sinistra). Ratio: Pauciora verba textus prioris gravius sonant et efficacius movent animum quam copia verborum novae redactionis.

Ad novum n. 16 bis introducendum: Inseratur proprius numerus, in quo agatur de vitae sacerdotalis rebus humanis uti sunt: condicio habitationis, relaxationis, culturae humanae et conversationis cum hominibus. Secus transitus a spiritualibus (nn. 1-16) ad materialia (n. 17 sqq.) est nimis subitaneus.

4

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

Cum consensu omnium episcoporum Iaponiae proposita.

In n. 15, pag. 27, post lin. 4, addantur sequentia: « Illi autem presbyteri, qui secundum consuetudinem in Ecclesiis Orientalibus legitime existentem in matrimonio vivunt, in statu suo castitatem excolere, et "suae domui bene praepositi" (cf. *1 Tim.* 3, 4) fulgidum exemplum virtutum christianarum omnibus exhibere satagant ». *Ratio*: nisi fiat haec vel similis additio, expositio schematis cedit in reprobationem consuetudinis in Ecclesiis Orientalibus legitime existentis et in offensionem presbyterorum orientalium, sive catholicorum sive separatorum. Quod est omnino evitandum.

Ideo etiam Papa Pius XI in Encyclica *Ad Sacerdotii fastigium* anni 1935, post expositionem et laudationem coelibatus sacerdotalis, similis verba considerationis pro legitima consuetudine contraria Ecclesiarum Orientalium addidit (cf. *A.A.S.*, 28 [1936], p. 28).

5

EM.MUS P. D. MAURITIUS CARD. FELTIN
Archiepiscopus Parisiensis

Pag. 6, n. 1. Novus numerus exponit « naturam presbyteratus » in ambitu Missionis Ecclesiae et distinguendo inter sacerdotium commune et sacerdotium ministeriale.

Textus est tali proposito fidelis. Sed duo sunt gravia incommoda.

1. Praesentatio doctrinae de presbyteratu in hoc decreto non eumdem ordinem tenet ac in constitutione *de Ecclesia.*

In constitutione (n. 28), intima relatio presbyterorum cum episcopis et, per ipsos, cum missione apostolorum et ipsius Christi, ante omnia et fortiter intenditur, sicut « praemissa », ex quibus defluit consecratio et missio presbyterii. Hic, in schemate, illa relatio datur sicut « conclusio ».

Perspectiva non est similis et videtur quasi aliqua emendatio textus constitutionis.

Atqui constitutio *de Ecclesia* est fundamentalis quia « dogmatica » et, humili nostro iudicio, eius textus ac ordo in hoc decreto servari debent.

Alioquin, inter duo documenta conciliaria, surgere posset quaedam haesitatio aut fluctuatio, quae theologicis, concionatoribus, moderatoribus exercitiorum spiritualium, et ipsis presbyteris damnosa evadaret.

2. Expositio sacerdotii omnibus fidelibus communis antequam loquatur de sacerdotio ministeriali seu hierarchico attentionem divertit proprio huius schematis scopo: « de presbyterorum ministerio ».

Praeterea, inducere potest in tentationem practice religandi unum ad alterum. Sane, ut dicit constitutio (n. 10), adsunt inter illa relationes, sed mediante uno sacerdotio Christi, de quo unum et alterum « suo peculiari modo » participant.

Melius videtur, in hoc schematis numero, statim respicere finem, i. e. presbyteratum et deinde, si opus sit, breviter facere mentionem regalis sacerdotii.

Unde hae emendationes proponuntur:

Pag. 7, n. 1. (De natura presbyteratus). Prima paragraphus tota deleatur: a verbis « Ecclesia quae... » usque ad « honore perfusi sunt » (p. e. lin. 13).

Secunda paragraphus reficiatur iuxta emendationes Patrum « Regionis Occidentalis Galliae », quibusdam tamen verbis mutatis: « Christus Dominus ut populum Dei aedificaret eique omnia quibus crescere posset media provideret, ministros instituit sacra potestate pollentes (*De Eccl.* init. Cap. III, n. 18), qui visibiliter in Ecclesia terrestri perennis sui sacerdotii virtutem exercerent, propriamque suam actionem salvificam manifestam redderent. Cum aedificasset « Ecclesiam, missis apostolis sicut Ipse missus erat a Patre » (*De Eccl.* n. 18), per ipsos apostolos, eorum successores, videlicet episcopos, « Consecrationis missionisque suae... participes effecit » (*De Eccl.* n. 28). Rursus episcopi de munere ministerii sui presbyteris legitime tradiderunt participationem in sacerdotio et missione (d. n. 28). Presbyteri, « quamvis pontificatus apicem non habeant et in exercenda sua potestate ab episcopis pendeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt et vi Sacramenti Ordinis ad imaginem Christi summi atque aeterni Sacerdotis, ad

Evangelium praedicandum, ad fideles pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur ut veri sacerdotes Novi Testamenti » (*De Eccl.,* n. 28).

Textus suprascriptus, maximi momenti, est quasi nodus et ordo huius Decreti. Solus sufficeret ad triplex presbyterorum munus introducendum, et in ipso Prooemio optimum locum inveniret.

Si opportunum iudicaretur servare reliqua n. 1, sic diceretur.

Ultima verba paragraphi (par. 7, linn. 24-29), non necessaria, deleantur ab: « In Ecclesia ergo cultus christianus » usque ad « saeculi permanet ». Haec allusio sacerdotio fidelium sufficiens esset, quibusdam verbis adiunctis: « Officium (...), non tantum episcopatus, verum etiam presbyterii in ordine suo, participat auctoritatem qua Christus ipse Corpus suum extruit, sanctificat et regit, ideoque ad sacerdotium spirituale fidelium ordinatur (*de Eccl.,* n. 10) sed ad illud, quantumvis sublime, reduci non potest. Sacerdotium presbyterii non in solis initiationis christianae sacramentis fundatur, sed peculiari initiatione sacramentali indiget, quae (...) ut quaedam incorporatio missioni episcopali, ope specialis participationis sacerdotii Christi, describi potest. Sicut enim ... » etc.

[*Subscripserunt etiam*] P. Veuillot, arch. coad. Paris; J. Lecordier, ep. aux. Paris.

6

EM.MUS P. D. HERMENEGILDUS CARD. FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Ad n. 1, pag. 7, linn. 8-11. Verba: « nullam potestatem eaque » deleantur. *Rationes*: non mihi videtur recte dici posse fideles *nullam* potestatem proprie dictam ipsius Christi Capitis in Corpus suum quod est Ecclesia exercere valere.

Sunt namque plures huiusmodi potestates quas omnes fideles exercere valent, quia fideles in Ecclesia habent non solum munera sed etiam iura et officia quibus debet necessario respondere etiam quaedam potestas proprie dicta.

Exempla: omnes fideles habent officium in Missa offerendi simul cum sacerdote Victimam Sacram et simul seipsos immo et alios et totum mundum cum Victima (const. *de sacra Liturgia,* art. 47). Ideo habent etiam potestatem proprie dictam hoc faciendi.

Parentes habent ius et officium filios in christiana religione docendi et instituendi, et ideo etiam potestatem proprie dictam.

Item vir relate ad uxorem habet iura et officia itemque potestatem proprie dictam simili quodam modo sicut Christus in Ecclesiam.

Hierarchia potest quasdam potestates laicis delegare quas ipsi vere exinde habent. Ita viris laicis Ecclesia dat potestatem quaedam ministeria directa exercendi in sacra liturgia, quamvis per modum delegationis: ita lectori, commentatori etc. (cf. Instructio S.R.C. anni 1858 n. 93 C.). Item in Actione Catholica.

Secundum constitutionem *de Ecclesia,* art. 37 fideles: « pro scientia competentia et praestantia quibus pollent, facultatem, immo aliquando et officium, habent suam sententiam de iis quae bonum Ecclesiae respiciunt declarandi ». Si facultatem et officium ergo et potestatem proprie dictam.

Id quod vere interest, ni fallor, non est scire utrum omnes fideles etiam laici habeant necne aliquam veram potestatem in Ecclesiam, sed inculcandi:

a) distinctionem iuris divini inter hierarchiam et laicos; *b*) sacerdotium hierarchicum non posse ad sacerdotium omnium fidelium commune reduci.

Ad n. 1, pag. 7, lin. 29, loco « praesens redditur », dicatur « repraesentatur », sicut habet Concilium Tridentinum (DENZ. 1740, 938). *Rationes*: locutio « praesens redditur » potest de se omnino defendi et in optimo sensu intelligi. Attamen: *a*) in omni casu, etiamsi recte intelligitur, est, relate ad Concilium Tridentinum, ulterior determinatio theologica. Opportunum vero non videtur talem ulteriorem determinationem in materia tanti momenti a Concilio fieri, hoc loco, in aliqua sententia omnino obiter dicta et sine vera disputatione a Patribus facta. *b*) « Praesens redditur » potest etiam intelligi in sensu theoriae Odonis Casel de re-praesentatione, vel nova praesentatione, in sacramento, actionis historicae individualis et *numerice unius*, quae a Christo in sua vita mortali facta est (hoc loco: ipsius passionis cruentae in Golgotha). Haec tamen theoria a fere unanimitate theologorum reicitur in puncto praecisivo de re-praesentatione numerica. Propter hanc etiam rationem videtur tutius stare locutioni Concilii Tridentini. Haec, quamvis et ipsa non perfecte ex se sola totam doctrinam catholicam exprimat (immo, extra contextum, posset etiam male intelligi de sola repraesentatione scenica), tamen ab auctoritate Concilii Tridentini sancita est.

Si vero placeret neque ipsam locutionem Concilii Tridentini adhibere, posset adhiberi locutio qua utitur constitutio *de sacra Liturgia*, art. 47, nempe: « perpetuatur », loco « repraesentatur ».

Ad n. 1, pag. 8, linn. 3-6, citatio verborum S. Augustini, quae, si uti citatio proprie dicta fit, ad litteram fieri debet, non est accurata in textu. Dicatur ergo: « Tota *ipsa* redempta civitas, *hoc est congregatio* societasque sanctorum etc. ... ».

Ad n. 4, pag. 10, lin. 23, loco « servatur » dicatur: « celebratur et servatur ». *Rationes*: Ecclesia, seu domus orationis, in textu videtur praeprimis definiri uti locus in quo Eucharistia servatur. Sed hoc non accurate dicitur; debet enim definiri praeprimis uti locus ubi Eucharistia celebratur, quia: *a*) theologice praesentia Eucharistica est ad sacrificium Christi et Ecclesiae et non sacrificium ad praesentiam Eucharisticam; *b*) historice, per multa saecula Eucharistia non asservabatur in Ecclesia sed in sacrario; *c*) sub aspectu dispositionis et ordinationis spatii in ecclesiis (architectura) id quod totum determinare debet est conceptus primarius: Ecclesiam esse spatium sacrum ubi communitas convenit ad celebrandum sacrificium.

Ad n. 7, pag. 13, columna *b*) linn. 8-9, loco: « in ministerio et ut consiliarios », dicatur: « ... ut veros adiutores et consiliarios in ministerio et in munere docendi... ». *Ratione* claritatis.

Ad n. 14, pag. 23, lin. 39, pag. 24, lin. 18, loco primae partis textus huius numeri: « Hodierno in mundo suum Corpus augere vult » dicatur: « Maxime interest ut presbyteri arctam unitatem servent in universa ratione propriam vitam atque diversa opera sui ministerii ordinandi et gerendi, caute vitantes dispersionem et dissociationem quae ex hodiernis adiunctis non raro minantur. In eis ergo intime consocientur, invicem se sustentent et alant et ad unicum finem ordinentur, vita interior, sacra Liturgia, opera pastoralis et apostolatus necnon rerum sacrarum studium.

Itaque, presbyteri vitam suam... etc. ». *Rationes*: hodiernus textus est valde diffusus et potius ad modum sermonis quam ad modum textus conciliaris exaratus.

Ad n. 15, pag. 26, linn. 13-15, loco: « His omnibus rationibus — imposuit »,

dicatur: « His omnibus rationibus, coelibatus, qui prius sacerdotibus commendabatur, postea gradatim, in Ecclesia occidentali lege impositus est ». *Ratio*: textus schematis incidit in defectum qui saepe iure meritoque ab orientalibus Concilio exprobratus est: nempe ita loquendi ut Ecclesia universalis videatur identificari cum Ecclesia latina.

Insuper delendum censeo illud « a primordiis »; nam de commendatione a primordiis facta et quidem sacerdotibus etc. ... non ita facile historice constat, saltem uti de tendentia generali in Ecclesia.

Ad n. 15, pag. 27, lin. 14, post verbum « vanitatis » addatur « et contentionis honorum et dignitatum quamvis ecclesiasticarum ». Unde textus sonet: « ab omni specie vanitatis et contentionis honorum et dignitatum, quamvis ecclesiasticarum, fugiant ». *Ratio*: mirum videtur in schemate nihil dici contra contentionem honorum et dignitatum ecclesiasticarum quasi tale malum inter viros Deo vocatione deditos timendum non esset.

7

EM.MUS P. D. LAURENTIUS CARD. JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

1. Pag. 6: prooemium alio modo incipiat. Etenim non convenienter incipitur a verbo « Quamvis » et enumerantur tot loci schematum et constitutionum. Ideo propono: *a*) ut prooemium incipiat his vel similibus verbis: Sancta Synodus de renovanda vita Ecclesiae Christi summopere sollicita partes maximas in hoc renovationis opere presbyteratus ordini assignat, de quo iam pluries quidem in aliis decretis et in constitutionibus agit, sed necessarium insuper duxit, in proprio decreto fusius et profundius de presbyteratu tractare... (cetera ut in textu emendato). *b*) Omnes appellationes vel citationes aliorum decretorum et constitutionum in nota, non in ipso textu apponantur. *Ratio*: est magis psychologica. Non enim convenit textum tantis citationibus et verbo « Quamvis » incipere.

2. Pag. 7, linn. 9-11: doctrinam quidem omnino rectam proponunt, tamen modo minus adaptato pastorali sollicitudini. Ideo propono novum textum ita fere formulandum: « In hac vero missione adimplenda fideles ea proprie consecratione signantur qua in initiationis christianae sacramentis « regio et sacerdotali propheticoque honore perfusi » sunt, dum Christi capitis potestas in corpus suum quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24) hierarchiae ordinibus reservatur, ut in constitutione dogmatica *de Ecclesia* fusius declaratur ». *Ratio*: nova haec formula idem dicit mutato solummodo modo loquendi.

3. Pag. 8, li.n 15: loco verbi « plenitudinem » dicatur « gaudium » vel « hilaritatem spei christianae » vel aliquid simile. *Ratio*: perdifficile videtur, ut sacerdotes « plenitudinem », quam in Domino habent, incredulis ut talibus communicent. Haec formula aliquomodo exaggerare videtur.

4. Pag. 10, lin. 20: loco verbi « profectioresque » dicatur « atque ». *Ratio*: omnes fideles etiam simplices aliquo modo ad praxim mentalem alliciendi sunt. Verbum « profectiores » forsan non recte intelligitur.

5. Pag. 10, linn. 21-22: loco textus « necnon... exercendorum » potius dicatur: « Spiritum vivum fidei verbi Dei praedicatione foventes fideles ad consiliorum evangelicorum consuetudinem disponant modo cuique congruo exercendorum ».

Ratio: ne nimis subita et improvisa haec introductio consiliorum evangelicorum appareat.

6. Pag. 10, lin. 36: deleatur verbum « primum ». *Ratio*: pulchra haec et vera elementa ne appareant quasi necessario ordine chronologico vel temporali enumerata.

7. Pag. 23, lin. 18: loco verbi « cotidie » dicatur « frequenter », vel « semper », vel « perenniter », vel « perpetuo » vel aliquid simile. *Ratio*: ne videamur sacerdotibus obligationem imponere *cotidie* sacram Missam celebrandi, quod esset contra Codicem Iuris Canonici et contra antiquissimam consuetudinem Ecclesiae.

8. Pag. 27, lin. 14: post verbum « fugiant » inserentur haec fere verba: « Memores sint ea omnia quae possidentur obligatione sociali caritateque erga egentes moderari debere ». *Ratio*: ut aliquid dicatur de sic dicta « hypotheca sociali » omni possessioni privatae incumbente.

9. N. 15 textus emendati melius ponatur statim post n. 13. *Ratio*: cum n. 13 de sanctitate sacerdotali agat, n. 15 convenienter adiungitur.

De cetero textus emendatus magnam laudem meretur, quae eius auctoribus humanissime reddatur.

8

Em.mus P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. On a bien fait de traiter du prêtre sous le triple aspect gouvernement, sanctification et pastorat avec le triple rôle de l'Evêque: pascere, regere et sanctificare, qui est le triple rôle du Christ lui-même.

2. Le Prooemium est plein de doctrine théologique et d'estime de l'état sacerdotal. Il fallait cela pour donner aux prêtres eux-mêmes le sens de la dignité dont ils sont revêtus et le sens de la responsabilité qu'elle comporte: pour donner aussi aux Evêques le même sens de l'attention aux besoins spirituels de leurs prêtres.

3. Les nn. 1 et 2 sont riches. Il faut les maintenir tels quels. Je loue dans le n. 2 le fait d'avoir mis en relation la parole écrite et prêchée avec la Parole eucharistique. N'aurait-on pas pu, par une petite allusion, indiquer ici que l'homélie à la Messe, loin de distraire de l'unité du S. Sacrifice, en est une partie intégrante.

Par ailleurs, à la ligne 17, p. 8, on a bien fait d'attirer l'attention des prêtres sur les questions actuelles de notre monde. Ce qu'exigeaient les Schemas sur la formation cléricale et sur l'Eglise devant le monde.

4. Dans le n. 1, p. 7, j'arrêterai la phrase après « habeat » et je commencerai la phrase suivante comme suit: « unumquodque *vero* » en supprimant le *sed* qui n'a pas ici de raison d'être.

Par ailleurs le « proprie dictam » de la ligne 10, p. 7 n'est pas nécessaire. Le fidèle n'a aucun pouvoir d'autorité (Christus Caput) sur le Corps du Christ qui est l'Eglise. D'autant que le texte le dit plus bas (ligne 23, p. 7; ligne 16, p. 7) que l'Evêque seul a ce pouvoir.

Je crois, enfin, qu'une meilleure et plus logique organisation des paragraphes

2 et 3 de la page 7, lignes 14-40 serait désirable. Il y a plusieurs réalités mélangées. Mais la doctrine est sûre et pacifiante pour les âmes des prêtres.

5. Le n. 3 est à refondre. Tout en en gardant les bonnes idées qui y sont développées, les réorganiser en unifiant l'exposé. On y note p. e. les répétitions suivantes: p. 8, ligne 40 et p. 9, ligne 29; lignes 35, 36 de la page 8 et lignes 5 et 6 de la page 9.

Je voudrais qu'on insistât dans ce numéro sur le lien très grand entre la science théologique et scripturaire et les sciences humaines que le prêtre doit posséder dans la mesure du possible pour son apostolat, éclairées et vivifiées par l'Ecriture Sainte et par la réflexion dogmatique.

6. Le dernier par. du n. 4 (p. 10, lignes 23-28) est composite. La question de la propreté de la Maison de Dieu est à mettre ailleurs et non pas avec la formation du prêtre. Elle peut faire partie de quelques considérations pratiques rassemblées à la fin de ce Schema.

7. Le n. 5 est bon, mais un peu prolixe. Il faudrait y regrouper les idées et lui donner plus de force de concision.

Cependant à la ligne 17 de la page 11, là où le texte parle de la confession et de la direction spirituelle, on pourrait peut-être insister sur la psychologie dont le prêtre doit se servir dans les exhortations qu'il prodigue et dans les exigences du Christianisme qu'il doit expliquer sans compromission.

Le n. 5 fait bien de demander au prêtre de développer chez les fidèles le sens de la personnalité et de la communauté (p. 11, lignes 3-5). Mais n'aurait-on pas pu ici-même introduire ce qui sera dit plus tard et qui paraît comme une répétition (p. 11, lignes 27-28)?

De plus ce n. 5 fait bien aussi d'affirmer que la véritable communauté paroissiale à laquelle doit travailler le prêtre est la communauté eucharistique qui se forme autour de l'autel.

Avant d'insister sur l'action missionnaire et l'esprit catholique dans la formation que le prêtre doit donner aux fidèles, le texte aurait pu noter tout d'abord la mission de l'Eglise qui est proprement la mission du Christ, qui se spécifie en telle ou telle activité.

8. Le n. 6 insiste, avec raison, me semble-t-il, sur la nécessité de ranimer constamment dans le prêtre le sens de l'étude et de l'information.

L'on pourrait mettre le 3° par. de ce numéro (p. 12, lignes 25-57) avant le 2° par. (p. 12, lignes 17-24).

Je loue le souci qu'a ce Schema de la formation permanente et progressante du prêtre d'aujourd'hui.

La formule de la fin du 2° par. (p. 12, lignes 22-24: ut... valeant), pourrait clore tout le n. 6, parce que tous les enrichissements qui y sont demandés doivent aboutir au même but.

L'on pourrait peut-être demander aux prêtres de noter quotidiennement dans un journal leur expérience personnelle spirituelle ou apostolique. Cela serait pour eux un moyen de se préciser les idées et pour les autres, si cela devait être publié, l'occasion d'édification. Bien des livres de spiritualité publiés de notre temps ne sont que les réflexions écrites au jour le jour par leurs auteurs et qui dénotent une attention nette à leur expérience intérieure, p. e. le journal du P. Verny, du P. Valensin, du P. Lyonnet, etc.

9. Le n. 7 est très beau par les idées qui y sont développées. Mais les répétitions le rendent un peu prolixe. Il faudrait donc le reprendre et en supprimer ce qui est à supprimer. Par ex.: on y parle à deux reprises de l'unité de la mission à laquelle participent ou doivent participer les prêtres (p. 13, lignes 1-3 et p. 15, lignes 15 et 16).

Par ailleurs ce texte fait bien de donner aux prêtres le sens de leur mission universelle dans l'Eglise, par delà leur paroisse et à travers leur paroisse qui fait Eglise particulière autour de l'Eucharistiae.

La note d'amitié entre l'Evêque et ses prêtres est à confirmer davantage. On pourrait peut-être insister sur des réunions périodiques dans lesquelles l'Evêque voit tous ses ouvriers apostoliques, écoute leurs desiderata et oriente leur travail, précise leur expérience.

10. Le n. 8 dénote une grande charité qui doit régner entre les prêtres du monde et du même pays. Les points auxquels y est fait allusion méritent toute attention: relation des jeunes et des vieux, relation des uns et des autres dans les différentes œuvres, etc.

On aurait avantageusement insisté aussi sur le devoir de prières des prêtres les uns pour les autres. Cet apostolat de la prière du prêtre est de tout point capital pour la sanctification du sacerdoce dans le monde.

Une insistance sur le devoir d'une pastorale d'ensemble: ce qui ne libère pas le prêtre de la solitude seulement, mais l'arc-boute sur son frère dans le sacerdoce pour un meilleur rendement.

11. Le n. 9 précise certains points importants, p. e. le droit qu'ont fidèles sur les prêtres pour qu'ils leur donnent les biens spirituels nécessaires à leur salut, les grâces de vie spirituelle que les prêtres doivent reconnaître et estimer chez les laïcs.

Il me semble que avec les différents points rappelés dans ce texte, il reste à dire que les prêtres ont à engager fortement les fidèles dans la mission de l'Eglise, à travers le travail de la paroisse, à leur confier des responsabilités, à ne pas étouffer leurs initiatives. Ce point est important. Il n'y est pas fait allusion. C'est là où le laïc sentira que son rôle n'est pas seulement dans l'administration temporelle, ce n'est pas non plus seulement de donner des avis, mais d'agir, de s'engager dans la mission de l'Eglise, à sa place et à son niveau: ce que d'ailleurs a dit le Schema *de Ecclesia.*

La citation de *Phil.* 4, 8 est tout à fait à sa place, étant donné que les prêtres ne peuvent être absents d'un monde qu'ils doivent sanctifier en en assumant tout le bien.

12. Le début du n. 10 se trouve déjà plus ou moins développé dans les nn. précédents.

On aurait pu y ajouter que les Evêques qui envoient des prêtres dans les diocèses moins bien nantis, doivent les choisir parmi les meilleurs pour qu'ils soient à même de travailler à susciter des vocations. Cette remarque peut s'ajouter à la page 20, après la ligne 12.

13. Le n. 11, me semble-t-il, est nécessaire ici. Les idées qui y sont développées feront du bien. On aurait pu, cependant, insinuer que le prêtre accomplit aussi sa mission d'Eglise en suscitant les vocations sacerdotales. Il est de son devoir ou plutôt de la nature même de sa vocation, portant la sollicitude de toute

l'Eglise, de veiller à ce que le Règne de Dieu sur terre ne manque pas d'ouvriers apostoliques. Cela aurait aidé à voir les liens qui existent entre le prêtre et la vocation à susciter. Il me semble qu'il y a un lien étroit sur le plan justement de la sollicitudo omnium ecclesiarum entre sa vie et le fait de susciter des vocations.

Par ailleurs, on pourrait dire qu'il y a là aussi un lien de paternité sacerdotale que d'enfanter de nouveaux ouvriers au Règne de Dieu qui se construit.

14. Le n. 13, en parlant de la vie du prêtre et de sa triple charge qui requiert la sainteté, aurait pu d'une façon ou d'une autre parler de la prière, de l'esprit d'oraison qui est fondement essentiel de toute construction spirituelle et qui est inséparable de la charité dont le texte parle à la page 23, ligne 33. Charité et prière sont deux fondements de la vie spirituelle. Cette prière dont je parle peut s'enraciner dans la récitation de l'Office divin, mais elle est aussi par delà.

15. Dans le premier par. de la page 24, le n. 14 reprend différents développements déjà faits plus haut (cf. lignes 9-12, p. e.).

De plus le texte fait bien de centrer la vie du prêtre sur le saint Sacrifice de la Messe et de ne faire de cette vie qu'une vie unique dans son double aspect apostolique et cultuel.

Cependant on aurait pu insister davantage sur le sens du sacrifice, de la mortification dans la vie du prêtre pour une plus grande efficacité de son travail apostolique. C'est cette mortification qui l'unira au mystère rédempteur. Ce sens du sacrifice pourrait sanctifier la vie du prêtre et la rendre témoignage vivant pour les fidèles.

16. Ce qui est dit au n. 15 du célibat et du mariage est juste et équilibré.

Cependant le texte en énumérant les moyens de préserver la chasteté (p. 26, lignes 32 sq.), pourrait ajouter la prière. Et il pourrait de même redire que la chasteté est un libre choix et un engagement personnel.

17. Le n. 16 rappelle quelques moyens qui favorisent la vie intérieure du prêtre. Il y en a d'autres. On aurait pu dire d'un mot qu'il y en avait d'autres selon l'inspiration du Saint Esprit et la lumière de ses grâces. Cela favoriserait la liberté de l'âme.

18. On fait bien de parler des bénéfices dans le n. 17 dans la section qui traite de la vie du prêtre. On aurait pu laisser cette question à la Commission de droit canon. Mais l'histoire nous apprend qu'elle fut pour beaucoup dans la vie des prêtres et dans la diminution de la spiritualité de ceux qui devaient être détachés de l'argent. Il importe hautement donc qu'une réflexion soit faite à son propos.

Cependant on ferait bien d'attirer l'attention à la situation difficile de certains prêtres dont la pauvreté acceptée en esprit de sacrifice est salvatrice, mais dont le poids se fait sentir parfois comme un martyre.

19. L'insistance du n. 19 sur la nécessité pour les diocèses riches de constituer une caisse commune afin qu'ils viennent en aide aux diocèses pauvres est la bienvenue. Rattacher cela aux traditions de la primitive Eglise c'est nous remettre en un contact bienfaisant avec les sources.

Je ne sais pas s'il ne faut pas étendre le bienfait de ces caisses à aider certaines vocations pauvres qui ne peuvent pas éclore faute de moyens financiers. Dans le par. 11 de ce Schema, on pourrait peut-être y faire allusion ou encore mieux ici.

Réflexions générales: 1. Je changerai l'organisation de la première partie du

Schema. Les numéros seraient ordonnés comme suit: 1, 2, 4, 5 (on aurait ainsi uni la triple fonction du prêtre) 3, 6, 7, 8, 9, 10, 11.

2. Quant à la seconde partie, il serait peut-être plus logique de suivre l'ordre suivant: 12, 13, 16 (les moyens de la sainteté à mettre après l'exposé sur la sainteté du prêtre) 14, 15, 17, 18, 19, 20.

9

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Ad prooemium. Mihi videtur valde necessarium ut a principio eluceat valor transcendens presbyteratus in explanatione satis ampla ac profunda, sicut in aula rogabat em.mus card. Lefebvre, arch. Bituricensis.

Nam sunt non pauci laici qui non vident veram praestantiam officii sacerdotalis per respectum ad apostolatum laicalem, nunc revera bene commendatum, et sunt etiam plures sacerdotes qui dubitant plus minusve de efficacitate eorum ministerii.

Ad n. 2. Videtur necesse est magis instare supra officium obedientiae quod est practice medium authenticum et necessarium verae caritatis sacerdotalis et praecise commendare disciplinam in re liturgica et in re pastorali. Secus ligamen « presbyterii » remanet in verbo et affectu. Magni momenti speciatim est ut sacerdotes non credunt parochias vel officia esse pro eis, sed bene cogitant quod sunt sese ipsos ad officia et parochias. Ergo si sacerdos habet aliquem sensum missionarium, quod pendet a sacerdotio ipso christiano quanquam non exercetur in regionibus longinquis et inter paganos, numquam reluctantiam praebet si suus episcopus, pro bono animarum, illum mittit ad aliam functionem melius proportionatam.

Ad n. 10. Notio beneficii clarius adhuc deleatur.

10

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Proponitur sequens distributio totius schematis:

Prooemium.

I. *De natura presbyteratus*: De natura presbyteratus (1).

II. *De presbyterorum ministerio*: Presbyteri, verbi Dei ministri (2).
Presbyteri, Sacramentorum et Eucharistiae ministri (4).
Presbyteri, populi Dei rectores (5).

III. *De presbyterorum vita*: Peculiaris exigentia sanctitatis in vita sacerdotali (12).
Triplicis muneris sacerdotalis exercitium sanctitatem requirit ac fovet (13).

Media ad vitam interiorem fovendam (16).
De castitate perfecta ceterisque consiliis evangelicis (15).
De unitate et harmonia vitae presbyterorum (14).
De scientia presbyterorum sacra (3).
Scientia et ars pastoralis (6).
De habitudine inter episcopos et presbyterium (7).
Confraternitas et cooperatio inter presbyteros (8).
Presbyterorum cum laicis conversatio (9).
Apta presbyterorum distributio (10).

IV. *De attentione spirituali et materiali presbyterorum*: De cura ab episcopo sacerdotibus praestanda (*numerus novus*).
Aequa remuneratio presbyteris providenda (17).
De recto usu bonorum (18).
Praevidentia socialis in favorem presbyterorum (19).

V. *Exhortatio finalis.*

Ratio mutationis: Proponitur haec nova distributio eo quod iudicatur magis logica et didactica quam distributio schematis. Item omittitur n. 11 qui agit, « de vocationibus sacerdotalibus », eo quod de hoc themate expresse ac ampliori modo tractatur in schemate *de institutione sacerdotali.* Item proponitur novus textus: « De cura ab episcopo sacerdotibus praestanda », qui textus his vel similibus verbis redigi potest: « De cura ab episcopo sacerdotibus praestanda »: « Episcopi propriae caritati pastorali specialiter commendatos sciant presbyteros, qui missioni suae episcopali per sacram ordinationem incorporati sunt. Ipsis episcopis nihil maioris esse debet momenti nec magis in corde sit quam necessitatibus animae et progressui spirituali suorum sacerdotum efficaciter occurrere et omnia illa media iisdem praebere, quae necessaria vel valde utilia ad hoc aestimantur.

Talia esse possunt, tum memorati cursus renovationis spiritualis et pastoralis, praesertim qui ad utilitatem sacerdotum iuvenum instituantur, deputatio pro unaquaque dioecesi aliquorum virorum prudentia, zelo et sanctitate conspicuorum, qui amicitiam, solamen, consilia ac directionem spiritus presbyteris dioecesanis ultro offerant, recessus spiritualis institutio in variis regionibus dioeceseos aliaque similia ».

De episcopo et suo presbyterio. Illud quod, meo quodam iudicio, in primis opus est ad hoc schema perpoliendum, est data opera declarare quid doctrinaliter sentiendum sit de relationibus episcopum inter et suum presbyterium. Quod schema, n. 7, pag. 12-15, minime praestat. Censeo autem praedictam declarationem opportunam, immo necessariam esse ad praecavenda incommoda cum theoretica tum practica, quae ne secus scateant, iure meritoque timendum est.

Quae cum ita sint, liceat efferre principium doctrinale quo accurate determinari possunt huiusmodi relationes episcopi cum suo presbyterio. Fundamentaliter idem esse debet atque illud quod effertur nota explicativa praevia, Patribus Concilii Oecumenici Vaticani II sub finem III sessionis Superiore Auctoritate communicata, ad cuius mentem atque sententiam explicari et intelligi debet doctrina in cap. III constitutionis dogmaticae de Ecclesia contenta, de relationibus collegii episcopalis ad Successorem Petri.

I. Presbyterium non intelligitur collegium sensu stricte iuridico, scil. de

coetu aequalium, qui potestatem suam praesidi suo demandarent, sed de coetu stabili, cuius structura et auctoritas ex Revelatione deduci debent.

II. Aliquis fit membrum presbyterii vi consecrationis presbyteralis et communione hierarchica cum presbyterii Capite atque membris.

III. Presbyterium seu collegium presbyterale sine episcopo, ut capite, non datur, qui integrum servat suum munus episcopale.

IV. Episcopus, utpote verus pastor Ecclesiae particularis, suam potestatem omni tempore, independenter a presbyteris, exercere potest, sicuti ab ipso suo munere requiritur.

In omnibus autem apparet quod agitur de coniunctione hierarchica presbyterorum cum episcopo suo, nunquam vero de actione presbyterorum independenter ab episcopo.

11

EXC.MUS P. D. IOSEPH ATTIPETTY

Archiepiscopus Verapolitanus

1. N. 1: *De natura presbyteratus*: In hoc numero intenditur explanatio naturae presbyteratus, proinde referre deberet ius divinum clare et dogmatice. Indoles ipsius decreti conciliaris hoc exigere videtur. Medulla huius numeri deberet esse *sacramentum presbyteratus,* ordinatione enim homo constituitur sacerdos. Licet textus dicat hoc plus minusve, textus clarius deberet redigi ut iam ex lin. 20, pag 7. Porro quando dicitur: « Et ideo quosdam inter fideles, unctione Spiritus speciali modo sibi consecrat sacerdotes... » verba videntur sufficienter clara pro nobis qui unctioni sacramentali sumus assuefacti in ritu latino et verba S. Leonis perfecte intelligimus; sed non accidit idem cum Orientalibus qui unctione non utuntur in sacramento conferendo, et verba S. Scripturae symbolice intelligunt. Non possent verba hic adhibita a posteris intelligi sensu mere charismatico?

2. N. 2. Expositio munerum sacerdotalium magis logice posset fieri. Prima activitas sacerdotalis est ea respiciens *cultum Dei.* Non puto sufficiens facere mentionem inter annuntiationem verbi Dei et Liturgiam. Oportet ut hoc munus praecipuum sacerdotale etiam primum appareat in tractatu de ministerio sacerdotum. Tam sub aspectu theologico quam sub aspectu pastorali hoc habet momentum. Ut dicitur in *Act.* 6, 4: « Nos vero *orationi* et ministerio verbi instantes erimus ». Primo orationi, postea verbo. Ergo possumus hunc ordinem sequi. Quando loquitur de Apostolis eorumque successoribus ordo diversus commendatur in expositione ex natura eorum missionis, sed de presbyteris placet ordo logicus exsurgens ex natura presbyteratus qui confertur primo ad cultum. In expositione ministerii verbi, posset aliquid dici de notis essentialibus praedicationis christianae: *a*) Christologica, *b*) apostolica, *c*) ecclesiologica, soteriologica, pneumatica, paedagogica.

3. N. 4. Ut dixi supra hoc munus sacerdotale deberet poni primo loco, et expresse dici oporteret huiusmodi munus esse praecipuum munus sacerdotale et omnes sacerdotes officio teneri acquirendi sensum cultus divini et ipsum communicandi fidelibus in apostolatu.

4. N. 7. Quoad institutionem coetus dioecesani presbyterorum quam episcopus semper audiat in rebus maioris momenti pro regimine dioeceseos, dicendum

puto nimiam democratizationem regiminis dioeceseos non esse opportunam pro vita pastorali. Multum pendet a maturitate sociali regionis. Proinde norma communis pro omnibus regionibus non est opportuna. Nam in quibusdam regionibus ubi vita civilis iam acquisivit huiusmodi maturitatem democraticam, etiam in vita dioeceseos haec methodus democratica aliquantulum potest et debet admitti; sed in regionibus diversae mentalitatis socialis, coetus presbyterorum totum presbyterium repraesentantium difficultates non parvas creare potest episcopo.

12

Exc.mus P. D. FRANCISCUS AYOUB

Archiepiscopus Aleppensis Maronitarum

N. 7, olim Pars n. 2: De habitudine inter episcopos et presbyterium.

Ce terme « Prêtre adulte » fut souvent employé, pendant le débat sur la matière du schéma en question. Mal compris ou mal interprêté, il provoquerait, chez le prêtre des conceptions et des attitudes équivoques graves. Il faut les prévenir en précisant le vrai sens du terme.

1. Le prêtre adulte ne veut nullement dire un prêtre autonome ou indépendant; un tel prêtre ne pourrait pas prendre place dans le presbyterium; il serait gêné et il gênerait. En dehors du presbyterium, son rôle est inexplicable.

Choisi par le Seigneur, pour être le collaborateur de son évêque, il lui revient de mettre toutes ses disponibilités au service de la cause confiée, par le Seigneur, aux apôtres et à leurs successeurs: le message du salut. Il ne peut plus, par lui-même, faire des réserves sur ses services, ni prendre un engagement qui prélèverait sur ses disponibilités. Le Seigneur, pour le presbyterium, le veut entièrement et compte sur toutes ses capacités. Seul, l'évêque peut juger si telle autre occupation à faire en dehors du presbyterium, sera plus utile à la cause du Seigneur et lui permet de l'autoriser et de l'approuver à l'entreprendre.

Les membres des sociétés humaines dans le monde ont eux aussi à agir en adultes dans leurs entreprises; mais la discipline générale exige qu'ils ne s'y comportent ni en autonomes, ni en indépendants; s'ils n'harmonisent pas leurs activités avec les responsables et les autres membres de l'entreprise, ils créent l'anarchie et le débacle. Combien est plus grave la conséquence du prêtre indépendant.

2. Etre adulte veut, par contre, chez le prêtre, exprimer la prise de conscience de toutes ses responsabilités, vis-à-vis de la cause à laquelle il a été appelé, à laquelle il s'est librement engagé et pour laquelle il lui revient de pleinement se dévouer. Cette cause lui devient propre; elle sera, pour autant réalisée qu'il s'y dévouera de tout son cœur.

Naturellement, il s'acquittera de ses devoirs, sans avoir besoin que de sa conscience pour être rappelé à l'ordre. Son action traduira la pensée, le programme du presbyterium représenté par l'évêque, et non ses propres pensées ou ses intérêts. Il ne fera rien qui contredirait ses directives et aucune de ses initiatives ne sera entreprise, sans que préalablement elle ait obtenu son consentement.

Le prêtre, membre du presbyterium, n'oubliera pas, non plus, la présence de ses confrères dans la même institution; et loin de les ignorer ou de les contrarier, mettra à contribution leurs possibilités, pour avancer la cause du Seigneur.

Tel prêtre ne sera pas à côté de l'évêque, mais son alter ego dans le presbyterium; il partagera ses préoccupations; dans ses méditations et ses prières, il trouvera les initiatives capables de résoudre les problèmes qui se posent; il ne se sentira pas étranger au presbyterium, mais bien plus, il se rendra compte qu'il est plutôt membre de la famille et travaillera, dans une joie communicative, la besogne de l'ouvrier bon et fidèle dont le Seigneur sera lui-même sa récompense.

13

EXC.MUS P. D. IOANNES BADRÉ

Episcopus tit. Aquaenovensis in Proconsulari, aux. Parisiensis

In oboedientia Domini docentis, cum « facta est contentio inter discipulos quis eorum videretur esse maior », quia « Reges gentium dominantur eorum... Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis fiat sicut minor et qui praecessor est sicut ministrator... Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat » (*Lc.* 22, 24-27) necnon constitutionis *Lumen gentium* sub lumine, tum in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* cum in altero schemate *de ministerio et vita presbyterorum* principaliter verbis servitii servorum Dei et secundario tantum notionibus potestatum res exponendas praesenti tempore, opportunius exprimi mihi videtur. Consideratio ergo sit bonorum communium potius quam horum vel illorum iurium.

Tam enim in naturae ordine quam in vita Ecclesiae potestas constituitur et ordinatur ad bonum commune conservandum et promovendum. Dispensatio igitur tam officiorum quam operum de die in diem cogitari et explicite definiri debeat in ordine ad bona communia tam dioecesanarum vel nationalium ecclesiarum aut etiam minorum quam totae ecclesiae Christi. Ecclesia enim efficacitatem habet spiritualem suam et decorem tum ex hierarchia corporum intermediariorum cum ex diversitate gentium, nationum, linguarum et culturarum. Foecundae huius doctrinae de profanis societatibus, a novissimis supremis pontificibus datae, ab ipsa Ecclesia suis propriis finibus promovendis dandum est mutatis mutandis exemplum.

Auctoritas spiritualis enim non minuitur sed maior se demonstrat cum per causas medias subditos movet et cum verbis factisque potestates suas monstrat medios tantum esse ad servitium animarum.

Ad problemata ergo vitae ecclesiarum solvenda viae delineandae sunt non ut quaestiones conflictuum potestatum solo iure solvendae (quot conflicti iuris imbecilles vires ecclesiarum per saecula praeterita effecerunt!) sed ut coaptationes diversorum mediorum et coadunationes bonorum communium seu peculiarium inter se, seu superiorum cum inferiorum definiendae.

Utinam verbis servitii quaestiones istae ponentur et ultimo tantum ad iuris solutiones recurretur. Tam facile enim, sub iuris velamine, considerationes personarum et necessitatum animarum oblivio larve progrediantur pedetentimque, moribus saecularibus, in conflictus potestatis et ambitionis cadunt.

Valde optandum est ut prooemia, ad minus, amborum schematorum ad modum moniti spiritualis ad officia in primis spiritualiter consideranda scripto erint. In iis ergo ambis sic scriptis schematis unusquisque tam presbyter quam episcopus tanquam in speculo se poterit inspicere ad modum religiosorum diurna et nocturna

manu regulas suas valuentes ad meliorem vitam degendam et suos officios melius peragendos.

Periculum non parvum in mundo praesentis temporis est solitudo presbyteris vel etiam episcopi inter paganos mores degentes et ab aliis servis Dei saepe separatorum. Si tamen decreta ambo illa auribus eorum sonus vocis matris Ecclesiae veritatem Christi in mentes revocantis erint medium electum habuerint ad gratias sapientiae et fortitudinis in pugna pro Christo et Ecclesia recipiendas et fructificandas.

In schem. III, pag. 10, n. 12, 3[a] alinea, lin. 25.

Glossa: Cum de christianis rebus agitur, valde inconveniens est vocabulo pagano uti, scil. verbo « indigito ». Hoc enim verbum praecipue invenitur cum de idolatriis ritibus tractatur, sicut Tertullianus in libro *De ieiunio* 16, 5.

14

Exc.mus P. D. CANDIDUS BAMPI

Episcopus tit. Tloensis, aux. Caxiensis

Liceat mihi, consilio aliquorum Superiorum, Directorum et piorum sacerdotum qui confratrum suorum spirituale bonum et apostolicum in vinea Domini zelum sincere quaerunt, hos humillime proponere modos seu considerationes.

N. 2, pag. 8, lin. 11. Dicit textus: « Presbyteri ergo ab Ecclesia in ministerium sacrum... assumuntur, in praedicatione Evangelii ». Constitutio dogmatica Ecclesiae iam promulgata, affirmat sacerdotes: « vi ordinationis a Deo consecrantur ad Evangelium praedicandum... ». Nonne etiam hic melius esset ad mentem revocare id quod constitutio *de Ecclesia* tam clare manifestat, ne videatur ex hoc schemate sacerdotes praedicare Evangelium unice ex delegatione Ecclesiae et non ex institutione et voluntate Christi?

N. 4, pag. 9. Nonne etiam in hoc numero clarius et maiori cum evidentia describendum esset vocationem sacerdotalem esse reapse divinam et ex parte Dei obiectum specialissimum praedilectionis? Hic enim conceptus, idest quod vocatio donum est extraordinarium Dei et quod nemo potest esse sacerdos nisi a Deo vocatus, nullibi sat clara luce sacerdotibus videtur esse propositus.

N. 4, pag. 9. Titulus est: « Sacerdotes Sacramentorum et Eucharistiae ministri ». Pro celebratione Eucharistiae multae consecrantur lineae, praeter ea quae in constitutione *de Ecclesia* habentur. Quid vero de altissimo, perdifficili et summae necessitatis Sacramenti Poenitentiae ministerio et de hac divina sacerdotis potestate? In hoc schemate nec ullum verbum explicitum, et vix brevis nominatio in constitutione dogmatica *de Ecclesia*! Aliquae saltem lineae, quae hanc sublimem dignitatem sacerdotis extollant, ministeriumque confessionum ut vero et supernaturali zelo exerceatur enixe commendent, videntur non solum opportunae, sed necessariae. Aliqua etiam verba quoad cetera Sacramenta, quae commonstrent dignitatem et sublimem potestatem sacerdotalem, videntur omnino ad rem, pro sacerdotum exhortatione et consolatione, eo vel magis quod tam sublimem potestates confirmatam vel collatas invenimus a Concilio vel a Sancta Sede, quoad Confirmationem.

N. 5, pag. 10. Titulus huius numeri est: « Presbyteri populi Dei rectores... ». Hic numerus agit de tertia sacerdotum missione, de qua aliquid etiam dicitur in constitutione dogmatica *de Ecclesia,* ubi sacerdotes nominantur « Pastores animarum ». Attamen in toto hoc numero, in quo tanta tamque diffusa dicuntur, sacerdos nunquam denominatur titulo pastoris vel rectoris. Praeterea haec diffusa descriptio de missione pastorali in hoc numero contenta, aliquid omittit, quod meo humili iudicio, valde desiderandum est: « descriptio, nempe, vividior, clarior altissimae missionis sacerdotalis, missio, nempe, sacerdotis, ut est Pater, Rector et Pastor animarum... ».

N. 7, pag. 13, lin. 7. Episcopi illos habeant ut veros adiutores in ministerio et ut consiliarios in munere docendi. Haec verba maiori logica cum sequentibus verbis unirentur: « ut adiuvet et gubernet populum in corde puro », si diceretur: « Episcopi illos habeant ut veros adiutores et consiliarios in ministerio docendi, sanctificandi et regendi populum Dei ».

N. 8. Valde opportunum esset, meo humili iudicio, si in hoc textu clarius et explicitius declararetur: « omnes sacerdotes vi ordinationis teneri in apostolatu salvationis animarum adlaborare, et ideo ad veram cooperationem in ministerio apostolico ». Quot sacerdotes adsunt magistri et praeceptores scientiarum profanarum, qui ministerium pro salute animarum effugiunt. Melius ita certe remunerantur; sed non audiunt clamorem piorum saecularium dicentium: « Episcopus et sacerdotes magnis vocibus praedicant multiplicandas et adiuvandas esse vocationes sacerdotales ». « Ma i sacerdoti sono anche troppo numerosi, ... Strappano il pane dalla bocca dei nostri maestri e professori laici ».

N. 10. Titulus actualis est: « Apta presbyterorum distributio ». Et bene quidem. Nihil clarius. Sed datis omnibus explicationibus et exhortationibus in textu contentis, nonne pulchrius et sacerdotibus iucundius esset si prior servaretur titulus, nempe: « Sacerdotum sollicitudo omnium animarum ». Sed de gustibus non disputatur. Et titulus iam mutatus est...!

N. 16. Post tot documenta pontificia, et non obstantibus tot exercitiis spiritualibus etiam publicis erga Sacratissimum Cor Iesu, fontem totius vitae et sanctitatis, mirum quidem omnino est quod Concilium de Corde Iesu, formaliter consideratum ut Cor, symbolum caritatis, nihil omnino dicat. Notum etiam est saltem in nostris regionibus fidelem populum magnam enutrire pietatem erga amantissimum Cor. Non desunt tamen innovatores, fidelem populum ab exercitiis erga Divinum Cor avertentes et ea quae ab Ecclesia de doctrina et devotione erga SS. Cor quasi despicientes, sicut etiam fit de pietate erga Virginem Matrem Dei et nostram. Concilium ipsum Oecumenicum ab ipsis invocatur ad suas opiniones defendendas in his et aliis similibus casibus. Ad fovendam et firmandam sacerdotum et fidelium pietatem et vitam spiritualem, cur non adderentur huic textui aliqua saltem verba de Corde Iesu, totius gratiae et sanctitatis fontem, ut exercitium quod magni faciendum est a sacerdotibus. Ita, v. g. in lin. 20: Magni tandem facient devotionem erga Sacratissimum Cor Iesu, omnis sanctitatis fontem, habitualia exercitia ab Ecclesia commendata, tam publica quam privata omni zelo et sollicitudine promoventes, ... et sequentur quae hic de Beata Virgine Maria dicuntur.

15

EXC.MUS P. D. ALFONSUS GERARDUS BANNWARTH
Episcopus Suessionensis

Novum schema *de ministerio et vita presbyterorum,* tam in sua divisione quam in sua explicatione, in genere valde bonum est. In quibusdam vero videtur perfici posse. Liceat ad hunc finem sequentes emendationes proponere:

1. Pag. 7 post lin. 42 vel pag. 11 in par. 1, lin. 3-25: Opportunum esset aliquid explicitius et clarius dicere de relatione sacerdotii ad episcopum et ad Ecclesiam, secundum id quod habetur in const. *de Ecclesia,* n. 28, scil.: « In singulis localibus fidelium congregationibus episcopum... quodammodo praesentem reddunt eiusque munera et sollicitudinem pro parte suscipiunt et cura quotidiana exercent. Qui sub auctoritate episcopi portionem gregis dominici sibi addictam sanctificant et regunt, Ecclesiam universalem in suo loco visibilem faciunt et in aedificando toto corpore Christi validam operam afferunt ». Forse hic textus posset hoc loco iterum poni.

2. Pag. 12, n. 6, lin. 8: omnino aliquid addi deberet de formatione apostolica. Ideo post « ascetica » addatur « de educatione ad apostolatum vel de aptissimis formis et methodis apostolatus, de sociologia etc. ».

3. Pag. 12, n. 7, initio: Utiliter hic, ad maiorem claritatem et praecisionem, resumatur idea presbyterii ex const. *de Ecclesia,* n. 28. Nam haec idea pro spiritualitate sacerdotali maximi momenti est.

4. Pag. 18, inde a lin. 28: hoc loco omnino explicite loquendum esset de urgentissimo officio educationis et formationis laicorum, et quidem inde a iuventute, ad apostolatum et ad sensum suae responsabilitatis christianae in diversis campis suae vitae: in familia, in professione, in ambitu sociali etc. Sic appareret etiam melius nexus cum cap. IV const. *de Ecclesia* et cum schemate *de apostolatu laicorum.*

5. Pag. 21, linn. 17-25: Hic etiam opportune loquendum esset de necessaria cooperatione presbyterorum cum organismis dioecesanis (sive sit commissio vocationum sive centrum vocationum) qui, ubi adsunt, maxime conferunt ut actio pro vocationibus promovendis magis magisque amplificetur et ad effectum ducatur. Simul momentum coordinationis omnium conatuum qui in diversis campis actionis pastoralis ad vocationes fovendas suscitandi sunt, et quidem sub forma quae dicitur gallice « pastorale des vocations », utiliter hoc loco sublineraretur.

6. Pag. 31, n. 30, lin. 22: Hic in fine loquitur schema de spiritu genuine missionario. Nonne, cum patres conciliares tam saepe in aula indolem missionariam Ecclesiae extulissent, aliquid amplius et explicitius de hoc spiritu missionario tanquam participatio Spiritus Christi et Ecclesiae dicendum esset? Sive pag. 7 in fine, sive pag. 12, n. 7 initio, sive forse alio in loco?

16

EXC.MUS P. D. LAUREANUS CASTÁN LACOMA
Episcopus Seguntinus-Guadalajarensis

1. Schematis divisio in duas partes, *de vita et ministerio presbyterorum,* est inadaequata. Melius esset si ita fieret:

I. Prooemium (ut in textu emendato).

II. De natura presbyteratus (1).

III. De presbyterorum muneribus: Ministri verbi (2); Ministri Eucharistiae et sacramentorum (4); Rectores populi Dei (5).

IV. De exigentiis a sacerdotio promanantibus: Peculiaris sanctitatis exigentia (12); Triplicis muneris sacerdotalis exercitium, sanctitatem requirit simul ac fovet (13); Media ad vitam interiorem fovendam (16); De castitate perfecta ceterisque consiliis evangelicis (15); De unitate et harmonia vitae presbyterorum (14); De scientia presbyterorum sacra (3); Scientia et ars pastoralis (6); De habitudine inter episcopos et presbyteros (7); Confraternitas et cooperatio inter presbyteros (8); Presbyterorum cum laicis conversatio (9); Apta presbyterorum distributio (10).

V. De mediis vitae spiritualis ac materialis presbyterorum praebendis: De officio quo Episcopi tenentur efficaciter curandi ut sacerdotes spiritualem vitam colant (addatur); Aequa remuneratio presbyteris praebenda (17); De recto usu bonorum (18); Praevidentia socialis in favorem presbyterorum.

VI. Exhortatio (20).

2. Ad n. 6, pag. 12, linn. 25 ss. Ita textus mutetur: « Considerent opportuniorem efficiendi ut in proprio cuiusque territorio omnes presbyteri, statis temporibus, maxime autem paucos post annos ab eorum ordinatione, frequentare possint cursum completum per aliquos menses durantem, renovationis doctrinalis, spiritualis et pastoralis. *Ratio*: ut modo magis concreto res proponatur, maxime relate ad presbyteros post paucos annos ab eorum ordinatione.

3. Ad n. 8, pag. 17, linn. 8-11. Loco verborum « pariter eorum coniunctio in associationibus piis... habeantur », dicatur: « Ad hos fines assequendos magni praesertim habendae sunt et diligenter fovendae associationes quae per aptam et convenientem approbatam ordinationem vitae et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in mundo degentium fovere intendunt, ac de facto fovent, sicut iam ampla docet experientia et Summorum Pontificum non rara exhortatio confirmat. Quae tamen associationes ut efficaciores evadant, sub dependentia proprii episcopi dioecesani existere debent, vel saltem unquam auctoritati ipsius nec contradicant nec illam minuant, atque ullo modo ansam praebeant cuicumque discriminationi inter sacerdotes eiusdem dioeceseos » (cf. S. PIUS X, *Haerent animo*; IOANNES XXIII, *Sacerdotii nostri primordia...*). *Ratio*: res tanti momenti, ut sunt consociationes pro sacerdotibus, non debet absolvi duobus tantum lineis. Praeterea relatio episcopi ad has consociationes, et habitudo earum ad episcopum, debent clariori luce illuminari quam in textu emendato.

4. Ad n. 12, pag. 22, linn. 17-23, proponitur sequens additio: « Praeterea

quamvis servi inutiles sumus (*Lc.* 17, 10) et quamvis gratia Dei per indignos ministros opus salutis explere potest per effectum "ex opere operato" sacramentorum Ecclesiae, cuius validitas a sanctitate ministri certe non pendet, tamen, sicut praeclare omnibus semper innotuit ex doctrina Domini Nostri (*Io.* 15, 4 ss.) SS. Patrum, constanti abundantique magisterio sollemni SS. Pontificum atque vita sanctorum continuo roboratur, per illos ordinaria lege praediligit Deus mirabilia ostendere qui, dociliores ductui et impulsui Spiritus Sancti facti, ob suam intimam cum Christo unionem et vitae sanctimoniam, cum apostolo dicere possunt... ». *Ratio*: ne unicum argumentum pro maiore fecunditate apostolatus eorum sacerdotum qui sanctiores sunt adducatur « exemplum sanctorum » et ne doctrina RR. Pontificum circa hanc rem videatur praeteriri. Cf. S. Pius X, *Haerent animo,* 2 aug. 1908; Pius XI, *Mens nostra,* 20 dec. 1929; *Ad Catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935; Pius XII, alloc. 12 sept. 1952; *Menti nostrae,* 23 sept. 1950; Ioannes XXIII, *Sacerdotii nostri primordia.*

5. Ad n. 15, pag. 26, linn. 17-19. Proponitur novus textus: « Omnibus ergo presbyteris coelibatus, simul ac Dei donum lex etiam sacratissima est, cui libere ac generose pro Christi Domini ac Matris Ecclesiae amore animarum saluti in sacris ordinibus, gratia divina confisi, sese submiserunt. Haec quidem perfecta castitas, supra modum humanum est (*Lc.* 18, 27); ideoque gratia Dei, qua fideles esse semper possint, tum dono a Deo accepto tum solemni voto ab ipsis emisso coram Ecclesia, perseveranter postulanda est et in humilitate custodienda... ». *Ratio*: si nimis extollitur in castitate quod sit donum Dei, periculum est ne inde conclusio in praxi deducatur: quia ego hoc donum non accepi, non maneo subiectum coelibatui. Voces huic similes nonnumquam hodie audiuntur. Unde, oportet affirmare coelibatum esse sacratissimam legem, libere acceptatam, simul ac Dei donum.

6. Ad n. 16, pag. 28, lin. 14. Inter media ad vitam interiorem fovendam, addatur « annua exercitia spiritualia »; « ... conscientiae discussio, annua exercitia spiritualia, dies recessus spiritualis menstrui... ». *Ratio*: id fuit explicite et enixe postulatum ad pluribus Patribus, et est medium optimum perseverantiae in vita spirituali.

7. Si acceptatur nova ordinatio huius schematis, quam in principio huius voti proposui, in loco ibi indicato, secus vero, post n. 15 textus emendati, haec aut similia addantur: « *De cura ab episcopo sacerdotibus praestanda*: Episcopi propriae caritati pastorali specialiter commendatos sciant presbyteros, qui missioni episcopali per sacram ordinationem incorporati sunt, et providi cooperatores esse debent ordinis episcopalis.

Ipsis episcopis nihil maioris esse debet momenti nec magis in corde sit quam necessitatibus animae et progressui spirituali suorum sacerdotum efficaciter occurrere et omnia media iisdem praebere quae necessaria vel valde utilia ad hoc aestimantur.

Multum ad hoc conferre potest si in unaquaque dioecesi deputentur aliqui viri, prudentia, zelo ac sanctitate conspicui qui amicitiam, solamen, consilia, moderationem pro spiritu presbyteris dioecesanis ultro offerant, integra tamen manente eorum hac in re libertate, ac recessus spirituales sacerdotum in diversis dioecesis regionibus moderentur ». *Ratio*: conscientia in episcopis sacri officii procurandi presbyterorum sanctitatem, est maximi momenti, et valde per hunc vel similem textum foveri potest. Quod autem ad institutionem moderatorum spiritus

pro presbyteris attinet, integra horum manente libertate, a pluribus Patribus postulata est, valde convenit, et nullo modo considerari potest tamquam contrarium libertati spiritus. Est medium, et quidem optimum quod presbyteris, maxime in solitudine degentibus, offertur non autem onus quod iisdem imponitur.

17

EXC.MUS P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

Novus textus multum placet et solummodo quaedam videntur observanda.

Ad naturam textus quod attinet, desideratur ut non decretum, sed constitutio proponatur. Ut patet enim ex multis Patrum interventionibus et ex multis commentariis extra aulam, agitur de quaestione quae nostros sacerdotes intime movet. Oportet ut aliqua solemnitas habeatur in proponenda doctrina de ministerio et vita presbyterorum. Ceterum, in novo textu, non agitur solummodo de disciplina cleri, sed in sensu stricto de doctrina et de spiritualitate cleri.

Pag. 10, linn. 20-22: mentio fiat, non tantum de consiliis evangelicis, sed etiam de beatitudinibus evangelicis, quae adhuc melius spiritum christianum attingunt. Sic insuper attingitur quaestio de « spiritu consiliorum »: expressio haec non raro invenitur in auctoribus, sed difficultatem facit, quae non habetur in expressione « beatitudines ».

Pag. 11, linn. 22-23: referentia ad *1 Io.* 2, 13-14 non videtur ad rem. Saltem non ibi invenitur idea quae a schemate exprimitur.

Pag. 13, linn. 31-32: omnino admitto presbyteros necessarios esse ad adaequatum episcoporum ministerium adimplendum... Sed quaero utrum dici possit missionem successorum apostolorum sine presbyteris *nullo modo* adimpleri posse. Dicatur: adaequate, vel convenienter, vel ut necessarium est, etc.

Pag. 25, linn. 1-5: corrigatur textus iuxta definitivum textum constitutionis *de Ecclesia,* cap. V, n. 39: « proprio quodam modo », loco « peculiariter ».

Pag. 26, lin. 14: an probari potest Ecclesiam coelibatum sacerdotibus commendasse *a primordiis?* Melius diceretur: ab antiquissimo tempore, vel aliud huiusmodi, quod remaneat indeterminatum. Utique coelibatus commendatur a S. Paulo, sed non formaliter presbyteris. Ceterum, caveatur ut adhibeatur vox potius « presbyteri », quia diu vox « sacerdotes » designabat episcopos.

18

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. CIRARDA LACHIONDO
Episcopus tit. Drusilianensis, aux. Hispalensis

I - *Observaciones generales.*

1. *Elementos positivos.* El « textus emendatus » de este Decreto, presentado por la Comisión el día 12 de noviembre de 1964, mejora notablemente las proposiciones sobre el mismo tema en su doble versión: la primera, en forma de diez brevísimas proposiciones, y la segunda, ampliación de las anteriores, presentada

el 2 de octubre del mismo año y que fue devuelta a la Comisión por voto mayoritario en el Aula conciliar para una nueva y mejor redacción.

a) El texto se ha ampliado notablemente y se han desarrollado algunos puntos *doctrinales* muy interesantes sobre el sacerdocio y su naturaleza, apenas insinuados en las dos mencionadas últimas redacciones. No ofrece, es cierto, una teología completa, orgánica, del sacerdocio ni, come se desearía, una profundización en el capítulo de la naturaleza teológica de las relaciones Episcopado-Presbiterado.

b) Se han recogido algunas, aunque no todas, de las enmiendas de carácter práctico por los Padres conciliares dentro o fuera del Aula acerca de los distintos capítulos del esquema, con lo cual también el aspecto *espiritual* y *disciplinar* se ve tratado con mayor amplitud y el texto se ve así notablemente enriquecido.

c) Presenta, por tanto, un programa algo más completo de los *elementos de renovación* de la vida sacerdotal y para una mayor eficacia de su ministerio, tales como los cursos para la renovación espiritual pastoral y cientifica del sacerdote, asociaciones sacerdotales, recomendación de la convivencia y vida común, nombramiento del director de estudios, etc.

En su conjunto el presente Decreto ofrece, con las modificaciones y enmiendas que en él deben introducirse, base para la discusión y para un documento sobre el sacerdocio que puede contribuir a la consecución de los fines pastorales del Concilio.

2. *Elementos negativos* (de carácter general). Aparte algunos de menor importancia, como repetición de conceptos, desigualdad de estilo, etc., debe señalarse como principal elemento negativo que debería corregirse, la estructura interna o sistematización poco afortunada de todo el esquema que se ha escogido para esta última redacción. Es un orden que, si no carece de toda ilación, peca en sí de artificioso y de poco lógico. Defectos que inevitablemente repercuten en la claridad global de la materia tratada.

Después de un breve Proemio, consta de dos Partes, *ministerio* y *vida* del sacerdote, con la siguiente distribución:

Proemio.

1ª. Parte: *Ministerio de los Presbíteros.*

1. Naturaleza del presbiterado.
2. El presbítero, ministro de la Palabra de Dios.
3. Ciencia sagrada de los presbíteros.
4. Los presbíteros, ministros de los sacramentos y de la Eucaristía.
5. Los presbíteros, rectores del Pueblo de Dios.
6. Ciencia y arte pastoral.
7. Relaciones entre Obispos y Presbíteros.
8. Confraternidad y cooperación entre los presbíteros.
9. Trato con los seglares.
10. Distribución adecuada de los presbíteros.
11. Sobre las vocaciones sacerdotales.

2ª. Parte: *Vida de los Presbíteros.*

12. Peculiar exigencia de santidad en los sacerdotes.
13. El ejercicio de la triple función sacerdotal exige y fomenta la santidad.
14. Unidad y armonía de la vida de los Presbíteros.

15. Castidad y los demás consejos evangélicos.
16. Medios para fomentar la vida interior.
17. Justa remuneración de los presbíteros.
18. Recto uso de los bienes.
19. Previsión social para los presbíteros.
20. Exhortación.

Esta división inadecuada (ministerio y vida del sacerdote) obliga a la repetición de conceptos, a tratar de la ciencia del sacerdote ya en el número 3°, como si sólo le fuera necesaria para su ministerio de la palabra y no para todas las demás funciones ministeriales; a tratar separadamente de los medios para la castidad sacerdotal y antes de los medios generales para el cultivo de la vida interior del sacerdote, etc., etc.

Parecería más lógica, razonable y didáctica la siguiente distribución, con las oportunas correcciones en el texto impuestas por la alteración de párrafos:

Proemio.

I. *Naturaleza del Presbiterado* (1).

II. *Funciones del Presbítero*:
— Ministro de la Palabra (2).
— Ministro de los Sacramentos y la Eucaristía (4).
— Rector del Pueblo de Dios (5).

III. *Exigencias del sacerdocio por su naturaleza y sus funciones*:
— Peculiar exigencia de santidad (12).
— El ejercicio de la triple función exige y fomenta la santidad (13).
— Medios para fomentar la vida interior (16).
— Castidad y los demás consejos evangélicos (15).
— Unidad y armonía de la vida de los presbíteros (14).
— Ciencia sagrada de los presbíteros (3).
— Ciencia y arte pastoral (6).
— Relaciones entre Obispos y Presbíteros (7).
— Confraternidad y cooperación entre los Presbíteros (8).
— Trato con los seglares (9).
— Distribución adecuada de los Presbíteros (10).
— Sobre las vocaciones sacerdotales (11). *Se suprime.*

IV. *Atención espiritual y material a los Presbíteros*:
— Atención espiritual (*Número nuevo,* que se añade).
— Atención material. Justa remuneración (17).
— Recto uso de los bienes (18).
— Previsión social (19).

V. *Exhortación final* (20).

La distribución que se propone completa además la anterior y pone de relieve, atendiendo a peticiones hechas por varios Padres, la necesidad (y por tanto *el deber*) por parte del Obispo de una solícita y generosa atención a su presbiterio, tanto de orden espiritual, cosa apenas sugerida en el texto presentado por la Comisión (cf. n. 6), como de orden material.

II - *Observaciones particulares. Nota*: Las siguientes observaciones particulares afectan unas a cuestiones de *fondo* y otras a enmiendas de *redacción* de alguna monta. Las presentamos, sin embargo, para mayor comodidad siguiendo la misma numeración de párrafos del « textus emendatus », a pesar del valor e importancia desigual de las mismas.

1. *Proemio.* El texto del Proemio debería redactarse de modo que se evitara la repetición de conceptos y se simplificara con una construcción más lógica de las ideas que contiene.

Podría decir: « Quamvis in constitutione *de Ecclesia,* in decretis (...) Sacrosancta haec Synodus iam pluries de Ordine presbyteratus egerit, quoniam presbyteri sacra ordinatione atque missione per episcopos receptas, promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium ad indesinentem Corporis mystici aedificationem, atque ideo ipsis presbyteris in Ecclesiae Christi renovatione partes maxime et quidem in dies difficiliores assignentur, necessarium visum est huic sacrae Synodo fusius et profundius de presbyteratu tractare, ut huius ordinis presbyteratus inaestimabilis excellentia, tam pastoralis quam spiritualis, in memoriam omnium revocetur et in meliorem lucem ponatur. Eadem igitur sancta Synodus quae sequuntur statuere decrevit ad ministerium presbyterorum in his hodiernis adiunctis efficacius sustinendum, atque ad curam melius gerendam de eorum vita ».

2. (N. 1 del texto) *Naturaleza de la relación Episcopado-Presbiterado.* Teológicamente quizá pueda decirse poco más sobre tema tan importante de lo que se dice en el párrafo 3° (línea 30-42) del número 1°: « El oficio del sacerdocio jerárquico no puede reducirse al sacerdocio de los fieles. Requiere, por tanto, una peculiar iniciación sacramental que puede describirse como una cierta incorporación a la misión episcopal, por medio de una especial participación en el sacerdocio de Jesucristo », etc., etc.

Sería de desear, sin embargo, que esto mismo se dijera con más simplicidad y precisión de lenguaje y de concepto. Propondríamos la siguiente redacción (pág. 7, lin. 30-42): « Officium ergo, tum episcopatus tum presbyterii in ordine suo, participat auctoritatem ac potestates quibus Christus ipse Corpus suum extruit, sanctificat et regit, atque ad sacerdotium fidelium, quantumvis sublime, reduci non potest. Itaque sacerdotium presbyterii eiusque ministeria non conferuntur nisi per peculiare sacramentum a Christo Domino institutum, quo et sacerdotio Christi Capitis sacramentaliter presbyteri configurantur et missione episcopi, utpote providi cooperatores ordinis episcopalis, incorporantur. Quapropter sicut per episcopos missio apostolorum prosequitur, ita per presbyterorum sacerdotium apostolica missio episcoporum rite in Ecclesia expletur ».

Se ha suprimido en esta redacción el calificativo de « espiritual » atribuido al sacerdocio de los fieles. Todo sacerdocio, también el ministerial, es espiritual a la vez.

3. (Número 3). Si se mantiene el orden del texto actual, debería buscarse una ilación más clara para la transición del número 2 al número 3 y advertir, además, en el transcurso del mismo, que la ciencia la necesita el sacerdote para todas sus funciones ministeriales y no exclusivamente para el ministerio de la Palabra, como da a entender la disposición de los párrafos en el « textus emendatus ».

4. (Número 4). Sería oportuna una estricta referencia a la Humanidad de Jesucristo como medio e instrumento señalado por Dios para la comunicación de

su santidad a los hombres (pág. 9, lin. 36): « Etsi solus Deus Sanctus et Sanctificator sit, non dedignatur tamen homines quasi in socios et adiutores Humanitatis vivificantis Christi, fontis vitae et sanctitatis, assumere... ».

5. (Número 4). El párrafo último de este número, pág. 10, lin. 23-28, sobre las condiciones artísticas del templo material y la formación del sacerdote en esta materia, debe suprimerse por estar fuera de lugar y porque se ha hablado ya de ello en el Decreto e Instrucción sobre la Sagrada Liturgia.

6. (N. 6). « *Año de tercera probación* ». En la Relación (pág. 36) se dice: « Aunque un Padre lo ha pedido, no parece conveniente establecer para los sacerdotes algo parecido al año de tercera probación de los religiosos ».

Compartimos este criterio en cuanto a la terminología sobre todo y detalles de organización. Sin embargo, el mismo texto en el número 6 (lin. 25-37) recoge una iniciativa que, en la práctica, puede ser el equivalente para los sacerdotes del mencionado tercer año de probación.

Debería, no obstante, precisarse un poco más en cuanto al tiempo en que deberían practicar los sacerdotes este curso completo (« pocos años después de su ordenación ») y la duración del mismo (« por espacio de algunos meses »). De otra suerte puede quedar en una simple recomendación excesivamente vaga y por tanto ineficaz.

Pág. 12, lin. 25, podría decir: « Considerent demum singulae Conferentiae Episcopales modum opportuniorem efficiendi ut in proprio cuiusque territorio omnes presbyteri, statis temporibus, *maxime autem paucos post annos ab eorum ordinatione,* frequentare possint cursum completum, *aliquot menses perdurantem,* renovationis doctrinalis, spiritualis et pastoralis... ».

7. (N. 7). *Constitución del « Coetus dioecesanus », representante de todo el presbiterio.* En la Relación (pág 36) se dice que en contra del parecer de dos Padres, cree la Comisión que debe dejar a la Comisión para la revisión del Código de Derecho Canónico la cuestión jurídica de la Constitución de este cuerpo consultor presbiteral en cada Diócesis. Por las mismas razones sería también mejor que no se precisaran ya aquí detalles de las atribuciones y funcionamiento de este « coetus », « quem episcopus *semper* audiat *in rebus maioris momenti* pro regimine dioeceseos ».

Podría decir, por tanto (pág. 13, lin. 33-39): « Ut hoc vero aptiori quam nunc viget modo ad praxim *deveniat, instituatur forma ac normis a iure determinandis,* coetus dioecesanus, constans selectis presbyteris totum presbyterium repraesentantibus, *qui episcopo in regimine dioeceseos efficaciter adiuvari possit* ».

8. (N. 8). *Asociaciones sacerdotales.* El texto les dedica *dos líneas y media* (pág. 17, lin. 8-11). *a*) Su importancia parece requerir algo más. *b*) El hecho histórico de su existencia con número tan crecido de asociados no puede soslayarse. *c*) Tampoco pueden ignorarse o minimizarse las recomendaciones del Magisterio pontificio a este respecto.

Y si hubiese razones poderosas para dudar de su eficacia en la actualidad o para temer de ellas algún positivo daño, tampoco el Concilio respondería satisfactoriamente, para los sacerdotes y Obispos, a este estado de cosas con las dos líneas y media referidas: « De modo parecido tengan en gran aprecio las asociaciones piadosas que procuran fomentar su santidad ».

Se propone una nueva redacción en la que consten las ideas siguientes:

Importancia que para la santificación del sacerdote pueden tener las asocia-

ciones que intentan promover su perfección y hacer más fecundo su apostolado.

Condiciones para que cumplan realmente su cometido: *a*) que estén bajo la autoridad del Prelado propio; y *b*) que no sean base de discriminación odiosa entre los sacerdotes.

Propondríamos la sustitución de las dos líneas y media mencionadas, por el siguiente texto: « Ad hos fines assequendos magni praesertim habendae sunt et diligenter fovendae associationes quae per aptam et convenienter approbatam ordinationem vitae et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in mundo degentium fovere intendunt, ac de facto fovent sicut iam ampla docet experientia et Summorum Pontificum [1] non rara exhortatio confirmat.

Quae tamen associationes ut efficaciores evadant sub dependentia proprii episcopi dioecesani existere debent vel saltem unquam auctoritati ipsius nec contradicant nec illam minuant, atque ullo modo ansam praebeant cuicumque discriminationi inter sacerdotes eiusdem dioeceseos ».

9. (N. 11). Debe suprimirse todo este número 11 añadido al texto, pues de las vocaciones sacerdotales, del deber de su fomento y selección, se ha hablado expresa y ampliamente en el esquema « De institutione sacerdotali ».

10. (N. 12). *Influencia de la santidad del ministro en la fecundidad del apostolado.* El único argumento que el texto presenta para recomendar la santidad del ministro en orden a una mayor fecundidad de su apostolado, es el ejemplo de los santos (pág. 22, lin. 17-23). Parece que este punto tan importante y delicado —por las indebidas aplicaciones prácticas que se hacen de la tesis de la eficacia « ex opere operato » de los sacramentos—, debería presentarse con mayor peso de razones doctrinales y de autoridad del Magisterio de los Sumos Pontífices, ya que en algo apoyarían los santos su persuasión de que la santidad personal y del apóstol repercutía eficaz y positivamente en el ministerio apostólico que desarrollaban.

Proponemos, por tanto, el siguiente texto: « Praeterea quamvis "servi inutiles sumus" (*Lc.* 17, 10), et quamvis gratia Dei per indignos ministros opus salutis explere potest *per effectum "ex opere operato" sacramentorum Ecclesiae, cuius validitas a sanctitate ministri certe non pendet, tamen sicut praeclare omnibus semper innotuit ex doctrina Domini nostri* (*Io.* 15, 4 ss.), *SS. Patrum, constanti abundantique magisterio sollemni SS. Pontificum* [2] *atque vita sanctorum continuo roboratur,* per illos *ordinaria lege* praediligit Deus mirabilia ostendere qui, dociliores ductui et impulsui Spiritus Sancti facti, *ob suam intimam cum Christo unionem et vitae sanctimoniam,* cum Apostolo dicere possunt... ».

11. (N. 12). *Las virtudes teologales en la santidad sacerdotal.* Al final de este número parece conveniente añadir un breve párrafo para insistir en la necesidad

---

[1] Cf. v. gr. Pío X, *Haerent animo,* 2 agosto 1908. - JUAN XXIII ....

[2] Pío X, *Haerent animo,* 2 agosto 1908; Pío XI, *Mens Nostra,* 20 diciembre 1929; Pío XI, *Ad catholici sacerdotii,* 20 diciembre 1935. Recuerda explícitamente en esta Encíclica la doctrina del efecto « ex opere operato » de los sacramentos, y dice: « Dios bendice ampliamente la labor de los que conforman su vida a su propia predicación »; Pío XII, 24 junio 1939, a los Seminaristas; Pío XII, 12 septiembre 1952, a los Cooperadores Salesianos: « La fuerza irresistible de toda especie de apostolado es la piedad...; quien pretendiese sacrificarla a la actividad exterior.., tenerla en menos consideración, mostraría escaso o ningún conocimiento de la esencia del cristianismo... »; Pío XII, *Menti Nostrae,* 23 septiembre 1950; JUAN XXIII, *Sacerdotii nostri primordia*; etc., etc.

de las virtudes teologales como fundamento y alimento constante e insustituible de la vida de santidad personal del sacerdote, come de su ministerio de salvación entre los hombres. « Tota vero vita sanctitatis sacerdotalis ut fundamentum et incessans alimentum habeat oportet virtutes quae theologales appellantur, fidem scilicet luce sua supernaturali universa illuminantem, ac viam veritatis — tam vita quam verbo — hominibus ostendentem; spem eschatologicae haereditatis, quae animos allicit ac sustinet; caritatem denique "maiorem omnium" virtutum (cf. *1 Cor.* 13, 13) et "vinculum perfectionis" eiusque compendium », o algo semejante.

12. (N. 14). Todo el párrafo dedicado a la unidad y armonía de la vida del sacerdote exige también una simplificatión, ya que en él se repiten ideas de números anteriores (obligación del sacerdote de tender a la perfección por su configuración con Cristo, por su ministerio de salvación; el sacrificio eucarístico, como centro de unidad de vida, etc.). Hay ideas muy hermosas pero inconexas y oscuramente expresadas.

El texto de *2 Tim.* 1, 6, está inadecuadamente empleado. San Pablo en este pasaje quiere estimular el celo, valentía de su discípulo tímido de carácter y apocado ante las contradicciones de los enemigos con el recuerdo de la gracia sacramental de su consagración. El texto podria quedar simplificado así (pag. 24, lin. 4): « Quod ut vitent, meminerint semper officium suum talis esse naturae ut, si agnoscant quod agunt, integra vita presbyterorum continuus labor sit ad maiorem perfectionem obtinendam (...). Ad exemplum Christi Domini (...) suae vitae unitate quaerant in agnitione voluntatis eius (cf. *Col.* 1, 9). (...) et continua unione cum ipso Christo (...). Itaque presbyteri... ».

(Lin. 27:) « Actio enim liturgica et actio apostolica non sunt nisi duplex aspectus unius operis Christi pro Ecclesia et pro mundi salute (...). Cum demum opus sacerdotale mysterium sit, sacerdos eius particeps fieri nequit, nisi in eius arcana *per fidei supernaturalis exercitium* ingrediatur. Itaque contemplando... » (hasta el final).

13. *Celibato*. No parece mal que se ponga de relieve en el texto el carácter de *don de Dios* del celibato según *Mt.* 19, 11 y *1 Cor.* 7, 7. Se repite esta idea tres o cuatro veces en las líneas dedicadas a la castidad sacerdotal. Hasta dice « qui sacrum *coelibatum... accipiunt* » (pág. 26, lin. 18). Parecen haber pesado en el ánimo de la Comisión algunas intervenciones en el Aula en este mismo sentido, que se han hecho eco a su vez de toda una creciente corriente « doctrinal ». La insistencia en que es un don, es para esta corriente la premisa, el antecedente. La conclusión que se considera lógica y natural y que a veces se saca explícitamente es: « Quien no haya recibido este don no puede ser obligado por ninguna *ley humana a guardar la castidad*; puede abandonar el celibato, sin que se vea obligado a abandonar el sacerdocio, o abandonando el sacerdocio si la Iglesia persiste en mantenerlo como condición indispensable para el mismo.

Aunque en el texto del Decreto no se saca esta conclusión y se dice que « con la gracia de Dios y otros medios humanos » se puede ser fiel al don recibido, parece muy conveniente completar aquellas ideas y equilibrarlas, subrayando el aspecto de *compromiso,* de *entrega voluntaria,* de *aceptación libre* de una ley y condición que la Iglesia, administradora por derecho divino de los sacramentos, impone al que quiera ser incorporado al sacerdocio de Jesucristo y a la misión apostólica del Obispo. Para imponer las manos sobre un candidato al sacerdocio, la Iglesia exige una certeza moral de que realmente ha recibido y tiene este *don*

de la castidad y está, libre y conscientemente, dispuesto como expresión de una sincera entrega a Dios y a la obra de salvación de la Iglesia, a ser fiel al don y al grave compromiso personal contraído, contando para ello con todos los medios naturales y sobrenaturales que en el texto se enumeran.

Se proponen las siguientes enmiendas (pág. 25, lin. 38-39): mejor que el texto *Io.* 6, 63, que en este lugar nada aporta, sería el de *Io.* 1, 12: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine Eius; qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt ».

Pág. 26, lin. 17 ss.: « Omnibus ergo presbyteris coelibatus simul ac Dei donum et *lex est,* cui liberi ac generose pro Christi Domini ac Matris Ecclesiae amore animarumque saluti in sacris ordinibus, gratia divina confisi, sese submittunt. Haec quidem perfecta castitas (...) supra modum humanum est... (*Lc.* 18, 27); ideoque gratia Dei, qua fideles esse semper possint tum dono a Deo accepto tum solemni voto ab ipsis emisso coram Ecclesia, perseveranter postulanda est et in humilitate custodienda... ».

14. *Medios para la vida interior* (N. 16). En general, tratándose de un punto que responde exacta y directamente a las finalidades de renovación del Concilio, creemos que debería insistirse algo más en los medios de cultivo de la vida interior.

Y en particular diversos Padres conciliares han manifestado en el Aula conciliar y por escrito su deseo de que entre los medios para el cultivo de la vida interior aparezca en el texto el de la práctica anual de los ejercicios espirituales y hasta algún Padre pidió se sugiriese la conveniencia de que los practicaran alguna vez en forma más completa, por ejemplo en el curso de renovación del que se habla en el número 6.

La Comisión en las sucesivas reformas del texto ha rechazado esta proposición.

Creemos que es práctica ya suficientemente autorizada por el Magisterio y por experiencia ya no corta, para que se pida de nuevo su inclusión en la enumeración, incompleta ciertamente, que se hace de los medios de la vida interior (pág. 28, lin. 13): « Sed etiam alia media ad vitam interiorem fovendam, qualia sunt exercitium orationis mentalis conscientiae discussio, *annua exercitia spiritualia,*[1] dies recessus spiritualis... ».

15. *Atención espiritual al sacerdote.* Según lo indicado en el nuevo orden que se propone, creemos debería añadirse un párrafo no largo, que inculque el deber episcopal de atender espiritualmente a los sacerdotes que participan de su misión episcopal y enumere, a modo de ejemplo, los principales medios de prestarles esta atención recogiendo algunas de las ideas que aparecen en distintos números del esquema.

La Comisión de la razón por la cual se ha rechazado el deseo y la petición de ocho Padres acerca del destino de algunos sacerdotes en cada Diócesis « ad excipiendas confessiones aliorum sacerdotum »: « quia hoc laederetur libertas qua quisque pollet sibi seligendi confessarium quem maluerit » (pag. 40, de N. 16).

Creemos que hay aquí un malentendido: *a*) La misión de estos sacerdotes de virtud probada, prudentes, celosos y discretos, no es la de *ir a confesar sacerdotes*;

---

[1] Cf. Pío XI, *Mens Nostra,* 20 diciembre 1929.

sino la de visitarlos, ofrecerles amistad, compañía, consejo, ánimo, orientación y dirección y hasta confesión, si lo quieren.

b) Aun suponiendo que fueran para oir sus confesiones, ¿qué habría que decir de la lesión de la libertad para elegir confesor, infligida por la ley canónica del « confesor ordinario », de las comunidades religiosas?

« (*De cura ab episcopo sacerdotibus praestanda*). Episcopi propriae caritati pastorali specialiter commendatos sciant presbyteros, qui missioni suae episcopali per sacram ordinationem incorporati sunt.

Ipsis episcopis nihil maioris esse debet momenti nec magis in corde sit quam necessitatibus animae et progressui spirituali suorum sacerdotum efficaciter occurrere et omnia illa media iisdem praebere, quae necessaria vel valde utilia ad hoc aestimantur.

Talia esse possunt, tum memorati cursus renovationis spiritualis et pastoralis, praesertim qui ad utilitatem sacerdotum iuvenum instituantur, deputatio pro unaquaque dioecesi aliquorum virorum prudentia, zelo et sanctitate conspicuorum, qui amicitiam, solamen, consilia ac directionem spiritus presbyteris dioecesanis ultro offerant, recessus spiritualis institutio in variis regionibus dioeceseos, aliaque similia ».

16. (N. 18). *Recto uso de los bienes.* La distinción entre « bienes eclesiásticos propiamente dichos » y « bienes adquiridos con ocasión del ejercicio de algún oficio eclesiástico », *prácticamente* resulta ociosa a la hora de señalar el criterio del recto uso de ambos, como puede fácilmente comprobarse con la lectura de los dos párrafos, pág. 29, lin. 25-33, y pág. 29, lin. 34-41. Refleja, además, la preocupación por la institución beneficial en la Iglesia cuya extinción, no obstante, se establece en el número anterior.

Podría simplificarse así: « Sacerdotes quippe (...), bonis temporalibus utantur tantummodo eos in fines, ad quos iuxta Christi Domini doctrina Ecclesiaeque ordinatione destinare valent, videlicet ad honestam suam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem in bonum Ecclesiae et ad cultum divinum ordinandum necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda. Itaque... ».

19

Exc.mus P. D. IUSTINUS DARMAJUWANA
Archiepiscopus Semarangensis

Dum laudamus studium, quo commissio brevi tempore integrum textum secundum multorum Patrum vota immutavit, miramur quod ratio habita fuisse non videtur emendationum, quas ante diem 1 octobris exc. D. A. Van den Hurk, arch. Medanensis, nomine totius conferentiae nostrae obtulit. Novus quidem textus nostris desideriis nonnullis satisfacit, sed nec relationes nec textus emendatus respicere videtur argumentis nostris.

De textu emendato nobis sincero animo videtur dicendum, quod nonnulla satis bona continet, quibus gravissimis prioris schematis defectibus aliquomodo occurritur, sed quod tamen multopere deficit ab illa perfectione quam decretum in tali re exigit. Quapropter nobis videtur adhuc totum denuo scribendum esse, in qua tamen emendatione materia tractata eiusque ordo fere immutata retineri

possunt. Notamus quaedam defectus generales simul cum directione in qua remedium quaerendum est, et pauca ad nonnulla puncta particularia.

Generalia. I - Tota compositio et stylus litterarius est verbosus et plurimis repetitionibus redundat. Insuper in nonnullis iterat quae in ceteris Concilii decretis iam habentur. In nova ergo emendatione studeatur cuidam sobrietati et concinnitati.

II - Modus quo S. Scripturae textus adhibentur, plerumque redolet aliquem verbalismum, qui non mentem Scripturae sed litteram eius respicit. Textus noster spiritu nec Scripturae nec solidae Traditionis imbuitur. Speciali omnino modo cavendum est, ne textus de sacerdotibus Veteris Testamenti ad Novi presbyteros applicentur. Nam habitudo sacerdotum ad populum per transitum a Vetere Foedere ad Novum essentialiter mutatum est. Et historia testatur, quantum negligentia huius differentiae nocuerit Ecclesiae, suscitans e. g. clericalismum et correlativum anticlericalismum.

III - Theologia de presbyteratu, quae in textu adhibetur, est valde manca. Ratio autem huius defectus videtur esse duplex, scil. 1. quod non realiter, sed tantum verbaliter agnoscitur doctrina de episcopatu sacramento, qualis habetur in constitutione *de Ecclesia*; 2. quod textus modo quasi spastico premit differentiam inter sacerdotium ministeriale presbyterorum et sacerdotium commune omnium fidelium; hic spasmus videtur nasci ex timore — in Ecclesia actuali omnino irreali — ne laici sibi iura presbyterorum usurpent; talis autem timor et diffidentia, quae Ecclesiam Christi omnino dedecet et quae anticlericalismum suscitat, malus consiliarius est in re theologica. In specie:

1. In describenda natura sacerdotii ministerialis praecipuum quemdam locum habet oppositio ad sacerdotium commune, de quo dicitur quod « fideles nullam potestatem proprie dictam ipsius Christi Capitis in Corpus suum quod est Ecclesia exercere valent » (n. 1, pag. 7, linn. 9 s.). Iamvero talis descriptio omnino deficit, quia

a) Sacerdotium ministeriale imprimis describendum est positive, scilicet in seipso. Quid laici non possint, nonnisi modo valde secundario ad rem est. Deinde utrumque sacerdotium recte non describitur nisi non sola essentialis distinctio, sed etiam unio utriusque exponatur. Omnis enim bona distinctio unitatem quamdam supponit, et de re nostra Constitutio de Ecclesia docet quod « ad invicem ordinantur » (n. 10, pag. 12).

b) Assertum quod laici nullam potestatem exercere valent, est valde dubium. Certum est et a nemine addubitatum, quod laici non possunt Eucharistiam consecrare et absolutionem peccatorum sacramentalem impertire. Sed tamen sana Traditio docet totam Ecclesiam active cooperari in Eucharistia celebranda et offerenda et in peccatis remittendis. Ad hoc autem laici deputantur per characterem, qui est potentia (non mere passiva, sicut Scholastici putabant) qua participant de sacerdotio Christi, etiam in ordine ad actus ecclesiasticos ponendos. Hinc etiam fit ut, secundum opinionem communem, nupturientes sibi invicem sunt ministri matrimonii sacramenti.

c) Ut sacerdotium ministeriale revera definiatur, non sufficit illud distinguere a sacerdotio communi fidelium, sed debet distingui etiam a diaconatu et ordinibus minoribus; qui « aliquam potestatem » nomine Christi exercent.

Ad totam rem dicendum videtur, quod res non est tractanda a parte « potestatum » quam quis habet, sed a parte ministerii auctoritativi intra populum sacerdotale exercendi.

2. Textus noster, quaerens definitionem sacerdotii ministerialis, in re, licet non in verbis, ignorat doctrinam constitutionis *de Ecclesia,* « episcopali consecratione plenitudinem conferri sacramenti Ordinis » (n. 21). Hinc enim sequitur, presbyteratum esse partialem participationem eiusdem sacramenti, et ulterius sequitur, presbyteratum vere definiri non posse nisi in ordine ad illam plenitudinem, sicut recte facit constitutio *de Ecclesia* (n. 28).

Defectus hic cohaeret cum illo de quo sub n. 1: historia theologiae ostendit, vix fieri posse ut sub aspectu « potestatum » presbyteratus bene distinguatur ab episcopatu.

Indebita aequiparatio utriusque apparet in quibusdam formulis textus nostri, ubi e. g. presbyteri dicuntur « successores apostolorum », quod toti Traditioni contrarium est; vel scribitur: « sacerdotium Christi, de cuius plenitudine presbyteri participes facti sunt » (n. 7), ubi verbum « plenitudo », nisi sit pura tautologia, exprimit presbyterum habere plenitudinem Ordinis.

Doctrina ergo de presbyteratu, quae in schemate exhibetur aut supponitur est omnino nova elaboranda; aut simpliciter supponatur doctrina quae habetur in constitutione *de Ecclesia.*

IV - In parte II de vita sacerdotali duo omnino emendanda sunt:

1. Fere deest id quod quasi cor constituit totius vitae sacerdotalis et ipsius eorum unionis cum Christo, scilicet totalis dedicatio laboriosa, continua, patiens, indefatigata ad homines iuvandos, id est ministerium servitiumque. Pauca enim verba, quae huic rei tribuuntur (n. 13, pag. 23, linn. 27-37), potius rhetoricam sapiunt et realitatem concretam ignorant: crux sacerdotis zelantis plerumque est, quod multa loca eis manent impervia, quod dolorem alleviare et tristitiam dissipare nec valent nec sinuntur. Hoc est praecipuum sacerdotis sacrificium: ut satisfactionem suam nec spiritualem quaerat, sed cum fide et spe perseveret in illo ministerio saepe laborioso et ingrato. Sed haec praecise est forma caritatis, quam ordo sacer, utpote ministerium, postulat.

2. Inter consilia evangelica primo loco ponitur castitas, in specie coelibatus. Hic ordo reflectit actualem praeoccupationem circa coelibatum, sed est contra totam Traditionem, et non respondet nec ordini reali nec urgentiae apostolicam hodiernae. Traditio primo loco semper posuit paupertatem, qua sacerdos, in ministerio eminenti constitutus, non quaerit pecuniam ac divitias, commoda, aestimationem, honores; sed qua simplici oculo hominum bonum quaerit. Haec paupertas est conditio apostolatus fructuosi, fundamentum vitae communis, et conditio ne coelibatus degeneret.

3. Quoad presbyterorum coelibatum autem vellemus haec observare:

a) Textus noster satis apte exponit congruentiam inter sacerdotium et coelibatum, etsi dubitari possit an « paternitas spiritualis » hic citari conveniat (pag. 25, lin. 31; pag. 26, lin. 39), et utrum consideratio pag. 25, linn. 37 ss. sit ad rem.

b) Saltem pro tempore lex coelibatus videtur immutata servanda esse, et abolitio huius legis non videtur nunc publice discutienda.

c) Tamen Concilium et episcopi congregati non debent ignorare gravia problemata quae occasione huius legis oriuntur, inter quae:

Connexio per legem ecclesiasticam statuta inter sacerdotium et coelibatum, quae duo non per se coincidunt;

Numerosae in hac re defectiones, tam publicae quam contectae, quae ipsorum sacerdotum conscientias premunt et ceteris scandalo sunt;

Quaestio num haec lex conveniat omnibus Ecclesiis, praesertim novellis, et quae inter populos magis primitivos nascuntur.

Quapropter optamus, ut instituatur seria in hac re disquisitio. Quae fieri posset eo quod singulae conferentiae episcoporum pro suo territorio in rem inquirant, ad Romanum Pontificem referant, ita ut Ipse cum Consilio seu Coetu Centrali rem decernat, et si opus esse videtur, legis transformationem paulatim praeparet.

Particularia quaedam. 1. Ad n. 10 de presbyterorum distributione. Res de presbyteris aliam dioecesim adeuntibus iam prudentius tractatur quam in Propositionibus. Duo tamen nobis videntur necessaria ponenda:

a) Presbyteri alteri dioecesi addicti aliquomodo coniuncti maneant cum dioecesi sua originaria: post 5 vel 10 annos plenum ius habeant ad eam redeundi, et etiam infirmitatis, senectutis etc. causa. Redeuntes autem ab episcopo tamquam presbyteri sui proprii tractentur.

b) Seminaria internationalia, dioeceses peculiares et talia non sunt multiplicanda, ne oriatur clerus qui radices nullibi habet et gravi propterea periculo exponitur.

2. Ad n. 11 de vocatione. Omnino praetereunda non est, inter signa vocationis, quaedam cordis inclinatio et attractio spiritualis, quam iuvenis ad sacerdotium sentit. Secundum Traditionem enim inter praecipua signa, quae ad statum vitae secundum Deum eligendum iuvant, numerantur « consolatio substantialis ». Econtra lineae pag. 21, linn. 7-8, quae aliquam polemicam redolent, omitti possunt.

3. Ad n. 19 de Massa communi. Ea quae dicuntur, quod massa communis simul inservire debet sustentationi et pensioni presbyterorum, simul etiam aliis dioeceseos necessitatibus, peccant contra sanam administrationem oeconomicam. Haec omnino postulat, ut capitalia ad distinctas necessitates, ut sunt sustentatio cleri, seminarium, ecclesiarum constructio etc., destinata, inter se bene distinguantur.

20

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Remarques générales. 1. Dans l'ensemble, ce schéma me paraît excellent, et les remarques qui suivent n'ont d'autre intention que d'aider à l'améliorer. Ce texte a une bonne valeur spirituelle et aidera les prêtres à réfléchir devant Dieu sur leur ministère et sur leur vie.

2. Le schéma est rédigé dans une perspective « latine » et « occidentale ». Il serait très opportun de solliciter de façon particulière les remarques d'évêques d'Afrique et d'Asie, et surtout d'évêques orientaux. Le schéma tient peu compte de la théologie orientale du sacerdoce. Ce serait une occasion de retrouver une théologie du Saint Esprit; pour les théologiens orientaux la consécration épiscopale est une participation à la grâce de la Pentecôte, c'est l'Esprit « qui a créé des pré-

dicateurs, des apôtres, des docteurs »; leur conception sacramentelle de la vie chrétienne confère à la hiérarchie une position particulière dans l'Eglise. Il y a là des richesses dont pourraient profiter tous nos prêtres.

L'allusion au Saint-Esprit de la page 28 (lignes 9-10) est vraiment très brève.

3. L'ensemble est un peu diffus, revêt le genre « exhortation », « lettre pastorale ». Le texte gagnerait, ce me semble, à être plus concis, mais il m'est difficile de préciser cette critique, car tous les détails m'ont intéressé.

4. Je garde l'impression que l'ensemble de la présentation est assez fortement marqué par la spiritualité de l'Ecole française du XVIIème siècle ou tout au moins par la théologie du sacerdoce telle qu'elle s'est développée dans les derniers siècles, exclusivement centrée sur l'Eucharistie. Le Concile présente le prêtre comme « coopérateur de l'ordre épiscopal », et le schéma insiste en plusieurs endroits sur cette présentation; on n'en tire pas toutes les conséquences pour présenter la spiritualité et le ministère du prêtre: il est l'homme de l'Eucharistie, mais aussi l'homme de la parole (ceci est dit aux numéros 2 et 3, mais informe peu le reste du schéma).

Remarques particulières. Page 6, ligne 5. Il en est question dans d'autres schémas: Missions, Apostolat des laïcs, etc. ...

Page 8, n. 2. Cet exposé sur le prêtre ministre de la Parole de Dieu contient d'excellentes choses; il me semble cependant insuffisant, étant donnée l'importance du sujet. En particulier on pourrait souligner davantage l'ampleur de cette tâche qui consiste non seulement à annoncer la Parole mais à la rendre présente, à la porter au monde comme le Christ par la parole et par la vie. On pourrait alors souligner dans cette perspective l'aspect missionnaire de toute vie sacerdotale et montrer les exigences que cela comporte. Dans la constitution *de Ecclesia* n. 28, il est dit: docentes quod crediderint, imitantes quod docuerint.

Page 9, n. 4. Il me semble qu'il conviendrait de développer un peu le rôle du prêtre qui « fait » l'Eucharistie; c'est à peine indiqué.

On pourrait aussi envisager l'Eucharistie non seulement comme sacrifice mais aussi comme Pâques de l'Eglise et du monde et insister davantage sur la transformation de la vie. C'est dit, mais peut-être trop brièvement.

Page 9, ligne 23. Après « Patrum » lire « *Doctorum diversorumque* Traditionis documentorum ». On parle ensuite des théologiens modernes, mais on ne comprend bien la théologie que si on s'est familiarisé d'abord avec les classiques.

Page 10, ligne 25. Après « orationi », ajouter « praedicationi »; dans la construction d'une église, il faut avoir le souci de la rendre apte à la prédication: acoustique, place du prédicateur, etc. ...

Pages 10-11, n. 5. Je souhaiterais que ce qui est dit des commandements et de la charité soit rattaché plus explicitement à la vie dans l'Esprit pour que la loi nouvelle apparaisse dans sa nouveauté essentielle qui est d'être vie dans l'Esprit du Christ. On retrouverait ainsi les Orientaux.

Dans la même perspective, il faudrait souligner plus que pour être vraiment et pleinement éducateur de la charité et de la loi nouvelle, le prêtre doit être éducateur de la vraie foi et que c'est là une part essentielle de son rôle pastoral de ministre agissant in persona Christi au nom d'une onction spéciale de l'Esprit.

Page 11, lignes 3-18. Tout ce passage expose le rôle du prêtre « éducateur de la foi »; je regrette qu'on ne trouve pas l'expression elle-même, qui permettrait par la suite de rappeler en deux mots cet aspect si important du ministère

sacerdotal. J'imagine qu'elle n'est pas en usage partout; mais si on la présentait ici à la fin de cette description, elle serait comprise par tous et elle rendrait sans doute service à tous par la suite; elle me paraît une formule à accréditer.

Page 11, n. 5. On signale les devoirs particuliers du prêtre vis-à-vis des pauvres et des jeunes et c'est excellent. Ne conviendrait-il pas de rappeler d'un mot que sa sollicitude doit s'étendre à tous et notamment aux catégories de fidèles énumérées dans le « De pastorali episcoporum munere » n. 18: touristes, étrangers, etc. ... Je sais bien que ces précisions viennent mieux dans le texte qui traite des devoirs des curés; je désirerais quelques mots d'ouverture.

Je trouve aussi que le devoir missionnaire est indiqué trop brièvement (page 11, ligne 30 et page 19, n. 10). Ne pourrait-on pas renvoyer au schéma sur les missions?

De même, il faudrait faire une allusion au souci « œcuménique » que doit avoir tout prêtre. Le décret « De Oecumenismo » fait une brève allusion au rôle particulier du prêtre dans l'action œcuménique.

Page 13, ligne 30. Les évêques sont invités à appeler les prêtres « compresbyteros ». Comment traduire cette expression dans les langues modernes?

Page 13, ligne 35. Ce « coetus » remplacerait-il le chapitre et les curés consulteurs, comme il est suggéré page 36? Il y a déjà le synode diocésain. Je suis d'ailleurs très favorable à un conseil représentatif du clergé; mais il faut coordonner avec ce qui existe.

Page 14, ligne 2. Les prêtres doivent-ils obéissance « aux évêques » en général? L'expression me semble à préciser; sinon on risque de voir des prêtres s'appuyer sur ce texte pour suivre les directives de n'importe quel évêque, au risque de ne pas suivre exactement les directives de leur propre Ordinaire.

Page 14, ligne 12. Lire « exempl*a* ».

Page 16, ligne 34. On pourrait citer également: *1 Tim.* 3, 2 et *Tit.* 1, 8.

Page 20, n. 11. Il faudrait une allusion aux vocations tardives. Le texte semble écrit dans la perspective des vocations d'enfants et de jeunes.

Pages 23-24, n. 14. Je trouve la doctrine ainsi présentée très juste. J'aimerais qu'elle soit nuancée en tenant compte de la remarque faite plus haut (Remarque générale n. 4).

Peut-être aussi conviendrait-il de tenir compte également des prêtres infirmes, incarcérés, etc., qui sont empêchés de célébrer la Messe, et qui offrent des sacrifices spirituels, agréables à Dieu par Jésus-Christ (*1 Pt.* 2, 5) en vertu du sacerdoce commun à tous les baptisés? Ne peut-on pas dire cependant que leur prière reste d'une certaine façon informée par la grâce de leur sacerdoce ministériel, puisqu'ils demeurent « cooperatores ordinis episcopalis » et « témoins » (*Act.* 1, 8; cf. « témoins des souffrances du Christ », *1 Pt.* 5, 1).

Page 25, n. 14. Toute cette présentation de la chasteté sacerdotale doit être étudiée avec grand soin. Il faut que les arguments proposés soient très solides et répondent exactement aux besoins actuels.

Je n'ai pas eu le temps de m'arrêter suffisamment à l'étude de ce numéro. Il me semble que le texte pourrait être plus clair et peut-être plus complet.

Il m'a semblé qu'on voulait souligner dans la chastseté:

1) le signe de charité pastorale: donner sa vie pour ses brebis;

2) le signe eschatologique du Royaume: fécondité d'un amour spirituel qui enfante dans l'Esprit les enfants du Royaume en les régénérant et en les sanctifiant.

On pourrait ajouter que, si la chasteté du prêtre est signe de l'amour du

Christ pour son Eglise, amour unique, désintéressé, fécond (et c'est bien en effet ce qui est premier pour le prêtre qui agit in persona Christi), elle est aussi expression de l'amour de l'Eglise pour son Seigneur, Eglise qui, comme Marie, ne souhaite d'autre époux que Dieu et veut tenir de lui seul sa fécondité et sa beauté.

Si cet aspect de la chasteté, comme signe de la réponse de l'Eglise à l'amour du Christ, est plus spécialement celui qui est confié, par vocation, à la vie religieuse, il convient aussi à la sainteté du sacerdoce chrétien en qui se rencontrent la sainteté de l'Epoux et celle de l'Epouse.

Dans cette perspective, il faudrait souligner lorsqu'il est question des moyens de promouvoir la chasteté sacerdotale: l'amour personnel de Jésus-Christ. C'est probablement tellement implicite qu'il n'a pas dû paraître nécessaire d'en parler mais puisque l'on parle de dévotion à l'Eucharistie, puis à la Vierge Marie, ne serait-il pas bon d'être plus explicite et plus complet et de parler, par exemple: d'union au Christ souverain prêtre dans le mystère de sa Rédemption actualisé dans l'Eucharistie...; de dévotion à la Vierge Marie, image parfaite de l'Eglise dans la chasteté et la fécondité de son amour pour le Christ?

Pages 26, lignes 5-17. Il importe aussi d'étudier avec grand soin cette présentation de la pratique de la pauvreté pour le prêtre. Il faudrait marquer la liaison avec les questions traitées dans les nn. 17-19.

Un aspect important de la pauvreté de la hiérarchie à notre époque me paraît être son souci d'indépendance vis-à-vis des pouvoirs politiques et économiques. Ne faudrait-il pas l'indiquer quelque part?

Page 28, lignes 9-11. J'ai déjà signalé dans mes remarques générales (n. 2) l'insuffisance de ce qui est dit touchant la dévotion du prêtre au Saint Esprit.

21

Exc.mus P. D. EDUARDUS IOANNES DOODY
Episcopus Armidalensis

II. De presbyterorum vita: n. 15 (textus emend.), pag. 25, linn. 38, 39.

Schema Decreti optimum valde est sed videtur quod verba « testante Domino: "Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam" » (*Io.* 6, 63) in textu evangelico non de coelibatu dicuntur neque in casu argumentum confirmant ideoque melius omitti debent.

22

Exc.mus P. D. ARTURUS ELCHINGER
Episcopus tit. Antandrinus, coad. c.i.s. Argentoratensis

Remarques préliminaires.

1. *Ce qu'on attend du Décret.* Le prêtre d'aujourd'hui voudrait savoir ce qu'il est par rapport au sacerdoce universel des fidèles mis en valeur par le Concile. Il voudrait savoir aussi ce qui le distingue du religieux. Il importe de lui préciser sa place originale dans la structure de l'Eglise.

D'autre part, la spiritualité sacerdotale doit être présentée comme profon-

dément liée à un authentique apostolat et non pas comme surajoutée aux activités pastorales du prêtre.

2. *En conséquence, comment structurer le Schéma? Première partie.* Il faudrait partir de la vision de ce qu'est profondément la mission de l'Eglise.

De là on préciserait sommairement ce qu'est l'évêque.

A partir de la mission de l'évêque on définirait la position ecclésiale des coopérateurs de l'ordre épiscopal que sont les prêtres.

A la première fonction de l'évêque en qui se constitue l'Eglise locale (fonction de gouvernement), on rattacherait les deux autres fonctions en les montrant complémentaires (fonction d'enseignement et fonction de sanctification).

Deuxième partie. La position ecclésiale du prêtre étant ainsi définie, c'est *à partir d'elle* qu'on présenterait sa vie spirituelle. Comme le disait S. Thomas: spirituellement le prêtre vit des actes de son ministère. Le prêtre n'a pas à sanctifier son sacerdoce. C'est son sacerdoce qui doit le sanctifier.

On présenterait les trois fonctions sacerdotales (gouvernement, enseignement, sanctification) et on montrerait comment celles-ci *ré*orientent tout le cours de la vie spirituelle du prêtre. On préciserait ensuite l'aspect particulier que revêtent les « trois conseils évangéliques » pour le prêtre. Enfin, on marquerait le lien interne entre la spiritualité sacerdotale et l'action apostolique du prêtre.

3. *Avantages d'une telle structure du Schéma.* a) *Pour ce qui est du ministère des prêtres.* Il faut définir les principes fondamentaux de la mission du prêtre à partir du « sacrement du presbytérat » (cette expression serait meilleure que celle de « sacrement de l'Ordre » parce que le sacrement de l'Episcopat est aussi le sacrement de l'Ordre). La notion de hiérarchie ne doit pas être extrinsèque mais intrinsèque à l'Ordre. C'est pour cela qu'elle s'appelle un « Ordo ». Il s'agit d'un ensemble organique qui lie par le dedans les divers degrés les uns aux autres. Cela permettrait de mieux présenter les différentes fonctions.

En parlant de la fonction de gouvernement, et en montrant ensuite les fonctions d'enseignement et de sanctification comme étant complémentaires, on évite la discussion concernant la priorité soit du ministère de la Parole, soit de celui de l'Eucharistie. Une telle articulation des « ministères » peut être dite « traditionnelle ». Elle se retrouve chez S. Augustin, S. Albert le Grand, S. Bonaventure et S. Thomas.

b) *Quant à la vie spirituelle des prêtres.* Bien des prêtres ont l'impression qu'on leur demande d'aller puiser les moyens de leur vie spirituelle dans une spiritualité de type monastique. Cela était normal du temps de S. Jean Chrysostome qui, dans son « De Sacerdotio », traitait du sacerdoce en style monastique, les évêques étant toujours pris parmi les moines.

Il arrive aussi qu'on propose aux prêtres un style de spiritualité développée à partir de celle du laïc. Il ne s'agit pas de dévaluer le sacerdoce universal des fidèles et l'apostolat des laïcs, mais il faut situer la vie du prêtre par rapport à celle du laïc engagé dans la vie apostolique.

Le désarroi de certaines vies sacerdotales provient du fait qu'on leur parle d'une part de leur ministère, d'autre part d'une vie spirituelle assez éthérée, sans racines pastorales. Or la vie spirituelle du prêtre doit découler des exigences de son ministère. C'est dans la structure même du sacerdoce que s'enracinent toutes les exigences de vie spirituelle pour les prêtres.

Il faut présenter une « sainteté » du prêtre qui soit spécifiquement sacerdotale. Elle doit donc apparaître toujours distincte en ses *modalités* et de la sainteté du fidèle et de la sainteté du religieux. Par exemple, la pauvreté et l'obéissance du prêtre seront différentes de celles du fidèle qui est dans le monde et de celles du religieux, par son état de vie, est « dégagé du monde ».

Le mode de sainteté du prêtre, qui, certes, est bâtie sur la sainteté baptismale propre à tout chrétien, est déterminé par son ministère même. Il n'y a pas à opposer vie intérieure et action apostolique, mais à dire les conditions qui permettent à l'acte d'apostolat d'être authentique, évangélique, et donc d'être accompli sous la mouvance de l'Esprit sanctificateur. Ce serait une présentation non moins exigeante et qui correspondrait davantage au souci apostolique du prêtre d'aujourd'hui.

En suivant un tel plan on éviterait certains chevauchements qui existent entre la première et la deuxième partie du Schéma. Par exemple, le n. 3 (olim 5) trouverait mieux sa place dans la deuxième partie. Dans le Schéma, tout ce qui donne un cours spirituel original à la vie spirituelle du prêtre se trouve dans la première partie, lorsqu'on parle de la coopération du prêtre avec l'évêque, avec ses confrères et de son rapport avec le peuple chrétien. Tout cela est spécifique de sa « vocatio ». Dans la deuxième partie on revient sur la vie des prêtres pour la définir dans la généralité d'une vie chrétienne intense. C'est là un manque de logique qu'on ne peut laisser subsister.

4. *Objet des propositions qui suivent.* A - concernant « De presbyterorum ministerio », nous donnons simplement une esquisse sommaire; B - concernant « De presbyterorum vita », nous proposons quelques réflexions plus détaillées, avec le souci de suivre le plus possible le cheminement du Schéma actuel (p. 21 à 28).

A - *De presbyterorum ministerio.* Il faut situer le ministère du prêtre organiquement dans l'ensemble de la mission de l'Eglise.

I - *La mission de l'Eglise par rapport à la mission du Christ.*

1. *La mission du Christ.* Avant d'être définie dans ses modalités fondamentales de Peuple de Dieu, de Corps du Christ, l'Eglise doit être définie par rapport à sa source, son but et son modèle qui est « Dieu-Pasteur » (cf. *Ezéchiel* 33, 11-16; 34, 23-31; *Isaïe* 40, 11).

Tout le mouvement de l'Histoire du Salut est une venue de Dieu qui se donne peu à peu les moyens de se mettre au niveau des hommes. La venue définitive de Dieu parmi les hommes se fait en Jésus-Christ, par le Mystère de l'Incarnation et de la Rédemption. Dieu appelle les hommes à être ses fils adoptifs et à se réunir en « famille de Dieu ». Le Christ est venu, il est mort et ressuscité pour nous transmettre la vérité et la vie de Dieu (*Jn* 6, 54-58; *1 Pt.* 2, 4-10) et pour former « le Peuple de Dieu ».

Jésus-Christ continue le dessein du Père qui veut être le Pasteur du troupeau qu'il aime efficacement et pour lequel il veut mettre en place tous les instruments de cet amour efficace. C'est pourquoi, venant en Médiateur, Jésus-Christ se présente lui-même comme le Pasteur d'un troupeau pour lequel il est, à la fois, le *recruteur actif,* le berger qui « guide » et qui « fait vivre », et la *bergerie* qui accueille en soi et regroupe dans son unité « les enfants de Dieu dispersés » (*Jn* 10, 11-16; cf. *1 Pt.* 2, 25; 5, 4).

2. *La mission de l'Eglise.* Le Christ envoie l'Eglise pour continuer sa mission

de pasteur parmi les hommes. Elle est donc à la fois: *l'organe* de la prévenance salvifique de Dieu et de l'appel efficace du Christ-Berger *qui va au-devant* des brebis à réunir; *le groupement* effectué des fidèles — leur rassemblement institutionnel — au sein duquel le Christ leur transmet actuellement, socialement, sacramentellement, « la vie de Dieu ».

II - *La mission de l'Evêque par rapport à la mission de l'Eglise.*

La dispersion temporelle et spatiale de la mission du Christ exigeait un collège apostolique puis un collège épiscopal pour former à travers le monde des centres de regroupement des croyants, où des successeurs des Apôtres serviraient d'instruments visibles et durables à la puissance salvifique du Christ.

Le sacrement de l'Episcopat est un acte de Dieu par lequel quelqu'un est mis à part par Dieu, *au service de son Peuple,* pour continuer la mission des Apôtres. De simples croyants, « répondant » à la prévenance divine et « groupés » par le Christ dans l'Eglise, les évêques deviennent en outre et à la fois: la voix de Dieu qui, vicarialement, guide, et la main de Dieu qui, sacramentellement, change les cœurs; le centre « personnel » en qui se regroupent les hommes pour être membres du Corps du Christ et de la Famille de Dieu.

Dans le prolongement de la mission apostolique, la charge pastorale de l'évêque comporte trois grands services:

1. *La mission de rassemblement du Peuple de Dieu* (=gouverner). C'est par l'entremise de l'évêque, chef d'une Eglise locale, que Jésus-Christ vient vers les hommes, les rassemble et les unifie. L'évêque est le « centre de cohésion » du Peuple de Dieu. C'est autour de lui que se constitue l'Eglise locale qu'il a mission de *gouverner.* L'Eglise locale ou « Eglise diocésaine » est ainsi l'instrument de la venue de Jésus-Christ pour interpeller les hommes, les enseigner, les libérer et les transformer en fils de Dieu.

Et toutes les Eglises épiscopales s'intègrent dans une unité suprême, par la personne et la mission du Pape, en qui se « solidifie » la cohésion du Collège épiscopal (comme un mélange se solidifie au sens physique du terme).

Cette charge pastorale fondamentale — rassembler le Peuple de Dieu — entraîne un double ministère qui correspond à la double façon de Dieu de s'adresser à des consciences libres:

du dehors: il leur propose les objets de la foi et de la conduite chrétienne. C'est le ministère de la Parole (« gubernatio exterior » selon S. Thomas);

du dedans: il agit sacramentellement sur les consciences elles-mêmes pour leur communiquer la lumière et la force divines (« influxus interior »). (Ainsi il n'y a plus à choisir entre la priorité du ministère sacramentel ou de celui de la Parole, les deux sont complémentaires).

2. *La mission d'enseigner.* L'évêque doit être l'organe de la Parole de Dieu, en « enseignant » la foi du croyant; en guidant le comportement du croyant.

3. *La mission de sanctifier.* L'évêque doit être en même temps l'organe de « l'action transformante de Dieu », en faisant pénétrer la vie du Christ à l'intérieur du chrétien par le ministère des sacrements.

Ces trois missions trouvent leur point de convergence dans *la célébration de l'Eucharistie,* où l'évêque rassemble les fidèles dans le double service de la Parole et de l'Eucharistie.

III - *La mission du prêtre par rapport à la mission de l'évêque.*

1. *Le sacrement du Presbyterat.* L'étendue du territoire qui est confié à un évêque ne lui permet pas de se charger lui-même de toutes les âmes dont il a la responsabilité.

Par le sacrement du Presbytérat, l'évêque se donne des *coopérateurs* pour les faire participer à la charge pastorale qui lui est confiée: « Ut sint cooperatores Ordini nostri » (Préface de l'Ordination).

L'ordination sacerdotale ne confère pas d'abord le pouvoir de célébrer l'Eucharistie ou de prêcher la Parole de Dieu. Par le presbytérat l'évêque s'agrège sacramentellement des aides qui, même s'ils sont dispersés pour accomplir leur ministère, doivent l'exercer à l'intérieur d'un pastorat collectif qui se réfère au Collège épiscopal.

Les fonctions de ces coopérateurs de l'évêque sont donc à déduire analogiquement de la mission elle-même de l'évêque, *sous la dépendance et la direction* duquel ils ont à l'exercer.

2. *La triple mission pastorale du prêtre.* Les « presbytres » groupés autour de l'évêque en un corps presbytéral de coopérateurs, participent d'un certaine façon à la fonction fondamentale de l'évêque de *rassembler les fidèles.* Ainsi ils sont « populi Dei rectores » (cf. n. 5 du Schéma) en étant des « relais » de l'autorité épiscopale. Les paroisses ne sont pas des Eglises mais les modalités qu'une Eglise épiscopale prend pour épouser les divers contours (géographique ou sociologique) de son peuple.

A l'intérieur de cette mission fondamentale, les prêtres participent également aux deux autres charges pastorales de l'évêque: *comme organe de la Parole de Dieu*: le prêtre a autorité pour « *enseigner* » la foi du croyant mais aussi pour guider le comportement du croyant; *comme organe de « l'action transformante de Dieu »*: le prêtre fait pénétrer la vie du Christ à l'intérieur du chrétien par le ministère des sacrements.

Dans ces trois services pastoraux (gouverner, enseigner, sanctifier) le prêtre n'est pas une sorte de reproduction de l'évêque « en modèle réduit ». Il a une charge propre passionnante et capitale: Tout proche des fidèles et en contact *constant* avec eux, il est pour les croyants comme « la charnière » des relations interpersonnelles avec Jésus-Christ. Il est le lieu de rencontre concret et permanent de la charité active de Jésus-Christ.

Voilà donc le statut original du prêtre dans l'Eglise. Ainsi se trouve pleinement mis en valeur le sacerdoce des prêtres, sans dévaluer le sacerdoce des fidèles. L'un ne remplace pas l'autre. Ils ne font pas double emploi.

B - *De presbyterorum vita.*

I - *Spirituellement le prêtre doit vivre des actes de son ministère* (S. Thomas).

A tous les fidèles il a été dit: Soyez parfaits comme votre Père céleste est parfait (*Mt.* 5, 48): tous sont donc appelés à une vie sainte. Le prêtre, comme chrétien et personne singulière, est déjà appelé à la sainteté, selon le libre amour de Dieu qui donne à chacun sa grâce comme il lui plaît. Mais, en tant que prêtre et ministre du Christ-Sauveur, il est appelé à la sainteté particulière réclamée par sa fonction et dont cette fonction lui offre la grâce: appel et grâce efficacement signifiés par le sacrement de l'Ordre. Il ne faut d'ailleurs pas oublier que cette sainteté chrétienne et sacerdotale *implique de grandes qualités humaines.*

De même que le Christ a été « consacré et envoyé dans le monde » (*Tite* 2, 14) et a reçu les qualités et pouvoirs requis pour cette tâche, de même que la sainteté du Christ réside dans la perfection avec laquelle il a accompli cette mission: dans son obéissance parfaite (*Phil.* 2, 8), dans le don de lui-même pour la gloire du Père, pour nous racheter et s'acquérir un peuple zélé pour le bien (*Tite,* 2, 14), ainsi le prêtre se sanctifiera par l'exercice même de sa fonction sacerdotale.

Il n'y a pas pour le prêtre une spiritualité et une perfection à part de son ministère et que celui-ci viendrait mettre en danger. C'est l'exercice même du ministère qui lui est confié qui requiert et stimule sa sainteté et assure la spiritualité spécifiquement sacerdotale. Mais ce ministère doit être accompli non selon les requêtes de la chair, mais selon les exigences de l'Evangile, dans l'Esprit du Christ-Sauveur. Au prêtre exerçant son ministère s'appliquent spécialement les paroles de l'apôtre: Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus (*Gal.* 2, 20) et encore: Hoc sentite in vobis quod et in Christo Iesu (*Phil.* 2, 5).

La fidélité à une pastorale dans l'esprit du Christ Bon Pasteur est elle-même la forme de la sainteté sacerdotale.

II - *Exigences spirituelles du ministère sacerdotal.*

1. *Fonctions pastorales et vie spirituelle du prêtre. a*) Sanctification du prêtre en tant qu'il rassemble et régit le Peuple de Dieu. Devant présider à la vie d'un peuple, il doit se former à l'action pastorale et s'exercer à ces vertus de désintéressement, de patience, d'humilité qui font le bon pasteur (*Jn* 10, 4; *1 Pt.* 5, 1-4). De sa fonction de « rector ecclesiae » découlent des devoirs définis par sa position dans un ensemble organique: rapport à l'évêque, rapport au presbyterium, rapport au peuple chrétien. A chacune de ces situations correspond une attitude spirituelle particulière.

b) Sanctification du prêtre en tant qu'il annonce la Parole de Dieu aux fidèles. Dans l'étude et la méditation de la Parole de Dieu, qu'il est appelé à pénétrer pour l'annoncer aux autres, le prêtre découvrira l'immensité du Dessein d'amour de Dieu, il pourra vivre dans l'admiration, l'action de grâces, et recevoir consolation (*1 Cor.* 4, 9; *2 Cor.* 3, 7; *Eph.* 1, 3).

Le prêtre participera à l'ardeur du Christ pour annoncer le Royaume, à sa pitié pour les brebis sans pasteur (*Mc* 6, 34).

Dans les difficultés, les épreuves, les oppositions qu'il rencontrera dans l'annonce de l'Evangile, s'il veut être « intendant fidèle des mystères de Dieu » (*1 Cor.* 4, 1-2; *2 Cor.* 4), il prendra sa part de la passion du Christ Rédempteur.

c) Sanctification du prêtre en tant qu'il est ministre des sacrements de la foi. Placé entre Dieu et les hommes, il doit participer aux désirs, aux faiblesses, aux épreuves des hommes, mais pour y répondre avec les entrailles de la miséricorde du Christ qu'il représente. Surtout dans le Sacrement de l'Eucharistie, en célébrant la Passion et la Résurrection du Christ, sommet et source de toute la Pastorale, il est appelé à réaliser pour lui-même, ensemble avec son peuple, cette mort et cette résurrection: « Imitamini quod tractatis ». Ici se découvre la source et comme l'accomplissement de son zèle pour l'unité et la croissance de la communauté, de ses souffrances pastorales et de la purification de son ministère, de son espérance et de sa joie. Comment cette célébration, riche de tous ses efforts pastoraux, ne serait-elle pas le moment central de sa vie, l'expression et le signe efficace de sa sainteté sacerdotale!

2. *La pratique sacerdotale des conseils évangéliques.* C'est la mission même du prêtre, la fidélité à l'esprit évangélique dans lequel il doit l'accomplir, qui demande au prêtre la pratique « modo sacerdotali » des conseils évangéliques.

a) *La chasteté sacerdotale.* C'est dans cet esprit évangélique que se comprend et se veut la chasteté sacerdotale. La chasteté parfaire est déjà recommandée à tous les chrétiens: elle a convenance profonde avec quiconque est appelé à la résurrection (*Mt.* 19, 11; *1 Cor.* 7, 32-33). Dans l'Eglise, il est donné à plusieurs de porter dans la chasteté parfaite ce témoignage de résurrection. L'Eglise, depuis les premiers temps, à recommandé la chasteté parfaite à ses prêtres; peu à peu, elle l'a imposée, du moins en Occident. Il est vrai, la chasteté parfaite n'est pas de soi exigée par le ministère sacerdotal; mais, si on se place dans l'esprit de l'Evangile, elle lui convient très spécialement. Non seulement parce qu'elle a été gardée par le Christ lui-même, que le prêtre représente. Mais le message de résurrection qu'annonce le prêtre et qu'il célèbre dans sa liturgie, la nature des conseils qu'il donne, la liberté spirituelle nécessaire à son apostolat, font que la chasteté est dans la logique de sa vie sacerdotale.

En d'autres termes: le prêtre est le ministre de Dieu pour un peuple.

Or, être ministre de Dieu suppose qu'on est comme un instrument, totalement à la merci de celui qui vous utilise. Par conséquent, il faut lui apporter la plus grande disponibilité au titre même du « ministerium » ou de l'« instrumentum ».

Et de même, le prêtre doit être totalement au service du peuple de Dieu (directement ou indirectement selon la position des différents prêtres dans l'Eglise). Par conséquent, il doit être disponible au maximum à l'égard de ce peuple qu'il veut sauver.

Quant aux conditions nécessaires pour garder cette chasteté sacerdotale, il faut affirmer que la fidélité à l'exercice du ministère sacerdotal, dans l'Esprit du Christ, en est la condition essentielle. La garde du cœur, l'ascèse, la prière, la dévotion envers la Sainte Vierge, la « paternité des âmes », l'équilibre affectif et nerveux, et tous les autres moyens conseillés pour être fidèles à la chasteté, *sont inclus dans un ministère* qui se poursuit dans l'esprit de l'Evangile.

b) *La pauvreté sacerdotale.* C'est pour la même raison que le prêtre, à qui est confié le ministère du « trésor » de l'Evangile, doit comprendre comment il importe de tout « vendre » pour acquérir ce trésor: il doit avoir l'esprit de pauvreté, qui est aussi bien celui de la richesse essentielle. Pauvreté matérielle, en esprit et en acte, afin de ressembler au Christ (*2 Cor,* 8, 9) qui sait faire vivre ses apôtres dans le dénuement et dans l'abondance (*Phil.* 4, 19), selon les indications des circonstances et des besoins du ministère, mais toujours dans le détachement et le désintéressement qui conviennent à qui parle des richesses éternelles et doit « témoigner » pour elles.

En particulier, que le prêtre dispose sa maison de telle sorte que tous, riches et pauvres, puissent s'y trouver à l'aise. La pauvreté du prêtre ne doit pas seulement être matérielle: elle est détachement de ses aises, de son temps, de ses projets personnels: elle fait le prêtre tout à tous (*1 Cor* 9, 22). Elle est détachement, pour lui et pour l'Eglise, des projets et œuvres de « puissance », détachement des succès, détachement enfin de ses idées: sa seule richesse certaine est celle de l'amour de Dieu, du dessein rédempteur dont il est le ministre.

c) *L'obéissance sacerdotale.* C'est enfin dans son ministère accompli dans l'Esprit du Christ que le prêtre trouvera le sens de l'obéissance (*Phil.* 2, 1-9). Obéis-

sance certes à l'évêque, comme à celui à qui est confié le ministère de l'ensemble de l'Eglise et qui distribue les ministères (voir Schéma n. 7, 8). Mais aussi obéissance aux fidèles, dans le respect de leurs qualités, de leurs vocations et de leurs initiatives nécessaires; obéissance aussi aux « collaborateurs » dans le ministère, prêtres et laïcs, chacun ayant d'abord en soi le souci et l'amour du *bien de l'ensemble de la communauté.* C'est ce souci dominant, cette obéissance au bien de l'ensemble, qui assure les collaborations efficaces (voir Schéma n. 9). Cette obéissance n'est jamais passive, mais pleine d'initiative réfléchie, dans la liberté des enfants de Dieu et la force de l'Esprit de charité (2 *Cor.* 5, 14).

3. *Vie apostolique et sainteté sacerdotale.* Ainsi, c'est à travers *un apostolat* dans l'esprit de l'Evangile que le prêtre pourra augmenter sa vie intérieure. Celle-ci est précisément l'union au Père sauvant le monde par le Fils et dans l'Esprit, comme elle est donc action de grâces et amour du Père et des hommes. C'est dans la méditation sans cesse reprise de cet acte concret de Rédemption que le Christ accomplit par son ministère, que le prêtre garde l'authenticité du zèle et l'élan missionnaire. C'est par là qu'il nourrit l'esprit d'humilité et le sens de son service inutile, le désir de sa « diminution » et disparition pour que le Christ grandisse (*Mt.* 10, 38; 16, 24; *Mc* 8, 34; *Lc* 9, 23; *Col.* 1, 24), la science de savoir utiliser ses faiblesses, ses échecs et les oppositions, surtout celles venues d'autres apôtres. Et c'est ainsi qu'il fera grandir en lui, malgré tout, la joie de l'espérance et de la résurrection (*Act.* 5, 41). C'est cette persuasion intime de la grandeur et des « impossibilités » de sa mission (*Lc.* 18, 27), qui lui fera désirer prendre les moyens humainement utiles pour que sa mission sacerdotale soit sans cesse remise sous la lumière et l'influence de l'Esprit. Tel est le but des exercices spirituels: méditation, confession fréquente, étude, récollection et retraite, etc. En particulier, l'oraison le mettra sans cesse en face du Christ Sauveur et fréquemment en face de la Vierge Marie, modèle pour tous les chrétiens de l'union au Christ.

Mais le prêtre ne pourra réaliser une vie spirituelle si exigeante sans l'*appui d'une communauté.* S'il doit promouvoir celle-ci, elle-même à son tour le porte, qu'il s'agisse de la communauté chrétienne dont il a la responsabilité, ou de la communauté plus étroite de ses confrères. Cette confraternité des prêtres entre eux et avec les fidèles (dont il est parlé dans le Schéma, nn. 8 et 9) doit être une des grâces les plus puissantes pour la vie spirituelle du prêtre. C'est vraiment *ensemble* que prêtres et fidèles montent vers le Seigneur.

Conclusion. Il est facile de voir que, dans cette visée, l'unité de la vie du prêtre est assurée. La diversité des tâches, la complexité de la vie moderne, ne doivent pas « diviser » la vie spirituelle du prêtre. Dieu n'appelle pas à la division mais à la paix. Si celle-ci n'existe plus, c'est que l'attitude sacerdotale fondamentale n'est plus pleinement authentique, et c'est la grâce de l'ordination qu'il faut ressusciter (2 *Tim.* 1, 6): l'Esprit dans lequel on agit n'est plus l'authentique Esprit du Christ. Le prêtre doit alors réfléchir sur les conditions concrètes dans lesquelles il travaille et chercher si quelque attitude ne le met pas hors des désirs de l'Esprit.

A fortiori, la division entre culte et apostolat n'existera pas, si le culte est pour lui comme la célébration de tout son apostolat quotidien et si, avec sa propre vie, la vie de tous les chrétiens et même la vie des absents, est présente en chacune de ses célébrations. Le culte est alors comme le temps fort, l'expression et le signe efficace de tout son apostolat.

23

EXC.MUS P. D. ANTONIUS FUSTELLA
Episcopus Tudertinus

Declaretur status sacerdotalis dioecesanus status perfectionis: est etenim in se ipso status quem ratione perfectionis ingreditur sacerdos dioecesanus, in quo postea vivit cum mediis typicis, nempe oboedientia canonica, coelibatu atque rerum paupertate, vitae spiritualis Deo dicatae.

Pag. 26, linn. 23-24, substituatur aliquid melius expressioni parum dignae Concilio « valores vitae sexualis »: e. g. significationes et effectus vitae coniunctae.

24

EXC.MUS P. D. IOSEPH GARNERI
Episcopus Segusiensis

Pag. 13, lin. 21: « perticipationem », corrige: « participationem ».
Pag. 22, lin. 15: « praetermitat », corrige: « praetermittat ».
Pag. 22, lin. 17: « ceverim », corrige: « caverim ».
Pag. 22, lin. 18: « quinque », corrige: « quique ».
Pag. 22, lin. 26: « ereundum », corrige: « eruendum ».
Pag. 26, lin. 4: « vivunt », corrige: « vivum ».
Pag. 27, lin. 3: « non », corrige: « nos ».
Pag. 37, lin. 19: « robus », corrige: « robur ».

25

EXC.MUS P. D. IOSEPH GONÇALVES DA COSTA
Episcopus tit. Rhodopolitanus, aux. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Pag. 9, linn. 30 s. Videtur insufficiens. Oportet etiam ut dicatur quod episcopi debent invigilare ut in servitium Ecclesiae ponantur talenta quae in subditis suis forsan inveniantur in ordine ad scientias humanas adipiscendas et tractandas. Nam presbyterorum ministerium cum praecipue debeat esse circa proclamationem verbi Dei et sacramentorum administrationem, non tamen unice. Et hoc sive intuitu praesentiae magis actuosae in mundo hodierno sive ad hoc quod unusquisque melius multiplicetur dona sibi a Domino impertita.

Pag. 13, lin. 35. Addatur post « a iure determinanda »: « praeter Consilium Pastoralem, ... ». *Ratio*: ut clarius pateat quod hic agitur de alio coetu.

Pag. 26, lin. 32. Addatur post « commendantur »: « praeterquam debita praeparatio et conveniens experimentum ante ipsum susceptum presbyteratum ». *Ratio*: aliter non videtur possibile, in hodiernis adiunctis et ut in pluribus, vitam coelibem tamquam thesaurum a Deo datum per totam vitam portare.

Pag. 29, linn. 15 ss. Melius videtur remittere ad novum Codicem definitionem dare Officii ecclesiastici. *Ratio*: quia valde difficilis, speciali modo quantum ad *stabiliter*.

Pag. 29, lin. 24. Addatur post « ordinationem »: « et rectam rationem ».

Ratio: multoties enim prima facie videtur aliqua contradictio inter Ecclesiae ordinationes, quae sunt iuris positivi, et rectam rationem, seu bene formatum conscientiae iudicium practicum.

Pag. 29, lin. 38. Addatur: 1) post « sustentationem »: « imo et condignam recreationem ». *Ratio*: patet; 2) post « adimpletionem »: « benevolam ». *Ratio*: quia virtutes sociales inveniri debent etiam ex parte sacerdotis in suo ministerio.

Pag. 30, lin. 8. Haec locutio non videtur bene respondere textui Actuum ibi citatum ubi loquitur tantum de ecclesia quae erat Hierosolymis, sicut nobis ostendunt exegetae.

26

Exc.mus P. D. HENRICUS GUFFLET

Episcopus tit. Calamensis, coad. c.i.s. Lemovicensis

I - *Remarques générales*. 1. Le seul fait que le mot « laïc » soit constamment remplacé par le mot « fidèle » n'est-il pas un signe de l'inadaptation de ce schéma à l'enseignement de la Constitution de l'Eglise, et la marque d'un retard, d'un attachement au rôle traditionnellement clérical du prêtre?

2. Bien qu'il y ait, ici ou là, quelques incises pour marquer que les prêtres se doivent aussi aux non-croyants, l'impression générale demeure que le rôle des prêtres est présenté par rapport aux fidèles.

« La mission dans le monde » du prêtre ne ressort pas.

Or, à la base de cela, il risque d'y avoir un relent de conception d'une « Eglise en soi » séparée; et, par conséquent, une conception fausse de la vie chrétienne sans lien intrinsèque avec la vie humaine des gens: un surnaturel « en soi ».

Le prêtre ne peut exercer son ministère vrai qu'en pleine pâte humaine.

3. On ne voit pas la place du prêtre dans l'Eglise *signe* pour le monde croyant ou incroyant.

N. 1. Coupure, manque de relation entre le sacerdoce spirituel des fidèles et le sacerdoce ministériel des prêtres.

Il semble que le seul rôle du prêtre soit de fournir aux fidèles l'occasion d'offrir le Sacrifice de la Messe.

Pas d'allusion à la participation spirituelle des fidèles à ce sacrifice (c'est dit dans le dernier par. du n. 2).

Pas de lien marqué avec leur vie. On en retire l'impression d'une conception purement cultuelle du ministère, en contradiction avec la façon dont St Paul parle des ministères.

N. 2. Bonne présentation du fait de l'importance donnée à la Foi dans l'incorporation au Christ.

Bien qu'il soit fait allusion au rapport de la Foi et de la vie, ce n'est peut-être pas assez marqué, trop en filigrane.

Cela peut paraître un peu trop « enseignement ». Mais, il faut remarquer que le Prêtre, en tant que tel, participe au ministère épiscopal d'authentification de la doctrine de Foi, grâce à laquelle les laïcs *eux-mêmes* pourront juger *en sécurité* (sous cet aspect) de la conformité de leurs vues et de leur vie avec la pensée et la volonté de Dieu.

Ce qui suppose que les laïcs ne soient pas laissés à eux-mêmes au cours même

de ce jugement, car ils ont besoin d'être assurés de la vérité de leur démarche de jugement.

Fondement du fameux binôme: *prêtres laïcs.*

Le rôle propre du prêtre n'est pas d'élaborer la loi naturelle, la loi *morale,* au sens technique et restreint du mot.

Son rôle est de toujours indiquer et souligner les exigences et l'éclairage du théologal, du mystère du Christ dans l'Eglise.

N. 3. Il faudrait insister sur le fait qu'à notre époque se généralise de plus en plus l'habitude de réfléchir et comprendre et raisonner tous les élements de la vie, nature et vie proprement humaine.

Si le prêtre ne travaille pas une théologie qui suit ce travail, très rapidement, il deviendra incapable de remplir son rôle, tel qu'il est expliqué dans les remarques sur le n. 2.

Si le prêtre ne comprend rien aux problèmes qui, en fait, se posent aux hommes de son temps, comment peut-il les aider à les penser et les résoudre dans un sens chrétien *authentique.*

Or cela fait partie du rôle du sacerdoce de déclarer ce qui est authentiquement chrétien.

N. 4. Il est curieux de voir comme on est obsédé par le Sacrifice de la Messe.

On en oublie de marquer le lien nécessaire qui existe entre les Sacrements de la Pénitence-conversion et le sacrifice, et le rôle de premier plan du Prêtre, dans la pastorale de ces sacrements en lien spirituel avec le Sacrifice.

Baptême et Pénitence: nécessaire préparation à la Messe, non pas tant pour donner l'état de grâce que comme Sacrements de la conversion du cœur qui, seule, rend valable la participation des fidèles au sacrifice.

N. 5. Le rôle d'éducateur du prêtre est bien mis en lumière. Il est même intéressant de voir de quelle façon on y insiste. Cependant malgré:

P. 11, ligne 40: « action pastorale à exercer par manière de dialogue ».

P. 12, ligne 15: « que les prêtres cherchent la volonté de Dieu en collaboration avec les laïcs... ».

Tout le reste du § a un relent de cléricalisme...

La responsabilité des laïcs dans leur propre éducation et leur action mutuelle en vue de cette éducation ne ressort pas beaucoup; et par conséquent le rôle vrai d'éducateur du prêtre en est déformé.

L'apport de la communauté aux fidèles est bien marqué. Mais, à l'inverse, l'apport des fidèles à la communauté est complètement passé sous silence.

La responsabilité que les prêtres doivent reconnaître aux fidèles dans la réalisation et la vie de cette communauté.

N. 8. Bon dans l'ensemble. Mais, raisons prises seulement dans l'ordre surnaturel de leur caractère sacerdotal et pas de la *mission dans le monde* à laquelle les ordonne ce caractère.

Or, actuellement, le phénomène de socialisation exige des prêtres, si leur ministère veut s'exercer au service d'hommes réels, donc socialisés, en collant à ce phénomène de vie, c'est-à-dire en coopérant.

Rattacher là le phénomène *des migrations.*

N. 7. Beaucoup de choses intéressantes, mais pas assez vigoureusement liées avec la doctrine du prêtre « coopérateur » de l'évêque.

Il faudrait montrer comment doivent se réaliser, dans le concret les relations dans les deux sens entre prêtres et évêques à propos des 3 aspects de leur charge (ou ministère) commune.

Enseignement: pour avoir autorité le prêtre doit nécessairement se référer à l'enseignement du collège épiscopal à travers son Evêque.

Mais l'Evêque a besoin des prêtres pour savoir quels problèmes se posent et de quelle manière les éclairer.

Si les sacrements sont étroitement associés à la Pastorale, non pas considérés comme des « en-soi », le lien est aussi évident dans les deux sens.

L'obéissance devrait être présentée comme une manifestation de cette étroite collaboration, dans la reconnaissance du rôle propre de l'Evêque; ne pas l'assimiler à l'obéissance dans une société civile. Mais, bien montrer que c'est dans la substance même de son sacerdoce que le prêtre est lié à l'Evêque.

Par contre, bien marquer qu'à cause même de la nature substantielle de ce lien, l'Evêque doit faire participer très étroitement les prêtres à sa charge comme des responsables.

N. 9. Il n'est pas mauvais, sans doute, de commencer par rappeler aux prêtres leur foncière égalité avec les laïcs par rapport à l'appel à la sainteté. C'est pour les ancrer dans l'humilité.

Mais, lorsqu'on passe à leur fonction propre, pour les laïcs, il ne suffit pas de dire qu'ils doivent être serviteurs et modèles. Car, leur premier devoir est de remplir leur ministère.

A force d'insister sur l'esprit, ne pas supprimer le problème de la fonction elle-même.

Ce serait le moment où jamais d'exprimer clairement les relations entre la fonction du prêtre et celle du laïc dans l'Eglise.

Il faudrait insister sur le fait que le prêtre doit respecter à la fois: la dignité humaine du laïc dans son existence et son activité ecclésiale; l'action du Saint-Esprit en chaque laïc, et son rôle consiste précisément à la discerner. Mais, s'il l'a discernée, ne pas chercher à la diriger, à gouverner le St-Esprit. Aider seulement le fidèle à bien se laisser diriger et animer par l'Esprit-Saint.

Un paragraphe sur: le prêtre au service de l'Esprit Saint dans tous les fidèles, et même tous les hommes.

De plus, il n'est rien dit des relations du prêtre avec les non-fidèles.

En relation avec ce qui est dit au n. 10 (page 20, lignes 13-26) ne serait-il pas bon de rappeler la connaissance que le prêtre doit acquérir des laïcs, de leurs problèmes de vie, un dialogue constant avec eux pour ne pas risquer de plaquer — sans aucun succès bien entendu — du spirituel sur l'humain.

II - *Vie des prêtres.*

Nn. 12 et 13. Les motifs de la sainteté du prêtre. Les relations entre la sainteté du prêtre et l'exercice de ses fonctions ne sont pas marquées intrinsèquement.

Il est vrai que le prêtre annonce Jésus Christ, lorsqu'il dit la Parole authentique; sanctifie, lorsqu'il fait les Sacrements; unifie, lorsqu'il remplit son rôle de chef. Mais:

1. Peut-il faire l'éducation de la Foi, si lui-même n'a pas la perpétuelle préoc-

cupation de progresser dans la Foi: ce qu'il ne peut faire s'il ne vit pas dans l'esprit des Béatitudes.

2. Peut-il entraîner les fidèles à vivre consciemment de la Liturgie, lieu d'exercice de sa charge de sanctificateur, si lui-même ne cherche pas à en vivre.

3. Peut-il travailler à la Communion dans l'Unité, si lui-même n'est pas pénétré dans toutes ses démarches et ses relations avec les fidèles, du véritable amour de charité?

Il semble qu'il faudrait dire que: 1. Pour que les fidèles soient certains de rencontrer Dieu et son action, le Christ a transmis au prêtre des pouvoirs indépendants de son propre état de sainteté.

2. Mais, pour que lui, prêtre remplisse la charge en vue de laquelle ces pouvoirs lui ont été conférés, il a besoin de sans cesse chercher à se sanctifier.

N. 14. En même temps que les raisons tirées de son union avec le Christ et de la nécessité pour lui de participer consciemment au Sacrifice, et après tout, ces raisons ne représentent qu'un degré supérieur, par rapport au laïc, il faudrait insister sur celles qui sont tirées de l'exercice même de son ministère, des conditions d'exercice de ce ministère.

N. 15. Déséquilibre entre l'importance donnée à la chasteté parfaite et celle qui est attribuée à la pauvreté.

A force de vouloir insister sur l'état de chasteté parfaite, on fait disparaître presque complétement le rapport si profond et nécessaire entre les Béatitudes et la pratique du ministère.

Deux lignes et demie sur le St-Esprit; 15 lignes sur les exercices de piété.

27

Exc.mus P. D. IOSEPH HÖFFNER

Episcopus Monasteriensis

Pag. 8, lin. 9: citatio *Deut.* 2, 9 minime pertinet ad rem. Scribatur *Tit.* 1, 9.

Pag. 8, linn. 7-21: quae dicuntur de momento Verbi Dei in Ecclesia non sufficiunt; multo meliora inveniuntur in schemate *de divina revelatione,* art. 21 (cf. etiam art. 23, 24, 26). Cur non citantur loci Scripturae ibidem allegati vel alii, e. g. *Lc.* 10, 16 (loco *Lc.* 12, 49, in linn. 20-21 citati)?

Pag. 9, lin. 16: addatur *Io.* 14, 6.

Pag. 10, lin. 1: « sacramenta conficere » male sonat, praesertim si expressio in linguas modernas vertitur. Melius: sacramenta administrare.

Pag. 10, linn. 23-25: non placet conceptio ecclesiae (materialis). Quomodo « domus orationis » « praesentiam Dei hominibus manifestare » potest? Domus orationis prius est locus pro congregatione fidelium, in qua habetur etiam praesentia Dei specialis (cf. Const. *de S. Liturgia,* art. 7 et *Mt.* 18, 20), quam locus servationis Eucharistiae, prius sit apta « sacris sollemniis » (melius diceretur: sacris actionibus; cf. Constitutio *de S. Liturgia,* art. 124; Instructio ad exsecutionem Const. *de S. Liturgia* recte ordinandam, art. 90) quam orationi (singulorum). Mutetur ergo saltem ordo dicendorum: Domus orationis in qua fideles congregantur et Ss. Eucharistia servatur ... sit ad actiones sacras celebrandas iuxta veram ipsarum naturam et ad fidelium actuosam participationem obtinendam idonea (cf. Const. *de S. Liturgia,* art. 124: Instructio, art. 90).

Pag. 10. lin. 34: *Act.* 2, 42 Vg.; scribatur gr. (citatur nempe locus secundum textum graecum, non vulgatum).

Pag. 11, lin. 8: *Gal.* 4, 31: scribatur *Gal.* 4, 31; 5, 1 et addatur *Gal.* 5, 13.

Pag. 11, linn. 20-21: *Mt.* 25, 34-35; addatur *Mc.* 2, 16-17.

Pag. 11, linn. 22-23: *1 Io.* 2, 13-14; addatur *Eph.* 6, 1-2.

Pag. 15, lin. 1: *1 Cor.* 12, 4-7, dicatur *1 Cor.* 12, 4-11.

Pag. 19, lin. 23: addatur: cf. 8, 14.

Pag. 20, lin. 33: secundum: *Act.* 13, 2-3 non apostoli suggerente Spiritu Sancto Paulum (quamvis iam a Christo ipso vocatum) et Barnabam seligunt eisque manus imponunt (quae impositio non erat ordinatio in sensu sacramentali), sed ecclesia Antiochena vel eius rectores.

Pag. 23, lin. 5: citatio *Act.* 1, 1 hic non est ad rem. Omittatur tota lin. 5.

Pag. 23, linn. 16-17: phrasis ob particulam « quidem » sic sonat ac si celebratio conscia et piissima consisteret in praeparatione et gratiarum actione. Dicatur ergo: conscie ... presbyteri Eucharistiam cotidie celebrant, ferventer se praeparantes et postea gratias agentes.

Pag. 27, lin. 3: loco « non » scribatur « nos ».

Pag. 29, linn. 5-6: omittatur « teste diaconatus institutione ». Controvertitur inter exegetas, utrum in *Act.* 6, 1-6 agatur de diaconis.

Pag. 29, lin. 30: « ad cultum divinum ordinandum »: dicatur vel « ad divina officia ordinanda » vel « ad sacram liturgiam peragendam ». « Cultus divinus », expressio a tempore scholasticorum adhibita pro « officiis divinis » aut pro « liturgia » (termino demum saec. XVI ex lingua graeca introducto) vitatur a Constit. *de S. Liturgia,* et iure, quia « cultus » vi vocis comprehendit tantum partem latreuticam liturgiae, non vero sacramentalem.

Pag. 30, lin. 10: « omnia communia »; sed certe secundum *Act.* 5, 4 credentibus temporis apostolici proprietas privata non erat vetita.

28

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS M. JACONO
Episcopus tit. Patarensis

Ad n. 11, pag. 21, lin. 20, post citationem (*Lc.* 10, 2) addatur: « quod auctoritatis territorialis, iuxta humillimum votum commune in Ecclesia Christi, introducere velit in Oratione Communi Sacrificii Missae addendo: Domine messis, mitte operarios in messem tuam.

In n. 13, lin. 7, pag. 22, textus emendati, addatur: « Ut sacerdotium presbyterii peculiari indiget initiatione sacramentali, quae ceu quaedam incorporatio missioni episcopali est habenda, ita spiritualitas specifica sacerdotis dioecesani tanquam peculiaris participatio caritati pastorali episcopi est retinenda.

Episcopus enim neo sacerdotes — cooperatores ordinis episcopalis — suavissime, nomine Christi, appellat « amicos »: « Iam non dicam vos servos sed amicos. Vos amici mei estis si feceritis quae ego praecepio vobis » (Rit. Pont. Rom.).

Deinde humiliter expostulat « reverentiam et oboedientiam » et, responso affirmativo accepto, intenso animi sensu, osculum pacis donat dicens: « Pax Domini sit semper tecum ».

In animi promptitudine et docilitate ad sensus caritatis pastoralis episcopi ergo radix, fundamentum et incrementum, per Spiritus Sancti donum, spiritualitatis sacerdotalis est ponenda. Ut Episcopus « sanctus et sanctificator » est animarum, ita sacerdos, secundario et in communione cum Episcopo, sanctus et sanctificator animarum est in officiis sui status.

29

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH KROL
Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

In Genere. Schema hoc habet characterem profunde spiritualem et eminenter pastoralem, atque ideis novis utilibusque animatur.

In Specie. Pag. 25, n. 15, linn. 34 ss.: quaeritur utrum haec verba, quae argumentum validum pro statu coelibatus introducunt, nimium urgeantur. Suntne assertiones hae prudentes: « ... « potestas quae ... Presbyteris datur ... nihil commune habet cum naturalibus viribus quibus vita propagatur vel augetur »; et ... « suam missionem supra omnes vires carnis et sanguinis sitam esse ... »? Nonne huiusmodi verba adhiberi possent ad firmanda argumenta eorum qui contendunt sacerdotes incapaces esse ne docendi quidem de vitae maritalis moralitate? Possentne adversarii nostri has assertiones contra nos torquere ad negandam facultatem seu vires Sacerdotum in diiudicando de vitae quotidianae difficultatibus apud sponsos?

Pag. 26, n. 15, lin. 4: vox « vivunt » contextui non congruit. Fortasse « vivum » intenditur.

Pag. 30, n. 19, linn. 19 ss.: quoad verba « massa bonorum communis » nonne prudentius utiliusque esset scribere « constituatur oportet ex bonis a fidelium oblationibus, immo etiam ex bonis paroeciarum ipsarum provenientibus »?

30

Exc.mus P. D. THOMAS LEONETTI
Archiepiscopus Capuanus

Novem habentur in schemate paragraphi ex novo confectae eaeque satis amplae; reliquae vero paragraphi sunt ex integro recognitae et auctae: nova proinde videtur necessaria esse in Aula disceptatio schematis huius ante suffragationem eiusdem.

His praemissis, haec inter alia animadvertenda habui:

Pag. 15, linn. 31-35: ne putetur « Ordinem » presbyteralem intelligendum esse eodem sensu ac « collegium » episcopale, hoc fere modo dicatur: « Sicut episcopi per consacrationem in ordine episcopali, ita presbyteri per ordinationem in ordine presbyterali — qui ab ordine episcopali essentialiter dependet — constituuntur ».

Pag. 25, linn. 27 ss., ut explicite commemoretur Christi Domini et eiusdem B. Matris exemplum, dicendum putarem: « Presbyteris ergo convenit ut, exemplum Iesu Christi eiusque Virginis Matris atque consilium Pauli ... revocantes, hanc viam subditis vivendo denuntient ... ».

Pag. 30, lin. 15: quo melius indicetur de quanam agatur obligatione, rectiorque evadat citatio, haud litteralis, *2 Cor.* 8, 14, dicendum putarem hoc fere modo: « ... qua valeant episcopi obligationi suis presbyteris subveniendi satis facere aliisque suae dioecesis necessitatibus occurrere, quaque etiam valeant dioeceses divitiores adiuvare pauperiores, ut illarum abundantia harum inopia sit supplementum » (cf. *2 Cor.* 8, 14).

31

EXC.MUS P. D. IOANNES IOSEPH McCARTHY
Archiepiscopus Nairobiensis

Durantibus congregationibus generalibus sessionum Concilii Vaticani II, sermo de paupertate christiana saepe factus est, quae res ad sacerdotes speciali modo pertinet; si enim omnes christiani spiritu paupertatis imbuti esse debent eumque in vita cotidiana exercere, hoc a fortiori verum est ubi agitur de sacerdotibus qui aliis exemplum praestare debent.

Defectus autem notorius huius paupertatis in mundo hodierno in usu vel potius abusu tobacci invenitur; summae pecuniae revera ingentissimae singulis annis in tobacco emendo profunduntur. Ubi maior pars hominum rebus ad vitam proprie humanam ducendam necessariis carent, scandalosum est ministros Christi res prorsus superfluas comparando sibi indulgere; hic abusus eo vel magis improbandus est quod in dies a medicis dicitur tobaccum sumere bonae valetudini nocere.

Causa huius indulgentiae in falsa philosophia sita esse videtur qua homines persuasum sibi habent se vitam mundanam cum christiana coniungere posse, non obstante monitione Apostoli scribentis « amicitiam huius mundi inimicam esse Dei » (*Iac.* 4. 4). Saepe praedicatio evangelii in inculcationem virtutum naturalium devenit, omisso Christi Domini praecepto de sui abnegatione ut conditione sine qua nemo eius discipulus esse potest.

Itaque cum tantum dissertum est de ecclesia renovanda, de vita sacerdotali instauranda, optandum plane videtur ut defectus tam notus paupertatis apud sacerdotes publice reprehendetur atque ut ipsi ad veram Christi paupertatem sequendam revocentur.

32

EXC.MUS P. D. LEO MAHER
Episcopus S. Rosae in California

Essentia et dignitas sacerdotii presbyterorum. Presbyterorum sacerdotium rationem et dignitatem deducit a nexu intrinseco cum sacerdotio episcoporum, quorum ministerium apostolicum consociat. Episcopus sacerdotem et dioecesanum et religiosum ordinat qui sit suus cooperator, alter altero modo. Sacerdos igitur episcopo debet, non solum reverentiam et oboedientiam, sed etiam reapse ipsam exsistentiam sacerdotalem. Oportet ergo sacerdotium presbyterorum definiri ut munus mediatoris multiforme quod Christus ipse per vitam suam exercuit et quod per episcopatum communicat. Quem nexum essentialem officii sacerdotis cum officio apostolico episcopi cognoscere videtur S. Paulus, presbyteros Ephesinos hortando, « Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos

regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo » (*Act.* 20, 28). Quae verba suggerunt apostolum potestatem Ordinis successoribus communicasse modo inferiori atque dependenti quia Spiritus Sanctus, per Ordinis gratiam, eos constituisset auxiliatores apostoli. Quam interpretationem confirmat vetus oratio Pontificalis Romani: in ritu ordinationis ad sacros ordines diaconatus et presbyteratus, impositione manuum peracta, non agitur de potestate ordinatorum in corpus Eucharisticum Christi, sed perspicue declaratur eos esse « secundi meriti » cooperatores episcopi. Quapropter sanctissima Scriptura atque vetustissimae traditiones sanctae Matris Ecclesiae plane demonstrant sacerdotem esse, propter Ordinis virtutem, antistitis cooperatorem in Redemptione per orbem propaganda.

Sacerdos in Sacra Liturgia Celebranda. Episcopo, utpote sacerdoti magno, officium praecipuum et essentiale est offerre sacrificium et praeesse fidelibus ad cultum divinum coadunatis: « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis » (*Hebr.* 5, 1). Simili modo sacerdos, vicem episcopi gerens, vitam liturgicam Ecclesiae fovere tenetur, ac praesertim fideles ducere ad plenam, consciam atque actuosam celebrationem liturgicam sacrosanctae Eucharistiae et aliorum Sacramentorum.

Tempora anni liturgici multifaria prae mentibus fidelium Christum repraesentabunt in Ecclesia sua semper viventem, ex quo tam sacerdos quam populus vitam, gratiam, atque vigorem haurient tamquam palmites de vite et membra de capite. Sacra Liturgia, actuose et fructuose celebrata, illud sensim adipiscetur, de quo praeclariter scripsit Sanctus Paulus, « mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13).

Sacerdos ut Doctor. Ut Ecclesia necessitates temporum hodiernorum adimpleat, opus est ut unusquisque sacerdos capessat seipsum esse doctorem: « Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? » (*Rom.* 10, 14). Officium sacerdotis ut doctoris praetermittere nequit vim docendi quae ipsi Sacrae Liturgiae inest; praeterea maximi momenti est Ecclesiae aetatis nostrae ut, coetibus laicorum auxiliantibus, instrumenta communicationis socialis hodierna adhibeat.

Sacerdos ut Membrum Communitatis Civilis. Saepe necesse est ut, superioribus ecclesiasticis approbantibus, sacerdos, in communitate civili degens, ministerium extendat ultra ipsius parochiae officia. Hodiernae necessitates societatis civilis — regionalis, provincialis, nationalis, atque etiam internationalis — requirunt Matris Ecclesiae afflatum.

Incumbit ipsi sacerdoti, membro societatis hodiernae, eius quasvis facultates, opportunitates, et difficultates scutari lumine Evangelii et consilia comperire ut in dies augeatur pax Christi in regno Christi.

Praeterea sacerdos religiosus, qui profecto proposita proprii Instituti specialia consectatur, semper autem debet cognoscere se esse membrum totius Christi atque in vita totius Ecclesiae participare obligari; insuper numquam ei licet progressus rerum hodiernarum praetermittere.

Episcopus, utpote pastor fidelium praecipuus, quando una cum clero consilia apostolica auspicatur atque prosequitur, officium optime adimplet.

33

EXC.MUS P. D. SANCTUS MORO BRIZ
Episcopus Abulensis

Presbyteri praestantiores vehementer exoptant Concilium exarare documentum de sacerdotio, non quidem praecedentibus simile, utut perfecta (« haerent animo », « ad catholici sacerdotii », « menti nostrae » ...), sed diversum, quod melius hodierna problemata solvat, et lucem (« orientazioni ») praebeat ad dissipandas tot « confusiones », et viam sternat « Codici legum atque normarum », quae sacerdotem, quantum fas est, intime *cogant* ut talis evadat qualis hodie esse debet.

En facta: 1) Nostris diebus hominum vita magnopere immutata est, non modo exterius sed interne quoque. Ante hoc factum, vel optimi sacerdotes — generatim loquendo — comperiunt et dolent propriam inefficaciam apostolicam ad homines in viam salutis ducendos.

2) Providus Deus evolutionem vitae humanae (progressum) in temporalibus amat. Inhiat etiam sine dubio, non modo sacerdotium « ut sic », sed sacerdotium « actuale », vere efficax ad mundi salutem curandam. Cur ergo missio salvifica sacerdotis hodierni magna ex parte virtutem amisit? En gravissimum problema. Nonnulli sacerdotes nimis intra se recluduntur; alii, e contra, plenius « sese dant » et merguntur sine mensura in mundo.

3) Profecto simplex factum sese immergendi in mundo ..., non sufficit, si sacerdos, aliunde, imparatus inveniatur.

Opus est in sacerdote talis vitae fulgor atque virtutum, ut mundus comperiat verbum Dei quod sacerdos praedicat, Sacramenta quae administrat, caritas quam communitati christianae imponit ..., vere ostendere « figuram supernaturalem fulgentissimam ». Haec figura, proh dolor, non abundat! Vehementer igitur exigit Ecclesia *novam atque efficacem actuositatem* (nova incepta), et quidem intra septa cuiusque dioecesis, quae potens sit ad sacerdotes (et sacrorum alumnos) transformandos.

4) Dolendum tamen est *actionem dioecesanam* erga sacerdotes esse valde deficientem. Assistentia ipsis praestita est minima, vel saltem insufficiens: hinc tot sacerdotes tepidi, desiderio sese *renovandi* destituti, qui paternam vigilantiam et moderamen (« control ») Praelati fugiunt ...

Clerus dioecesanus triplicem praesefert essentialem defectum, scilicet spiritualem, culturalem (scientificum), pastoralem (in hoc ultimo deest non modo « technica » apostolica, sed spiritus missionarius, vulgo « conquista »).

5) Ad *vitam spiritualem,* quod attinet, complurium sacerdotum, nemo est qui eam invigilet; et tamen invigilari deberet. Maior eorum pars virtute (disciplina) destituuntur ad vigilandum super seipsos; nec moderatio magistri spiritus vel Consociatio sacerdotalis hanc vigilantiam supplent.

Episcopus autem sollicitus esse debet et certo scire, suos sacerdotes esse vere spirituales (recta quidem spiritualitate). Quod, ut possint assequi, regulae statui deberent vitae sacerdotalis, nitidae et definitae. Et invigilari eorum adimpletionem.

6) Porro in schemate apparet « Coetus dioecesanus, constans selectis Presby-

teris ... quem Episcopus semper audiat in rebus maioris momenti ... ». Haec institutio problemata supra memorata solveret atque defectus sanare valeret.

7) Adhuc tamen in schemate statui debent « *principia* atque regulas ad perfectionem sacerdotalem moderandam ». Deinde conficere oporteret « Statutum Canonicum » perfectionis sacerdotalis (in quo aspectus etiam *culturalis* et *pastoralis* vitae sacerdotalis adnumerarentur, utpote ad perfectionem necessarii), quod omnibus applicaretur (= ab omnibus servandum). Episcopus autem cum Coetu Dioecesano hunc gressum (vulgo « movimento ») versus perfectionem moderaretur.

8) Schema solutiones supradictorum problematum sufficienter non urget, vel saltem eas rite non effert. Idcirco pertimescendum est varias advenire interpretationes, quae solutiones compluribus sacerdotibus reddant inefficaces ...

I - *Animadversiones generales.*

1. *Elementa positiva.* « Textus emendatus » huius Decreti, adductus a Commissione die 12 novembris 1964, notabiliter melior apparet (doctrinam huius thematis mutavit duplici forma redactam: prima sub 10 brevissimis propositionibus, altera ampliori forma descripta, quae die 2 octobris eiusdem anni prolata est, et postea Commissioni denuo tradita fuit, ut aptius exprimeretur sicut Patrum maiori parti placuerit).

a) Nunc textus maiori extensione profertur, et quaedam quaestiones maximi momenti, circa sacerdotium eiusdemque naturam, plene evolvuntur, quae vix annuntiatae apparebant. Adhuc tamen non profert theologicum tractatum completum, organicum, de sacerdotio, nec, ut desiderari liceret, altam investigationem circa theologicam naturam relationis inter Episcopatum et Presbyteratum.

b) Quaedam, etsi non omnes, collectae sunt animadversiones a Patribus adductae, quo fit ut aspectus spiritualis et disciplinaris textus maiori amplitudine tractetur ...

c) Profert igitur amplior « programma » elementorum *renovationis* vitae sacerdotalis ad ministerium efficaciorem insuper inservientium, inter quae memorari iuvat cursus pro renovatione spirituali, pastorali et scientifica sacerdotum; consociationes sacerdotales; vehementem vitae communis commendationem; institutionem praefecti studiorum, etc.

Si ergo integre consideretur, haec nova Decreti redactio, opportunis modificationibus introductis, praebet fundamentum aptum disceptationi et elaborationi Decreti definitivi de sacerdotio, quo finis pastoralis Concilii bene assequi possit.

2. *Elementa negativa* (indolis generalis). Quibusdam minoris momenti praetermissis (e. g. repetitiones, inaequalis stylus, etc.), ut praecipuum negativum elementum, quod indigeat correctione, assignari potest ipsa schematis structura interna vel « systematizatio ». Ordo iste artificiosus et minus logicus apparet. Qui defectus claritati universae materiae nocent.

Post breve prooemium, constat duobus partibus: *ministerium* et vita *presbyterorum.*

Prooemium.

Prima pars. Ministerium presbyterorum:

1. De natura presbyteratus; 2. Presbyter ut Verbi Dei minister; 3. Presbyterorum scientia sacra; 4. De Presbyteris ut Sacramentorum atque Eucharistiae ministris; 5. De Presbyteris uti populi Dei rectoribus; 6. De scientia et praxi pastorali;

7. Relationes inter Episcopos et Presbyteros; 8. De confraternitate et cooperatione inter presbyteros; 9. De consuetudine presbyterorum cum laicis; 10. Aequa distributio presbyterorum; 11. De candidatis ad sacerdotium.

Secunda pars. De vita presbyterorum:

12. De peculiari ordinatione sacerdotum ad sanctitatem; 13. Triplicis sacerdotalis functionis exercitium postulat et fovet sanctitatem; 14. Unitas et necessitudo in vita presbyterorum; 15. De castitate aliisque consiliis evangelicis; 16. De mediis ad fovendam vitam spiritualem; 17. De iusta remuneratione presbyterorum; 18. De ordinato usu bonorum temporalium; 19. De « praevisione sociali » presbyterorum; 20. Exhortatio finalis.

Haec inadaequata divisio (ministerium scilicet et vita sacerdotalis), secum fert idearum iterationem: item accidit ut de sacerdotis *scientia* sub n. 3 agatur tamquam si haec verbi ministerio tantum inserviret et non ceteris functionibus sacerdotalibus: pariter fit ut de mediis ad fovendam castitatem sacerdotalem — n. 15 — prius quam de mediis generalibus ad cultum vitae interioris sacerdotum agatur, etc.

Sequens expositio ordinatior, rationabilior ac magis perspicua nobis videtur:

Prooemium.

I - *De natura presbyteratus* (1).

II - *De functionibus presbyteri*: Minister Verbi (2); Minister Sacramentorum et Eucharistiae (4); Rector Populi Dei (5).

III - *Exigentiae sacerdotii ob eius naturam et functiones*: Specialis exigentia sanctitatis (12); Exercitium triplicis potestatis sacerdotalis postulat et fovet sanctitatem (13); De mediis ad fovendam vitam spiritualem (16); De castitate aliisque consiliis evangelicis (15); Unitas et necessitudo in vita presbyterorum (14); Presbyterorum scientia sacra (3); De scientia et praxi pastorali (6); Relationes inter Episcopos et Presbyteros (7); De confraternitate et cooperatione inter presbyteros (8); De consuetudine presbyterorum cum laicis (9); Aequa presbyterorum distributio (10); Supprimatur doctrina sub numero 11 apposita.

IV - *De consulendo necessitatibus spiritualibus ac materialibus presbyterorum*: De opitulatione spirituali (nova doctrina addenda); De opitulatione oeconomica. Iusta remuneratio (17); De ordinato usu bonorum temporalium (18); De « praevisione sociali » presbyterorum (19).

V - *Exhortatio finalis* (20).

Divisio nunc apposita complet priorem atque in lucem edit, — iuxta placita aliquorum Patrum, — necessitatem (ideoque officium ex parte Episcopi), praestandi diligentem et studiosam curam presbyteris, sive spiritualem, — quae vix in redactione a Commissione allata (cf. n. 6) commemoratur —, sive ordinis materialis.

II - *Animadversiones in specie.*

Prooemium. Textus prooemii redigi deberet, ita ut idearum iteratio vitetur et simpliciore et ordinatiore forma exprimatur. Ita exempli gratia: « Quamvis in constitutione *de Ecclesia,* in decretis (...) Sacrosancta haec Synodus iam pluries de ordine presbyteratus egerit, quoniam presbyteri sacra ordinatione atque missione per episcopos receptas, promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacer-

doti et Regi, cuius participant ministerium ad indesinentem Corporis mystici aedificationem, atque ideo ipsis presbyteris in Ecclesiae Christi renovatione partes maxime et quidem in dies difficiliores assignentur, necessarium visum est huic sacrae Synodo fusius et profundius de presbyteratu tractare ut huius ordinis presbyteratus inaestimabilis excellentia, tam pastoralis quam spiritualis, in memoriam omnium revocetur et in meliorem lucem ponatur. Eadem igitur sancta Synodus quae sequuntur statuere decrevit ad ministerium presbyterorum in his hodiernis adiunctis efficacius sustinendum, atque ad curam melius gerendam de eorum vita ».

(N. 1 textus). *Natura relationis in episcopatu-presbyteratu.* Sequens redactio nobis aptior videretur: « Officium ergo, tum Episcopatus tum Presbyterii in ordine suo, participat auctoritatem ac potestates quibus Christus ipse Corpus suum extruxit, sanctificat et regit, atque ad sacerdotium fidelium, quantumvis sublime, reduci non potest. Itaque sacerdotium presbyterii eiusque ministeria non conferuntur nisi per peculiare sacramentum a Christo Domino institutum, quo et sacerdotio Christi Capitis sacramentaliter presbyteri configurantur et missione Episcopi, utpote providi cooperatores ordinis episcopalis, incorporantur. Quapropter sicut per Episcopos missio apostolorum prosequitur, ita per presbyterorum sacerdotium apostolica missio episcoporum rite in Ecclesia expletur ».

In hac redactione verbum « spirituale », cum de sacerdotio fidelium loquimur, suppressum est. Omne sacerdotium, etiam ministeriale, pariter spirituale dicendum.

(N. 3). Si textus ordo servatur, clarior illatio inveniri deberet ut transitus fiat a n. 2 ad n. 3; insuper adnotare sacerdotem scientia egere ad omnes ministerii functiones rite persolvendas (nec tantum ad ministerium verbi).

(N. 4). Opportunum esset loqui, etsi breviter, de humanitate Christi tamquam medio et instrumento a Deo signato ut eius sanctitas hominibus communicetur (pag. 9, lin. 36): « Etsi solus Deus Sanctus et Sanctificator sit, non dedignatur tamen homines quasi in socios et adiutores humanitatis vivificantis Christi, fontis vitae et sanctitatis, assumere ... ».

(N. 4). Paragraphus ultima huius numeri (pag. 10, linn. 23-28), circa decorem materialis templi indolem et sacerdotis instructionem in hac disciplina, tolli deberet, quod extra proprium locum versatur, et iam de eadem re sufficienter in Constitutione de Sacra Liturgia actum est.

(N. 6). « Tertiae probationis annus ». Quod in relatione dicitur (pag. 36), nobis probandum videtur, praesertim quoad terminologiam et organizationem. Attamen ipse « textus » (n. 6, linn. 25-37) inceptum quoddam innuit, quod aequipolleret, pro sacerdotibus, tertio anno probationis.

Optandum tamen esset ut pressius statuatur et tempus quo sacerdotes hoc curriculum integrum peragerent (paucis post ordinationem annis ...), et durationem curriculi (per aliquos menses); secus talis commendatio nimis vaga maneret ideoque esset inefficax.

(Pag. 12, lin. 25). Posset ita exprimi: « Considerent demum singulae conferentiae episcopales modum opportuniorem efficiendi ut in proprio cuiusque territorio omnes presbyteri, statis temporibus, maxime autem paucos post annos ab eorum ordinatione, frequentare possit cursum completum, aliquot menses perdurantem, renovationis doctrinalis, spiritualis et pastoralis ... ».

(N. 7). *Institutio « Coetus diocesani », qui totius presbyterii vices gerat.*

In relatione (pag. 36) dicitur commissioni videri (contra mentem duorum Patrum), modum iuridice constituendi talem Coetum presbyterorum in quacumque

dioecesi commendari debere commissioni pro revisione Codicis Iuris Canonici. Opportunius ergo appareret nihil amplius addere circa facultates et functiones huius coetus, « quem episcopus semper audiat in rebus maioris momenti pro regimine dioeceseos ».

Dicatur proinde e. g. (pag. 13, linn. 33-39): « Ut hoc vero aptiori, quam nunc viget modo, ad praxim deveniat, instituatur forma ac normis a iure determinandis, coetus dioecesanus, constans selectis presbyteris totum presbyterium repraesentantibus, qui episcopo in regimine dioeceseos efficaciter adiuvare possit ».

(N. 8). *Consociationes sacerdotalies.*

In textu, duabus lineis et dimidia persolvitur (pag. 17, linn. 8-11). *a*) Eius momentum aliquid amplius postularet. *b*) Nullo modo oblivisci potest tales consociationes de facto exsistere et magno membrorum numero constare. *c*) Nec praetereundae sunt nec minuendae frequentes circa hoc Magisterii Pontificii commendationes. Quodsi rationes apparerent adeo potentes ut in praesens praedictae consociationes minus utiles viderentur, vel quid mali ex ipsis pertimesci posset, adhuc inconveniens esset ut Concilium gravem quaestionem duabus lineis persolveret.

Desideratur ergo nova redactio in qua apprime hi conceptus appareant:

1) Momentum talium consociationum ad promovendam personalem sacerdotis perfectionem et uberiores in apostolatu fructus assequendos.

2) Condiciones ut earum scopus realiter adimpleatur: *a*) proprio Ordinario subiiciantur; *b*) nullo modo odiosae sacerdotum discriminationi ansam praebeant.

Duas supra memoratas lineas novo hoc textu mutaremus: « Ad hoc fines assequendos, magni praesertim habendae sunt et diligenter fovendae associationes quae per aptam et convenienter approbatam ordinationem vitae et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in mundo degentium fovere intendunt, ac de facto fovent, sicut iam ampla docet experientia et Summorum Pontificum (cf. v. g. S. Pio X, *Haerent animo,* 2 agosto 1908. Ioannes XXIII ...) non rara exhortatio confirmat.

Quae tamen associationes ut efficaciores evadant sub dependentia proprii episcopi dioecesani exsistere debent, vel saltem umquam auctoritati ipsius nec contradicant nec illam minuant, atque ullo modo ansam praebeant cuicumque discriminationi inter sacerdotes eiusdem dioecesis ».

(N. 11). Expungatur integer n. 11, siquidem de vocationibus sacerdotalibus, de necessitate fovendi et seligendi candidatos, expresse et sufficienter in schemate *de Institutione sacerdotali* sermo fuit.

(N. 12). *Influxus sanctitatis ministri ad efficaciam ministerii.*

Tantunmodo in textu adducitur ad commendandam ministri sanctitatem pro uberiore apostolatus fructu exemplum Sanctorum (pag. 22, linn. 17-23). Opportunius videretur quaestionem tanti momenti (subtilis etiam ob ineptas deductiones ex principio efficaciae « ex opere operato » Sacramentorum) fulciendam esse argumentis maioris ponderis, sive ex doctrina, sive ex auctoritate magisterii Summorum Pontificum deductis.

Proponimus igitur hunc textum: « Praeterea quamvis " servi inutiles sumus " (*Lc.* 17, 10), et quamvis gratia Dei per indignos ministros opus salutis explere potest per effectum, " ex opere operato ", sacramentorum Ecclesiae, cuius validitas a sanctitate ministri certe non pendet, tamen sicut praeclare omnibus semper innotuit ex doctrina Domini nostri (*Io.* 15, 4, ss.), SS. Patrum, constanti abundantique magisterio sollemni SS. Pontificum (Pio X, *Haerent animo,* 2 aug. 1908.

PIO XI, *Mens Nostra,* 20 dec. 1920. PIO XI, *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935), atque vita sanctorum continuo roboratur, per illos ordinaria lege praediligit Deus mirabilia ostendere, qui dociliores ductui et impulsui Spiritus Sancti facti, ob suam intimam cum Christo unionem et vitae sanctimoniam, cum apostolo dicere possunt ... ».

Expresse in his Encyclicis doctrina de effectu « ex opere operato » Sacramentorum commemoratur. Addit tamen divinam benedictionem super eos qui « faciunt id quod praedicant ... ».

(N. 12). *De virtutibus theologicis in sanctitate sacerdotali.*

In fine huius numeri videretur conveniens adiungere brevem paragraphum ut urgeatur necessitas virtutum theologicarum ut fundamentum et iuge atque necessarium alimentum, tum pro personali sanctitate sacerdotis, tum pro eiusdem ministerio salutis inter homines.

E. g. ita: « Tota vero vita sanctitatis sacerdotalis ut fundamentum et iuge alimentum habeat oportet virtutes quae theologales appellantur, fidem scil., luce sua supernaturali universa illuminantem, ac viam veritatis — tam vita quam verbo — hominibus ostendentem; spem eschatologicae hereditatis, quae animos allicit ac sustinet; caritatem denique " maiorem omnium " virtutum (cf. *1 Cor.* 13, 13) et " vinculum perfectionis " eiusque compendium ».

(N. 14). N. 14 sic breviter mutari posset: « Quod ut vitent, meminerint semper officium suum talis esse naturae ut, si agnoscant quod agunt, integra vita presbyterorum continuus labor sit ad maiorem perfectionem obtinendam (...). Ad exemplum Christi Domini (...) suae vitae unitate quaerant in agnitione voluntatis Eius (cf. *Col.* 1, 9). (...) et continua unione cum ipso Christo (...). Itaque Presbyteri ... ».

Coelibatus sacerdotalis.

Describitur coelibatus ut *donum Dei* secundum Matthaeum 19, 11, et 1ª ad Corinthios 7, 7. Tribus vel quatuor locis iteratur conceptus iste, adeo ut dicatur: « qui sacrum coelibatum ... accipiunt » (pag. 26, lin. 18). Videntur in Commissionem aliquantulum influere quaedam animadversiones in Aula Conciliari eodem sensu prolatae, in quibus forte quoddam hodiernum systema doctrinale latet. Veluti certum principium huius systematis passim circumfertur « castitatem esse donum Dei speciale ». Huius principii conclusio immediata (interdum palam prolata) haec est: « si quis tale donum non accepit, nulla lege humana tenetur ad servandam castitatem; potest coelibatum deserere, quamvis sacerdotale munus exercere pergat, vel etiam exercitium ordinis sacerdotalis dimittere, si Ecclesiae condicio sine qua non videatur ... ».

Quamvis in textu Decreti talis conclusio non eruatur, et dicatur « gratia Dei aliisque mediis humanis » posse hominem fidelem esse dono accepto, valde conveniens apparet complere hanc doctrinam et prudenter eam temperare, addendo: « sacerdotem *libere* hoc onus accepisse, et *voluntarie* sese submisisse legi ac condicioni quam Ecclesia, — iure divino Sacramentorum dispensatrix —, imponit ei qui sacerdotio Christi et missioni apostolicae velit mancipari ». Ut quis in sacerdotium cooptetur, Ecclesia exigit certitudinem moralem candidatum accepisse et possidere tale donum castitatis, et libere et scienter paratum sese offerre ad fidelitatem tali dono et gravi oneri contracto praestandam, utendo semper omnibus mediis naturalibus et supernaturalibus, de quibus in textu mentio fit ...

Sequentes proponuntur emendationes:

a) (pag. 25, linn. 38-39). Pro textu *Ioann.* 6, 63, qui hoc loco nihil interest, ponatur *Ioann.* 1, 12: « dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius; qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt »; *b*) (pag. 26, linn. 17 ss.): « Omnibus ergo Presbyteris coelibatus simul et Dei donum et *lex est,* cui liberi ac generose pro Christi Domini ac Matris Ecclesiae amore animarumque saluti in sacris ordinibus, gratia divina confisi, sese submittunt. Haec quidem perfecta castitas (...) supra modum humanum est ... (*Lc.* 18, 27); ideoque gratia Dei, qua fideles esse semper possint tum dono a Deo accepto tum sollemni voto ab ipsis emisso coram Ecclesia, perseveranter postulanda est et in humilitate custodienda ... ».

Media ad vitam interiorem fovendam (16). Cum de doctrina plane et directe a Concilio intenta agatur, nempe, de renovatione totius vitae christianae, existimo amplius esse insistendum in mediis ad vitam interiorem colendam.

Nonnulli Patres conciliares in aula verbo et scripto votum protulerunt ut inter media, ad cultum vitae interioris, appareat in textu « praxis annua exercitiorum spiritualium », immo ut inducatur etiam praxis peragendi exercitia longiori tempore protracta, v. g. in cursu renovationis de quo sub n. 6.

Commissio in iteratis textus revisionibus haec vota non admisit. Existimo tamen hanc praxim sufficienter a Magisterio probatam fuisse et longiori experientia commendari, ita ut mereatur denuo inter cetera media ad vitam spiritualem fovendam connumerari.

Igitur (pag. 28, lin. 13): « Sed etiam alia media ad vitam interiorem fovendam, qualia sunt exercitium orationis mentalis, conscientiae discussio, *annua exercitia spiritualia* (cf. PIO XI, *Mens Nostra,* 20 dec. 1929), dies recessus spiritualis ... ».

De consulendo vitae spirituali sacerdotis. Iuxta novum ordinem schematis supra propositum, interest novam paragraphum, etsi brevem, addere, in qua constet officium Episcopi subveniendi vitae spirituali sacerdotum eiusdem cooperatorum. In illa paragrapho enumerarentur praecipua media adimplendi hoc officium (redigendo in unum quae in diversis locis schematis apparent).

Commissio rationem praebet cur octo Patrum vota ac desideria reiecta sunt circa deputationem nonnullorum sacerdotum, in quavis dioecesi, « ad excipiendas confessiones ... ».

Fortasse hic latet interpretatio minus recta: *a*) Officium talium sacerdotum (qui essent virtute probati, zelo, ac discretione digni), non erit « excipere confessiones sacerdotum », sed eos visere, amicitiam eis praebere, solatium praestare ac consilium, levare animum, dirigere, ac etiam, si opus est, confessionem excipere. *b*) Etiamsi expresse ad audiendas confessiones deputarentur, dicendumne libertatem fractam fuisse? Quid ergo de lege canonica circa « confessorem ordinarium » in religiosarum communitatibus? ...

En specimen paragraphi: « (*De cura ab episcopo sacerdotibus praestanda*). Episcopi propriae caritati pastorali specialiter commendatos sciant presbyteros, qui missioni suae episcopali per sacram ordinationem incorporati sunt.

Ipsis episcopis nihil maioris esse debet momenti nec magis in corde sit quam necessitatibus animae et progressui spirituali suorum sacerdotum efficaciter occurrere et omnia illa media iisdem praebere, quae necessaria vel valde utilia ad hoc aestimantur.

Talia esse possunt, tum 1) memorati cursus renovationis spiritualis et pastoralis, — praesertim qui ad utilitatem sacerdotum iuvenum instituantur, — 2) de-

putatio pro unaquaque dioecesi aliquorum virorum prudentia, zelo et sanctitate conspicuorum, qui amicitiam, solamen, consilia ac directionem spiritus presbyteris dioecesanis ultro offerant, 3) recessus spiritualis institutio in variis regionibus dioeceseos, aliaque similia ».

(N. 18). *De recto usu bonorum temporalium.* Distinctio inter « bona ecclesiastica proprie dicta » et « bona occasione alicuius oneris ecclesiastici obeundi acquisita » practice frustra proponitur ad criterium efformandum de recto usu bonorum, sicut plane comprobari potest ex attenta lectione duarum paragraphorum pag. 29, linn. 25-33, et pag. 29, linn. 34-41. Insuper insinuari videtur praeoccupationem circa institutionem beneficialem in Ecclesia, cuius tamen exstinctio numero praecedenti proponitur.

Simpliciore forma sic exprimi posset: « Sacerdotes quippe (...) bonis temporalibus utantur tantummodo eos in fines, ad quos iuxta Christi Domini doctrinam Ecclesiaeque ordinationem destinare valent, videlicet ad honestam suam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem in bonum Ecclesiae et ad cultum divinum ordinandum necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda. Itaque ... ».

34

EXC.MUS P. D. THOMAS LEO PARKER

Episcopus Northantoniensis

N. 1, pag. 7-8. Placet iuxta modum. Numerus transferatur et ita res ordinetur ut de relationibus sacerdotis cum laicis agatur postquam de relationibus cum episcopo et cum aliis sacerdotibus sermo fuerit. *Ratio*: patet. Schema eget ordinatione magis logica.

N. 1, pag. 8, linn. 6-8. Placet iuxta modum. Loco: « studeat igitur cum fidelibus laicis operam coniungere, honore eos praeveniat », dicatur « Sacerdotes etenim sic oportet praeesse ut cum fidelibus laicis operam coniungat, honore eos praeveniat ». *Ratio*: relationes et conversatio sacerdotum cum fidelibus non plene describuntur, si omittatur elementum essentiale « praeesse » quod in ipso ritu ordinationis presbyteri in Pontificali Romano invenitur. Presbyter nequit aliter oboedire et fidelibus inservire, nisi sub episcopo praesit. Sic tamen praesit ut fidelibus inserviat (ut optime in schemate dicitur).

N. 1, pag. 8, linn. 13-20. Placet iuxta modum. Loco « quapropter enixe eas virtutes colat, quibus Domino praecipiente, omnes ornati sint oportet, quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur, videlicet cordis bonitas, animi sinceritas, robur et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque quas S. Paulus commendat dicens... » dicatur: « Quapropter, praeter virtutes, quae centrum vitae christianae constituunt et quae semper primatum tenere debent, enixe illas etiam virtutes naturales colat, quibus, Domino praecipiente, omnes ornati sint oportet, quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur, vid. cordis bonitas, animi sinceritas, robur et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque quas S. Paulus omnibus commendat dicens... ». *Ratio*: etiam pro conversatione sacerdotum cum laicis virtutes supernaturales primatum tenere debent. Non placet propterea quod talis conversatio sic a schemate describatur ut in virtutibus naturalibus solum

fundari videatur. Sit sacerdos in sua conversatione cum laicis, ante omnia, vir spiritu supernaturali imbutus. Ad formulam « S. Paulus commendat », additur « S. Paulus omnibus commendat », quia clare patere debet textum non de sacerdotibus peculiari modo agere.

N. 2, pag. 9, linn. 4-7. Placet iuxta modum. Loco « unum sacerdotium et ministerium Christi cum episcopis et sub eorum ductu repraesentantes et exercentes », dicatur « Unum cum episcopis diverso licet gradu, hierarchicum Christi sacerdotium participantes, atque sub eorum auctoritate Christi ministerium exercentes ». *Ratio*: verbum « repraesentantes » debet tolli propter sensum extrinsecum huius vocis; sacerdos non mere repraesentat, sed vere interne participat sacerdotium Christi (et quidem modo plane diverso ac laici; propterea additur verbum « hierarchicum »). Ex alia vero parte clare distingui debent « participatio sacerdotii » et « ministerii exercitium ».

N. 2, pag. 9, linn. 11-12. Placet iuxta modum. Omittantur verba « natura sua differt ab illa quae religiosis et laicis convenit, eo quod ». *Ratio*: non intelligitur quid sint oboedientiae diversae, et quidem natura sua. Unicum quod aliud et aliud esse potest, est fundamentum unius virtutis oboedientiae, quae in omnibus statibus natura sua est eadem, licet aliter fundetur, diversum gradum obligationis habeat et ad diversa obiecta se extendat.

N. 2, pag. 9, linn. 12-14. Placet iuxta modum. Loco « in ipsa participatione missionis episcopalis, quae presbyteris per Sacramentum Ordinis confertur », dicatur: « In ipsa participatione sacerdotii quod presbyteris per sacramentum Ordinis ab episcopis confertur, necnon in participatione missionis episcopalis quae cum ipso sacramento connectitur ». *Ratio*: « Missio » non datur formaliter et immediate per Sacramentum Ordinis. Per Sacramentum Ordinis solum dantur potestates Ordinis, quibuscum missio coniungitur.

N. 3, pag. 9, linn. 21-23. Placet iuxta modum. Loco « eo quod per Sacramentum Ordinis charactere sacerdotali insigniti, novo titulo Deo consecrantur » dicatur « Eo quod charactere sacerdotali insigniti, novo titulo Deo consecrantur atque per gratiam Sacramenti Ordinis novis et abundantioribus Dei auxiliis sunt roborati ». *Ratio*: omnis gratia sacramentalis in quolibet sacramento tendit primario et directe ad sanctificationem subiecti illud sacramentum recipientis (utique in circumstantiis vitae et status illius subiecti) et habet secum connexa peculiaria auxilia ad illam sanctitatem obtinendam, quae fini illius sacramenti correspondet. Non ergo intelligitur affirmatio Relationis de propositione n. 3 littera C pag. 19, ac si gratia Ordinis non tenderet directe ad sanctificationem sacerdotis.

N. 3, pag. 9, linn. 23-26. Placet iuxta modum. Loco « Quapropter verbum Dei praedicantes, quod docuerint observent; mortis Dominicae mysterium celebrantes, quod tractaverint imitentur », dicatur: « Quapropter mortis Dominicae mysterium celebrantes, quod tractaverint imitentur; verbum Dei praedicantes, quod docuerint observent ». *Ratio*: petitur restitutio ordinis in enumeratione munerum sacerdotalium, qui habebatur in textu priori. Servanda est perspectiva Concilii Tridentini, quod in oppositione ad notionem ministri protestantici defendit notionem sacerdotis primario per ideam sacrificii explicandam esse, et non primario per praedicationem verbi Dei (Denz. 1764, 1771). Idem ordo habetur in Pontificali Romano: « offerre, benedicere, praeesse, praedicare ». Restitutio ordinis qui habebatur in textu priore, eo facilius fieri potest, quod novus ordo in enumeratione

munerum ex petitione unius tantum Patris positus est (cf. Relatio de n. 3, littera E, pag. 19).

N. 5, pag. 10, linn. 26-29. Placet iuxta modum. Loco « Presbyteri ab Ecclesia in sacrum ministerium idcirco assumuntur, ut partem cum episcopis habeant in praedicatione verbi salutis et in cura animarum », dicatur « Presbyteri ab Ecclesia in sacrum ministerium etiam idcirco assumuntur, ut partem cum episcopis habeant in praedicatione verbi salutis et in cura animarum ». *Ratio*: sacerdos primario ad sacrificium eucharisticum celebrandum destinatur, non solum ad id quod in textu schematis indicatur (immo nec primario ad id quod in textu schematis dicitur). Ut textus acceptari possit, ei debet adiici verbum « etiam ».

35

Exc.mus P. D. NORBERTUS PERINI
Archiepiscopus Firmanus

Circa mentionem « de vita communi » uti iacet in ultima lin. pag. 16 et in pag. 17.

Criticum iudicium. Simplex ac quasi per transennam facta mentio vitae communis inter presbyteros quae legitur in schemate, meo iudicio, non sufficit. Vita enim communis maximi est momenti, sive propter spiritualia et pastoralia lucra quae secum affert, sive propter pericula quae facile removet.

Et lucra et pericula digna sunt quae ostendantur, et vita communis digna est quam Sacrosancta Synodus et sollemni sententia commendet et imponat ut metam ab omnibus presbyterorum coetibus constanter curandam et omnino consequendam.

Quae ergo dicuntur in schemate modo qui sequitur expressa vellem. Pag. 16 ultima lin. ... requiescite pusillum (*Mc.* 6, 31).

Cuius Christi gratiosae invitationis optime Ecclesia spiritum interpretatur quando, non solum imperat religiosis, sed etiam omnibus presbyteris dioecesanis commendat vitam communem.

Vita enim communis quae diversis quidem formis et gradibus ad effectum deduci potest, iuxta diversas particulares condiciones, iuxta diversas pastorales necessitates et sociales possibilitates, uti e. g. per plenam cohabitationem, vel per solam commensalitatem, vel per communem bibliothecam, vel saltem per quotidianos aut frequentes periodicos conventus, multa personalia lucra secumfert.

Favet in primis supernaturali rationi vitae, ponens Sacerdotes in aëre minus indulgenti mundanis commodis quae enervant ac fere exstinguunt perceptionem eorum quae sunt Spiritus Dei (cf. *1 Cor.* 2, 14). Faciliorem insuper reddit collaborationem inter presbyteros eidem ministerio addictos et unitatem actionis circa eundem gregem pascendum: mutuo sane consilio necnon concordi labore multiplicantur et corroborantur incoepta in bonum fidelium, dum fidelibus vivum praebetur exemplum caritatis, dum cohabitantibus ipsis facilis porrigitur occasio adipiscendi scientiam et experientiam pastoralem, prudentiam et omnimodae virtutis usum.

Minime denique praetermittenda sunt spiritualia pericula quae vitae communis fraterna consuetudo valet adimere, profluentia: ex solitudine malesuada; ex nimia eaque non facile invigilata propinquitate cum laicis personis; ex profanis

influxibus quos plus minusve in ipsam pastoralem actionem agunt qui, consanguinei vel non, laici in domo habitant presbyteri.

His considerationibus ducta Sacrosancta Synodus dum viva prosequiutr laude religiosos et presbyteros dioecesanos qui iam meliori qua possunt forma vitam communem degunt suavi caritatis Christi vinculo coniuncti, profitetur suam mentem esse ut vita communis ab omnibus presbyterorum coetibus tamquam meta constanter inquirenda habeatur et progressive ad effectum deducenda usque ad perfectionem.

Propterea episcopi satagant ut in sua quisque dioecesi et sententia et veritas promoveatur vitae communis et in suo quisque Seminario inter Sacrorum alumnos iam a primis annis persuasio fiat et convalescat post adeptum sacerdotium, ad validiorem fecunditatem sacri ministerii, vitae communi ad nutum episcopi se esse praestituros.

Firmiori tunc spe poterit episcopus unicuique ex suis neo-mystis illud referre Pauli ad Timotheum: « Nemo adolescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate » (*2 Tim.* 4, 12).

36

Exc.mus P. D. IOSEPH PETRALIA
Episcopus Agrigentinus

N. 1, pag. 7, lin. 10, loco « in Corpus suum quod est Ecclesia » dicatur « in Corpus suum physicum et in Corpus suum mysticum quod est Ecclesia ». *Ratio* est, quia excludenda est in communi fidelium sacerdotio non tantum potestas in Ecclesiam, sed primo et praesertim, in Eucharistiam conficiendam.

N. 4, pag. 10, linn. 19 ss., loco « Fidelibus ostendant presbyteri..., invenire » dicatur « Fideles instituant presbyteri ut in ipsis liturgicis ritibus medullam sincerae orationis inveniant ». *Ratio* est, quia durum et parum grammaticae consonum « ostendere » concordare eum infinito « invenire ».

Pag. 11, n. 5, linn. 11-12, loco « officia sua... consumment » melius dicatur « officiis suis... fungantur ». *Ratio* est, quia minus prior sententia sapit latinitatem.

Pag. 11, n. 5, lin. 24, loco « quos » scribatur « qui ». *Ratio* est quia casus accusativus est error grammaticalis, cui substituendus est casus nominativus, utpote subiectum verbi insequentis « coeant ».

Pag. 15, n. 8, lin. 38, loco « cum » melius scribatur « dum », eo magis quod sententia clauditur modo indicativo « possunt ».

Pag. 18, n. 9, lin. 40, post « charismata laicorum » haec verba inserantur: « quae vera et genuina ex prudenti consilio et mystica scientia ac experientia manifestantur ». *Ratio* est quia multa sunt charismata ficta vel falsa, vel ex infirmitate vel ex daemoniaca illusione exsurgentia.

Pag. 26, n. 15, lin. 4, loco « illius mundi » melius dicatur « caelestis illius vitae ». *Ratio* est quia verbum « mundus » pro vita aeterna beata est omnino absonum.

Pag. 28, n. 16, lin. 20, post « Beatam Virginem » haec verba inserantur: « Eamque quotidiana Rosarii marialis recitatione tenero affectu fidentique supplicatione prosequantur ». *Ratio* est quia pia et filialis Rosarii marialis recitatio est quasi pignus et signum praedestinationis.

37

EXC.MUS P. D. PAULUS PHILIPPE
Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

Animadversio generalis. Schema in generali valde placet. Optimam synthesim praebet ac multum conferre potest ad vitam presbyterorum et ad eorum ministerium fovendum.

N. 1, pag. 7, lin. 8. Non potest dici « unumquodque (membrum Ecclesiae) debet... *spiritu prophetiae* testimonium de Iesu reddere ». Textus citatus *Apoc.* 19, 10 significatne hoc? Charisma prophetiae non datur unicuique christianorum: Revocemus verba S. Pauli: « Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae?... » (*1 Cor.* 12, 29).

N. 1, pag. 7, linn. 14-15. Quoad sacerdotium novum inauguratum a Christo, clara mentio deberet fieri de Eius morte in cruce. Reassumi possunt verba Tridentini Concilii, quae ad Ep. *ad Hebraeos* sese referunt (DENZ.-SCHÖN. 1740).

Sequentem textum propono: « Christus itaque in semetipso, i. e. in "templo corporis sui" (cf. *Io.* 2, 21), quod in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri obtulit (cf. *Hebr.* 9, 14-15), sacerdotium novum inauguravit novumque cultum... ».

N. 1, pag. 7, linn. 34-36. Loco: « Quae initiatio ut quaedam incorporationi missioni episcopali, ope specialis participationis sacerdotii Christi describi potest », dicatur: « Hac initiatione sacramentali presbyter speciali modo Christo Sacerdoti configuratur, ita ut missionis episcopalis particeps fieri potest ». *Ratio*: initiatio sacramentalis est ipsa receptio sacramenti Ordinis, quae non consistit primo in hoc quod ordinatus incorporatur missioni episcopali, sed in hoc quod per characterem sacerdotio Christi specialiter configuratur, quo fit aptus ut missioni episcopali participet.

N.B. Corrigenda est mendosa expressio: « incorporatio missioni » (linn. 34-35), nam aliquis non « incorporatur » missioni sed participat.

In lin. 40, puto quod debemus legere: « ... plenitudo sacerdotalis » loco « sacerdotali »?

N. 3, pag. 9, linn. 23-30. In programmate proposito studio sacerdotum nulla mentio habetur magnorum Doctorum Ecclesiae et Theologorum. Audeo proponere ut inter eos Doctor Communis S. Thomas Aquinas nominetur.

N. 4, pag. 9, lin. 38: « humiliter inserviant ». Cum humilitate opportune iungeretur illa firma fiducia (parrêsia) quae apostolis convenit (cf. *Act.* 28, 31; *Hebr.* 3, 6).

Ergo dicatur: « ... ut operi eius (potiusquam « suo », quod grammaticaliter refertur ad « homines ») humiliter ac confidenter inserviant ». Vel: « ut eius operi sanctificationis cum humilitate ac firma fiducia inserviant ».

N. 4, pag. 10, lin. 7. Verba « ab ea derivantur vel » supprimantur. *Ratio*: sane omnia sacramenta ad Eucharistiam « ordinari videntur... sicut ad finem » (S. THOMAS AQ. III, q. 65, art. 3, c.), sed non intelligitur quomodo « ab ea derivantur ».

N. 4, pag. 10, lin. 9: « Congregatio fidelium plenius fit Corpus Christi mysticum ». Loco: « plenius » melius videtur dicere « plene », vel « consummatur in Corpus Christi mysticum ». *Ratio*: « plenius » insinuare videtur quod Corpus Chri-

sti iam plene fit per Baptismum. Sed sacramentum « plenitudinis » vel consummationis Corporis mystici est Eucharistia (cf. S. THOMAS AQ. III, q. 73, art. 3, c.).

Propono igitur: « Communicando enim Corpori et Sanguini Christi, populus Dei seu Congregatio fidelium plene fit (vel: consummatur in) Corpus Christi mysticum... ».

N. 5, pag. 10, lin. 42. Post « vitae christianae », addatur « docere et ». Dicatur ergo: « ... sed iuxta exigentias doctrinae et vitae christianae docere et agere debent... ». *Ratio*: quia in prima paragrapho huius n. 5 agitur de ministerio docendi mandata Domini (cf. lin. 31).

N. 5, pag. 11, linn. 3-5. Loco: « Presbyteri ergo singulos fideles ad personalitatem secundum evangelicam fidem formandam atque universos ad genuinam communitatem christianam creandam adducant », dicatur: « Presbyteri ergo singulos fideles ad fidem vivam in Deum et Iesum Christum Dominum formare contendant atque universos ad vitam in fraterna communitate christiana adducant (cf. *1 Io.* 1, 1-4). *Ratio*: textus schematis habet aspectum nimis « anthropocentricum ». Personalitas fidelium formabitur si ad fidem vivam in Deum instruuntur. Sacerdotes laborare debent ut homines sint in Deo et Deus in eis. Insuper, Deus est qui creat communitatem christianam per suum Spiritum Sanctum, in qua et secundum quam oportet ut fideles vivant.

N. 5, pag. 11, linn. 7-9. Loco: « ... id est, ad fidem vivam, ad sinceram operosamque caritatem et ad libertatem qua Christus nos liberavit (cf. *Gal.* 4, 31) adducendis... », dicatur: « ... id est ad fidem vivam, ad sinceram operosamque caritatem, ad patientiam in tribulationibus et doloribus (cf. *Rom.* 5, 3-4), et ad libertatem secundum legem vitae in Christo Iesu, qua liberavit nos a lege peccati et mortis (cf. *Rom.* 8, 2) adducendis ». *Ratio*: *a*) quoad patientiam: patientia in tribulationibus huius mundi, communicatio passionibus Christi est elementum magni momenti in doctrinis S. Petri et Pauli et S. Iacobi de vita christiana et specialis momenti pro temporibus nostris; *b*) quoad libertatem christianam: haec libertas debet clarius determinari secundum verba S. Pauli, ne propter grassantem naturalismum intelligatur ut falsi nominis libertas (cf. *1 Pt.* 2, 16; *2 Pt.* 2, 19).

N. 5, pag. 11, lin. 10. Loco: « ... non ut sibi solis vivant animae christianae... », dicatur: « ... ut Deo vivant animae christianae (cf. *Rom.* 6, 10; 14, 8; *2 Cor.* 5, 15; *Gal.* 2, 19), atque ut, vocatione... ». *Ratio*: formula negativa textus non placet: evidens est enim quod « tale studium », prout praecedenter describitur, non potest eo tendere ut animae sibi solis vivant. Insuper haec formula negativa inducere posset aversionem quamdam erga veram vitam interiorem. Hodie multi haud sine ratione dolent quia sacerdotes non satis de ipso Deo loquuntur vel eos ad Deum adducunt!

N. 5, pag. 11, linn. 14-15, addatur: « ... quid res exigat, quae sit voluntas Dei, una cum fidelibus laicis, "mundo corde" (cf. *Mt.* 5, 8) ac "omni sapientia et intellectu spiritali" (*Col.* 1, 9) perspiciant ». *Ratio*: non qualiscumque analysis rerum et eventuum dignoscere facit quae sit voluntas Dei: inquisitio procedere debet non ex voluntate vel prudentia « carnis », sed ex corde puro adiuvante gratia Spiritus Sancti. Valde opportunum mihi videtur hoc in mentem revocare.

N. 5, pag. 11, linn. 32-35, addatur: « Quae celebratio, ut sincera et plena sit, ad perfectum Dei amorem et contemplationem ducere, atque tam in varia... prodire debet ». *Ratio*: celebratio liturgica primo ad Deum contemplandum et amandum ducere debet et deinde ad actionem missionalem et diversa opera.

Hic rursus notari potest illa praevalens « orientatio » socialis et communitaria quae in hoc n. 5 invenitur.

N. 7, pag. 13, linn. 27-28: « ... ac habendi sunt veluti consilium et curia seu senatus Ecclesiae... ». Quaero utrum hoc possit dici de omnibus presbyteris dioeceseos?

N. 7, pag. 14, linn. 7-8. Loco: « ... quae presbyteris per sacramentum Ordinis confertur... », dicatur: « ... ad quam per sacramentum Ordinis presbyteri apti fiunt... ». Vel, modo simpliciori: « ... quae presbyteris confertur... ». *Ratio*: non potest dici, proprie loquendo, quod per solam ordinationem haec participatio missionis episcopalis confertur. Requiritur etiam collatio alicuius iurisdictionis, ad quam recipiendam ordinatio presbyteros reddit aptos, vel saltem licentiam Eucharistiam celebrandi.

N. 8, pag. 15, linn. 30-35. Loco: « Sicut episcopi per consecrationem in ordine seu collegio episcopali et proprie apostolico, ita presbyteri per ordinationem in ordine presbyteratus, qui ab ordine episcoporum essentialiter dependet, constituuntur », dicatur: « Sicut episcopi in ordine seu collegio episcopali, vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum collegii capite atque membris, constituuntur, ita presbyteri in ordine presbyteratus, qui ab ordine episcoporum essentialiter dependet, vi sacramentalis ordinationis et legitima missione, incorporantur ». *Ratio*: emendatio eo spectat ut doctrina sit conformis doctrina constitutionis conciliaris *de Ecclesia,* cap. III, n. 22.

Suppressi verba « et proprie apostolico », nam, etsi corpus episcoporum apostolicum dici possit, utpote collegio apostolorum succedens, tamen non potest dici, uti videtur, « proprie apostolicum ». Corpus enim proprie apostolicum est ipsum collegium apostolorum.

N. 8, pag. 16, linn. 17-18. Mihi non videtur verum quod ministerium sacerdotum in scholis est « magis indirectum vel extraordinarium ». Illi qui docent religionem vel theologiam non exercent, ut patet, ministerium indirectum. Illi vero qui docent scientias profanas in scholis et lycaeis etc. educationem christianam iuvenum prosequuntur, quod pertinet etiam directe ad ministerium sacerdotale.

N. 8, pag. 16, linn. 27-31, addatur: « Iuvenes sua vice eos qui ante ipsos in agro Patrisfamilias per annos laboraverunt veneratione debita prosequantur, experientiam et virtutem eorum magni facere sciant, libenter eos audiant, ac cum eis collaborent ». *Ratio*: opportunum est in mentem revocare etiam officium venerationis (« respect »), qua iuvenes sacerdotes suos maiores prosequi debent.

N. 11, pag. 21, lin. 1. Loco: « idoneos iudicaverint », dicatur « vocatos iudicaverint ». *Ratio*: quia vera vocatio complectitur duplex essentiale elementum (cf. Pius XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* II): divinum, i. e. gratia Dei movens et adiuvans, quod dignoscitur in recta intentione voluntatis in subiecto idoneo — et ecclesiasticum, scil. legitima vocatio ab episcopo.

Unde, dicendo « idoneos iudicaverint », praetermittitur elementum principale, scil. recta intentio iuvenis qua gratia movens Dei dignoscitur et qua deficiente idoneitas non sufficit. Sed dicendo « vocatos iudicaverint », omnia elementa comprehenduntur quae ceterum infra, linn. 12-13, recte enumerantur.

N. 14, pag. 24, linn. 38-41: in lin. 39, formula « agendo autem ad actum contemplationem adducit » vix intelligitur. Potest enim significare: vel: agendo sacerdos contemplationem suam ad effectum adducit. Hoc quidem verum est, quia

sacerdos curam animarum habens ex contemplatione sua agere debet. Sed hoc iam dicitur in inciso praecedente: « contemplando intimam vim invenit actionis ».

Insuper formula textus non placet, quia posset intelligi ac si generaliter contemplatio (etiam apud monachos) absque actione esset manca, deficiens ab actu.

Vel: agendo sacerdos ipse ad actum contemplationis adducitur, quia actio ex caritate et contemplatione procedens rursus ipsum ad orationem et contemplationem provocat.

Tunc clarius dici posset: « agendo ad contemplationem (vel: ad actum contemplationis) rursus provocatur ».

In lin. 40, loco « in cooperatione cum Christo » melius est dicere « in unione cum Christo », quia sacerdos non solum cum Christo cooperatur, sed est quodammodo « alter Christus ».

Propono igitur sequentem textum: « Itaque contemplando intimam vim invenit actionis, agendo autem ad actum contemplationis rursus provocatur, in servitium Ecclesiae et in unione cum Christo dicente... ».

Vel simpliciori modo: « Itaque sacerdos in actione sit contemplativus in servitium Ecclesiae et in unione cum Christo dicente... ».

N. 15, pag. 25, linn. 5-7. loco: « et quae Christus omnibus discipulis suis observanda proposuit, unicuique secundum propriam vocationem et statum », dicatur: « et quae Christus suis discipulis uti viam aptiorem ad perfectionem proposuit (cf. *Mt.* 19, 21) ». *Ratio*: observare consilia significat ea effective observare. Ideo non est verum quod Christus proposuit consilia observanda unicuique secundum propriam vocationem et statum. Sane omnes discipuli Christi debent habere, ut aiunt, spiritum consiliorum, sed formula schematis, prout sonat, significat quod omnes consilia observare debent effective.

N. 15, pag. 25, lin. 18. Peto ut supprimantur verba: « sicut inter ipsos primos apostolos ». *Ratio*: verum est quod inter discipulos a Christo electos et apostolos nominatos nonnulli fuerunt coniugati, sed quis auderet affirmare eos post Pentecosten repletos Spiritu Sancto, exempla factos perfectionis evangelicae pro omnibus Ecclesiae membris, Evangelio totaliter dedicatos, intelligentiam praeceptorum et consiliorum Domini plene consecutos vitam coniugalem continuasse?

N. 15, pag. 25, lin. 23. Loco: « ... quod a Patre quibusdam datur (cf. *Mt.* 19, 11) ... », dicatur « ... quod a Patre datur cf. *Mt.* 19, 11) ... ». *Ratio*: « quibusdam datur » de plano significat illud donum esse rarum. Ex quo forsan quidam possent devenire ad hanc conclusionem damnatam a Tridentina Synodo: « posse omnes (clericos et regulares) contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis (etiamsi eam voverint) habere donum » (cf. DENZ.-SCHÖN. 1809).

Textus *Mt.* 19, 11 non dicit « quibusdam » sed: « non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est ».

N. 15, pag. 25, lin. 34 - pag. 26, lin. 12. Tota ista paragraphus est perpulchra. Integra servetur! Noto errorem typographicum pag. 26, lin. 4: « signum vivunt » pro « signum vivum ».

N. 19, pag. 31, linn. 5-7. Loco: « Meminerint numquam in opere exercendo solos se esse, sed cooperatores innumeros habere, praesertimque ipsam omnipotentem Dei virtutem », dicatur: « Meminerint se in opere exercendo numquam solos esse, sed cooperatores innumeros habere, praesertimque inniti posse omnipotenti Dei virtute ». *Ratio*: *a*) in textu schematis, verbum « numquam » videtur male col-

locatum; *b*) incisum « praesertimque ipsam omnipotentem Dei virtutem » potest duplici modo intelligi: 1) « Meminerint... praesertim (se habere) omnipotentem Dei virtutem »! 2) « Meminerint... se... cooperatores innumeros habere, (inter quos) ipsam omnipotentem Dei virtutem ». Hic est sensus probabilior, sed modus dicendi non convenit. Nam, etsi recte dici possit Deum cooperari (gratia cooperans), non decet connumerare Deum vel eius omnipotentiam cum aliis cooperatoribus.

N. 19, pag. 31, lin. 19. Loco: « Ceterum Ecclesiae perfectam et visibilem victoriam numquam promisit Dominus Iesus, licet dixerit: "Confidite, Ego vici mundum" (*Io.* 16, 33) », dicatur: « Ceterum Dominus Iesus qui dixit: « Confidite, Ego vici mundum » (*Io,* 16, 33), his verbis Ecclesiae suae non promisit perfectam in hoc saeculo (vel: mundo) victoriam ». *Ratio*: revera Christus promisit perfectam et etiam in caelis visibilem victoriam. Sane textus schematis hoc non excludit! Sed res intenta clarius exprimitur si dicitur Christum non promisisse perfectam victoriam in hoc mundo.

38

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN

Episcopus Canariensis

Loco qui aptior videatur commissioni inserantur haec vel similia verba: « Meminerint semper omnes sacerdotes utriusque cleri, quod praeter Apostolorum autem legitimos successores, scilicet Romanum Pontificem pro universa Ecclesia, episcopos vero pro fidelibus suis curis commissis, alii magistri iure divino in Ecclesia Christi non habentur; at tum ipsi, tum imprimis Supremus in Ecclesia Magister atque Christi in terris Vicarius, alios arcessere possunt suos in magistri munere operis socios consiliarosve, quibus facultatem (sive peculiariter sive ob collatum officium) docendi delegent. Qui ad docendum ita vocantur, in Ecclesia proprie non munere suo, neque titulo scientiae theologicae, magistros agunt, sed vi missionis quam a legitimo Magisterio receperunt, eorumque facultas manet semper huic subiecta, neque umquam fit sui iuris, seu nulli potestati obnoxia. Episcopi vero tali facultate data, numquam iure docendi privantur, neque eximuntur gravissimo officio providendi et invigilandi integritati atque securitati doctrinae, quam alii in auxilium assumpti proponunt » (ex allocutione *Si diligis* Pii XII, die 31 maii 1954).

Rationes. « Etenim infeliciter accidit, quod quidam docentes parum quaerunt coniunctionem cum vivo Ecclesiae Magisterio, parumque mentem animumque convertunt ad communem eius doctrinam hoc vel illo modo clare propositam; simul autem nimium dant proprio ingenio, mentis habitui recentiorum, aliarum disciplinarum normis, quas unicas dicunt et habent tamquam veris doctrinae rationibus et praeceptis consentaneas » (ex eadem allocutione).

39

EXC.MUS P. D. ROBERTUS POBOŽNÝ
Episcopus tit. Neilanus, adm. ap. Rosnaviensis

Cura vere laudabili est emendatum schema suprafatum atque decursu aevi christiani vix ulla S. Synodus tanta praecisione loquitur de ministerio et vita presbyterorum quam hodierna S. Synodus in substrato, emendato schemate.

Non minuitur vel minime pulchritudo ministerii et vitae sacerdotalis in schemate depicta, si tamen humiliter rogo et firmiter commendo:

Ad novum n. 5 pag. 11 post lin. 42 inserendam esse monitionem praeviam omnibus presbyteris qui in agora forensium negotiorum contendunt bona fide vel minus recta intentione his verbis vel similibus: « Item haud possibile esset genuinam communitatem exstruere christianam, si non esset nisa et suffulta solido fundamento canonicae oboedientiae presbyterorum in eorum actuositate sive pure religiosa sive mixta cum exigentiis saecularibus. Meminerint presbyteri se esse servitio Dei supernaturali vi gratiae Sacramenti Ordinis mancipatos pro eius populo, non vero terrenis desideriis humanae ambitionis. Presbyteri sic fiant populi Dei rectores, ut evadant, maneant et vivant in populo Dei quasi pastores Dominici gregis secundum SS. Cor Iesu. Presbyter nominatur sacerdos et ideo sit sacra dos populo Dei ».

Tantum per summos apices argumenta huius supplementi afferuntur.

Iterum perlecto emendato schemate huius decreti anceps haereo: S. Synodus taceat de quadam quaestione quae in vita presbyterorum proh dolor quovis tempore sed praesertim hoc saeculo non raro emergitur? Liceatne silentio premere, praeterire istam formam vitae sacerdotalis presbyterorum, qui minus serviunt ministerio divini verbi, et toti quanti se dedicant ministerio humani verbi? Vel istud silentium peralte clamat et est mysterium clamoris ut phrasi utar S. Ignatii E. M. (Eph. 15)?

Presbyteri populi Dei rectores ut sint et quo sensu operentur, sub n. 5 huius schematis modo positivo perpenditur et contrarium tangitur tantum. Non elucet sufficienter gravitas huius vitae errantis presbyteri in divino ministerio. Presbyteri etenim singulos fideles ad personalitatem secundum evangelicam fidem formandam atque universos ad genuinam communitatem christianam creandam adducant: clare dicitur. Et haec doctrina de rectore populi Dei traditur in schemate sine mentione, quod exsistant presbyteri secundum ordinem Melchisedech, qui vitam suam factionibus forensibus dedicent, quin sacerdotalem vocationem sequerentur in sua forensi actuositate. De quibus tamen nullum habere sermonem in nostra S. Synodo haud licere iuste aestimatur.

Monet enim Spiritus Sanctus: « Et factum est verbum Domini ad me dicens: Fili hominis, propheta de pastoribus Israel: propheta et dices pastoribus: Haec dicit Dominus Deus: Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis » (*Ez.* 24, 1-2). Presbyteri solis negotiis saecularibus forensibus vel privatis implicati non sunt boni pastores, rectores populi Dei. Gregem non pascunt, non efformant personalitatem christianam in fidelibus, sed eam deformant et verbis et exemplo aberrantis sacer-

dotalis vitae. Agilitas, activitas, actuositas presbyterorum ut ipsi maneant revera populi Dei rectores, debent regi, moderari canonica oboedientia exemplariter praestita episcopis vel propriis singulis, vel collegio episcoporum, si res ita ferat.

Quae quaestio est valde delicata: an actuositas presbyterorum sit toleranda vel vetanda in negotiis pure forensibus saecularibus? Et alia quaestio iterum: an sit haec causa transferenda magis in alterum schema de Ecclesia in vita huius temporis? Ast hic est haec quaestio retinenda, iudicanda, aestimanda et solvenda non supersedendo silentio in hoc schemate. Pertinet ad n. 5 schematis huius decreti schematis.

An sit hoc supplementum necessarium, pro et contra adduci possunt argumenta et obiectiones. Verumtamen in forma merae monitionis prout petitur, quin qualiscumque sanctio synodalis statueretur, non potest tantum peti, sed debet efficaciter urgeri.

S. Synodus nullam in suis constitutionibus et decretis statuit hucusque sanctionem synodalem. Quod fit ad mentem f. m. Ioannis Pp. XXIII, cuius erat poenas suspensionis, eo minus excommunicationis vitare, et praecepto summo caritatis esse reducendos errantes ad rectum tramitem vitae sacerdotalis. Caritas Dei et proximi urget etiam Sanctissimum Patrem Paulum Pp. VI ut hoc servet principium et ab aliis quoque servari curet. Sanctiones relictae sunt novae codificationi, revisioni Codicis Iuris Canonici.

Concluditur: suprafatum supplementum in schematis proposito loco inserendum esse allatis vel similibus verbis monitionis.

40

Exc.mus P. D. SANCTUS QUADRI
Episcopus tit. Villanovensis, aux. Pineroliensis

Sono stato pregato da molti (sacerdoti e laici) di segnalare la necessità che nello schema si dica chiaramente che il sacerdote deve preoccuparsi in modo particolare del mondo del lavoro in maniera che appaia chiaro che la Chiesa, come tale (non solo qualcuno), si occupa seriamente di questi problemi. (Per una pastorale della Chiesa nel mondo del lavoro, cf. *L'Osservatore Romano,* numero speciale per Natale 1964).

41

Exc.mus P. D. ALEXANDER CAROLUS RENARD
Episcopus Versaliensis

Je souhaite qu'au n. 13, page 23, ligne 24, avant « simul a Deo », il soit ajouté: « priant la Sainte Trinité, officiellement, en union avec le Christ et au nom de l'Eglise qui comptent sur eux ». *Raison*: la prière a une valeur d'amour et d'adoration par elle-même, avant d'être source d'efficacité pour l'apostolat et la vie.

Au n. 15, page 25, ligne 15: il soit ajouté: « la chasteté parfaite du prêtre, à l'exemple de celle de l'Evêque, est l'expression la plus évidente et la moins illusoire du don total de la personne, cœur et corps, au Christ seul, en réponse à

son appel apostolique: "Et quittant tout, ils Le suivirent" ». *Raison*: le célibat du prêtre est d'abord une réponse totale à l'appel du Christ pour le Royaume: « Il en est qui restent vierges pour le Royaume de Dieu, que celui qui peut comprendre comprenne ».

Au n. 15, page 27, ligne 23: il soit ajouté: « les prêtres, dans le diocèse, pratiqueront d'abord l'obéissance envers l'Evêque, Chef et Père, qui a la charge et la grâce de l'évangélisation et de la sanctification de tous ses diocésains, et de qui les prêtres reçoivent Sacerdoce et mission: sans obéissance filiale et intelligente et confiante, il n'y a pas de possibilité de presbyterium, ni de témoignage d'Unité, ni de pastorale diocésaine ». *Raison*: les motifs suivants sont surtout d'ordre moral et ascétique.

Le n. 7, ligne 27: « Episcopus pater est, sed etiam perfector, secundum doctrinam Pseudo-Dionysii et S. Thomae (Opusc. *De perfectione vitae spiritualis*, c. 17-18). Et hoc certe valet in sua relatione ad presbyteros, ad quorum perfectionem et quandoque sanationem, totis viribus adlaborare debet, non tantum verbis et monitis, sed mediis aptis et praesertim exemplo suo ». *Ratio*: hoc a Concilio firmiter affirmari debet, ut plura inveniantur in novo Codice Iuris Canonici, imprimis circa « Promitto » et vitam spiritualem. Titulo specialissimo, clerus omnis est « sal terrae », quod si sal evanuerit, in quo salietur?

42

Exc.mus P. D. PETRUS ROUGÉ
Episcopus Nemausensis

1. N. 1: desideratur notionis « Sacerdotii » enucleatio magis clara et explicita. Sit magis cohaerens cum Sacerdotio Christi, et eius missione sacerdotali vel officio, pro salute mundi.

2. Quod dicitur de sanctitate « sacerdotis » nimis diffuse tractatur. Vitentur multae repetitiones. Omnia in uno tantum numero possunt resumi.

3. Vitentur, in quantum fieri potest, exhortatio et considerationes nimis morales.

43

Exc.mus P. D. PAULUS RUSCH
Episcopus Oenipontanus

Novus textus, emendatus et amplificatus, in genere valde laudandus est. Aliquae observationes tamen mihi licitae sint.

1. In n. 9 nihil dicitur de spiritu missionario quoad non practicantes recuperandos et non christianos lucrandos, nihil de conversatione cum fratribus seiunctis, cum tamen Patres in aula utrumque magni faciebant.

Quare propono, ut ad n. 9, pag. 19, post lin. 2 addatur: « Meminerint presbyteri se in paroeciis suis christianos habere qui ecclesiam iam non frequentant, quare etiam illos alloquentur reducendo eos ad Bonum Pastorem, immo et campum iam non christianum spiritu missionario aggrediantur, ad exemplum S. Pauli Apostoli, qui Ephesi in atrio quodam docebat (vide *Act.* 19, 9). Simul ne obliviscantur

fratres seiunctos memores desiderii et orationis dominicae: "ut omnes unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti" (*Io.* 17, 21) ».

2. N. 13. Quoad hunc numerum iam statutum est in ultima conferentia nostrae commissionis textum a me allatum, etsi forma breviori, acceptandum esse, quod tamen exsecutioni mandatum non est, sicuti ex novo textu elucet.

Rogo ergo iterum, ut sequens textus apponatur ad mentem card. Alfrink, qui hoc in Aula postulavit, et quidem ad finem n. 13, pag. 23, post lin. 37: « In hoc enim consistit spiritualitas sacerdotis in officio pastorali constituti propria, ut Bonum Pastorem prae oculis habens eum imitetur ex quo effluit zelus animarum et nominata ascesis pastoralis quae animum inducit ad omne opus pastorale et virtutes necessarias, uti humilitas pastoralis, benignitas et humanitas, necnon ad spem pastoralem, quae est nihil aliud, nisi erectio animi ad bonum arduum. Sic faciendo et ipsi boni pastores efficiuntur ad verbum Domini: "Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis" (*Io.* 10, 11) ».

3. Denique rogo, ut ad n. 14, pag. 24, ad finem addatur textus sequens: « Scimus quidem multos presbyteros bonos et optimos anxietate premi quia eorum opus pastorale saepe sine successu esse videtur. Vident, homines prosperitatibus vitae regi, campum vitae iam non esse christianum, generationem iuvenem non in condicionibus christianis maturescere posse, societatem hodiernam pluralisticam esse etiam sub respectu ideologico.

Sed a Domino exhortamur, dicente: "Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum". Spiritus Dei viget etiam in nostro tempore et excitavit in multis sacerdotibus spiritum missionarium, qui iam fructus uberos fecit. Ex hoc spiritu excitatae sunt paroeciae missionariae, in quibus homines de novo lucrantur Christo et apostolatus laicorum plene realisatus est. Praeterea bona experimenta iam facta sunt revivificando vicariatus forenses, ubi sacerdotium alicuius decanatus in actionibus pastoralibus cor unum et anima una est et sic novos fructus acquisivit. Quae complentur officio pastorali dioecesano ab episcopo erecto, quo dantur directiones et auxilia ad efficiendos fines pastorales, in quibus motus apostolatus cooperantur. Presbyterorum autem est, laicos efformare qui apti sint ad talem apostolatum exercendum. Quare etiam nostro tempore valet: "Sed confidite, ego vici mundum" (*Io.* 16, 33) ». *Ratio*: multi presbyteri sine successu iam non vident viam qua procedendum nec quomodo pro tempore futuro providendum sit. Unde fere sine spe vivunt. Quare nihil maioris momenti est, quam ut eis via ostendatur simulque spes de novo erigatur.

44

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN

Archiepiscopus episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

N. 1, pag. 7, linn. 36-37. Loco « Episcopi personae Christi Capitis sacramentaliter configurantur » dicatur « Episcopi personae Christi Capitis plenitudine ordinis sacerdotalis configurantur ». *Ratio* haec est: verba « subordinato modo » quae sequuntur non bene distinguunt plenitudinem sacerdotii, quae in episcopis est.

Nn. 2, 3, 4, 5, 6, melior ordo est hic: 2, 4, 5, 3, 6. *Ratio* evidens est. Prius describantur presbyteri ut ministri verbi, sacramentorum et rectores populi, postea indicetur scientia quam possidere tenentur.

N. 7, pag. 13, linn. 28-29. Sacerdotes « habendi sunt veluti consilium et curia et senatus Ecclesiae ». Videntur haec nomina nostro tempori non esse congruentia, quia consilium, curia, senatus aliud significant.

N. 7, pag. 13, lin. 35. Novus « coetus dioecesanus » conditur. Episcopus audire debet Capitulum Cathedrale, in rebus oeconomicis Consilium dioecesanum administrativum, Consilium pastorale (cf. n. 27 schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*), nunc etiam Coetum dioecesanum et insuper « semper audiat ». Videntur nimium multa esse entia quae interrogari debent.

N. 8, pag. 16, lin. 42 et pag. 17, lin. 1. In schemate *de vita et ministerio sacerdotali,* fortior erat commendatio de vita communi sacerdotali. In disceptatione in aula Patres vitam communem maxime laudaverunt et eius instaurationem ut fructum huius Concilii petierunt. Aliqui Patres terminum decem vel quindecim annorum proposuerunt ad instaurationem complendam. Omnes vel fere omnes eam tamquam cleri salutem praedicaverunt. Nunc vero in hoc schemate debiliore modo proceditur. Mea experientia vita communis cleri parochialis est necessaria.

N. 9, pag. 18, lin. 29. Loco « honorent peculiarem missionem apostolicam » dicatur « Agnoscant munus apostolicum, quod et laici a Deo acceperunt ».

N. 11, pag. 20. De vocationibus sacerdotalibus agit etiam n. 2 schematis *de institutione sacerdotali* iisdem fere argumentationibus. Geminata tractatio eiusdem rei eadem ratione est supervacanea.

N. 15, pag. 26, linn. 23-24. Loco « sexualis » ponatur « coniugalis ».

N. 15, pag. 29, linn. 16-17. « Stabiliter » potest aequivoce intelligi sicut stabilitas beneficiorum, quae utilis non est et impedit bonam administrationem dioecesis.

45

Exc.mus P. D. VILLELMUS SCHOEMAKER
Episcopus Purvokertensis

1. In genere textus emendatus schematis decreti multo melius est quam propositiones anteriores. Quare gaudeamus. Sed nondum plene maturizatus apparet sicut constitutiones qui inde et pluries recogitatae sunt. Unde spero quod textus iterum emendatus pro sessione proxima adhuc praeparetur.

2. *Animadversiones quaedam.* Ad nn. 3 et 6: Quamquam adhortatio ad acquirendam scientiam sacram et humanam ad apostolatum et curam pastoralem valde laudanda sit, ne obliviscatur quod ne scientia noceat atque inflet, efficientia naturalis et supernaturalis presbyteri, semper est combinatio diversorum elementorum quae in unam personalitatem presbyteri « unum quid » efficere debent.

Scientia ne spernet sanctitatem, et sanctitas sine scientia claudicat. Pro presbyteris ex monachis et religiosis societatibus, educatio « ad hoc » habetur in novitiatus annis, in regulis et constitutionibus, e vita communi quae omnia « structuram et formam vitae, religiosi », sed haec « Forma sanctitatis » non est appropriata presbyteris dioecesanibus.

Speramus ut Concilium adhortabit presbyteratum dioecesanum ad efformandam « regulam et formam sanctitatis sibi propriam » scientifice elaboratam cum omnibus elementis status sibi proprii, inde in seminariis dioecesanibus docendam et per quoddam « Annum spiritualem » in praxim vitae ducendam. Ut regula vitae non sit in quibusdam « exercitiis spiritualibus » (C.I.C., 124 ss.), sed in quadam

« Spiritualitate propria et fundamentaliter eadem, theologice fundata et elaborata » cum diversitate opportuna pro variis geniis nationalibus.

Votum expressum in n. 7, de quodam « presbyterio dioecesano » efformando, vacuum erit nisi animatur spiritu et spiritualitate theologice formata.

3. Ad nn. 17-18-19: Iustitia socialis in Ecclesia institutionali certe administrari debet; ut posset administrari suadetur formatio sic dicti « Massa Communis ». Licet mihi animadvertere quod fons legalis pro massa communi, haberi posset utendo C.I.C. can. 1506, ubi Ordinario fas est « tributum imponere » institutis ecclesiasticis, in actu fundationis vel consecrationis. In novo Codice, idea ista conformari posset novis circumstantiis, dicendo quod Ordinarius s.s. institutis ecclesiasticis « tributum maximale ex omnibus proventibus imponere posset » pro bono massa communi dioeceseos ad tertiam partem aut 33% (inclusive seminaristicum-cathedraticum et sub. caritativum) salvis semper necessitatibus realis Instituti.

Unum et aliud secundum sanam oeconomiam tributarum sicut et in societati civili utitur, sed cum humanitate et bono sensu.

46

Exc.mus P. D. MESROB TERZIAN
Episcopus tit. Comanensis in Armenia

Ad illustranda optima quae dicuntur, vellem breves citationes ex Patrologia atque ex litteris encyclicis Summorum Pontificum.

Pag. 27 propono ut fusius et validius sermo sit de mediis ad vitam interiorem fovendam sub luce litterarum encyclicarum hac de re Romanorum Pontificum.

Pag. 28, linn. 14-15, declarentur quaenam sint « aliaque huiusmodi ». Illa essent Missae devota celebratio, Officii Divini sacrarumque functionum digna peractio, lectio spiritualis, frequens confessio, devotio erga SS. Eucharistiam.

Mihi videtur quod instandum sit etiam de eruditione generali magis magisque acquirenda ad melius praedicandum atque disserendum adque melius dirigendas animas.

Sacra Synodus posset apte exhortari sacerdotes iuvenes ad aliquam peritiam acquirendam in quadam scientia idonea ad decus Ecclesiae et bonum animarum.

Corrigendi sunt errores typographici sequentes: pag. 26, lin. 4: « Signum vivunt », corrigenda « Signum vivum »; pag. 27, lin. 3: « Non liberavit », corrigenda « Nos liberavit ».

47

PATRES CONCILIARES REGIONIS OCCIDENTALIS GALLIAE

(Gouyon, Archiep. Rennes; Villepelet, Ep. Nantes; Cazaux, Ep. Luçon; Perrin, Ep. Blaundo; Fauvel, Ep. Quimper; Guyot, Ep. Coutances; Chevalier, Ep. Le Mans; Pioger, Ep. Séez; Riopel, auxiliaris Rennes; Fave, auxiliaris Quimper; Mazerat, Ep. Angers; Guilhem, Ep. Laval; Kerveadou, Ep. Saint-Brieuc; Boussard, Ep. Vannes; et de Cambourg, aux. Bourges).

Pag. 7, n. 1. De natura Presbyteratus: loco linn. 14-27, proponitur sequens emendatio ut clarius appareat nexus praesentis schematis cum constitutione dog-

matica *de Ecclesia*. Transitus a praecedente textu statuitur in eo quod prima paragraphus de natura presbyteratus, clauditur asserens nullam habere fideles potestatem in Corpus Christi. Statim dicitur: « Christus itaque, ut populum Dei aedificaret eique omnia quibus crescere posset media provideret, ministros instituit sacra potestate pollentes, qui visibiliter in Ecclesia terrestri perennis sui sacerdotii virtutem exercerent, propriamque suam actionem salvificam manifestam redderent. "Cum aedificasset Ecclesiam, missis apostolis sicut Ipse missus erat a Patre" (*De Eccl.,* n. 18), "Episcopos instituit apostolorum successores, eosdemque, per ipsos Apostolos, consecrationis missionisque suae participes effecit" (*De Eccl.,* n. 28). Rursus episcopi aliquid de suo ministerio Presbyteris legitime tradiderunt, participes eos efficientes consecrationis missionisque suae. "Quamvis pontificatus apicem non habeant et in exercenda sua potestate ab episcopis pendeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt et vi Sacramenti Ordinis ad imaginem Christi summi atque aeterni Sacerdotis, ad Evangelium praedicandum, ad fideles pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur ut veri sacerdotes Novi Testamenti" (*De Eccl.,* n. 28).

In Ecclesia ergo cultus christianus exercetur ... ».

Pag. 8, n. 3. Proponitur sequens textus statim post titulum « Scientia presbyterorum sacra » ponendus, ut dilatetur extensio huius numeri, nimis exclusive de scientia presbyterorum dicentis: « Presbyteri cum sint ministri Verbi, totis viribus fidem in Verbum Dei ostendant oportet. Homines cum sint fidei, verbo Dei aluntur quod ex eius Fonte, Sacra videlicet Scriptura, hauriunt, fideique intelligentiam exquirunt sacrarum scientiarum studio incumbentes. Itaque ab episcopo, in sacro... ».

Pag. 8, lin. 34. Deleatur remissio ad *Matt.* 28, 19, cum « Docete omnes gentes » non perfecte reddat sensum texti graeci.

Pag. 9, lin. 34, post verbum « pertineant », statim addendum videtur: « animumque intendant ad profundas hominum illius temporis adspirationes et necessitates, necnon ad ea quae in eorum vita eveniunt, ut in his omnibus reperiatur quomodo Evangelii desiderium plus minusve obvolvatur, et verbum Christi fructuosius proponatur et audiatur ».

Pag. 10, lin. 1. Loco « ab auctoritate episcopi pendent », dicatur potius « a sacerdotio ... ».

Pag. 10, n. 9, in fine lin. 20, addendum videtur: « Sic facilius reddetur laicis officium diligendi suos presbyteros et cum eis cooperandi in operibus apostolicis ».

Pag. 10, lin. 22. In fine paragraphi, paraenetica verba quaedam exoptantur: proponuntur itaque sequentia: « Cum sint sacrae Liturgiae ministri, memores sint Presbyteri suam ipsorum facere principalem orationem Ecclesiae, quae Christo coniuncta et per Christum orans Patrem glorificat et homines sanctificat. Cum sint "dispensatores mysteriorum Dei", summe exprimunt Presbyteri orationem cum Sacrosanctum Missae sacrificium offerunt, Sacramenta ministrant, divinum officium persolvunt, Evangelium praedicant, quod annuntiare "cultus spiritualis est" (cf. *Rom.* 1, 9; 15, 16). Ut melius hoc munere perfungantur, cum privatas preces et spiritualia exercitia, ut in fide toti se illi orationi dedant, tum labores suos ut fideles in oratione Ecclesiae partem habeant, dirigunt ».

Pag. 11, lin. 18. Post verba « perseveranter instituendi », sequens proponitur emendatio, ut paragraphus aditum faciat ad « collectivam evangelisationem »: « Attendentes quod nullus homo abstrahi queat ab ambitibus in quibus ex condicionibus et laboribus collocatur, operam dabunt Presbyteri ut fideles responsa-

bilitates suas deprehendant, et in commune ponant cogitationes et labores ut ambitus ipsi evangelizentur ».

Pag. 11, post lin. 42. Inducendus videtur sequens textus, ut tota paragraphus viam aperiat ad relationes presbyterorum ad mundum: « Missi a Christo, qui est Mediator Dei et hominum, ut eius mediationem in sinu communitatis humanae exerceant, praesentiam et actionem extendent Presbyteri ultra christianam communitatem eiusque institutiones. Ipsum autem ministerium eorum, cum de mysterio Christi participet, eos impellet ut sint in communione cum vita hominum et legitimis adspirationibus temporis in quo vivunt, in seipsis communicantes Christi sensibus qui non indignum sui duxit ut humanae familiae membrum efficeretur. Crescent in sanctitate pro caritate quacum ad homines adibunt, eos audientes, eorumque condicionum socii effecti, eos amantes, exemplum Christi sequentes qui simul plene Patri consecratus, necnon plene praesens mundo et datus mundo fuit ».

Pag. 12, ante lin. 25. Addendus videtur sequens textus, ut inducatur necessitas pro presbyteris renovationis doctrinalis: « Nostris temporibus, in quibus cito progrediuntur et mutantur omnia, cuiusvis generis technici statis temporibus suas renovant scientiam atque methodum necesse est. Ministri cum sint Christi in mundo et pro mundo, hanc necessitatem presbyteri non evadunt. Considerent ergo singulae Conferentiae episcopales ... ».

Pag. 16, n. 8. Proponitur sequens textus ad emendandam mentem « paternalistam » loci in quo evolvuntur relationes provectiores inter et iuniores presbyteros:

Pag. 16, lin. 30. Deleantur verba « libenter eos audiant, ac cum ipsis collaborant ». Absolvatur periodus post verba « per annos laboraverunt », ibique ponatur punctum; et addantur sequentia: « Utrique provectiores et iuniores nempe, dotes habent quae sunt aetatis suae propriae. Mutua ergo invicem intelligentia utantur, sibique invicem benignas aures praebeant; utrique mente vero fraterna collaborent ».

Pag. 20, linn. 1-26 (n. 10). Textus schematis qualis nunc proponitur nimis longus videtur nimisque abundanter singula recenset. Paragraphi 2 et 3 (quae leguntur a lin. 1 ad lin. 26) sine detrimento detrahi possent.

Pag. 23, lin. 18 (n. 13). Loco « Presbyteri Eucharistiam cotidie celebrant »; quaedam additamenta exoptantur, et dicendum videtur: « Presbyteri Eucharistiam cotidie celebrare laetentur, qua maxime Patri exhibetur laus, et ipsi Sacerdotes "munus suum sacrum maxime exercent" (*De Eccl.*, n. 28), cetera etiam Sacramenta ... ».

Pag. 23, lin. 37. In fine paragraphi, post verba « non dissipent », addendum videtur « Pauli verbum exsequi meminerint: Gaudete cum gaudentibus, flere cum flentibus (*Rom.* 12, 15) ».

N. 14. De unitate et harmonia vitae presbyterorum. Pag. 24, lin. 12: proponitur sequens emendatio, ut principium unificans vitae et sanctitatis sacerdotalis explicite caritate pastorali innitatur (*cursivis litteris* notantur *verba* sive *inducta* sive *mutata*): ... Presbyteri ad exemplum Christi Domini, qui voluntatem Patris semper adimplevit (cf. *Io.* 4, 34; 6, 38; *Hebr.* 10, 9), *et vitam suam pro ovibus dedit* (cf. *Io.* 10, 11), suae vitae unitatem quaerant in agnitione voluntatis Eius (*Col.* 1, 9) *et in dono suipsius pro grege sibi commisso* (cf. *1 Io.* 3, 16). Cum sit « officium amoris pascere dominicum gregem » (S. August., *Tract. in Io.* 123, 5, *PL.* 35, 1967), *Presbyteri, qui in omnibus Boni Pastoris partes agunt, quaerant in*

ipso caritatis pastoralis exercitio et vinculum perfectionis sacerdotalis et simul principium unificans vitae et actionis suae. Consciam igitur sacerdotalis vitae unitatem Christum constanter parit Spiritu suo in populum effuso; quapropter vita spiritualis sacerdotis alitur continua unione cum Christo *Bono Pastore* qui per eum *gregem* suum vult augere ...

Pag. 28, lin. 13. Post « orationis mentalis », addatur: « lectio divina, conscientiae discussio ... ».

Pag. 28, in fine, lin. 25, addendum videtur: « Item magni faciant mutuum praesidium quod invenitur in oratione in communi facta, in lectione divina pariter *in communi,* et in « revisione vitae », ut aiunt, in communi facta. Denique ne despiciant Presbyteri profectum quem recitatio Officii divini ipsis affere potest ad propriam sanctificationem tum ex orationibus Ecclesiae, tum ex exemplis Sanctorum necnon ex doctrinis Scripturarum et Patrum ».

III

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema de ministerio et vita presbyterorum
Textus recognitus et relationes *
Ante disceptationem

1

Em.mus P. D. PAULUS PETRUS card. MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. La présentation du Prooemium est supérieure à celle des Propositions, plus concise et nerveuse, plus logique.

2. Je maintiens à propos du n. 1 ce que je disais dans les notes envoyées à la Commission en date du 26-1-65.** J'y ajoute ce qui suit:

De plus grandes précisions théologiques seraient désirables. Au moment où la notion de sacerdoce est très étudiée, il faudrait, me semble-t-il, clarifier ce qu'on entend par sacerdoce évangélique. On en parle dans ce § sans en préciser la notion. Les livres de Joseph Lécuyer (*Le sacrifice de la nouvelle alliance,* éd. Mappus, 1962, Lyon), et de Humbert Bouéssé, o.p. (*Le sacerdoce chrétien,* éd. Desclée de Brouwer, 1956), pourraient y aider quelque peu.

Le texte, cependant, élargit les horizons et nous sort d'une perspective uniquement cultuelle du sacerdoce. D'ailleurs il serait avantageux de noter la relation du culte lui-même avec le rite et particulièrement à partir de l'Evangile de St Jean et de l'Epitre aux Hébreux et des Epitres de St Paul.

---

* *Cf. pag. 332 ss.*

** *Cf. pag. 892.*

On a bien fait de rattacher le sacerdoce du prêtre à celui de l'Evêque sans qu'il en soit une participation (p. 13, lignes 30-34). Les deux participent au sacerdote unique du Christ. De ce rattachement naît la mission, comme elle naît de la consécration sacerdotale elle-même.

Enfin on a bien fait de distinguer sacerdoce ministériel et sacerdoce commun et de mettre le prêtre en rapport concret avec le monde où il est et dont il n'est pas...

3. Le § 2 est préférable à celui des Propositions à cause des textes de l'Ecriture qui y sont cités et qui viennent appuyer les affirmations sur l'importance de la Parole pour unir et construire le Peuple de Dieu. Par ailleurs, on y insiste aussi sur la mission hiérarchique, sur le lien de la parole au culte sacramentel et sur le rôle de l'homélie dans la célébration du S. Sacrifice.

4. Le § 3 a eu raison de noter la relation des sacrements à la Sainte Humanité du Christ et à l'autorité de l'Evêque, celle de l'Eucharistie à la constitution de la Communauté ecclésiale. Elle fait l'Eglise et l'Eglise la fait, comme dit St Augustin.

L'insistance sur le sacrement de pénitence qui fait partie intégrante de la mission concrète du prêtre est la bienvenue. Par ailleurs le rôle de la prière et surtout de la prière liturgique dans la vie apostolique demeure indispensable.

5. Le § 4 est supérieur à celui des Propositions: regroupement des idées, concision, introduction de certaines notes importantes, sens de la Communauté ecclésiale, des pauvres dans l'apostolat, etc., suppression des répétitions, précisions doctrinales plus grandes.

6. On a fondu dans le § 5 deux numéros des Propositions et l'on a bien fait. Le texte est plus nerveux, plus dense et plus précis. Ce qui y est dit de l'Ecriture est bon. On aurait pu insister sur la relation que le prêtre doit mettre entre sa culture humaine et la théologie et l'Ecriture. Cette relation, il essaiera de la préciser par les documents du Magistère qui répondent parfois aux problèmes concrets des hommes.

7. Les additions faites au § 6 sont les bienvenues. Elles viennent remplacer avantageusement les répétitions qui existaient dans le paragr. correspondant des Propositions.

Par ailleurs le nouveau texte insiste, avec raison, comme le faisait l'ancien texte sur l'obéissance des prêtres à leurs Evêques. Il pourrait, notant la même participation au sacerdoce du Christ et sur la célébration des mêmes mystères, insister davantage encore sur l'amitié que l'Evêque doit montrer à ses prêtres, sur des réunions qu'il organiserait pour les mieux connaître et leur donner la confiance — fruit d'une connaissance réciproque — dans l'apostolat qui sera alors plus dynamique et plus efficace. La création d'un groupe de prêtres autour de l'Evêque est bonne. Elle ne résout pas le problème de la connaissance des prêtres du Diocèse, tout ensemble. L'Evêque aura son Diocèse en mains quand il a gagné surnaturellement le cœur de ses prêtres.

8. Le § 7 a ajouté certaines nouveautés tout à fait dans l'esprit du Schéma. Je regrette, comme je le disais dans mes notes du 26-1-65, qu'on n'ait pas insisté sur l'action de la prière dans la vie des prêtres et sur l'union des prêtres dans la prière. On pourrait ajouter, à la fin de ce §, là où l'on parle des prêtres tombés, quelques affirmations sur la prière pour que « qui stat ne cadat » et pour

ceux qui se sont éloignés de Dieu, afin qu'ils lui reviennent dans la charité. La miséricorde et la charité dont parle le dernier alinéa pourraient être avantageusement complétées par la prière, leur fondement.

9. Dans le § 8 les additions sont encore les bienvenues. Je voudrais cependant que les affirmations sur l'Œcuménisme qui viennent à la page 27, lignes 7-10 ne soient pas dans le même § que celles sur les non-chrétiens ou sur ceux qui ont perdu la pratique sacramentelle ou la foi. Affaire de nuances qui est importante. Nos frères non-catholiques seraient étonnés d'être mis en compagnie des non-chrétiens.

Le dernier alinéa (p. 27, lignes 11-19) pourrait facilement être supprimé. Il relate des points déjà affirmés plus haut, à propos de la Communauté ecclésiale.

10. Le § 9 qui est l'effet de la fusion des Propositions 7 et 10 insiste, avec raison, une fois de plus, sur l'unité de la mission universelle, à laquelle participent les prêtres comme coopérateurs de l'Ordre épiscopal. Par là il ouvre l'esprit et le cœur des prêtres par delà les frontières de leurs paroisses et du Diocèse auxquels ils appartiennent et les met dans la véritable perspective chrétienne. Cela avait été dit déjà plus haut. Mais rien n'empêche de le redire ici.

11. Le § 10 est satisfaisant maintenant et par ce qu'on y ajoute et par ce qu'on en supprime, et me semble bon de le laisser à sa place dans ce Schéma. Les affirmations sur le soin et la recherche des vocations qui jaillissent de la mission sacerdotale elle-même, sur la direction spirituelle, sur la liberté des candidats, sont excellentes. Par ailleurs l'insistance sur la joie au milieu des tribulations de la vie sacerdotale doit être louée. C'est l'esprit de foi.

12. Le § 11 sur l'exigence particulière de sainteté est bon.

Pour parer à certaines objections ou difficultés, on aurait pu affirmer que les exigences de sainteté des temps modernes sont les mêmes que celles de toutes les époques, et que le Christ évangélique demeure aujourd'hui comme hier l'unique modèle de sainteté.

Il n'y a pas de sainteté moderne (cf. Enquête de la vie spirituelle de 1942, 1943), opposée à la sainteté des âges passés.

Il y a partout de par le monde des affirmations comme celles-ci: cela n'est plus pour notre temps, mais pour des époques passées, faisant allusion à la mortification et au sacrifice.

13. Je me permets, pour le § 12 d'insister sur la nécessité de l'oraison dans la vie et la spiritualité du prêtre. Si elle jaillit du ministère lui-même, si elle est liée à la célébration du sacrifice eucharistique, si le courage, la volonté du progrès et d'initiatives doivent la caractériser, il n'en reste pas moins vrai que tout cela doit baigner dans la prière, pour qu'il y ait des fruits surnaturels durables. C'est évident, n'est-ce pas? Il serait meilleur de le dire, me semble-t-il.

14. On parle, en passant, de l'oraison dans le § 13. C'est déjà bien. On devrait, me semble-t-il, insister davantage et sur la prière et sur la mortification du cœur qui sont le lieu où se nourrit la vraie charité apostolique authentique.

15. Je me permets d'insister encore pour le § 14 sur la prière. Des profondeurs de son intimité avec Dieu, le prêtre peut tirer les raisons de son dynamisme de charité et de son sacrifice.

Ce qui est dit dans ce § sur la pauvreté, la chasteté et l'obéissance est bon. Il demande, cependant, à être davantage contracté et réduit.

L'aspect rédempteur de toutes ces vertus est mieux présenté et expliqué dans une perspective de solidarité du Peuple de Dieu.

16. Le § 15 est satisfaisant maintenant. Le dernier alinéa est bon, sauve la liberté de l'âme par les autres moyens que l'Esprit Saint pourrait inspirer et qui favoriseraient la vie intérieure.

L'insistance sur le fait que tous ces moyens qui favorisent la vie intérieure sont mis en rapport avec la vie liturgique et la piété liturgique est bonne.

17. Comme le § 16 répète à peu de choses près l'ancien texte, je maintiens les remarques que je faisais dans mes notes du 26-1-65.

18. On a bien fait de maintenir dans le § 17 les paroles « salvo iure particulari », pour réserver le cas des prêtres mariés de rite oriental qui doivent éduquer leurs enfants et pourvoir à leur établissement.

19. On donne à la caisse commune dont on parle dans le § 18 des buts précis. Je croirais utile, comme je l'ai dit dans mes notes précitées, d'affirmer que des vocations pauvres pourraient être aidées par cette caisse. Il y a bien des vocations qui se perdent parfois, et des meilleures, faute de finances et faute de secours.

20. Les raisons chrétiennes qui militent contre le découragement des prêtres sont exposées dans le § 19 et avec suffisamment d'équilibre et d'ouverture dogmatique. On a bien fait d'éviter une allure moralisante pour insister sur une vue de foi et d'espérance dans l'action de grâces: le Royaume de Dieu n'est pas assuré de la victoire absolue ici-bas. Mais le Christ triomphe et triomphera.

2

Exc.mus P. D. ALFREDUS CAVAGNA
Episcopus tit. Tianus

Lo schema del Decreto è senza dubbio fra i più importanti, perché i frutti del Concilio dipenderanno in gran parte dalla collaborazione e santità del clero. Vanno quindi ringraziati i componenti della Commissione che hanno redatto, corretto e ricorretto lo schema e, unicamente per migliorarlo, ci permettiamo di sottoporre umilmente alcune osservazioni.

1) All'art. 8, pag. 25 « Presbyterorum cum laicis conversatio » manca ogni accenno all'Azione Cattolica, tanto raccomandata dagli ultimi Pontefici e dallo stesso Paolo VI. Ma se per motivi superiori si preferisse non nominarla si dovrebbero trovare espressioni che meglio indichino la necessità della collaborazione dei laici riferendosi a quanto si dice nello schema « De apostolatu laicorum » e a quanto si dirà nello schema XIII « De Ecclesia in mundo huius temporis ».

2) Art. 10, pag. 30, riga 3 (C). L'inciso « plena eorum libertate externa et interna servata » suggerito da un solo Padre, sarebbe meglio tralasciarlo, altrimenti va spiegato per evitare gravi e dannose ripercussioni a proposito dell'obbedienza.

3) II. *De presbyterorum vita,* pag. 30. *a*) All'art. 11 « Peculiaris exigentia sanctitatis in vita sacerdotali » sembrerebbe utile ricordare il cap. 4 della Costituzione sulla Chiesa, intitolato: « Universale vocazione alla santità nella Chiesa ». Se tutto il popolo di Dio è chiamato alla santità tanto più il sacerdote che ne deve essere esempio e maestro (cfr. art. 41).

b) L'intero schema è davvero pervaso dalla preoccupazione che il sacerdote sia uomo di preghiera e vi si accenna con frequenza. Senza la preghiera è impossibile quella santità che si esige dal sacerdote. Forse sarebbe conveniente di richiamare, sia pure in brevi frasi, l'insegnamento e l'esempio del Maestro divino che consacra alla preghiera perfino la notte. La storia della Chiesa ci ammonisce che i frutti del ministero sono inconcepibili senza la preghiera e che anzi un apostolato senza sufficiente preghiera può essere dannoso a quelli stessi che lo esercitano.

c) Anche nella Pars I non mancano accenni alla preghiera che forse qualche volta aumenterebbero vigore con una maggiore precisione. Per es. a pag. 16, riga 33, dell'art. 3, si potrebbe omettere l'inciso « non tantum ». Sia nei documenti pontifici che negli insegnamenti dell'ascetica cristiana s'insiste nel dichiarare come la preghiera è indispensabile per la salvezza della propria anima; è noto l'assioma di S. Alfonso de' Liguori: « Chi prega si salva, chi non prega si danna ». Per questo « chi prega diventa santo, ma senza la preghiera non ci si potrà mai santificare ».

d) Giustamente si insiste nell'insegnare che la vita spirituale trova nella S. Messa « centrum et radicem totius suae vitae » (art. 13, pag. 34, riga 34). Sarebbe utile qualche accenno pratico all'importanza della preparazione e del ringraziamento alla S. Messa. Converrebbe insieme ricordare che il sacerdote è il custode dell'Eucaristia e con il suo esempio e le sue parole deve sollecitare i fedeli a non lasciare deserte le chiese.

e) All'art. 12, pag. 33, riga 14 si raccomanda « vivo spirito di fede nella recita dell'Ufficio divino ». A pag. 37 dell'art. 14 vengono saggiamente elencati i sussidi ascetici, mezzi indispensabili per la castità e a pag. 39, a chiusura dell'art. 15 vengono richiamati altri sussidi spirituali. A mio modesto avviso come a pag. 37, riga 16 dopo « la B. V. Maria », oppure a pag. 39 al termine della riga 19 sembrerebbe opportuno aggiungere, come si è fatto nel canone della Messa, la devozione a S. Giuseppe, Patrono della Chiesa e del Concilio.

f) Tornerebbe anche utile raccomandare ai sacerdoti la libera iscrizione a quelle associazioni ascetiche promosse proprio in aiuto ai sacerdoti come ce ne ha dato esempio anche S. Pio X nella *Haerent animo.*

4) All'art. 14, pag. 35 « De consiliis evangelicis in vita Presbyteri » a proposito della castità ci siano permesse alcune osservazioni:

a) Pag. 35, riga 36: l'accenno agli Orientali è esatto e opportuno, ma converrà completarlo aggiungendo come la castità è coltivata largamente nei loro numerosi monasteri maschili e come i vescovi sono scelti soltanto fra i vergini.

b) Sembrerebbe indispensabile qualche accenno ai confratelli che purtroppo ci hanno abbandonato. A tutti sono note le molteplici e urgenti insistenze per l'abolizione del celibato giunte ai padri conciliari. Se non si crede opportuno accennarlo vanno però ricordati come fratelli verso i quali non è diminuita la sollecitudine per il loro ritorno con la preghiera, il sacrificio, l'aiuto materiale. Penso se ne parlerà in qualche altro schema come *De pastorali episcoporum munere in Ecclesia;* ma in questo almeno non deve mancare quello che in proposito Giovanni XXIII volle includere nel Sinodo Romano, raccomandando preghiera e carità.

3

EXC.MUS P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus episcopus Argentoratensis

In genere hoc schema optimum mihi videtur. Propono tamen paucas adiunctiones:

1) Pag. 18, post litteram H addatur: « Ne negligat fideles qui ad altiorem gradum vitae christianae vocantur, atque membra congregationum religiosarum, quae saepe speciali adiutorio presbyterorum indigent ».

2) Pag. 27, post litteram E addatur: « Toto corde suscipiant extraneos qui saepius nostris temporibus ad suam vitam sustentandam eorumque familiarum adiutorium ut operarii extra suam patriam exsulantur ».

3) Pag. 34, ad calcem n. 14 addatur: « Regulas prudentiae christianae ne negligant, et etiam in suis vestimentis, secundum leges cuique Dioecesi proprias, sese ut presbyteros confiteri ne revereantur ».

Ministerum hodiernum sacerdotum hoc mihi exigere videtur.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis CXLVI

Congregatio Generalis CXLVII

Congregatio Generalis CXLVIII

Animadversiones scripto exhibitae
Quoad schema de activitate missionali Ecclesiae

Congregatio Generalis CXLIX

Congregatio Generalis CL

APPENDIX